UNIVERSITÄTS BIBLIOTHEK WUPPERTAL
BERGISCHE UNIVERSITÄT WUPPERTAL

Universitätsbibliothek Wuppertal

L. Annaei Senecae Tragoediae

Seneca, Lucius Annaeus <Philosophus>

Amstelodami, 1662

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.
Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

urn:nbn:de:hbz:468-1-770

Visual Library

ex libris Stephani Chola


L. ANNÆI
SENECÆ
TRAGŒDIÆ.
I. F. Gronovius recensuit.
Accesserunt ejusdem et Variorum Notæ.

AMSTELODAMI,
Apud JUDOCUM PLUYMER. MDCLXII.

W 04
ZZWX 9828

UNIVERSITÄTS
BIBLIOTHEK
WUPPERTAL

84. 25 211

Sereniſſimo Principi ac Domino

DOMINO,

CAROLO LUDOVICO,

DEI GRATIA COMITI PALATINO AD RHENUM, SACRI ROMANI IMPERII ELECTORI ET ARCHITHESAURARIO, DUCI BAVARIÆ, &c.

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

Hoc ſpecimen Romani cothurni, quum Tuam, Sereniſſime Elector, purpuram adorare poſſet, ſi cuiquam alii patrono applicuiſſem, pœnitendi erroris nulla mihi excuſatio relinquebatur. Tantum abeſt, ut conquirendæ ſint cauſæ, cur hujuſmodi mihi vota propoſuerim. Regnantibus opportuniſſimæ ſunt literæ, propria nobilium pectorum politura,

& unicum ingenii ad magnæ fortunæ cultum excitandi instrumentum. Hæ sunt quæ documentis & exemplis insignibus sine ambitione monent, quid imitere, quid vites: per quas omnium seculorum bona participamus, mala prævisa aut mollire aut corpore exire licet: per quas illustris fastigii hæredes recognoscunt suos majores, & ipsi insita decora mittunt in longinquam & immortalem memoriam posteritatis. Hæ sunt, quæ rerum potentibus comparant mites & mansuetos justique imperii patientes subjectos. Ergo & tutelam earum potestati legibus armatæ antiquissimam monstravit vetustas, non Herculem tantum Musageten, sed & Apollinem Musarum præsidem tam arcu & sagittis quam cithara sonorum commenta. Enimvero inter varias eloquentiæ formas hanc Scripturam, præterquam quod cuivis legenti confert, aulis liquet juvandis atque emendandis natam. Neque enim salubrius Socraticus

ille

ille Cebes tabulam quam ſcenam poſuit & explicuit Theſpis, utramque ſpeculum vitæ atque imaginem. Ambo miſerti humanæ infirmitatis, utili & vero, quando ab eo plurimi tanquam amaro, duro, tetrico abhorrent, quo facilius acciperetur, ludicri & jocoſi & dulcis induerunt habitum. Vividius & efficacius Theſpis: ibi enim tantummodo adumbratæ viſebantur, hic & geſtiebant & exaudiebantur Vecordia, Fraus, Voluptas, Luxuria cæteræque peſtes: quarum blandimenta quum effugere non ſit, quæcumque loca ſequamur, melius lucaris quam patrimonii, famæ, capitis, patriæ & totorum populorum impendio conſtare cenſuit. Commodius etiam theatrum, quia dividit ordines: nam ut ſocci maculas, peccata, corruptelas, turbas modicorum penatium; ſic vim jure ſuperiorem, obſidentes auratum limen Erinnyas, teſtudinei cubilis plumas & conchyliata periſtromata ægre ducentia pendentem tenuemque ſomnum, in

murrha & gemma impias escas, potiones mortiferas, lubrico fragilique loco stantes superbos & arces ancipites nec populis quam domino minaciores, ingentis hastatorum satellitum agminis raram fidem, nullum silentium, nec regalibus vitiis secretum, nec licere, quibus tantum licet, quatenus velint, amicis irasci, denique quicquid singulari exemplo tua, Sereniſſime Princeps, cum prudentia tum pietas excluſit, cothurni repræsentant. Neque difficile ad fidem est, quum Neroni amor carminum veniſſet, Senecam, nempe similitudine studiorum ambitioſum, hoc genus stili potiſſimum adamaſſe, ut jam præcepta fastidienti & gravato, quæ directo vetabatur, quasi per fideicommiſſum, &, ut aliis data, insinuaret, quibus ad moderatiora flecteretur. Quod consilium etsi irritum habuit illius, cui præstabatur, immanis natura, & potentiores, qui exitiosa suadebant, non tamen periit auctori labor, sed vivit & vincit, non minore istorum

rum invidia, quam quæ ad lyram feras silvasque ac saxa mulcentem & mitigantem obdurarunt. Auget pretium solitudo & nostra inopia, abolitis atq; interceptis, quos paris laudis æmulos, vel æquales vel citerius seriusve, cultioris Romæ protulit ingeniorum fœcunditas, partim nomine tantum, non etiam operibus, plures, opinor, nec nomine nobis cognitos. Sæviit enim longinquitas ævi & temporum infelicitas etiam in monumenta, quæ credebantur ære perenniora, & quibuscum mitius egit, in illis hoc nobis munus imposuit, ut si studiis veterum recte ornari atque excoli velimus, ipsi magistros & ornatores nostros excolere & ad pristinum nitorem, qua licet, revocare necesse habeamus. Et contigit huic quidem merita cura, ut eum recreandum deligerent fere primi in literis homines, quibus nos tanto inferiores manum jungere non superbia, sed fortuna & judicium illorum compulit. Huic acceptum refero, quod crebrius

versavi & in familiarioribus habui, quem illi certatim producendo monstraverant: illi, quod exemplar longe vetustius integriusque, quam quisquam illorum possederat, ad me detulit. Adjecit eadem, quod illis defuit, dignum nobilitate auctoris, dignum egregiis artibus, ut veterem aulicum, in palatio, quod solus decorabat, indignissime habitum, in palatium sanctis ejus institutis congruentius reducerem. Neque enim, ut occœpi dicere, quod augustis tuis tholis jam dudum debeo, quod conceptissimis verbis devovi & despondi, quod propitia lux cœlestis ac sereni vultus tui in me conjecta & necopinantem fovere atque incendere orsa flagitat imperatque, id ad alium quemcumque avertere aut de illo decidere irreligiosus inficiator sustineo? Aut quem inveniam alium inter hodie regnantes, qui isti magnitudini & fulgori excelsissimi status tantum exquisitæ & reconditæ & elegantis eruditionis adstruxerit? qui homini Romano

sine

sine interprete operam dare possit? cui & hic & discipulus ejus fratrisque filius, nihil plebejum loquentes uterque & profanum vulgus exosi, non sint obscuri & impercepti? qui quid in pulpito canendis, quid in omni dulcedine versuum decorum sit & conveniens, discernat? qui bene dicta, & quicquid est, quo placent scriptores, peritissime audiat? qui quid illi antiquitatis vindices in hoc profecerint, quid nos levis & ferentarii auxilii tulerimus, optime dijudicet? Nescio quomodo ex barbarie superiorum seculorum præ cæteris unum pertinaciter hæret, ut magnæ domus studiis minores sint, & libri in sericos pulvillos ac citreos lectos fastidiose recipiantur: sicubi fit tamen, nihil fere nisi tralaticium, vulgare, umbraticum, &, ut sic dicam, sine literis literatum efficitur: ea quæ maxime animum corrigunt eriguntque, quæ in omni judicio oculos claros, nares acutas, aures teretes, gustum tenerum, os suave ac salsum,

denique hominem vere reddunt humanum, ignorantur. At tuæ, Sereniſſime Domine Elector, fortunæ virtutiſque miraculorum longa eſt ſeries. Ut illa diu duriter atque inclementer habitum ſæviſque fluctibus ac procellis nulla culpa tua jactatum, tandem, velut igni ſpectatum, in avitum ſolium repoſuerit; hæc in triſtibus fortem & conſtantem, poſtquam ſuperaſti, capacem quanticumque fati, moderatum & ſapientem & munera tam laborioſæ & exercitæ ſtationis obeuntem ipſum, pium bonumque ac ſalutare ſidus tuis, prætextum pulcherrimum Imperii & Germaniæ unicum decus, denique Principem, qualis optari magis poſſe credebatur quam naſci, reddiderit, copioſi atque uberes prædicabunt annales. Sed inter illa miracula quo ore, quam excedenti præſentia tempora laude feretur, quod etiam ſtudiis principem locum impleſti, quod ad priſcam elegantiam intervalla negotiorum remiſſione animi liberaliſſima

lissima & humanissima distinguis. Majores tui amplissimam gloriam adepti sunt, qui huic decori, quod tu consummavisti, proluserunt. Illis, alere ac tueri præcipuum ingenii cultum, magnum fuit: tibi non hoc magnum est, nisi & nosses ac penetrares. Illi sedem Musis circa regiam, tu & in thalamo pectoreque etiam sacro tribuisti. Illi quos in usu & ministeriis habebant, conquisitos undique doctos, nec magis prudentia & fide probatos quam eloquentiæ operibus claros, benigne prosequuti sunt: tu & longinquis gratiam ac beneficia impertiris. Deum optimum maximum, cujus vices magna in terrarum parte procuras, quemque præsentem restitutus in avitum potentiæ locum testaris, Princeps Sereniſſime, veneror, ut hoc instituto in rebus beatissimis tuis ac tuorum quam diutissime sospes atque inclitus utaris: & manet tanti exempli par utilitas in Principes & privatos; illi ut intelligant quam decorus summæ for-

fortunæ sit literarum honor; hi ut appetant, quæ scient se Principibus approbaturos. Lugduni in Batavis mense Martio cIↃ IↃc LXI.

SERENITATI TUÆ

Dicatissimus

JOHANNES FRED. GRONOVIUS.

LECTO-

LECTORI.

Quum Florentiæ Magni Ducis bibliothecam perlustrarem, advertit oculos meos volumen Tragœdiarum Senecæ in membranis spectatissimæ manus ac fidei, ut statim intuenti primum mihi videbatur & postea certis argumentis cognovi. Præter ipsam literarum formam, loca quædam, quorum in labem manifestam & desperatam aut incassum tentatam omnes alii chirographi conjurarant, mirifice ac supra spem restituta reperiebam. Quemadmodum in Hercule Furente ver. 485. *inculcatum habuere,* Mortem coactus ante Geryonem pati: *pro quo videbam,* Mortem coactus integer cycnus pati. *In Thyeste, v.* 275. *nusquam non legebatur,* animum filio inspira parens Sororque, *& fabulam vel historiam inexplicabilem censuit Scaliger: at hic radiabat:* animum daulis inspira parens Sororque. *In Oedipo nullus olim visorum interceſſit, quo minus cruciarent nos v.* 246. Prohibent nefandi. *& v.* 718. Prædonem numerans suum: *solus hic ostendebat,* Sphinx & nefandi, *dein* Prædonem venerans suum. *Eadem conspiratio in Troadibus v.* 50. Ensis senili tinctus: *noster unus,* Ensis senili siccus. *Erant, quæ destituente scriptorum auxilio ut conjectura*

jectura ſanaverat, ita omnino exhibebantur. Vt in falſi nominis Thebaide v. 20. *Delrii* Zethi juvencus: *in Medea v.* 105. Felix Æoliam *Dan. Heinſii, & ibidem v.* 311. *Hug. Grotii* pluvias Hyadas, *in Troad. ver.* 829. regnum Prothoi: *ejuſdemq; & noſtrum in eadem v.*998.interim hoc poenae loco eſt, Sortem occupavi, praemium eripui tibi: *ubi paſſim obvii,* Aoniam, Pleiadas Hyadaſque, Protei, &, interim hæc pœna in loco eſt, Sortem occupavi, præmium eripuit mihi. *Erant, quorum fallens vitium honeſta ſpecie omnem ſuſpicionem eluſerat; hoc primum & indice monſtrabatur & medico curabatur. Vt in Medea ver.*952. Antiqua mentis ira. qua ducis, ſequor: *quod quis ſollicitaret, niſi ſuggeſſiſſet hic liber:* Antiqua erinnis. ira qua ducis ſequor. *In illa, quæ Thebais antehac dicta eſt v.* 232. & quicquid mihi Negaſtis oculi, *amaremus læti, abſque hoc fuiſſet, cui debemus:* & quicquid mihi Donaſtis oculi. *In Hercule Oetæo v.* 492. Quem gravida nubes Theſſalo genuit duci, *non fuit cui diſpliceret: ſubeſſe tamen fraudem intellexi, poſtquam ſcriptum vidi:* Quem gravida nefele. *In eodem verſ.* 1538. Si qua ſub terra numeroſa ſerpens Spargat intentam rabiem draconis, *tranſmiſerunt intactum, pro quo nunc leges:* Si qua ſub Lerna numeroſa ſerpens Spargat in centum rabiem dracones. *Quid ubi deerrans & hæc manus aut alterius, quam ſequebatur, errata fideliter exprimens, detegebat originem graduſque creſcentium paulatim mendarum ſimul cum poſteriorum*

audacia?

audacia? dum veterem scripturam literula addita vel adempta mutatave juvandam licenter pervertunt & remedio vulnus exasperant. Vt in Agamemnone, v. 281. *quum inveniſſent*, & euro tantum, *reddiderunt primum* & à viro tanto, *deinde* & à tanto viro, *quum debuiſſent*, & Eurotan tuum. *In eodem ver.* 576. Poſtquam litatum eſt illo Phœbus redit, *ut verſus conſtaret, ſuppoſuerunt*, Phœbus in lucem redit, *& verſu præcedente*, cedit in luctum: *quum verum foret:* cecidit in lucem furor. Poſtquam litatum eſt Ilio, Phœbus redit. *In Thebaide v.* 23. Minor rupes *correxerunt* Inoque præceps: *ex quo quis divinet, quod ex illo non difficulter erueres*, Inoa rupes? *Quid de verſibus integris dicam, quam improbe & incommode loco ſuo demotis, tam commode atque eleganter in eundem reſtitutis? Vt Thyeſte v.* 1012. *Hippolyto v.* 358. *&* 940. *Troadibus v.* 205. *&* 226. *&* 587. *Quid de illis, quos aliis perſonis adſignat? Vt Hercule Fur. ver.* 352. *&* 915. *cum ſequentibus, Thyeſte v.* 321. *Oedipo v.* 864. *Illa quoque non levis videbatur commendatio Florentini codicis, quod adfirmaret, quicquid utiliter ad vulgatos emendandos ex antiquitus ſcriptis alii produxerant: præcæteris Lipſius è lectione ſuorum. Duos enim ille adhibuit, quorum alterum à Paulo Meliſſo, alterum ab Abr. Ortelio acceperat. Prior omnes, qui antehac conſulti ſunt, longe poſt terga relinquebat: ſed quod in pleriſque nullus ei accederet ſecundus auctor, tanquam novandi nimius, ſæpe rejectus eſt, & obtrectatores*

invenit.

invenit. Quum enim plurimæ passim manu exaratæ exstent hæ tragœdiæ, pars magna exigui pretii, multitudo sequiorum uni, licet eximio, obstitit, & numerum vincere jusserunt. Quorum libenter excusamus quamvis superfluam religionem & modestiam; judicium si secuti essemus, parum Senecæ consuluissemus. Mirabar etiam in Etrusco libro ut primæ bonitatis notam, Troadas *semper, non* Troada, *&* Phœnissas *semper,* Thebaida *nusquam appellari: quorum neutrum ullis in superiorum sive membranis sive chartis observatum, etsi prius jam disputando viri docti collegerint. Sed & ultimam Tragœdiarum deesse accipiebam pro argumento, transscriptum eum de exemplari, cui Octavia, quam satis constat Senecæ non esse, nondum accreverat. Placebat ipsa frons operis, quam nec invidebo lectori.*

Tragœdi sunt, qui antiqua gesta atque facinora sceleratorum regum luctuoso carmine spectante populo concinebant. quibus initio canentibus præmium erat hircus, quem Græci tragon vocant. unde & Horatius:

Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum.

Jam dehinc sequentes tragici multum honorem adepti sunt. excellentes in argumentis fabularum ad veritatis imaginem fictis.

Epitaphium Marci Lucii Annei Senecae.

Cura. labor. meritū sumpti pro munere honores.
Ite alias posthac sollicitate animas.
Me procul à vobis Deus evocat. ilicet actis
Terrenis rebus hospita terra vale.

Corpus

Corpus avara tamen solennibus excipe saxis.
Namque animam cœlo reddimus. ossa tibi.

MARCI LUCII ANNEI SENECAE TRAGOEDIAE N. VIIII. HERCULES. TROADES. PHOENISSAE. MEDEA. PHOEDRA. OEDIPPUS. AGAMEMNON. THYESTES. HERCULES.

Quæ præfatus sum, non ut hoc munus venditarem, sed ut occuparem quos Lipsius expertus est, homines querulos, unius libri auctoritate tantum in receptis mutari indignaturos. Nam qui potest aliter, ubi hinc stat tota legio recentium, vitiatorum, ingenio conditoris magnam partem dissimilium? inde vel solus antiquissimus, integerrimus, si non ubiq; at in plurimis, quæ divertunt, γνήσιον ἢ πατρὸς παιδίον? Non enim, opinor, hoc agitur, quid multi ediderint librarii, sed quid Poëta cecinerit: de quo si sic ambigitur, ut utrimque par sit ratio qua sententiarum ponderis qua verborum nitoris, ut neutra lanx propendeat, superet sane plurium consensus: sin altera cum turba sua subsultet, altera cum uno, ut loquebatur Critolaus, terram & maria deprimat, qui istum prætulerit, in cæcorum sedes relegandus est. An unus Pandectes Florentinus suffecit, ut omnibus aliis umbram faceret ac potior haberetur; Senecæ non erit tantum gratiæ, ut eum unico ab exemplari centies puriorem, doctiorem, apertiorem, quam è multis infuscatum, sordidum, obscurum malimus? Erit certè: nec me pœnitet horarum, quas impendi comparato, quo hucusque usi sumus, & quanta potui diligentia

varietatibus enotatis, ut ingentem nactus, ut rebar, thesaurum, in commune, quodcumque erat lucri, conferrem. Suscepit eundem laborem postea Nicolaus Heinsius, insignis omni claritate literarum, & MSS. libris tractandis peritissimus: ex cujus excerptis mea supplere, & si quid fugisset observationem meam, recuperare in magno & illius beneficio & meo negotio habui. Cæterum excellens præstantia hujus codicis notas meas reddidit uberiores, dum non solum, quæ ipse primus inde erui, approbare contendo, sed etiam referre existimo, in quibus disputabatur, sciri quibus ille non mediocre momentum partium futurus accesserit. Est, ubi solius conjecturæ remigio rem gessimus. Cui & hæc, quæ, dum revolvo jam expressa typis, mihi nata sunt, debebis. Hercule Fur. v. 1038. videtur auctor scripsisse: ad Argos victimas alias dabo. *Thyeste v. 59. scribendum est:*

Nondum Thyestes liberos deflet suos?
Ecquando tollet? ignibus jam subditis
Spument ahena: membra per partes eant
Discerpta.

Erat in fatis, Eumenidum nigro vellere conditum, ut Thyestes sceleste liberos amitteret, scelestius rursum crearet ac tolleret vel susciperet è filia. Vtrumque exigit Furia, & miratur differri rem præsenti propemodum die. Ecquando tollet? *subaudi ex præcedenti membro,* liberos: *quæ vox & de uno sæpe priscis effertur. Nondum luget devoratos? Quando igitur erit, ut in eorum locum quærat suscipiatque incesto, quem nobis debet, Ægisthum?*

gisthum? Age ocius apparetur illa parricidalis cœna, &c. Vtque hoc obiter moneam, quod est in eadem Tragœdia v. 373. Aut qui Caspia fortibus Recludunt juga Sarmatis, *sumpsit auctor ex historia Tiberii temporum, de quibus Tacitus* 6. *Ann.* Contra Pharasmanes adjungere Albanos, accire Sarmatas, quorum Sceptuchi, utrimque donis acceptis, more gentico diversa induere. Sed Iberi locorum potentes, Caspia via, Sarmatam in Armenios raptim effundunt. *Eadem tragœdia v.* 771. *suspicor oportere scribi:* Nec facile dicam, corpora an flammas magis Gemuisse. *Hercule Oetæo v.* 983. error hic culpa vacat, *& v.* 990. Quam luce tribui *legerim. Versu* 1738. *quia in Flor.* Nunc est parens, *videtur scribendum:* Nunc es parens Herculea: sic stare ad rogum Te, mater, inquit, sic decet flere Herculem. *Plura volebam: sed vetat multiplex occupatio. Vale igitur, & hæc boni consule.*

TESTIMONIA VETERUM

ET

RECENTIORUM QUORUNDAM,

DE

L. ANNÆO SENECA.

Cornelius Tacitus annal. XII.

At Agrippina ne malis tantum facinoribus notesceret, veniam exsilii pro Annæo Seneca, simul præturam impetrat, lætum in publicum rata, ob claritudinem studiorum ejus, utque Domitii pueritia tali magistro adolesceret, & consiliis ejusdem ad spem dominationis uterentur.

Idem annal. XIII.

Quamquam oratio à Seneca composita multum cultus præferret, ut fuit illi viro ingenium amœnum & temporis illius auribus accommodatum.

Idem lib. XIV.

Objiciebant etiam eloquentiæ laudem uni sibi adsciscere & carmina crebrius factitare, postquam Neroni amor eorum venisset.

Idem lib. XV.

Fama fuit Subrium Flavium cum centurionibus, occulto consilio, neque tamen ignorante Seneca, destinavisse,

naviſſe, ut poſt occiſum opera Piſonis Neronem, Piſo quoque interficeretur, traderetur que imperium Senecæ, quaſi inſonti claritudine virtutum ad ſummum faſtigium delecto.

Iuvenalis Sat. VIII.

Quis tam
Perditus, ut dubita Senecam præfere Neroni?

Martialis lib. I. *Epigr.* LXII.

Duoſque Senecas unicumque Lucanum
Facunda loquitur Corduba.

Idem lib. IV. *Epigr.* XL.

Atria Piſonum ſtabant cum ſtemmate toto,
Et docti Senecæ ter numeranda domus,

Idem lib. VIII. *Ep.* XLIII.

Facundi Senecæ potens amicus
Caro proximus aut prior Sereno.

M. Fab. Quintilianus lib. VIII. *cap.* III.

Noſtri autem in jungendo aut derivando paulum aliquid auſi, vix in hoc ſatis recipiuntur. Nam memini juvenis admodum, inter Pomponium & Senecam etiam Præfationibus eſſe tractatum, an *gradus eliminat* apud Attium in Tragœdiâ dici oportuiſſet. At veteres ne *expectorat* quidem timuerunt.

Idem lib. IX. *cap.* II.

Interrogamus, aut invidiæ gratiâ: ut Medea apud Senecam:

—*quas peti terras jubes?* [Extat verſ. 453.]

Idem lib. X. *cap.* I.

Cujus & multæ alioqui & magnæ virtutes fuerunt, ingenium facile & copioſum, plurimum ſtudii, multarum rerum cognitio. Tractavit etiam omnium fere

ſtudiorum materiam. nam & orationes ejus & poëmata & epiſtolæ & dialogi feruntur.

Suetonius in Caligula cap. LIII.

Lenius comptiuſque ſcribendi genus adeo contemnens, ut Senecam, tum maxime placentem, commiſſiones meras componere & arenam eſſe ſine calce diceret.

Dio lib. LXI.

Ὅτε Σενέκας καὶ ὁ Βῆρρος, φρονιμώτατοί τε ἅμα καὶ δικαιώτατοι τῶν τοῦ Νέρωνος ὄντες, (ὁ μὲν ἐπάρχου τὸ δορυφορικὸν, ὁ δὲ διδάσκαλος αὐτοῦ ὤν.) τὴν ἀρχὴν πᾶσαν παρέλαβον, καὶ δικάσαντες, ὅσον ἡδυνήθησαν, ἄριστα καὶ δικαιότατα, ὥστε ὑπὸ πάντων ἀνθρώπων ἐπαινεθῆναι.

Terentianus Maurus in Centimetro, ubi de Bucolico agit.

In Tragicis junxêre Choris hunc ſæpe diſerti;
Annæus Seneca, & Pomponius ante Secundus.
Tale dedit nobis Pomponius:
Pendeat ex humeris dulcis chelys, &c.

Idem de tertia tome Hendecaſyllabi.

Ut Vates alii ſolent,
Exemplum Senecæ dabo:
Thebis læta dies adeſt;
Aram tangite ſupplices;
Pingueis cædite victimas.
Tales continuos legis, *&c.*

M. Val. Probus Grammat. Inſtitut. lib. I.

Nominativus ſingularis qui *en* ſyllabâ terminatur, Græci nominis eſt: & maſculino ſive fœminino genere, ſemper longa eſt. Maſculino, ut *Hymen.* ut Seneca in Hecuba:

Quicun-

Quicunque Hymen funestus, inlætabilis.

[Extat Troadibus, initio Actus IV.]

Idem lib. eod.

Illic, vel *illuc*, & *huc* adverbia, postremas longas recipiunt. ut, *Huc illuc acies circumtulit.* &, *Huc ades.* & Seneca in Hecuba, hendecasyllabo Sapphico versu,

Ilium est illic, ubi fumus alte.

[In fine ejusdem Act. IV.]

Ibidem.

Oedipodis & *Oedipodæ.* Seneca: *Oedipodis domus.* [V. 216. ubi *Oedipodis datur* vulgo, & sic in Probo legendum.]

Priscianus lib. VI.

Alia vero omnia in *is* desinunt, ut *hic* & *hæc sacerdos*; *hic* & *hæc compos*, *compotis.* Livius in XXV. *Profecto satis compotem mentis inesse.* O tamen in hoc solo corripitur. Seneca in † Phædra:

Hippolyte, me nunc compotem voti facis.

In * eadem: *compote voto.* & est Adonium metrum. [† Hippolyto, v. 707. * Lege, *eodem.* nam non est ex Phædrâ sive Hippolyto, sed ex Agamemnone, Choro II. v. 360.]

Lactantius Statii Papinii Scholiastes, ad Thebaidem, lib. IV.

Seneca in Thyeste:
Nescitis cupidi arcium,
Regnum quo jaceat loco, &c.

C. Sollius Sidonius Apollinaris, Carm. IX. *ad Magnum felicem.*

Non quod Corduba præpotens alumnis
Facundum ciet, hîc putes legendum:

Quorum unus colit hispidum Platona,
Incassumque suum monet Neronem:
Orchestram quatit alter Euripidis,
Pictum fæcibus Æschylum secutus,
Aut plaustris solitum sonare Thespin:
Qui post pulpita trita sub cothurno
Ducebant olidæ marem capellæ.
Pugnam tertius ille Gallicani
Dixit Cæsaris, ut gener socerque
Cognata impulerint in arma Romam, *&c.*

Idem Carm. XXIII.

Quid celsos Senecas loquar, vel illum
Quem dat Bilbilis alta Martialem,
Terrarum indigenas Ibericarum?

Paullus Longobardus, Diaconus, Historiæ Miscellæ lib. VIII.

Hujus (*Neronis*) temporibus Poëtæ pollebant Romæ Lucanus, Juvenalis, & Persius, Senecaque Tragicus; Musonius atque Plutarchus, (*Hui! & ille etiam Neronis ævo? somnium.*) Philosophi.

Desiderius Erasmus in Prolegomenis ad Senecam Philosophum.

Ingenio facili versatilique fuisse colligitur hinc, quod in diversis argumentis stilum exercuit pari propemodum successu. quod nec Ciceroni, nec Virgilio contigit. Nam Tacitus commemorat illius poëmata, de quibus sentiens, incertum. Nam Tragœdiarum opus eruditi quidam malunt Senecæ filio tribuere, quam huic. Sunt qui fratri Senecæ adscribant. Quamquam mihi videtur opus hoc Tragœdiarum non esse unius hominis. Certè ex ludicro libello De morte Claudii, conjicere licet, illum haudquaquam iratis Musis & Apolline versatum in hoc studii genere, *&c.*

Iulius

Iulius Cæsar Scaliger Poëtices lib. v. cap. vi.

Ascendendum est ad tertiam ætatem, quæ post Augustum ad externos usque Imperatores demissa (Nervam dico & alios) certum suumque genus poëseos comprehendit. Quum enim à superioribus, unoque Virgilio exhausta essent argumenta omnia, ipsæ dicendi leges, omnes excussæ veneres; coacti sunt novè eadem dicere, ne idem dicere viderentur. quare necesse fuit, ut illa gratia simul periret cum ipsa simplicitate. Quum tamen essent grandes & pleni: id quod prætulissent ei, quam pauci consecuti sunt, suavitati.

Deinde post Sulpitiam poëtriam, Persium, Iuvenalemque ac Martialem, subjungit:

Quatuor supersunt maximi Poëtæ (Seneca, Valerius Flaccus, Statius, Lucanus: Silium his annumerare, sane religio est.) quorum Seneca seorsum suas tuetur partes, quem nullo Græcorum majestate inferiorem existimo; cultu vero ac nitore etiam Euripide majorem. Inventiones sane illorum sunt; at majestas carminis, sonus, spiritus ipsius. In quibus Sophoclis se esse voluit similiorem, frustra fuit, *&c.* [*Vide ejusd. lib. cap.* xiv. *sub fin.*]

M. Antonius Muretus Var. Lect. l. ii. *cap.* iv.

Et est profecto [*Seneca*] poëta ille præclarior, & vetusti sermonis diligentior, quàm quidem inepte fastidiosi suspicantur.

Iustus Lipsius lib. i. *cap.* i. *Electorum.*

L. Annæus Seneca Philosophus patrem habuit nomine & cognomine eodem. Is, domo Corduba fuit; professione, Rhetor. Natus ante bellum Civile Cæsarianum, supervixit ad Claudii circiter principatum: sine honoribus & non aliud quam provincialis eques. Is jam senex non dubie filiis suis scripsit, aut dictavit

potius, hos qui superſunt Controverſiarum & Suaſoriarum libros. Sed, ut in Plauti fabula, inter duos Menæchmos, ſic inter duos Senecas confuſione nominum ortus error. Tributa illi, quæ hujus erant: & claritate nimia filii obſcurus pater hodie, immo ignotus. Memoriam boni ſenis fugitivam (impune hoc dixerim) primus retraham ego. Ejus, inquam, Senecæ hi libri. Doceo ex ætate, quæ patri convenit, diſconvenit proli: doceo ex inſcriptione, quæ in omnibus libris, etiam ſcriptis, concipitur: M. ANNÆI SENECÆ AD SENECAM. NOVATUM. ET MELAM FILIOS. Optime. inter tres filios Seneca Philoſophus eſt: reliqui ejus fratres. Stemma tale:

M. Annæus Seneca qui Rhetor. Helvia ejus uxor
- L. Annæus Seneca, qui Philoſophus & Poëta.
- Annæus Novatus, aliter Junius Gallio.
- Annæus Mela, ſive Mella, pater Lucani.

HIERO-

HIERONYMUS AVANTIUS
VERONENSIS,
ET
GEORGIUS FABRICIUS
CHEMNICENSIS,
DE
GENERIBVS CARMINVM,
APUD
L. ANNÆUM SENECAM
TRAGICUM.

Hieron. Avantius Veronensis
De Carmine Iambico Trimetro.

Prima sedes ultra jambum & tribrachym recipit spondeum, & spondei dissolutiones, anapæstum & proceleusmaticum, & ipsum dactylum sæpissime: licet hoc neget Interpres in fine (Troadis) sextæ Tragœdiæ.

Secunda & quarta sedes jambo & tribrachy tantum serviunt: ideo contra Interpretes jam constantissime affero, apud Senecam in jambicis trimetris nunquam inveniri anapæstum, neque in secunda, neque in quarta sede.

Tertia sedes admittit jambum, spondeum, dactylum, & tribrachym. Anapæstum vero in loco tertio nunquam invenies: nisi dictio ipsa fuerit quatuor syllabarum; quod accidit versibus viginti, hoc uno prope Oedipeo versu excepto,

Inter senem juvenemque, sed propior seni.

Quin-

Quintus locus uti sæpissime, imo semper, habet aut spondeum, aut anapæstum: ita jambum & dactylum nunquam assumit, nisi in novem versibus; quorum ultimæ dictiones sunt quatuor syllabarum: *nepotibus*, *cacumine*, *Prometheus*, *Capharides*, *Polyxena*, *facinorum*, & ter, *memoria*. Tribrachym quoque ter tantum usurpat in hac sede quinta, dictionibus itidem quadrisyllabis: scilicet, —*Luctifica negat*, in Hippolyto; —*Pestifera movent*, in Hercule furente; —*Luctifera gerens*, in Oedipo.

Sexta sedes semper habet unicum jambum: licet Massarius affirmans tribrachym in hoc ultimo pede, non modò adducat illum versum Tragœdiæ Herculis furentis:

Vt sæpè puppes æstus invitas recipit.

Ubi profectò, si vetusta exemplaria consulueris, *rapit*, non *recipit*, est legendum: sed etiam citet illum versum,

Et fata vici: morte contempta redii.

Ubi per synæresin est jambus, non anapæstus. Sic Ascensius Massario consentiens, non modò super dictione *Capharides* scribit esse spondeum in eodem sexto pede: verum etiam in fine Troadis Tragœdiæ dicit legendum esse, —*Virginibus teneris*, ut sit anapæstus in ultima trimetri. Ego autem jamdiu scripsi, omnes versus trimetros undequaque probabiles & sinceros inveniri apud Senecam, penes quem nullus est versus scazon, nullus exlex, seu καταμέτρος, nullus hypermeter, nullus hypercatalectus, nullus brachycatalectus, sed omnes meri acatalecti: etiam non constat ullus è jambis omnibus, quod gravium Tragicorum lex decernit. Imo Seneca noster sic fuit metrorum ac syllabarum observantissimus, ut cum Hieronyno Aleandro, literarum & religionis culturâ viro venerando, libeat consentire, omnem Senecæ versum proculdubio depravatum

tum esse, quem receptas scansionis normas transgredi offenderis.

Nego præterea collocari trochæum in aliqua sede versus trimetri: unde demiror improbam quorundam audaciam clamantium trochæum esse in quinta sede horum trium versuum: quorum primus est in Thyeste Tragœdia,

Leve est miserias ferre: perferre grave.

Ubi syllaba *re* in *perferre* producitur, vi consonantium sequentis dictionis: ut etiam, —*Frigida spatio refert*, & —*Vndique scopuli adstrepunt.* Vide quæ scripsi apud Catullum in dictione *Propontida*. Non tamen semper producitur hujusmodi syllaba: ut, —*Vnda flammas opprimat.*

Et sæpius omnes Poëtæ hanc finalem syllabam sequentibus consonantibus pro suo commodo recipiunt.

Secundus versus est in Medea Tragœdia, in qua legitur, —*perfidi sanguis inest.* Ubi dico spondeum esse in quinta sede, non trochæum; ut apud Tibullum canentem, —*sanguis est tamen ille meus.*

Quin aliàs Catullus, Tibullus, Propertius, Ovidius, Ausonius, & alii Poëtæ usurpant de industriâ eam pentemimerim: sed Lucanus, Senecæ affinis, utrasque easdem dictiones mutuatus, scribit:

Dum sanguis inerat, dum vis materna.

Quin semel Maro, semel Valerius Flaccus, bis Lucretius, & bis Silius producit ultimam in *sanguis*: & legitur de Lucretia in antiquo Epigrammate,

Sanguis ante virum, spiritus ante deum.

Tertius versus est in Hercule Oetæo, ubi scriptum erat, —*si mille gemunt Vrbes.* Ubi legendum docui *nullæ*, non *mille*. Ut & in Ovidiana Sappho legendum præmonstravi:

—*Et nullæ dulce queruntur aves*;

non *mille*, ut passim legebatur.

Itidem

Itidem in Thebaide Tragœdia est ille versus,

Iomideſve, vel Myceneæ nurus.

In quo credunt esse trochæum in prima sede: cum certe sit jambus; quod & fatebuntur qui præter cæteros legerint Ovidium, Propertium, Horatium, & Martialem, sic scribentes:

Ovid. *Non Latium norat, quam præbet Ionia dives.*

Propert. *At tu seu mollis quâ tendit Ionia: seu quâ.*

Horat. *Non attagen Ionicus jucundior.*

Mart. *Ionicarum gustus attagenarum.*

Et ipsi & alii vates sæpius eas primas syllabas in *Ionia* variant. Quin peritorum gratiâ dixerim, apud Virgilium in eo celebri versu, *Insulæ Ionio in magno*, excluditur & abjicitur in scansione diphthongus primæ dictionis; non autem adimitur ultima vocalis in sequente dictione *Ionio*, ut à plerisque omnibus est hactenus præceptum. Sic igitur scandatur iste versus, *Insul' Ioni' in ma.* ut, *Posthabitâ coluisse Samo. Quem Dardanio Anchisæ. Sub Ilio alto.* & alibi sæpissime. Non tamen hoc recenseo, quod nesciam diphthongum sæpe retineri, sequente vocali, ut, *Castaneæ hirsutæ. Ante tibi Eoæ Atlantides.* Et ipse Seneca in principio Troadis tragœdiæ sextæ, *Æacidæ armis*: sed ut primas syllabas in *Ionio* lubricas tester; neque unquam inveniri trochæum in Senecæ trimetris, nisi in versibus plane depravatis. Pyrrhichius quoque nullibi admittitur in hoc jambico, licet alii contendant esse pyrrhichium in fronte horum hemistichiorum: *Petiit ab ipsis: Abiit arenas. Rediit Achilles*, sed mirifice decipiuntur. Possem dicere inibi tribrachym esse, ut in Thyeste tragœdia secunda, *Quod ratio nequiit*, ut millies alias: potius tamen dicam in illis tribus esse jambum, quia litera finalis sæpe producitur. Ovid.

Vt monuit, cum voce abiit.

Sed maxime in his dictionibus per synæresin coactis: unde non exploderem alteram vocalem, quam

demunt

demunt alii in ipsis infra scriptis verbis, in quibus plane est jambus, non pyrrhichius: *Complexus abiit: Eversa periit: Petiitque supplex:* saltem ut in temporibus sensus sit magis obvius.

Ille quoque fallitur, qui in secundo Actu octavæ Tragœdiæ (Agamemnonis) legens,

Et qui redire (cum periit) nescit pudor:

Et in secundo Octaviæ legens, *Aliena telis: aut petiit*, credit esse anapæstum in quarta sede, qui tamen inibi nunquam invenitur: licet adolescentior cum cæteris omnibus deceptus fuerim. Ut præterea, quod sentio, exprimam, quando prima producitur, *Objice* scriberem potius, quam *Obice*, ut verbum à nomine statim dignoscatur. Legerem tamen & scriberem, —*Per decem mensûm graves*, pro *mensium*: nam ut apud alios Latinos auctores, sic & apud Senecam, scribuntur & leguntur hæ dictiones, ut metra deposcunt. Ut cum in Seneca legitur, —*Tuque cœlestûm arbiter*, pro *cœlestium*, & apud Catullum *Flos Veronensûm*, pro *Veronensium*, in hujusmodi ego ectasi aut molossum aut creticum pedem exhorreo: ad quem confestim absque necessitate plerique concurrunt, tanquam ad solidissimam anchoram. Interim hæc sit nostra sententia; licet aliquando secus scripserit vir eruditissimus & amicissimus: at non semper idem est unius judicium. Unde quamvis hæc studia (quæ humanitatis appellant) rarissime, nec nisi coactus, revisam; multas tamen inventiunculas nostras alacriter damnavi: & (si acciderit) meipsum redarguens scriptorum meorum ingenuus ero exactor. Igitur repeto, in his, ut versui convenit, ita scribendum, nunc *legentium*, nunc *legentum:* ut annotavi in meo codice impresso in ædibus Aldi Anno cIↃ IↃ XVII.

Schema

Schema trimetrorum Senecæ, secundum observationem Avantii, hujusmodi est.



Georgius Fabricius Chemnicensis

De Reliquis Carminum Generibus.

De trimetris sane diligenter Avantius; sed quia in Choris carminum genera reliqua non attigit, videntur ea quoque exponenda: cum in Tragicis inveniantur, quæ cum Poëtis cæteris non conveniant. Nam ut suam illi servent gravitatem, legitimis pedibus & vulgatâ compositione semper non sunt usi; videlicet,

Vt sermo pompæ regiæ capax foret,

secundum Terentianum. In quibus annotandis operam exiguam sumpsi, non exiguo futuram commodo iis, qui cum diligentia & attentione liberali in veterum scriptis versari solent.

De Iambico.

I. Jambicum dimetrum catalectum, prima sede constat

constat è spondeo aut anapæsto: duabus reliquis, jambo cum superflua syllaba. E tali jambico integer Chorus est in Medea, ante actum quintum. Talis versus in Oedipo,

Ophioniaque cæde.

— — ⏑ — ⏑ — —

⏑ ⏑ — ⏑ — ⏑

Ibidem impurus est ille, mutato altero jambo in spondeum.

Solenne Phœbus carmen.

II. Jambicum dimetrum acatalectum habet sedibus paribus jambum, imparibus spondeum aut dactylum aut anapæstum. hoc accinitur jambico trimetro, in Medea: interjicitur eidem in Agamemnone. Miscetur trochaicis & dactylicis unus, in eadem Tragœdia,

Procella fortunæ movet.

⏑ — ⏑ — ⏑ — ⏑ —

— — — —

Impurus est ille in Oedipo,

Hederave frontem baccifera.

Huic vicissim accinitur superius catalectum ibidem,

Aut fœta tellus impio
Effudit arma partu.

III. Jambicum dimetrum hypercatalectum fit, cum ad superius adjungitur pes trisyllabus in fine, nempe baccheus: è quo genere non constant Chori integri, sed aliis alibi, rarissime tamen, interponitur; ut in Oedipo,

Sensere terræ te Dacum feroces.

Habet sede quartâ etiam anapæstum; ut in Agamemnone,

Non urbe cum tota populos cadentes.

Ibidem.

Charusque Pelidæ nimium feroci.

In qua Tragœdia tantum unus adhuc generis ejus-

 dem

dem legitur. Ut autem apud Tragicos jambico dimetro pes trisyllabus additur, ita apud Comicos jambico senario: cujus è Varrone meminerunt, Charisius, Diomedes, Ruffinus. singuli adducunt hunc versum Terentii ex Hecyra,

Nam si remittent quippiam Philumenæ dolores.

Sed nunc non alia persequi, præterquam Tragici nostri, decretum est.

IV. Jambicum trimetrum brachycatalectum Scazon, seu claudum, nescio an ulli alii, excepto Seneca, apud Latinos sit usitatum. Habet sede prima jambum aut anapæstum, secunda jambum, tertia spondeum, penultima jambum, ultima spondeum, & semel tantum anapæstum.

Sonuit reflexo classicum cornu. in Oedipo.
Cum lege mundi Iuppiter ruptâ. in Agamemnone.
Iussitque Phœbum tardius celeres. ibidem.

— ⏑ — — — ⏑ — — —
⏑ ⏑ — ⏑ — ⏑ ⏑ —

Hoc genus scazontis in duabus tantum Tragœdiis legitur: nam alia exempla ego ignoro.

Interdum in eodem non fit collisio; ut,

Elisit ære, ante non linguas.

Interdum nulla elisio; ut,

Clamore primum hostico experti. in Oedipo.

Sed hoc videtur fieri valde illepide.

Est & alterum Scazon huic dissimile, in quo contra legem communem loco penultimo trochæus ponitur,

Timet aut minaces victoris iras.
Tacitumque murmur percussit auras.
Gemuitque taurus Dictæa linquens.

⏑ ⏑ — ⏑ — — — ⏑ — —
— — — ⏑ — —

Hæc autem rectius inter composita metrorum genera referuntur.

V. Jam-

V. Jambicum trimetrum catalectum integrum, ſatis ab Avantio explicatum videmus, quod tamen è puris jambis non conſtat, ſed pedum æqualium quaſi temperamento conficitur. Tradit ex antiquis Grammaticis Victorinus, improbari verſum è jambis omnem compoſitum, nam ut ſit amplior, & par tragicæ dignitati, interponi frequenter, locis videlicet imparibus, pedum dactylorum numeros, & moras ſpondeorum: quam ſententiam approbat Terentianus. Quos autem trimetros Græci, eos Cicero & Quintilianus vocant ſenarios, & eorundem imitatione Flavius Caper & Aruntius Celſus, Terentii interpretes. Cauſam nominis utriuſque ſcite Terentianus reddit, ſuæ vir artis doctiſſimus,

Iambus ipſe ſex tantum locis manet,
Et inde nomen inditum eſt ſenario:
Sed ter feritur, hinc trimetrus dicitur,
Scandendo binos quod pedes conjungimus.

Annotarem & illa, ubi colliſiones aut eliſiones non fierent, vel hiantibus literis, vel ſequente aſpiratione: ſed cum id in difficilioribus dicere jam cœperim, & in reliquis generibus ſim repetiturus: ſtudioſi id per ſe obſervabunt, quod à præceptionibus communibus diſſidet, & libertatem illam vetuſtiorum refert.

VI. Jambicum trimetrum catalectum ſcazon, conſtat è ſolitis trimetri pedibus, jambo, ſpondeo, anapeſto: ſed in fine loco jambi ſpondeum celebrat, quem tamen antecedit anapæſtus aut jambus: cujus generis duo tantum verſus ſunt in Agamemnone,

Cum Dardana tecta Dorici raperent ignes.
Fatale munus Danaûm traximus noſtra.

— — ◡ ◡ — ◡ — ◡ — ◡ ◡ — — —
◡ — — ◡ ◡ — — ◡ — — —

De Trochaico.

I. Trochaicum dimetrum catalectum è trochæo, item spondeo vel dactylo vel anapæsto, demum trochæo & syllaba superflua componitur: quo utitur in Oedipo,

Sed quid hoc? postis sonat.

Item,

Pendet instabili loco
Quicquid excessit modum.

— ◡ — — — ◡ —
— ◡ ◡
◡ — —

Chorus enim ille integer est ex hoc genere, quod & aliis Choris immiscetur, aut ad eorum extremum adhibetur. Unus versus hypercatalectus est in eodem Choro,

Vita, decurrente via.

Unus impropriam sedem habet, loco trochæi pyrrhychium, in initio,

Comes audacis viæ.

Sed dubito valde, num correcti sint hi ipsi loci.

II. Trochaicum dimetrum hypercatalectum, constat è trochæo, item spondeo, iterum trochæo, demum trochæo vel spondeo, & syllaba abundante; ut,

Nullus hunc terror, nec impetus.

Item,

Senſit ortus, senſit occasus.

— ◡ — — — ◡ —
— ◡ — — — ◡ —

III. Trochaicum trimetrum brachycatalectum, habet loco primo & tertio trochæum vel spondeum vel dactylum: secundo, quarto, & quinto trochæum; ut,

Pro-

Protulit tellus aut anguis imis. in Oedipo.
Deseruit fugas nomenque genti. in Agamemnone.
Te duce concidit totidem diebus ibidem.

In qua Tragœdia plures versus ejusmodi, sed sparsim, inveniuntur.

— ⏑ — ⏑ — — — ⏑ — ⏑
— — — ⏑
— ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑

Impurus est ille, qui loco secundo spondeum habet.

Vicit acceptis cum fulsit armis. Item,
Fraude sua capti caderent Pelasgi.

Quamvis post duas mutas, vocalem sequentes, utraque syllaba correpta legi posset, licentia vetere: ut versus ille apud Gellium, ex emendatione Alciati,

Postquam est morte captus Plautus, Comœdia luget.

Nam in secundo loco dactylus est, propter *pt* literas vocalem sequentes. ut apud Græcos,

Θρῳώσσ' αἰγυπτίων.

Sed auctorem nostrum minus horridum, ab hac consuetudine plane abstinuisse arbitror. Impurus itidem ille, in quo sede secunda pro trochæo ponitur anapæstus; ut in Agamemnone,

Tradit thalamis virginem relictam.

IV. Trochaicum trimetrum hypercatalectum, habet trochæos admixtis, ut solet, dactylis & spondeis, quod in Agamemnone locis solummodo duobus legimus,

Vidimus patriam ruentem nocte funesta,
Vidimus simulata dona molis immensæ.

— ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ — — — ⏑ — — —

V. Trochaicum tetramentum catalectum, trochæum recipit locis omnibus, exceptis quarto & sexto, in quibus quasi tibicen fulcitur spondeus, firmamenti gravitatisque causa. Integre purum carmen hoc ponere Tragici non solent; nam quod aliis Poëtis de-

coro est, in his vitiosum putatur, Victorino & Attilio testantibus. In prima sede, præter trochæum, quem semper ut legitimum intelligo, collocantur dactylus, tribrachys: in secunda, spondeus, dactylus, anapæstus: in tertia, tribrachys: in quarta, unicus spondeus: in quinta, dactylus & tribrachys: in sexta, rursus spondeus, & semel dactylus, semel tribrachys, apud hunc videlicet auctorem: in septima necessario trochæus: syllaba abundans (ut in omnis carminis fine) est indifferens. Has pedum diversitates observare licet in Tragœdiis duabus, extra Chorum, nempe in scenarum exordiis, ut in Hippolyto & Medea: semel tantum in scenæ medio, ut in Oedipo. Nos simplicioris versus exemplum subjiciemus,

Et pias numen precatus, rite submisi manus.

Et illius apud Terentium in Heautontimorumeno, qui est omnium ejus Comici purissimus,

Vis amare, vis potiri, vis quod illi des, effici.

— ⏑ — — ⏑ — — ⏑ ⏑ — — ⏑ —

Trochaicorum restant alia quædam genera, quibus semel aut iterum uti Poëta satis habuit, quæ ex impuris & imperfectis composita & quasi conglutinata sunt.

Primum, pedum quatuor; ut in Agamemnone.

Hesperum dici: aurora movit.

— ⏑ — — — ⏑ — —

Alterum, pedum totidem, & semipedis; cujus exempla leguntur duo in eadem Tragœdia,

Stella quæ mutat, seque mirata est.
Frigidus custos, nescius somni.

— ⏑ — — — ⏑ — — —

Tertium, pedum quinque; ut,

Semper ingentes educas alumnos.

— ⏑ — — — ⏑ — ⏑ — —

Quartum, pedum totidem cum semipede; in Oedipo,

Luci-

Lucidum cœli decus huc ades votis.

— ∪ — — — ∪ ∪ — ∪ — — —

De Anapæſtico.

Anapæſticum complectitur ſedes quatuor, recipit in ſingulis anapæſtum, in prima pariter dactylum & ſpondeum: in ſecunda ſolum anapæſtum aut ſpondeum: in tertia ſpondeum, dactylum, tribrachym: in ultima anapæſtum, ſpondeum, tribrachym, & dactylum: ſed hunc bis tantum obſervare potui; ut,

Mixtaque odoro Lesbia cum thymo. in Oedipo.

Qui Styga triſtem non triſtis videt. in Agamemnone.

E ſolis anapæſtis unus legitur in Hercule furente,

Pharetræque leves, date ſæva fero.

Alter in Thyeſte, tertius in Hippolyto, quartus in Agamemnone. nam hoc contra gravitatem Tragicam eſt, ut ſupra in jambicis & trochaicis, de veterum auctoritate ſcripſimus. Itaque ſimilem verſum reprehenderunt familiares Ovidii, in ipſius tragœdia Medea, qui à Seneca in Controverſiis annotatur,

Gelidum boream, gelidumve notum.

Anapæſtici qui conſtant è ſolis ſpondeis, nimium inertes ſunt, ideoque à Ruffino vocantur immanifeſti, quia in iis vix numerus & verſus intelligi poteſt, ut Cicero ait: imò planè non intelligitur, ſi aliis, non ſui generis, ſunt immixti. Talis eſt in Oedipo,

Nec mortali captus forma.

Alii duo ſunt in Agamemnone. Tales ſpondaici, quamvis alius itidem generis carminibus inſeruntur, tamen in eorum habentur numero, cum quibus conjuncti ſunt, etiamſi pedem illum legitimum habeant, quod & veteres Grammatici annotarunt, ut diximus libro De re Poëtica ſeptimo.

Jambum pedem hoc carmen non admittit; nam in illo verſu,

Arcus metuit Diana tuos,

Prima in nomine proprio figurate producitur, ut & in illo Ovidii,

Ferrum Diana volanti
Abstulerat jaculo.

Ita enim in aliquot manuscriptis offendimus. Habet hoc carmen post duos pedes incisum: in quo syllaba brevis produci potest, ut,

Bis pulsata Dardana Grajo. in Troade.
Pulsata freta fertur in altum. in Octaviâ.

Interdum non fit elisio; ut in Octavia,

Vivere matrem impius, ingens.

Neque fit collisio; ut in jambico,

Priamo Agamemnon. in Agamemnone.
Æacidæ armis. in Troade.

Item in anapæstico; ibidem,

Contenta sono, Hectora flemus.
Canuit Ide, Ide nostris.

Quod tribus aliis præterea ejusdem carminis locis animadvertimus.

Est hujus carminis bonitas & elegantia præcipua, si pedibus singulis, singulæ partes orationis finiantur: altera, si dimensiones ipsæ parte orationis terminentur.

Talis est autem solita ejus constitutio,

⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ —
— — — — — — — —
— ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑
⏑ ⏑ ⏑

Admittit aliquando pedes alienos, seu (ut Servius) ignobiles, & (ut Cicero de Oratore) abjectos: nos hactenus impuros vocavimus, quod & numerum & versum vitient.

In prima sede pæonem tertium; ut in Oedipo,

Niveique lactis candida fontes.

Quo-

Quorum tamen versuum ultra octo in his Tragœdiis non sunt.

In secunda sede baccheum; ut in Octavia,

Spernit superbos humilesque simul.

Cujus alibi similis nullus est. Observatione dignum est, quod Cicero anapæstum pedem, pro ipso carmine anapæstico ponit. ut de Finibus: *Græci qui hoc anapæsto citantur.* id est, hoc carmine anapæstico.

De Sapphico.

I. Sapphicum brachycatalectum, quod constat molosso, anapæsto, baccheo, id inseritur Choro cuidam in Agamemnone,

Qui vultus Acherontis atri.

— — — ⏑ ⏑ — ⏑ — —

II. Sapphicum integrum, pedibus constat certis, trochæo, molosso, anapæsto, & amphibrachy vel baccheo, propter syllabam ultimam communem. Habet usitate cæsuram post alterum pedem, quam Tragicus semper observat, Catullus non admodum accurate, Horatius accuratius, præterquam in locis paucis, & initio Carminum, libro primo,

Mercuri facunde, nepos Atlantis. Oda 10.

Quem virum aut Heroa, lyra vel acri. Oda 11.

In Oda de Pindaro utitur undecies, in Carmine seculari uno minus vigesies: aliâs non nimium.

In hoc genere graviter cadunt versus, qui desinunt in dictionem quadrisyllabam; ut,

Iam silet murmur grave classicorum.

Nonnunquam propter cæsuram syllaba correpta extenditur, idque semel tantum apud Horatium, sed sæpius apud hunc Tragicum; ut,

Et vir & Pyrrha mare cum viderent. in Troade.

Vxor impendit animam marito in Medea

Est autem veri & integri Sapphici constitutio ejusmodi,

— ∪ ——— ∪ ∪ — ∪ ——

Disce fortunam bene ferre magnam.

Constant Chori integri è sapphicis apud nostrum Tragicum. Observavimus in sapphico pedes illegitimos plures, quam in aliis, eosque in sedibus omnibus, ultima tantummodo excepta; ut in prima sede, spondeus pro trochæo. quod quia semel factum, legem non facit.

Solus contemptor levium deorum. in Agamemnone.

In altera sede pro molosso, interdum creticus collocatur, interdum choriambus: de cretico constat, de choriambo nos exempla afferemus, quia inusitatum est, & ab alio, quod equidem sciam, factum nemine.

Creticus invenitur sine omni controversia; & veteres sapphicos tales fuisse Julius Scaliger sentit. Catullus,

Pauca nunciate meæ puellæ.

Sappho certe, quæ hujus carminis inventrix est, in quadam oda continenter eo pede utitur:

Ποικιλόθρον' ἀθανάτ' Ἀφροδίτα,
Παῖ Διὸς δολοπλόκε, λισσομάί σε
Μὴ μ' ἄσαισι μηδ' ὀνίαισι δάμνα
Πότνια θυμόν.

Choriambus in eadem sede, uni Tragico nostro est usitatus. Extant plura exempla, ne quis possit dubitare: qualia sunt,

Sumere innumeras solitum figuras. in Medea.
An ferax varii lapidis Carystos. in Troade.

Quamvis in manuscripto Regiomontani legitur, *rari lapidis*: quod tamen repudio, ut & Scaligeri χῆμα συμφωνηλικὸν, quod esse in dimensione ipse judicat. Similiter in Thyeste,

Cuncta divitias metuitque casus,

Sed & hunc versum aliter legit Beza, ut in Lectionis diversitate dicemus. Rursus alibi,

Te

Te caput Tyria cohibere mitra. in Oedipo.
Sidus Arcadium geminumve plaustrum. in Agam.
Troia qua jaceat regione monstrans. in Troade.

Exempla nondum in libris corrupta tot enumero, ne temere affirmare videar rem novam. Ille autem versus in Hercule Oetæo,

Habeat, nec ulla dominetur aula,

ut & alter in Agamemnone,

Triplici cathena tacuit, nec ullo,

plane sunt illegitimi; in quibus loco primo anapæstus, altero baccheus ponitur: quos inter sapphicos ausus non essem recitare, nisi Tragicus eis per medium immisceret, aut propinque annecteret. Satis de prima & altera sede hujus carminis.

In tertia sede spondeus contra artem & usum collocatur; ut,

Argos iratæ carum novercæ.

Cujus etiam ut in pede priore exemplum aliud nescio. Spondeus iste interdum resolvitur; ut,

Si qua ferventi subjecta cancro. in Hippolyto.
Dum luem tantam Troïæ atque Achivis. in Troade.

Qualis illa διάζευξις Horatiana,

Nunc mare, nunc siliüæ. & ista,

Heü quantus equis, quantus adest viris.

Ita in manuscripto, & *Heü* dissyllabum esse non negat Servius. Eadem resolutione Cæcilius in Plotio, apud Terentii interpretem,

Patere quod datur, quando optata non danunt dii.

In hoc trochaico, *quando* est trisyllabum. Sumptum hoc de Græcis Homerus,

Ἄφνειόν τε Κόρινθον, ἐϋκτιμένας τε Κλεωνὰς,

Apollonius,

Οὐδὲ μὲν οὐδ' αὐτοῖο πάϊς μένεαινεν ἄκαστος.

Aliter in carmine sapphico distinguunt pedes Bassus, Diomedes, Attilius, Terentianus, Servius, & alii;

nam

nam inter compoſita id numerant: ſed qui ſimplicem rationem ſequuntur, quam nos ſequimur, ad Tragici hujus compoſitionem ſpectant, quæ ſine dubio è Græcorum fluxit inſtitutionibus. Horatius in hoc genere ſemel atque iterum utitur diſſectione; ut,

Thracio Bacchante magis ſub inter Lunia vento. lib. 1.
Groſphe non gemmis neque purpura ve Nale nec auro. l. 2.

Sed nullum eſt exemplum in Tragicis.

De Choriambico.

I. Choriambicum dimetrum conſtat choriambo & baccheo.

— ◡ ◡ — ◡ —

Imbriferumque corum. in Hippolyto.
Pulvereamque nubem. in Agamemnone.

II. Choriambicum trimetrum, è ſpondeo, choriambo, & pyrrhichio; ut,

Pax eſt Herculea manu,
Auroram inter & Heſperum.

— — — ◡ ◡ — ◡ ◡

Ex hoc facti ſunt Chori integri in Thyeſte & Hercule Oetæo: finis cujuſdam Chori in Hercule furente: medium in Medea. Habet primo loco interdum trochæum; ut apud Severum Septimium,

Purpurea leguli ſenes.

Interdum creticum; ut in Hercule Oetæo.

Quatuor præcipitis Deus.

Niſi fiat colliſio. Prima enim in nomine *quatuor* apud bonos Poëtas ſemper producta legitur: *quater*, ſemper correpta.

III. Choriambicum tetrametrum fit è ſpondeo, duobus choriambis & pyrrhichio: quo genere frequentiſſime utitur. hoc ſuave eſt, ſi inciſum habeat poſt pedem alterum.

— — — ◡ ◡ — — ◡ ◡ — ◡ ◡

Res

Res est forma fugax, quis sapiens bono
Confidit fragili? dum licet, utere.

Ex hoc passim integri Chori compositi. Idem inter duos trimetros & totidem tetrametros in Oedipo interposuit. Sunt præterea genera choriambico minus nota.

I. Primum, quod è choriambico dimetro constat, & è duobus pedibus jambi, cum syllaba superflua.

— ∪ ∪ — ∪ — — — ∪ — ∪

Indomitumve bellum perrumpet omne.

II. Alterum, quod è choriambo, anapæsto, & iterum choriambo.

— ∪ ∪ — ∪ ∪ — — ∪ ∪ —

Extimuit manus insueta pati.

III. Tertium, quod prioribus est magis vulgatum, è spondeo, choriambo, anapæsto, tribrachy.

— — — ∪ ∪ — ∪ ∪ — ∪ — ∪.

Vt quondam Herculea cecidit pharetra.

Reperiuntur plura in Agamemnone hujus generis.

IV. Quartum, quod è choriambis in sede prima & ultima, in secunda jambo, in tertia spondeo constat; cujus unicum extat exemplum in Oedipo.

— ∪ ∪ — ∪ — — — — ∪ ∪ —

Quæ tibi nobiles Thebæ Bacche tuæ.

V. Quintum, quod est priore brevius syllaba, & loco choriambi finitur dactylo; ut in Agamemnone,

— ∪ ∪ — ∪ — — — — ∪ ∪ —

Perdidit in malis extremum decus.

De Dactylico.

I. Dactylicum dimetrum catalectum, conficitur è duobus dactylis; ut,

Non acies feras.
Cervaque Parrhasis.

— ∪ ∪ — ∪ ∪

II. Dactylum trimetrum, è dactylo, spondeo & dactylo; ut,

Cæru-

Cæruleum erexit caput.

III. Dactylicum tetrametrum acatalectum, fit è solis dactylis, socio pede adjuncto spondeo, qui admittitur sedibus omnibus, excepta postrema: quod carminis genus suo appellatur nomine Bucolicon, & idem interponitur modo sapphicis & choriambicis, quales sunt tres in Hippolyto: modo heroicis, quales multi in Oedipo, ante Actum tertium.

— ◡ ◡ — ◡ ◡ — ◡ ◡ — ◡ ◡

— — — —

Et tumidum Nereus posuit mare.

Item,

Brachia prima cadunt prædonibus.

De hoc versu ita scribit Terentianus, diligens Grammaticus,

In Tragicis junxêre choris hunc sæpe diserti,
Annæus Seneca, & Pomponius antè Secundus.

Eodemque in loco hos è Pomponio versiculos adducit:

Pendeat ex humeris dulcis chelys,
Et numeros edat varios, quibus
Adsonet omnes virens latè nemus,
Et tortis errans qui flexibus.

Hi versus si è solis componuntur spondeis, minus sunt sonori, minus accommodati; ut in Oedipo,

Et Phœbo laurus charum nemus.

Quod in aliis præterea duobus in hoc poëta deprehendimus. Nam dici dactylicus potest, auctore Attilio, qui pedes omnes spondeos habet: dici jambus, qui spondeis maxima è parte abundat, quod in Plautinis Camerarius annotavit: dici anapæsticus, eadem de causa, de quo dictum paulò ante est. Ratio est (ut idem Attilius) quia pes spondeus metra omnia ordinat atque disponit.

IV. Dactylicum pentametrum superiori simile est, quod

quod uno pede excedit; id olim vocatum Æolicum, eoque librum integrum scripsit Sappho. In his Tragœdiis unus tantum invenitur, in Agamemnone,

Heu quam dulce malum mortalibus additum.

Ita enim è manuscripto Regiomontani eum restituimus, cum in vulgatis in choriambicum mutatus sit: ut esset sequenti in eodem loco similis.

Sunt hujus generis multa composita.

I. Ut incipiens à cæsura trochaica. in Agamemn.

Aut iniqui flamma Tonantis.

Item à solo pede trochæo,

Pendet instabili loco.

II. A cæsura sapphica. in Agamemnone,

Fortiter vinci restitit annis.

Tales leguntur tres in Oedipo, in Choro confuso è plurimis carminum generibus.

III. Item à cæsura jambica, vel è solis jambis facta; ut,

Inauspicata de bove tradidit. in Oedipo.

Vel è spondeo & jambo; ut,

Par ille regi, par superis erit. in Agamemnone.

Postremo desinens in colo sapphico. Ibidem,

Et licuit versare dolos, ut ipsi.

De Hexametro.

Hexametrum (quod à materia Heroicum, ab orationis genere Epicum) componitur è dactylis & spondeis: ita tamen ut sedem quintam dactylus, sextam & ultimam spondeus possideat. In prioribus enim ambo pedes sine ullo discrimine ponuntur. Hujus exemplum est optimus ille poëtæ optimi versus,

Discite justitiam moniti, & non temnere Divos.

Hoc carminis genere celebrantur res gestæ Bacchi in Oedipo & Medea: item oraculum, quod Oedipo datum est. Oraculum refertur in scenæ medio, Bacchi faci-

facinora inseruntur Choris. In antiquissimis Tragœdiis frequentem fuisse hujus versus usum, intelligitur è libro De re Poëtica, qui inter Aristotelicos legitur.

De Monometro.

Monometrum est, quod è duobus fit pedibus, estque aut acatalectum, quod integrum est, ut ex anapæstico; ut,

Fortuna ferat. Item,
Nova nupta faces.

Item, ex dactylico; ut,

Non acies feras. Item,
Cingi floribus.

Catalectum, cui syllaba aliqua deest. Hypercatalectum, in quo abundat syllaba. Ut in Trochaico,

Troia bis quinis. in Agamemnone.

Jam Jambico,

Religare frontem. in Oedipo.

In Choriambico,

Quo non nata jacent. in Medea.

Quia autem tales finiunt plerunque sententiam, aut etiam carminis genus, ideo antiqui monometra, clausulas appellarunt, ut Varro tradidit.

PERIO-

PERIOCHÆ
TRAGOEDIARUM SENECÆ

Nomine LUTATII Grammatici è Ms. codice descriptæ

A

GEORGIO FABRICIO.

I.

HERCULES FURENS.

Hercules Rex Thebarum vir justus apud priscos habitus est, qui derelicto Creonte socero suo (qui fuit pater Megaræ) & duobus filiis infantibus, & Amphitryone patre & Alcmenâ matre, ad regni gubernaculum, assumptisque secum Theseo aliisque proceribus, ad externas nationes profectus est; ut quos ibi sævos tyrannos, & quæ monstra inveniſſet, interficeret, & pestes à populis removeret. In quâ quidem profectione quondam ad inferos fabulose descendisse fingitur, & inde deduxisse Cerberum legitur. Cum per longi ævi spatia, mundum pene totum perambulans, moras traxisset, & jam mortuus putaretur, Lycus Thebanus è vili genere ortus: (quem quondam Hercules in exilium egerat) cum plerisque habitâ conspiratione seditiose cæso Creonte & duobus ejus filiis, cum multâ cæde regnum occupavit, & diadema suo capiti imposuit, Megaram uxorem Herculis ad tedas jugales solicitat. cui vim parabat colluctanti & constanter recusanti. Repente rumor de reversione Herculis cum Theseo auditus est, & magno triumpho ab effuso undique populo susceptus: eumque Megaram & Amphitryonem luctuosos inspiceret, causam edoctus, Lycum cum prole sua & fautoribus interficit. Juno summo dolore af-

fecta, quod Hercules illæsus ab inferis redierat, & inde eduxerat Cerberum; timens, ne majora aggrederetur, scilicet cœlum; primum sibi dolores immittit, deinde in furorem versa, eam ingreditur viam, quâ ipsum Herculem in furorem ducat, ut furore captus moriatur. Excitat infernalem Furiam, ut faces accendat; quibus ipsum in furorem vertit, ut tela in filias & uxorem jaciat.

HERCULIS FURENTIS

Argumentum, per alium.

Queritur Juno multivoli Jovis furta, & pellices enumerat, earumque liberos; in Herculem tamen potissimum invehitur, auctum recenti gloriâ victis inferis; Acheronta movet, & furorem Argos reverso Herculi immittit. Absente Hercule Lycus exul Thebanus, urbe occupatâ, Creonte rege ac filiis necatis, confugientem ad aras Megaram Herculis uxorem, ni sibi nubat, flammis cremare minatur. Supervenit Hercules, & debitâ Lycum socioque cæde ulciscitur: deinde sacrificaturus, vertitur in insaniam; propriam uxorem atque filios interficit. recedente denique vesaniâ, & miseriâ suâ cognitâ, vitæ manum inferre suæ statuit; sed victus Amphitruonis precibus atque lacrymis, ignoscit sibi, & cum Theseo Athenas pergit.

II.

THYESTES.

Atreus & Thyestes, è Pelope & Hippodamiâ, fratres fuerunt. Thyestes autem adulterium commisit cum uxore Atrei, propter quod Atreus in odium Thyestis vehementer exarsit: nec contentus, quod occupato regno fratrem egisset in exilium, sed volens in eum crudelius desævire, finxit se velle ei reconciliari, & ab eo filiis in obsides acceptis, partitus cum eo regnum est, quem postea vocavit ad convivium, & interfectis

filiis

filiis obsidibus, dedit eos patri vescendos, & eorum cruorem vino commiscuit, quod dedit ei bibere. Super quo scelere Sol indignatus, à Mycenis fugit Convivio finito, apportavit patri capita filiorum, nuncians ei, quod residuam partem comederit.

EJUSDEM TRAGOEDIÆ
Argumentum, per alium.

Vicissitudine regnandi pactâ, annis alternis Pelopis filii Atreus & Thyestes, Argis imperabant. Interea Thyestes aureum arietem, regni fatum, avertit, & Aëropen uxorem fratris in adulterium pellicit: mox pœnas metuens fratri dare, fugit in exilium. Sic evasisse dolens, Atreus, quod vi nequibat, dolo conatur. in gratiam redire se simulat; oblatâ regni parte, fratrem invitat, & persuadet: Ei convivanti, liberos tres, ante aras immolatos instar victimarum, & partim assos, partim elixos; ignoranti epulandos proponit, sanguinemque potandum propinat. sic fit filiorum parens sepulchrum. Denique capita illi & manus crudelis Atreus offert; & quid comederit, quid biberit, enarrat. Luget Thyestes, & deflet calamitates suas: lætatur è contra frater, & exultat in tam sævo parricidio, quod ipse Phœbus videre non sustinuerat.

III.

THEBAIS.

Oedipus qui patrem occiderat, & matrem duxerat in uxorem, & ob scelera seipsum excœcaverat (ut in aliâ habetur Tragœdiâ) duos filios genuit ex matre, uxore suâ, Eteoclem & Polynicem, & filiam Antigonem. Filii adulti patrem expulerunt, & inter se sic regnum diviserunt, ut unus uno, alius alio anno regnaret, illo exulante, qui non regnaret. Initio regnavit Eteocles, & ultra tempus pactum tenuit regnum. Frater exul uxorem duxit filiam regis Adrasti, à quo accepto

auxilio, fratrem expugnare voluit. Ceciderunt ambo in bello mutuis vulneribus, ut in Statio habetur. Seneca autem non describit finem belli, sed solum proœmia.

EJUSDEM TRAGOEDIÆ

Argumentum, per alium.

Sponte profectus in exilium Oedipus, conatur Antigonam filiam à se amovere, ut possit sibi vi vitam evitare: contra hæc patrem ad meliora, quà consilio, quà precibus, traducit. Interea Eteocles & Polynices, impiâ regni libidine stimulati, in mutuam cædem feruntur. Interponit se Jocasta mater, & filios nititur in gratiam reducere. negat Polynices. *Desunt cætera.*

IV.

HIPPOLYTUS.

Hippolytus filius Thesei ex reginâ Amazonum Antiope, quem Phædra noverca uxor Thesei adamavit, qui dum recusaret eam cognoscere, ab eâ falsi criminis delatus, in exilium mittitur. In fugâ territus à marino monstro, præcipitatus inter saxa, exspiravit. Phædra seipsam dolore interfecit.

EJUSDEM TRAGOEDIÆ

Argumentum, per alium.

Pepererat Antiope Amazon Theseo Hippolytum; qui cum venationi deditus Dianam coleret, Venerem aversaretur, cœlibem vitam ducere decreverat. captâ illius pulchritudine Phædra noverca, amore vesana, dum abest apud inferos Theseus, juvenis castitatem blanditiis & precibus expugnare conatur. Impudicam à se feminam Hippolytus repellit. Igitur deprehensa, mutat amorem in odium; & reverso Theseo, insimulat privignum oblati per vim stupri. Fugerat Hippolytus impudicam domum: sed dum alio properat, ecce ibi taurus marinus à Neptuno ad diras Thesei imprecationes

tiones immissus; qui se ante currum sistens, quadrupedes consternavit. hi, contemto imperio, quadrigam deturbant, cadentisque corpus per saxa & vepres distrahunt atque dilaniant. Compertâ nece, Phædra rei veritatem marito aperit; seque, super laniatos artus, gladio transfigit. Theseus plangit innoxii filii casum, suamque præcipitem iram, dirumque votum detestatur: laniatos artus colligit, &, quo meliori modo potest, componit.

V.

OEDIPUS.

Cum Laïus rex Thebarum haberet filium ex uxore Jocastâ, à quo ex oraculo Phœbi deberet interfici, & matri propriæ subjacere; eum in monte Cithærone exposuit, plantis ignito ferro perforatis. Quem quidam pastor inveniens, seni alendum dedit Corinthio, qui puerum detulit ad reginam, quæ eum adoptavit. Sic educatus in domo regis Polybi, putavit se filium ejus & reginæ Meropes. Adultus autem, audito quod occisurus patrem esset, & ducturus matrem in uxorem, sponte ivit in exilium; in quo verum patrem casu quodam occîdit: postea temporis progressu reginam Thebarum duxit uxorem, nesciens quod mater ejus esset. Cum autem pestis tam bestias quam homines regni sui vastaret, consulit Creontem fratrem Jocastæ conjugis suæ, qui dixit oraculo Phœbi, esse regnum purgandum illius exilio, qui regem Laïum interfeciisset. Cum autem nesciret se illum esse, adiit vatem Tiresiam; qui ex revelatione deorum infernalium pandit Oedipum esse, qui regem interfecerit Laïum, & matrem duxerit in uxorem.

EJUSDEM TRAGOEDIÆ
Argumentum, per alium.

Oedipus Laii & Jocastæ filius, hujus etiam maritus,

illius occisor, Thebis regnabat, quando dira pestilitas civitatem invasit. Consultus Apollo, Laii necem, interfectoris exilio expiandam, & luis finem fore, respondit. Ignorabatur nomen interfectoris; Creon itaque una cum Tiresiâ vate mittitur umbras per necromantiam evocaturus; ut ab illis, quod extispicio & capnomantiâ nequiverant, rescisçant, quis reus ille, quem Phœbus innuebat. Respondet Laii umbra, ipsum esse regem Oedipum. negat ille: sed tandem nimiâ curiositate, mala sua sibi & aliis patefacit. Denique ingenti in se ipsum irâ percitus sibi oculos effodit, in pœnam criminum, quæ ignarus & imprudens consciverat. Jocasta quoque se gladio confodit. Fugit orbus oculis in exilium.

VI.

TROADES.

Troiâ bello decennali eversâ, inde cum Græci vellent ad sua remeare, vento contrario classis eorum detinetur. Noctu apparet Achilles Talthybio, arguens Græcos, quod redire vellent, inferiis sibi debitis nondum celebratis, præcepitque, ut Polyxena Priami & Hecubæ filia occideretur ad suum tumulum. Quam cum Pyrrhus Achillis filius ab Agamemnone peteret, rex se difficilem exhibuit, eo quod optaverat eam sibi concubinam. Tandem vates Calchas super detentione Grajæ classis consultus, dixit Polyxenam Achilli immolandam, & Astyanactem parvum Hectoris & Andromachæ filium occidendum; quem à matre absconditum reddi compulit Ulysses, & eum de altissimâ turri præcipitavit. Pyrrhus vero Polyxenam de gremio matris ereptam ad patris tumulum occîdit.

EJUSDEM TRAGOEDIÆ
Argumentum, per alium.

Excisо Ilio, cum Græci patriam cogitantes, adverso flante

flante vento, solvere non possent, noctu apparuit Achillis umbra, & Polyxenæ sacrificium, Manibus suis offerri, imperavit. Negabat Agamemnon, se, ut regia virgo in inferias mactaretur, permissurum. Consultus Calchas, respondit, omitti non posse. unam hanc classis moram; sed alteram potiorem, Hectoris filium Astyanactem; hunc quoque necandum. Ulysses ergo Astyanactem è latibulis producit, & de Scæa porta dejicit. Pyrrhus, abductam ab Helena Polyxenam, & connubialibus vestimentis ornatam, ad tumulum parentis sui mactat.

VII.

MEDEA.

Jason, suadente patruo suo Peliâ, navi paratâ, & collectâ nobili societate, adiit Colchos, pro aureo vellere acquirendo; quem Medea filia regis Colchorum adamavit: cujus auxilio consilioque, defunctus multis periculis, vellus obtinuit. Jasonem ergo Medea, patriâ & parentibus relictis, secuta est, & eidem nupta fuit. Creo rex Corinthiorum filiam suam traditurus Jasoni, Medeam ob maleficia jussit occidi, sed interveniente Jasone, mortis supplicium est commutatum in exilium. Medea obtentis exilii induciis ad spatium unius diei, Creüsæ filiæ Creontis, jam Jasoni desponsatæ, pallam quandam veneno tinctam, carminibusque consecratam, dedit; quam dum tractaret Creüsa, accensus de eâ ignis filiam cum patre & pallâ consumpsit. nec Medea hoc contenta, proprios filios, quos genuerat Jasoni, in ejus conspectu interfecit: & deinde aufugit per aërem.

EJUSDEM TRAGOEDIÆ

Argumentum, per alium.

Repudiatâ Medeâ Jason, Creusam Creontis Corinthiorum regis filiam ducit: jussa in exilium proficisci

Colchis, unius diei inducias impetrat. Interea dona diris venenis illita, per filios ad Creusam mittit. exornat se iis misella nova nupta, & repente flammis erumpentibus, una cum patre, qui accurrerat, filiamque complexus eripere conabatur, cumque ipsâ regiâ, incendio absumitur. Medea secum asportatis in domus fastigium filiis, in Jasonis conspectu crudeliter eos trucidat: & à draconibus mox per aërem Athenas devehitur.

VIII.

AGAMEMNON.

Atreus, Thyestis frater, genuit Agamemnonem & Menelaum, qui uxores duxerunt duas sorores, filias Tyndarei & Ledæ, Clytæmnestram & Helenam. E Clytæmnestrâ Agamemnon genuit Orestem & Electram. Sed cum Agamemnon profectus esset dux Græcorum ad bellum Trojanum, Clytæmnestra adamavit Ægisthum, quem Thyestes ex Pelopejâ filiâ suâ genuit. Agamemnon etiam alias mulieres adamavit, & bello finito Cassandram filiam regis Priami conjugem accepit. Unde Clytæmnestra indignata, cum Ægistho mortem Agamemnoni machinata est: quem, dum vestes exueret, Ægisthus vocatus in societatem cædis, gladio perfodit: cumque nondum mortuus vindictam anhelaret, Clytæmnestra securi arreptâ caput ejus dividit. volebat etiam filium Orestem occidere, sed Electra ipsum subtraxit, & cuidam Strophio custodiendum tradidit. Clytæmnestra Electram carceri mancipavit, & Cassandram jussit interfici.

EJUSDEM TRAGOEDIÆ

Argumentum, per alium.

Vivum Thyestes Atreum ulcisci non potuit: nunc excitatur ab inferis, & Ægistho persuadet, ut quemadmodum Clytæmnestram ad adulterii consuetudinem per-

pertraxerat, etiam in mariti cædem inducat: potitur votis impia umbra. Nam Agamemnonem, à Troiâ, victorem, domi reducem, in ipso convivio, sinuosâ, sed imperviâ veste irretitum, uxor & adulter occidunt; mox & Cassandram ab aris avulsam: Electram vero, quæ Orestem fratrem absconderat, carceri obscuro mancipant.

IX.

HERCULES OETÆUS.

Eurytus rex Oechaliæ filiam habuit Iolen, quam Hercules adamavit, eamque à patre petiit; quo denegante, terras ejus invasit, patrem occidit, Iolen abduxit, & ardentius quam uxorem Deïaniram dilexit: quod cum audiisset Deïanira, Herculi pallam quandam misit tinctam sanguine Centauri Nessi, quem Hercules vulneraverat sagittis toxicatis. Nessus autem cum pallam sanguine imbuisset, Deïaniræ dixit, si unquam ab eâ amor Herculis averteretur, ut ei pallam mitteret, & indutus eam ad ejus amorem reverteretur. Hercules ab uxore missam indutus, statim peste veneni corripitur, ita ut caro ejus ab ossibus evelleretur, pallâ cuti & ossibus adhærente: unde dolore nimio agitatus, Lycam, qui pallam apportaverat, interemit. Hercules Philoctetæ armigero suo arcum & sagittas tradens, sibi ipse in Oetâ silvâ pyram paravit, in quam assumptâ pelle leonis & clavâ, morte imploratâ, seipsum imposuit: ubi consumpto, quod in eo mortale fuerat, in cœlum translatus est.

EJUSDEM TRAGOEDIÆ

Argumentum, per alium.

Redibat ab Oechaliæ expugnatione Hercules, Iolen secum adducens, cujus amor belli suscepti causa. Non tulit thori sui violatricem, & ante oculos pelli-

cem, Deianira: sed primo quidem, furore fœmineo, venena & ferrum cogitat; mox, lenita à nutrice, revocat in memoriam Nessi Centauri consilium & donum. nam hic moriens cruorem ungulæ inditum Deianiræ dederat, monens philtrum efficacissimum esse, si eo vestes tingerentur. Tunicam ergo hac sanie imbutam, ad maritum transmisit. detulit Lichas, comes Herculis, jam jam sacrificaturo. induit, & mox ut calor eam attigit; ardentissima febris, & æstus immodici, doloresque gravissimi invadunt, paulatimque vis morbi, carnem & interiora absumit. Jubet ergo dolore victus Hercules, intellecto Nessi dolo, pyram in Oetâ monte exstrui, quâ se ipsum cremet: Licham tamen prius occîdit. Deianira seipsam conficit, ut marito præmoriatur. Accurrunt Alcmena & Hyllus, & adstant morienti Heroi: ejusque post obitum, Alcmena cineres; Philoctetes mercedem succensæ pyræ sagittas & arcum, refert. Tandem ejulanti matri apparet Hercules, jam Deorum numero adscriptus.

X.

OCTAVIA.

Claudius Imperator ex uxore Messalinâ, quam postea occidit, filium habuit, Britannicum dictum, & filiam nomine Octaviam. Postea cum Agrippinam fratris sui uxorem sibi nuptiis copulasset, Octaviam Neroni privigno suo dedit uxorem, quem post se, suggerente Agrippinâ, regnare voluit, Britannicum filium imperii faciens exsortem. Nero post Claudium imperans, Octaviam repudiavit, & uxorem aliam duxit Poppæam. Suscitato populi tumultu, propter repudium Octaviæ, Nero in populum desæviit; Octaviam relegavit, & in exilio tandem præcepit interfici.

Ejus-

EJUSDEM TRAGOEDIÆ

Argumentum, per alium.

Claudius primis nuptiis Messalinam duxit; ultimis Agrippinam, quæ ex Domitio Neronem pepererat. Neroni à Claudio desponsata fuit Octavia, Messalinę & Claudii filia. Nunquam concordes aut benevoli conjuges vixerunt; multis odiorum fomites suggerentibus. Tandem Nero, cum votis suis, libere potiundi Poppæâ, (quam effictim deperibat,) eamque in uxorem ducendi, Claudiâ repudiatâ obstare populi favorem videret; qui summo studio Octaviam in solio & conjugio Neronis tueri contendebat; populi impetum multorum cæde repressit; Octaviam in Pandatariam deportari, & denique ibidem necari jussit.

NOMENCLATOR

DOCTORUM VIRORUM,

Quorum operâ hæ Tragœdiæ plurimum sunt illustratæ.

Anonymus Scholiastes, *manuscriptus in Bibliothecâ Palatinâ; qui sua Ioan. Botticellæ inscripsit. unde potest judicari, an sit vetus.*

Gellius Bernardinus Marmita, *Parmensis*; *cujus* Commentaria *edita Venetiis anno* 1492.

Daniel Cajetanus, *Cremonensis*; *cujus* Commentaria *ibidem excusa anno* 1493.

Judocus Badius Ascensius; *cujus* Commentaria *edita Parisiis anno* 1515. *Præfert editio hæc emendationem* Maserii *& aliorum duorum.*

Hieronymus Avantius, *Veronensis*; *hic (ut testatur ipse in Præfatione) ad tria millia errata atque inversa loca veterum*

rum exemplariorum collatione auxilioque restituit. Edidit Aldus anno 1517. *Venetiis.*

Henrico-Petriana *Basilienſis editio, anni* 1529; *in cujus margine quædam* Lectiones variæ.

Gryphiana *Lugdunenſis editio, anni* 1536.

Georgius Fabricius; *ejus Seneca additâ* Lectionis diverſitate, &c. *prodiit Lipſiæ anno* 1566.

M. Anton. Delrius; *cujus* Adverſaria *ampliſſima excuſa ſunt primum typis Plantinianis anno* 1576. *Recuſa deinde eadem, & adjectus inſuper novus* Commentarius *cum aliis, anno* 1594. *Antverpiæ apud Plantini Viduam & Ioan. Moretum. Quæ omnia etiam repetita ſunt à Pariſienſibus.*

Juſtus Lipſius; *cujus* Animadverſiones *editæ Lugduni Batavorum anno* 1588.

Franciſcus F. F. Raphelengius; *ejus* Caſtigationes *ibidem excuſæ anno eodem.*

Q. Sept. Florens Chriſtianus; *ejus* Scholia *Pariſiis editæ apud Fred. Morellium, anno* 1589.

Hieronymus Commelinus, *is Senecam cum octo novem Mss. contulit, &* Variarum lectionum *libellum conſcripſit: Heidelbergæ anno* 1589.

Joſephus Scaliger; *ejus* Animadverſiones *ſcriptæ circa annum* 1598. *excuſæ poſtea Lugd. Batav. anno* 1611.

Janus Gruterus; *ejus accuratiſſimæ* Notæ *prodierunt è Bibliopolio Commeliniano, anno* 1604.

Daniel Heinſius; *ejus* Animadverſiones *editæ Lugd. Bat. anno* 1611. *Editæ poſtmodum auctiores & emendatiores.*

Joannes Iſaacius Pontanus; *Notas conſcripſit.*

Petr. Scriverius; *is Tragœdias recenſuit ac diligenter caſtigavit.*

Matthæus Raderus, *ad Medeam commentarios edidit Monachii* 1630.

Thomas Farnabius *ſuccinctis notis illuſtravit.*

Antonius Thyſius, *Variorum notas collegit.*

L. ANNÆI SENECÆ

*HERCULES FURENS.

DRAMATIS PERSONÆ.

JUNO. HERCULES. LYCUS. MEGARA. AMPHITRYON. THESEUS. CHORUS THEBANORUM.

ARGUMENTUM.

Lycus à Creonte, Herculis socero, rege Thebano propter scelera in exilium missus, absente jam Hercule apud inferos, ut inde Eurysthei jussu peteret Cerberum (ubi & Theseum in vinculis detentum, qui cum Pirithoo descenderat ad rapiendam Proserpinam, liberavit) occasionem oblatam arripit, & per seditionem Creonte cum duobus filiis cæso regnum Thebanum occupat. Megaram Herculis uxorem ad nuptias solicitat, abnuenti vim parat. Opportune reversus Hercules Lycum cæterosque illius factionis interficit. hac tam feliciter gesta Iuno non ferens immittit illi furorem, quo correptus uxorem suam cum liberis interficit. Quod ubi ad se reversus intellexit, doloris impatientia vix Amphitryonis atque Thesei precibus detentus ne sibi mortem inferret, cum Theseo Athenas purgandus proficiscitur.

ACTUS PRIMUS.

JUNO sola.

Iuno Iovis furta, pellices, nothos, Herculem autem maxime stomachatur. cui ab inferis reverso furiosam machinatur perniciem.

SOROR Tonantis (hoc enim solum mihi
Nomen relictum est) semper alienum Jovem,
Ac templa summi vidua deserui ætheris;
Locum-

Hercules furens.] Hoc modo Euripides tragœdiam quandam inscripsit; quam sibi hac fabula noster proposuit imitandam. *Delrius.* Apud Euripidem tragœdia est huic affinis & argumento & nomine. Oeconomia partim similis, partim dissimilis. Velitatio Amphitryonis cum Lyco apud utrumque paria facit: sed in decore personæ Amphitryonis longe inferior Seneca; ut in multis aliis. Reliqua studiosi inter se contendere possunt. *Scal.*

Vers. 1. *Soror Tonantis*] Tacit. Annal. 14. Octavia *paucis dehinc interjectis diebus mori jubetur, cum jam viduam se & tantum sororem testaretur.* Gronovius. *Soror*] *Si sum regina Iovisque*
Et soror & conjux certe soror. Farnab.

3. *Templa*] Templum veteres, pro quovis tractu, & quavis hominum Deorumve habitatione, posuerunt.

Locumque, cœlo pulsa, pellicibus dedi.
Tellus colenda est: pellices cœlum tenent.
Hinc, Arctos alta parte glacialis poli
Sublime classes sidus Argolicas agit;
Hinc, qua tepenti vere laxatur dies,
Tyriæper undas vector Europæ nitet;
Illinc, timendum ratibus ac ponto gregem
Passim vagantes exerunt Atlantides.
Ferro minaci hinc terret Orion deos:

Suasque

Varro id docet initio lib. 6. de Ling. Latin. *Templum dicitur tribus modis; ab naturâ, ab auspicio, ab similitudine. Naturâ in cœlo, ab auspicio in terra, ab similitudine sub terrâ. In cœlo templum dicitur.* Deltius.

4. *Pulsa, pellicibus*] Ovidius 2. met. *Quæritis, atherius quare regina deorum Sedibus hic adsim? pro me tenet altera cœlum.* Idem.

6. *Arctos alta*] Callisto Lycaonis filia à Iove compressa, à Iunone in ἄρκτον i. ursam mutata, mox à Iove una cum filio Arcade in cœlum relata, alterum sidus Helice, alterum Cynosura vocatur. *Farnabius.*

7. *Sublime*] Quoad nos, quibus ab Æquinoctiali Septentrionem versus sitis, *Hic vertex semper sublimis.* Idem. *Sidus Argolicas agit;*] Helice, quam Græci primum observabant, ut Sidonii Cynosuram, *Helicem Graja carina notat.* vide quæ ad v. 696. Medeæ. *Id.*

8. *Hinc,*] Ab Australi parte, in ipso Zodiaco. *Idem. Qua tepenti*] Qua dies elongatur & aperitur oriente Tauro xx. die Aprilis. *Idem.* Laxatur enim dies quum sit longior: laxatur humus, cum aperitur.

9. *Vector*] Taurus secundum Zodiaci signum, quem poëtæ fabulantur Taurum eum fuisse, qui Europam à Phœnice transvexit in Cretam, cujus operæ Iupiter eam illi gratiam retulit, ut inter sydera illum collocarit. *Farn. Nitet;*] In sidus conversus fulget. *Id.*

10. *Illinc,*] A parte Orientali. *Id. Timendum*] Propter tempestates quas ortæ denunciant. *Idem.*

11. *Vagantes*] Quoad nostrum aspectum, fixæ tamen sunt. *Idem. Atlantides.*] Pleiades VII. stellæ inter os Tauri & caudam Arietis sitæ, Atlantis ex Pleione filiæ, quarum tres Electram, Majam, Taigetem Iupiter compressit. *Idem.*

12. *Ferâ comâ hinc exterret*] Codex Meliss. *Fera minax hinc terret.* Cui valde se adhærere testatur Lipsius, & capiendum canem venatori Orioni adjunctum: aut reponendum, *ferro minax.* Hoc proximum vero, etsi comam Herculis Iovi quoque formidabilem visu repererit alicubi Gruterus, eoque *Fera coma* cum octo Pall. obducat pro vulgata. Membr. Etrusc. omnium vetustissimæ à manu prima: *Ferro minaci hinc terret Orion deos.* Quo erasо, sic tamen ut consequi oculis haud difficulter possis, à manu altera reposita est eodem vulgata, & in margine quoque recentiore manu: *ferro minax.* Justissimum ergo, ut prima omnium scriptura valeat, quæ & versum facit numerosiorem. Cicero in Phœnomenis: *Orion humeris & lato pectore fulgens, Et dextra retinens non cassi luminis ensem.* Lucanus. *Enstferi nimium fulget latus Orionis.* Statius equo Domitiani: *magnus quanto mucrone minatur Noctibus hibernis & sidera terret Orion.* Sequenti versu nescio unde nuperæ editiones,

aureæ:

Suasque Perseus aureus stellas habet.
Hinc, clara gemini signa Tyndaridæ micant:
Quibusque natis mobilis tellus stetit.
Nec ipse tantum Bacchus, aut Bacchi parens,
Adiere superos: ne qua pars probro vacet,
Mundus puellæ serta Gnossiacæ gerit.
Sed vetera querimur: una me dira ac fera
Thebana nuribus sparsa tellus impiis,
Quoties novercam fecit? escendat licet,
Meumque victrix teneat Alcmene locum;
Pariterque natus astra promissa occupet;
In cujus ortus mundus impendit diem,

Tardus-

aureus: nam, *aureus*, veteres & liber optimus. *Gronovius. Orion*] E Iovis, Neptuni, & Mercurii urina natus; quod zelotypam deam male urit. *Farnabius. Deos:*] Sidera Deos vocat, more antiquorum, de quo alibi. Exterret autem Orion sidera, non omnia, sed Pleiades; quas cum matrem illarum insequeretur, simul in fugam compulit, unam quoque illarum Meropen violavit. auctores Q. Smyrnæus lib. 5. Athenæus lib. 11. & Scholiastes Apollonii in lib. 3. *Orion*, Latine *Iugula*. Delrius.

13. *Stellas*] XXVI. *Aureus.*] Pulcher, splendidus, utpote quem Iupiter in aureum imbrem conversus e Danaë genuit. *Farnabius.*

14. *Clara Tyndaridæ*] *Lucida sidera.* Castor & Pollux Iovis ex Leda Tyndari uxore filii. *est autem Anachronismos seu Prolepsis, necdum enim Tyndaridæ mortui erant.* Idem.

15. *Quibusque natis*] Apollo & Diana, quos Pythona serpentem fugiens Latona enixa est in Delo insula, prius erratica & fluctibus agitata, tum vero primum firmata, & *Mycono celsa Gyaroque revincta.* Idem.

16. *Bacchi parens,*] Semele, quæ & in cœlum relata traditur. *Idem.*

18. *Mundus*] Cœlum cepit in numerum Siderum coronam Ariadnes conjugis Bacchi, & filiæ Minois regis Cretæ, in qua Gnossus urbs regia. *Idem.*

19. *Sed vetera querimur:*] In Etrusco & antiquioribus est omnibus: *Sed vetera sero querimur.* Itaque ut versus constaret, duas voces delevit Fabricius, *dira ac*, non suffragante Delrio. At Lipsius inducit τὸ *sero*, cui auscultatum. Me nondum pœnitet veteris conjecturæ, scriptum fuisse olim: *Sed sera querimur:* ut medii vocabuli τὸ *vetera* fuerit explicatio. Vide Observat. 2, 19. *Gronov. Dira ac fera*] Respicit fab. de anguinis dentibus à Cadmo seminatis infrà v. 259. *Farnabius.*

20. *Nuribus sparsa tellus impiis;*] Mulieribus impiis: seu pellices Iovis, seu Bacchas notet. *Idem.*

21. *Quoties novercam*] Tanquam privignos mihi effundant pellices: Zethum & Amphiona Antiopa, Bacchum Semele: Herculem Alcmena. *Farnab. Ascendat licet,*] Etruscus codex scriptura expressissima: *escendat licet.* Vt & in Phœnissis. Vide quæ notavimus ad Livii 2, 28. *Gronovius.*

23. *Promissa*] A Iove infrà v. 958. & à virtute in solitudine. *Farnabius.*

24. *In cujus ortu mundus*] Etruscus à manu prima, *ortus*, neque aliter qua-

Tarduſque Eoo Phœbus effulſit mari,
Retinere merſum juſſus Oceano jubar.
Non ſic abibunt odia. vivaces aget
Violentus iras animus, & ſævus dolor
Æterna bella pace ſublata geret.
Quid bella? quidquid horridum tellus creat
Inimica; quidquid pontus aut aër tulit
Terrible, dirum, peſtilens, atrox, ferum;
Fractum atque domitum eſt. ſuperat, & creſcit malis;
Iraque noſtra fruitur: in laudes ſuas
Mea vertit odia. dum nimis ſæva impero,
Patrem probavi: gloriæ feci locum:

Qua

tuor Pall. & quidam Delriani. Lucanus lib. 5. *in ventos impendo vota fretumque.* Curtius lib. 4. *Vaſtas terras, deſerta omnia occurrere: in unius hominis jactationem tot millium ſanguinem impendi.* lib. 10. *quibus hoc ſolum ex tantis opibus ſupereſt, in quod impenditur.* At pro, *impendit*, eſſe in duobus, *impediit*, & ſuo ſenſu, ſcripſit Raphelingius: poſtea hoc ſerio cœpit defendi. Secus, *diem*, aiunt, ſingulari numero poni pro plurali, & de partu interpretandum, cum ſeptem dies Alcmena in labore fuerit: ſed alterum eſſe germanum. Minime vero: *impendit* & plures habent fidelioreſque & ſenſu longe meliore. Ne dicam Senecæ, Lucano & his auctoribus amatum eſſe verbum. Sive autem ternox illa fuit Herculea, quique intercedere inter duas noctes dies debuit, tertiam conſtituit noctem; ſive duæ tantum noctes continuatæ ſunt eliſo medio die; mundus uno die mulctatus eſt, ejuſque damnum fecit: hoc eſt, *impendit diem. Gronovius.* Ad cujus πολυαθλίᾳ ἡδὲ & τεϱεσσέϱῳ λεόντῳ generationem continuatæ ſunt duæ noctes adjecto die intermedio. *Farnabius.*

25. *Tarduſque Eoo*] Et Sol à Iove juſſus per duplum ſpatium vacare, poſt geminam noctem exortus eſt è mari Orientali ſecundùm opinionem vulgarem. *vel*, ſupra Horizontem, pro quo mare uſurpant poëtæ. *Idem.*

27. *Vivaces aget iras, &c.*] *Memores, graves & inexaturabile pectus.* Idem.

30. *Quid bella? quidquid*] Flor. *Quæ bella? quidquid.* Gronov. *Epanorthoſis indignationis plena.* ſed quid ego bella loquor, poſtquam monſtra, terreſtria, *taurum, Scorpion, gigantes:* aquatilia, *cancrum, Hydram*, &c. aëtia, *Stymphalidas* debellarit? *Farnabius.*

34. *Iraque noſtra*] Vere Hercules, ut qui ex odio τῆς ἥϱας κλέος aſſequatur. *Idem.*

35. *Dum nimis ſæva impero,*] Per Euryſtheum Mycenarum regem, qui, me dictante, Herculem ad difficilima quæque obeunda adigit, infrà verſ. 829. *Idem.*

36. *Patrem probavit: inde qua*] H. Comelinus in duobus ait Pall. fuiſſe: *probavi, gloriæ feci locum. Qua ſol relucens quaque reponens diem Binos, &c.* Inde adoptavit Scaliger, aitque ex vett. libris ſic reſtituiſſe, niſi quod *repromens* dat pro *reponens*. Sed *relucere* & *repromere diem* quid differunt? Itaque Scriverius maluit, *reponens*. Concinnabat præterea Grotius: *reducens quaque deponens:* & ſenſu & verſu integriore.

Qua Sol reducens, quaque deponens diem,
Binos propinqua tingit Æthiopas face,
Indomita virtus colitur; & toto Deus
Narratur orbe. Monstra jam desunt mihi;
Minorque labor est Herculi jussa exequi,
Quam mihi jubere. lætus imperia excipit.
Quæ fera tyranni jussa violento queant
Nocere juveni? nempe pro telis gerit,
Quæ timuit, & quæ fudit: armatus venit
Leone & hydra. Nec satis terræ patent:
Effregit ecce limen inferni Jovis,
Et opima victi regis ad superos refert.
Parum est reverti: fœdus Vmbrarum perit.

Vidi

tegriore. Non caret mente vulgata: trium enim mundi regionum mentionem fecisse potest videri. Vt infrà vers. 883. *Pax est Herculea manu Auroram inter & Hesperum, Et qua sol medium tenens Vmbras corporibus negat.* Vbi omissus septentrio. Vt Meridies vers. 1139. *Sub ortu solis an sub cardine Glacialis Vrsæ? numquid Hesperii maris Extrema tellus, &c.* Quæ tamen ideo proponimus, ne quis male pugnans pro vulgata contra nos illis, quasi non visis, utatur. Etruscus ostentat à secunda manu: *probavit inde qua lucem premit:* vetusta erasa, quam fuisse, *probavi, gloriæ feci locum*, ut & in Moguntino apparuit Delrio, verisimillimum est. Sequens ita exstat Florentiæ: *Qua Sol reducens, quaque reponens diem.* Vt fere voluit Rutgersius: faciebat enim *repponens.* Vossianus utrumque versum servat, sed alterum ita formatum: *Titan diem Qua sol revertens quaque deponens diem.* Ex his omnibus colligas licet veram lectionem esse: *Patrem probavi, gloriæ feci locum. Qua sol reducens quaque deponens diem Binos propinqua tingit Æthiopas face, Indomita virtus colitur.* Vt voluerat Grotius. *Gronovius.*

38. *Binos tingit Æthiopas*] Per *binos*, Orientales & Occidentales intellige.

39. *Toto Deus narratur orbe.*] Ex veterum more, qui à quibus insignia beneficia acceperant, aras illis consecrabant, & divinos honores decernebant. Hercules per totum orbem latrociniis à se & sceleribus repurgatum, veluti θεὸς ἀλεξίκακος colebatur. hoc Iuno queritur. *Delrius.*

43. *Tyranni*] Eurysthei suprà v. 35. *Farnabius.*

45. *Quæ timuit,*] Quæ in primo congressu etiam timere potuit: aggressus vero devicit à natura, non à consilio & ratione. οὐ συγκατατίθεται. Etiam nôrit fortis quæ timere debeat, vide Med. 160. & 166. *Idem.*

46. *Leone*] Nemeæi leonis pelle, & sagittis felle & sanguine Lernææ Hydræ tinctis. *Idem.*

47. *Inferni Iovis,*] Plutonis: Homero ζεὺς καταχθόνιος. *Idem.*

48. *Opima victi regis*] Spolia opima ipsi Diti erepta, Cerberum scil. tricipitem. Plutonis insigne, ut fulmen trisulcum Iovis, Neptuni tridentem. *Idem.*

49. *Fœdus Vmbrarum perit.*] Nugas agit illa potior pars membranarum, quæ infert, *petit*, cum suis sibi

Vidi ipsa, vidi nocte discussa inferûm,
Et Dite domito, spolia jactantem patri
Fraterna. cur non victum & oppressum trahit
Ipsum catenis paria sortitum Jovi?
Ereboque capto potitur, & retegit Styga?
Patefacta ab imis Manibus retro via est,
Et sacra diræ Mortis in aperto jacent.
At ille, rupto carcere Umbrarum, ferox
De me triumphat, & superbifica manu
Atrum per urbeis ducit Argolicas canem.
Viso labantem Cerbero vidi diem,
Pavidumque solem: me quoque invasit tremor,
Et terna monstri colla devicti intuens,
Timui imperasse. Levia sed nimium queror,
Cœlo timendum est; regna ne summa occupet,
Qui vicit ima. sceptra præripiet patri.
Nec in astra lenta veniet, ut Bacchus, via:
Iter ruina quæret, & vacuo volet

Regna-

glossis atque interprete veteri, Proserpinam fœderatam regi Vmbrarum, enarrantibus. Liber optimus, *perit*. Statius Thebaide octava, in verbis Plutonis offensi hiatu terræ lapsuque vivi Amphiarai in Tartara: *pereant agedum discrimina rerum. Nam cui dulce magis? Fœdus* est jus ac fas & status perpetuusque ordo. Ovidius lib. 10. metam. *at tu, dum corpore non es Passa nefas, animo ne concipe, neve potentis Concubitu vetito naturæ pollue fœdus.* Medea: *Bene dissepti fœdera mundi Traxit in unum Thessala pinus.* Florus 3, 6. *Sublatisque commerciis rupto fœdere generis humani.* Abolito jure communi, quod consensus gentium & ipsa natura sanxit. Statius lib. 12. Thebaid. *Terrarum leges & mundi fœdera mecum Defensura manus.* Nec aliter Hebræi. Hieremias cap. XXXIII. *Si irritum potest fieri pactum* (berith) *meum cum die, & pactum meum cum nocte, ut non sit dies & nox in tempore suo.* Gronovius. Dum Herc. vivus adhuc Tartara quæ Plutoni sortitione contigerant, penetrat, atque inde Cerberum in superas auras trahit. *Farnabius.*

52. *Fraterna.*] Pluto. *Idem.*

54. *Ereboque*] Erebus profunditas inferorum. Servius & Sabinus in 4. Æneid. hîc pars, pro toto inferno. *Delrius.*

55. *Patefacta*] Reditus ab inferis contra sortitionis fœdus jam vivis patefactus est. *Farnabius.*

56. *Sacra diræ*] Sacra illa & arcana umbrarum custodia (Cerbero ab Hercule sublato) in aperto est, & pervia descendere atque remigrare volentibus. *Idem.*

66. *Lenta*] Quieta *vel* morte expectata. *Idem.*

67. *Vacuo*] Expulsis cœlo cæteris diis. *Idem.*

68. *Robs-*

Regnare mundo. Robore experto tumet,
Et posse cœlum viribus vinci suis
Didicit ferendo. subdidit mundo caput,
Nec flexit humeros molis immensæ labor,
Mediusque collo sedit Herculeo polus.
Immota cervix sidera & cœlum tulit,
Et me prementem. Quærit ad superos viam.
Perge ira, perge, & magna meditantem opprime.
Congredere; manibus ipsa dilacera tuis.
Quid tanta mandas odia? discedant feræ:
Ipse imperando fessus Eurystheus vacet.
Titanas ausos rumpere imperium Jovis
Emitte: Siculi verticis laxa specum.
Tellus gigante Doris excusso tremens,
Supposita monstri colla terrifici levet.
Sublimis alias Luna concipiat feras.

Sed

68. *Robore expenso tumet*,] Placet Lipsio præ veteri lectione, *experto*. Deltio quoque illud haud dubie melius, cum sit, librato & versato diligenter, quantum valeat. Neque ineptum ego dixerim, sed quia Etruscus, *experto*, hoc prætulerim, quando & sensu grandius est. Experientia utique certior est æstimatione, & sæpe usu vana deprehenduntur, quæ quantumvis expensa placuerunt. Hercules non modo diu versaverat, quid valerent humeri, sed rebus & experiendo cognoverat. Tacitus 3. Ann. *præponitque centuriones virtutis expertæ*. Iustinus lib. 41. *Arsaces vir sicut incertæ originis, sic virtutis expertæ*. Gronovius. Viribus suis (quas expendit expertusque est, dum Atlantis loco humeris cœlum sustineret) fretus confisusque, etiam occupare cœlum tentabit. *Farnabius*.

74. *Me prementem*.] Emphatice. *Id.*

75. *Perge ira*,] Se Iuno ad iras excitat. *Idem*.

76. *Manibus ipsa jam lacera*] Melius Florentinus: *ipsa dilacera tuis*. Gronovius.

77. *Quid tanta mandas odia?*] Sic omnes libri veteres. lib. 3. de ira: *nec mandat ultionem suam, sed ipse ejus exactor animo simul & manu sævit*. Lucanus lib. 3. *Dux tamen impatiens hæsuri ad mœnia Martis, Versus ad Hispanas acies extremaque mundi, Iussit bella geri*. Hoc est, delegavit, legatis commisit bellum D. Bruto & C. Trebonio. Florus lib. 4, 12. *In hos igitur, quia vehementius agere nuntiabantur, non mandata expeditio, sed sumpta est*. Vide Diatriben ad Statii Silvas cap. 31. *Idem*.

80. *Siculi*] Solve gigantem Enceladum, cui fulmine icto injectum ferunt Ætnam Siciliæ montem. *Farnab*.

81. *Doris*] *Sicula*, in Siciliam enim frequentes colonias miserunt Græci, & in his maxime Dores. *Idem*. *Tremens*] *Et fessum quoties mutat latus, intremere omnem Murmure Trinacriam*. Idem.

83. *Luna*] E luna enim decidisse

Sed vicit ista. Quæris Alcidæ parem?
Nemo est, nisi ipse. bella jam secum gerat.
Adsint ab imo Tartari fundo excitæ
Eumenides: ignem flammeæ spargant comæ:
Viperea sævæ verbera incutiant manus.
I nunc, superbe, cœlitum sedes pete;
Humana temne. jam Styga & Manes, ferox,
Fugisse credis? heic tibi ostendam inferos.
Revocabo in alta conditam caligine
Ultra nocentum exilia Discordem deam,
Quam munit ingens montis oppositi specus.
Educam, & imo Ditis è regno extraham
Quidquid relictum est. veniat invisum Scelus,
Suumque lambens sanguinem Impietas ferox,
Errorque, & in se semper armatus Furor.
Hoc hoc ministro noster utatur dolor.
Incipite famulæ Ditis; ardentem incitæ
Concutite pinum: & agmen horrendum anguibus
Megæra ducat; atque luctifica manu

Vastam

credebatur leo Nemeæus. idque ex opinione Pythagoræorum, qui in orbe Lunæ reperiri censebant, quæcunque apud nos sunt. *Farnabius.*

85. *Bella*] Ipse furore percitus sibi & suis vim paret. *Idem.*

87. *Eumenides*] Furiæ ardenti face ac serpentibus armatæ Herculem in furorem vertant. *Idem.*

89. *I nunc, superbe, cælitum*] Flor. *superbæ.* Nic. Heinsius, alterum sui nominis fulgentissimum decus, malebat: *I nunc, supernas cælitum sedes pete.* Sic in Oedipo, *superbam rupem* fecere pro *superna.* Gronovius. Insultat ei Iuno præscia, quasi peracta jam re. *Farnabius.*

91. *Heic tibi*] In terris ego tibi graviora ostendam, quam quæ apud inferos vidisti. *Idem.*

94. *Quam munit*] Id est, quam Deam munit ingens spelunca montis oppositi.

93. *Nocentum*] Loca supplicii sceleratorum. *Idem. Discordem*] Quare *Discordem*, quasi esset κύελον. Immo, *discordem deam*, est monstrosam, biformem: ut Manilio lib. 1. de gigantibus: *Discordes vultu, permixtaque corpora, partus.* Gronovius. Megæram comitatam scelere, impietate, errore, furore. *Farnabius.*

100. *Famulæ*] Furiæ, ultrices deæ. *Idem. Ardentem incitæ*] Etruscus, *ardentem citæ concutite pinum.* Vt, *ferte citi flammas.* Et hac tragœdia: *Et citi tecta properant relicta.* Gronovius.

101. *Pinum*] Facem. *excutiens pronam flagranti vertice pinum.* Farnabius. *Agmen*] Sorores ὀφιοπλοκάμους, Tisiphonem & Alecto. v. 78. Thyest. *Idem.*

103. *Tra-*

Vastam rogo flagrante corripiat trabem.
Hoc agite. pœnas petite violatæ Stygis:
Concutite pectus: acrior mentem excoquat
Quam qui caminis ignis Ætnæis furit.
Ut possit animo captus Alcides agi,
Magno furore percitus, nobis prius
Insaniendum est. Juno, cur nondum furis?
Me, me, sorores, mente dejectam mea
Versate primam, facere si quidquam apparo
Dignum noverca. jam odia mutentur mea.
Natos reversus videat incolumes, precor,
Manuque fortis redeat. inveni diem,
Invisa quo nos Herculis virtus juvet:
Me pariter & se vincat; & cupiat mori
Ab inferis reversus. heic prosit mihi,
Jove esse genitum. stabo, & ut certo exeant
Emissa nervo tela, librabo manum:

Regam

103. *Trabem*] Trabs pro face, ἐμφατικῶς. sic Maro trabale telum; Horatius, clavos trabales; Papinius, hastam trabalem; Claudianus, trabale sceptrum; Silius, trabem pro hasta, posuerunt. *Delrius.*

104. *Pœnas petite violatæ Stygis:*] Etruscus, *viciatæ.* An mendum scriptoris est? an vero fuit, *vitatæ.* Gron.

105. *Concutite*] *Mille nocendi artes, facundum concute pectus:* & de Herculis pectore intelligi potest. sed prius magis placet. *Farnabius. Acrior*] Violentior furoris ignis mentes vestras exagitet, quam qui Ætneis cavernis & fornacibus furit, quo majori impetu in Herculem feramini. *Idem.*

107. *Ut posit animo captus*] Subscriberem libris, qui offerunt, *animum*, si patereturr Florentinus. Sic alibi *mœsta vultus, membra remisse, mota caput*, Megara *parvum comitata gregem.* Sic Silio *excussus mentem, mutata mentem*, & similia. *Gronovius.*

109. *Iuno*] Cur non & ipsa furo? *F.*

112. *Noverca.*] Odio novercali. *Idem. Iam odia*] In tempus illi favebo, quo gravius noceam. furens enim sibi & suis hoc erit perniciosior. *Farn.*

116. *Me pariter & se vincat;*] Hic quidem facile me ab eo vinci patiar, dummodo se vincat, suos interficiens. *Idem.* Sc. plus sibi nocendo, quam ego ipsi nocere potuerim. *& se*, quia cum cetera monstra vicerit, à se furente victus est. *Commel. Et cupiat*] Et qui mortem apud inferos evasit, jam præ doloris acerbitate mortem optet, cum ad se redierit, & uxorem filiosque à se furente occisos fuisse viderit. *Idem.*

117. *Heic*] Hoc casu, hoc tempore, nunc. *Idem.*

118. *Iove esse*] Vt heros fortis sit, omniaque sternens obvia, & suos perdat. *Idem. Stabo*] Proposito huic pertinaciter insistam. *vel*, illi adsistam dirigamque tela ne errent. *Idem.*

119. *Librabo manum:*] Sane ut destinatum feriat, ad rem pertinet ma-

Regam furentis arma: pugnanti Herculi
Tandem favebo. scelere perfecto, licet,
Admittat illas genitor in cœlum manus.
Movenda jam sunt bella; clarescit dies,
Ortuque Titan lucidus croceo subit.

num tenentis arcum non tremere. Itaque sensum habet. Hercule Oetæo: *Aderit noverca, quæ manus nostras regat.* Sed Lipsii liber, *manu*, ut dicat Iuno, suapte manu directuram tela Herculis in liberorum corpora. Et adsentitur Delrius ita, ut ait, corrigentibus. Et, quod præcipuum est, sic codex Etruscus. Gruterus & alii numero sequiorum librorum deterriti sunt, ne reciperent, quod tamen habuit unus Pall. *manu*. Neque inde incredibile est posse celeritatem emissæ sagittæ manu sequi; quin & adjuvare. Neque majoris miraculi, quod Ovidius lib. 8. *ferrum Diana volanti Abstulerat jaculo.* Gron.

122. *Illas genitor*] Tam nefario scelere pollutas. *Sarcasmus.* Farnab.

123. *Iam sunt*] Festinandum & instanti auroræ cedendum est. vid. quæ ad vers. 119. *Idem.* Hunc & sequentem versum liber Lipsii adtexit: Ita enim claudit Iuno, *Verborum & minarum satis est: arma expedio. quia vocat me, ecce, dies.* Posterior ex hisce versibus in vulgatis nullibi legitur, alter non suo loco, supra versu nonagesimo insertus. *Tu illinc pelle, & huc compelle. Lipsius.* Sic & Florentinus. *Gronovius.*

CHORUS THEBANORUM.

Chorus è Thebanis à descriptione ortus diei, magnatum curas studiaque damnat, Herculem audaciæ in laboribus subeundis taxat, vitæ denique humilis laudat tranquillitatem optatque.

Iam rara micant sidera prono
Languida mundo: nox victa vagos
Contrahit ignes: luce renata
Cogit nitidum Phosphoros agmen:

Signum

125. *Iam rara micant*] Chorus iste totus in omnibus excusis habetur: sed in manusc. quibusdam deest ex parte & incipit inde: *Turbine magno spes sollicitæ.* Barnardin. *hic chorus* (inquit) *non legitur hoc loco, unde paucis annotabimus.* Daniel testatur, hunc chorum in vetustissimo m. s. esse mancum, & non videri convenire hanc primam partem sublimitati Senecæ. In Moguntin. m. s. totus quidem habetur, sed alio, & prorsus turbato ordine: incipit enim à *Turbine magno spes sollicitæ*, usque ad *Sordida parvæ fortunæ domus*, & ibi inserit; *jam rara micant, &c.* Sive ergo hæc prima pars Senecæ, sive alterius: digna certe, quæ legatur, nec cedit subsequentibus. Describuntur vanæ divitum & magnatum curæ. laudantur quieta & tuta plebeiorum studia: illas damnat, hæc sibi in optatis esse canit. *Delrius. Prono*] In occidente cœli seu hemisphærii parte. *Farnabius.*

126. *Languida*] A solis vicinitate. *Idem. Vagos*] Erranteis planetas, *vel generaliter*, omnes stellas quæ igneæ creduntur esse naturæ. *Idem.*

128. *Cogit*] *Diffugiunt stellæ quarum agmina cogit Lucifer.* Idem.

129. *Celsi*

Signum celsi glaciale poli
Septem stellis Arcades ursæ
Lucem verso temone vocant:
Jam cœruleis evectus equis
Titan summa prospicit Oeta:
Jam Cadmeis inclyta baccis
Aspersa

129. *Celsi glaciale poli*] Arctici, qui nobis semper sublimis, suprà vers. 6. *Farnabius.*

130. *Arcades ursæ*] Sidera illa Borealia, in quæ versi Callisto & Arcas, plaustro septentrionali verso velut in meta seu confecta via & decurso spatio diem evocant. *Idem.*

132. *Cæruleis*] Quos laviſſe creditur cœruleo Oceano. vid. supr. vers. 25. *Idem. Evectus equis Titan summum*] In duobus Mſſ. repertum mihi *aquis*. quod & margini adnotarat Grotius. Et his videtur magis quadrare adjunctum *cæruleis*, quam Phœbi *equis*. Deinde Florentinus: *summa prospicit Oeta*. Quæ vera lectio est, significata etiam à Moguntino, in quo erat *summo*. Sed τὰ ὄρτα efferunt Græci, neque aliter, puto, Latini. *Extremos ad Orientem montes Oetam* Græci *vocant*, inquit Livius lib. 36. Inde illud in Citi: *Postera lux ubi lata diem mortalibus almum Et gelido veniens mani quatiebat ab Oeta.* Scaliger legit, *Egelido*. Quis credit *mani egelido* dixiſſe Virgilium? Conjiciebam: *E pelago veniens summa quatiebat ab Oeta.* Sic Silius Italicus lib. 6. *clara dies summa lustrabat in Oeta Herculei monumenta rogi.* Hercule Oetæo: *renatum prima quæ poscit diem, Oeta eligatur.* Hinc Statio *Oetæa lampades* in carmine ad Somnum, male acceptæ Domitio & Bernartio, à Politiano, Turnebo & Gevartio merito defensæ. Sed unus etiam scrupulus restabat Paganino Gaudentio: cum *Oetæas lampadas* Hesperum dixerit ex Virgiliano, *tibi deserit Hesperus Oetam*, de quo monte stellas occidere videri, sicut de Ida nasci, testetur Servius, cur illis opponat *Paphias*, qui potuiſſet *Idæas* dicere, quando sermo sit de Lucifero & stella afferente lucem? Excusat autem non de sola stella Veneris Hesperо & Lucifero locutum Papinium, sed de aliis quoque stellis, quia *Oetæas* & *Paphias* dixerit, sic vocatas, quod exortæ essent & occidiſſent. Sic ille in Additamento Critico. Verum, quam dabit rationem, cur occidentes stellæ & diei locum facientes *Paphias* dicantur? At Hesperum *Paphiam lampadem* vel per enallagen numeri *Paphias lampades* cur vocent Poëtæ, nemo ignorat. Nam *ab Idæ jugis Luciferum surgere* rectè dicit Æneas ut Trojanus, Poëtæ vero Latini citra talem personam Græcorum potius morem secuti ab Oeta faciunt eundem prospicientem. Domitius utraque appellatione solis ortum describi facit: alii viri docti sic loquuntur, ut solum occasum intelligere videantur, quod in Oeta monte oriantur stellæ. nisi & ipsi per *lampades Paphias* intelligant Luciferum. At utrumque tempus ita designat Statius, ut priori vocabulo diem orientem, posteriori noctem velit intellectam. Quippe Poëtæ, prout occasio tulit, tam solem quam sidera procedere ab Oeta fingunt; hìc noster Luciferi *Oetæas*, Hesperi *Paphias lampades* dixit, ut utriusque exortu totidem dies noctesque significaret. *Gronovius.*

133. *Titan summum*] Oriri sol videtur ex altissimis montibus, est autem Oeta mons in finibus Thessaliæ. *Farnabius.*

134. *Cadmeis inclyta*] Baccis lauri sylvestris vel quibusvis aliis in Bacchi nemore.

Aſperſa die dumeta rubent:
Phœbique fugit reditura ſoror.
Labor exoritur durus, & omneis
Agitat curas, aperitque domos.
Paſtor gelida cana pruina
Grege dimiſſo pabula carpit.
Ludit prato liber aperto
Nondum rupta fronte juvencus.
Vacuæ reparant ubera matres.
Errat curſu levis incerto
Molli petulans hœdus in herba.
Pendet ſummo ſtridula ramo,
Pennaſque novo tradere ſoli
Geſtit querulos inter nidos
Thracia pellex; turbaque circum
Confuſa ſonat, murmure miſto
Teſtata diem. carbaſa ventis
Credit, dubius navita vitæ,
Laxos aura complente ſinus.
Hic exeſis pendens ſcopulis,
Aut deceptos inſtruit hamos;

Aut

nemore. alii leg. *Bacchi*, q. d. Dumeta Bacchatum Orgiis famoſa die adſperſa rubent. Quid ſi uvas intelligamus, vitium Baccas: quarum inventor fuit Bacchus Thebis à Cadmo conditis natus. *Farnabius.*

136. *Phœbique ſoror.*] Luna. *Idem.*

140. *Grege dimiſſo*] Dimittit gregem, qui carpat pabula. *Idem.* Dicit Seneca, paſtorem grege in paſcua jam dimiſſo, manu ſuâ quoque pabula legiſſe, eidem pecori futura uſui noctu: tale quid factitari ſolitum oſtendit Longus Sophiſta in Paſtoralibus, qui conſulatur. *Grut.*

142. *Nondum ruptâ*] Nondum enatis corniculis. *Delrius.*

143. *Vacuæ matres.*] Vaccæ, oves, capellæ, lacte evacuatæ. *Farnabius.*

147. *Novo tradere*] Recens exorto. *Idem.*

148. *Nidos*] Pullos, *Metonym.* Idem.

149. *Thracia*] Luſcinia, in quam mutata eſt Philomela violata à Tereo Thracum rege, & marito Prognes ſororis ipſius Philomelæ. *Idem. Turbaque*] Turba avicularum miſta, &c. teſtatur diem adeſſe. *Idem.*

150. *Turbaque circum Confuſa ſonat*] Liber optimus, *circa.* Quod videntur mutaſſe, ut variarent ſonum. Nam & virum doctum verſ. 355. video edidiſſe: *Velata juxtim præſides adſtat deos*: cum in libris omnibus ſit *juxta.* Gronovius.

155. *Deceptos*] Eſca reparat hamos, priori à piſcibus erepta. *Farnabius.*

156. *Aut*

Aut ſuſpenſus ſpectat preſſa
Præmia dextra. ſentit tremulum
Linea piſcem.
Hæc, innocuæ quibus eſt vitæ
Tranquilla quies, & læta ſuo
Parvoque domus, ſpes & in agris.
Turbine magno ſpes ſollicitæ
Urbibus errant, trepidique metus.
Ille ſuperbos aditus regum,
Duraſque fores, expers ſomni,
Colit: hic nullo fine beatus
Componit opes, gazis inhians,
Et congeſto pauper in auro eſt.
Illum populi favor attonitum,

Fluctu-

156. *Aut ſuſpenſus ſpectat*] Sic quidem omnes libri. Malim tamen, *Sperat preſſa Præmia dextra.* Petronius: *ſine ſpe præda moratur in ſcopulo.* Gronovius. *Preſſa*] Pondere capti piſcis depreſſa. *Farnabius.*

157. *Præmia*] Piſces captos. *Idem. Tremulum*] Ex arundine appenſum. *Idem.*

158. *Linea*] Setaceus funiculus, cui hamus appendet. *Delrius.*

159. *Hæc*,] Hæc ſ. agunt ii quibus, &c. In urbibus vero, &c. *Farnabius.* Sic legit Lipſius hos verſus: *Quibus eſt vita tranquilla quies, Et læta ſuo parvoque domus, Spes & in agris. Turbine magno, &c.* Præclara gnome, nec temerè mihi mutanda, cui vita hæc in agris unicè placet, & ex agris. At vetus tamen aliorſum trahit, qui ſcribit, *Spes jam magnis.* Puto verè, ſi cum ſequentibus adnectas: atque adeo verſuum ordine moto: *Spes jam magnis urbibus errant, trepidique metus: Turbine magno, &c.* quæ repetitio ſanè decora. *Innocuæ*] Non, quæ non nocet, ſed cui ab aliis non nocetur. Servius 2. Æneid. Innocuus, inquit, cui non nocetur: innoxius, qui non nocet. Sed hæc plerumque poëtæ confundunt. *Delrius.*

161. *Spes & in agris.*] Florentinus, ut alias ſæpe, conſentit cum Meliſſeo Lipſii: *Spes jam magnis Vrbibus errant trepidique metus.* Illum, *Turbine magno ſpes ſollicitæ*, habet excluſiſſimum. *Gronovius.*

162. *Turbine magno*] Magno cum tumultu. Hic incipit Chorus in quibuſdam exemplaribus omiſſis verſiculis antecedentibus. Alii libri hunc Chorum partiuntur in duos; & hic annotatur ſecundus Chorus. *Farnab.*

164. *Ille ſuperbos*] Patroni (qui & Rex vocatur) veſtibulum cliens ſummo mane colit ut eum ſalutet, cœnam hinc vel ſportulam emeriturus. *Idem.*

166. *Hic nullo fine beatus componit opes,*] Flor. *beatus.* Horatius: *beatis nunc Arabum invidet Gazis.* Gronov. Avarus, nec fine quærendi ſibi præſtituto nec uſu beatus. *Farnabius.*

168. *Congeſto*] *Quærit, & inventi miſer abſtinet, & timet uti.* Idem.

169. *Illum populi*] Cauſidicus, rabula, quas ſimulat iras, & verba precio venalia exponit. *Idem.*

174. *Novit*

Fluctuque magis mobile vulgus
Aura tumidum tollit inani:
Hic clamosi rabiosa fori
Jurgia vendens improbus, iras
Et verba locat. Novit paucos
Secura quies, qui velocis
Memores ævi, tempora numquam
Reditura tenent. Dum fata sinunt,
Vivite læti. properat cursu
Vita citato, volucrique die
Rota præcipitis vertitur anni.
Duræ peragunt pensa Sorores,
Nec sua retro fila revolvunt.
At gens hominum fertur rapidis
Obvia fatis, incerta sui:
Stygias ultro quærimus undas.
Nimium, Alcide, pectore forti
Properas mœstos visere Manes.
Certo veniunt ordine Parcæ.
Nulli jusso cessare licet,
Nulli scriptum proferre diem.

Reci-

174. *Novit paucos*] *Hypallage.* pauci securam quietem norunt. *Farnabius.*

175. *Qui velocis*] Qui memores quam velox sit tempus, utuntur bono illo irreparabili. *Idem.*

180. *Rota præcipitis*] Rota ut & serpens caudam vorans Hieroglyphice annum designat. *namque in sua per vestigia volvitur annus.* qui & à circuitu temporis dictus. vetetes enim *an* pro *circum* dicebant, quod & in compositis apparet. hinc & *annulus* diminutivum. *Idem.*

181. *Duræ peragunt*] Parcæ quidem, duræ satis, vitæ nostræ stamina absolvunt; nos tamen miseri homines præpropera manu illa incidimus nostra freti audacia. ita tu ô Hercules. *Idem. Sorores*] Parcæ, quibus varia nomina tribuuntur, ut ex Pausania constat in Att. in Corinth. & in Achaic. quæ quid significent, auctor lib. de mundo ad Alexand. docet his verbis: τρεῖς αἱ μοῖραι, κατὰ τοὺς χρόνους μεμερισμέναι. νῆμα ἀτράκτου, τὸ μὲν ἐξειργασμένον, τὸ δὲ μέλλον, τὸ περιστρεφόμενον. τέτακται δὲ, κατὰ μὲν τὸ γεγονὸς, μία τῶν μοιρῶν, ἄτροπος, ἐπεὶ τὰ παρελθόντα πάντα ἀτρεπτά ἐστι. κατὰ δὲ τὸ μέλλον, λάχεσις, εἰς πάντα γὰρ ἡ κατὰ φύσιν μένει λῆξις· κατὰ δὲ τὸ ἐνεστὸς, συμπεραίνουσά τε καὶ κλώθουσα ἑκάστῳ τὰ οἰκεῖα. Delrius.

190. *Nulli scriptum proferre*] Præstitutum, ut bene exponit Franciscus Polletus lib. 1. fori Romani cap. 6. *Idem.*

191. *Vrna*

Recipit populos urna citatos.
Alium multis gloria terris
Tradat, & omneis fama per urbes
Garrula laudet, cœloque parem
Tollat & astris: alius curru
Sublimis eat. me mea tellus
Lare secreto tutoque tegat.
Venit ad pigros cana senectus:
Humilique loco, sed certa sedet
Sordida parvæ fortuna domus:
Alte virtus animosa cadit.
Sed mœsta venit crine soluto
Megara, parvum comitata gregem:
Tarduſque senio graditur Alcidæ parens.

191. *Vrna citatos.*] Qua cineres combustorum conduntur. *vel* potius urna judicum infernorum. *Quæsitor Minos urnam movet è qua serius ocius Sors exitura citatos in æternum Exilium impositura est cymbæ.* vide infrà vers. 730. *Farnabius.*

192. *Alium multis*] Non est vero absimile, aliquot hic versus desiderari. *Heinsius.*

195. *Curru*] Triumphali. *Farnab.*

199. *Certa sedet*] Ἐπ βελίων, tuta, & posita extra pericula. *Idem.*

201. *Alte virtus*] Superne, ex alto suam virtus animosa habet ruinam. *Id.*

202. *Sed mœsta*] Sed Megara Herculis uxor crinibus solutis fœmineo mœrens ululatu procedit. *Idem.*

204. *Tarduſque*] Amphitryon senio degravatus. *Idem.*

ACTUS SECUNDUS.

MEGARA. AMPHITRYON.

Megara absentiam Herculis deflet enumeratis ipsius ærumnis. Lyci vim & insolentiam conqueritur. Desponden tem animum Megaram & desperantem consolatur Amphitryon.

Meg. O magne Olympi rector, & mundi arbiter,
Jam statue tandem gravibus ærumnis modũ,
Finemque cladi. nulla lux unquam mihi
Secura fulsit. finis alterius mali
Gradus est futuri. protenus reduci novus

Para-

209. *Protenus reduci novus*] Herculi redeunti nova semper ab Eurystheo objiciuntur monstra. *Farnabius.*

211. *Iussus*

Paratur hostis. ante quam lætam domum
Contingat, aliud jussus ad bellum meat.
Nec ulla requies, tempus aut ullum datur,
Nisi dum jubetur: sequitur à primo statim
Infesta Juno. nunquid immunis fuit
Infantis ætas? monstra superavit prius,
Quam nosse posset. gemina cristati caput
Angues ferebant ora, quos contra obvius
Reptavit infans; igneos serpentium
Oculos remisso lumine ac placido intuens,
Arctos serenis vultibus nodos tulit;
Et tumida tenera guttura elidens manu,
Prolusit hydræ. Mænali pernix fera,

Multo

211. *Iussus ad bellum meat*] Sic plane codex Etruscus: ne quemquam moveat, quod recentiorum librorum manus, *exeat*: etsi sensum ejus posse admitti censeat Gruterus. Versu sequenti liber idem: *tempus aut ullum vacat*. non *datur*. Gronovius.

212. *Nec ulla requies*] Eustathius prodidit natum Herculem quartâ Lunâ, quâ qui nascuntur laboriosam sint acturi vitam: & quia talis imprimis Hercules fuit; qui vel pro se, vel pro aliis labores multos perferunt, *Tetradistæ* seu *quartâ Lunâ editi* vocantur. sed & quinctâ Lunâ aliquid inchoare inauspicatum fabulantur, ex Virgilii Georgicis. Vide Adag. ἐν τετράδι γεγεννῆσθαι, *quartâ nati Lunâ*: quam Herculis sidus appellat L. Florus libro 1. hist. cap. 18. *Delrius*.

213. *Sequitur apprime statim*] Etruscus: *aprime*. Quo confirmatur Lipsii, *à primo*, quod & maximi viri D. Heinsii calculo comprobatum est, nosque ad alium librum Senecæ pluribus defendimus. *Gronovius*.

216. *Gemina*] Iam in cunis serpentes duos à Iunone immissos vultu interritus & cum risu elisit. *Farnabius*.

219. *Oculos remisso pectore*] Optime Lipsianus, *lumine*. In Etrusco prima manus erat erasa, & alia substitutum, *remisso vultu*. Quod qui norant in legem versus peccare, vicem ejus posuerunt, *pectore*, ex Phœnissis v. 187. *remisso pectore ac placido feras*: quidam utrumque sic, *pectore vultu*. At Lipsianus haud dubie formatus ex optimo, antequam mangonem pateretur, sincerum retinuit: nam ipsa erasæ scripturæ vestigia satis produnt *lumine*. Gronovius.

222. *Prælusit Hydræ*.] Etruscus, ut meliores quique, *Prolusit*. Monuerant & alii è suis: sed quid? (inquit Gruterus) promiscue utuntur auctores & hoc & illo modo. Forsan. nam ut trepide loquar, facit hic liber antiquissimus, qui & in Troadibus vers. 179. *proludens tuis Iam, Troja, fatis*, Hippolyto vers. 1057. *Prolusit iræ*, & Medea vers. 905. *prolusit dolor*, sine variatione: facit Nazarianus aliique Flori, ex quibus l. 3, 2. *præluderent*, quod obtinebat vulgo, mutatum est. Sic Cicero, Virgilius, Plinius, Iuvenalis, quidam & in editis omnibus, quidam in scriptis & antiquioribus exemplaribus. Alterum in tam vetustis libris, quod meminerim, visum est nullis: etsi recorder apud Senecam de ira 2, 2, in epistolis, apud Statium in Achil-

leide

Multo decorum præferens auro caput,
Deprensa cursu est. maximus Nemeæ timor
Gemuit lacertis pressus Herculeis leo.
Quid stabula memorem dira Bistonii gregis,
Suisque regem pabulum armentis datum?
Solitumque densis hispidum Erymanthi jugis
Arcadia quatere nemora Mænalium suem?
Taurumque centum non levem populis metum?
Inter remotos gentis Hesperiæ greges
Pastor triformis littoris Tartessii
Peremptus, acta est præda ab Occasu ultimo.
Notum Cithæron pavit Oceano pecus.
Penetrare jussus Solis æstivi plagas,
Et adusta medius regna quæ torret dies,
Utrinque monteis solvit abrupto objice,
Et jam ruenti fecit Oceano viam.

Post

leide vulgo haberi: sed, ut dixi, membranæ horum librorum illis ætate pares etiamnum versatæ non sunt. Apud Hegesippum quoque de excidio Hierosol. 3, 8. liber optimus: *Hæc prolusio quædam belli.* Gronovius. *Mænali*] Cerva ætipes & χρονοπέρως quam cursu comprehendit in Mænalo monte Arcadiæ. *Farnabius.*

223. *Caput*] Cervæ tamen cornutæ non sunt. Nisi cerva pro cervo per enallagen dicatur. *Idem.*

224. *Nemeæ timor*] Leo in Nemea sylva Peloponnesi, inter Cleonas & Phliuntem, maximus illius regionis incolis terror, quem Hercules interfecit. *Idem.*

226. *Stabula*] Equos humanis carnibus pastos, à Diomede Thraciæ rege. Bistonis autem stagnum & regio Thraciæ. *Idem.*

227. *Suisque*] Æqua veteribus visa est talionis pœna, εἴ κε πείθοι τὸ κ' ἔρεξε. è lege Rhadamanti. ita Theseus Sinin tortis pinubus discerpsit, Scirona è rupe præcipitavit, Procrusten ad sui lecti modulum extendit. *Farnabius.*

228. *Erymanthi*] Montis Arcadiæ, ubi & ejusdem nominis flumen, juxta Pausan. in Eliac. seu lib. 5. & pugnani vide apud Claudian. *Delrius.*

229. *Arcadica quatere*] Princeps codicum, ut olim vulgatæ: *Arcadia.* Vt apud Statium: *Arcadia carmen testudine mensis.* Immo Virgilium: *Arcadii memoranda inventa magistri.* Agamemnone: *Sensit Arcadii populator agri.* Gronovius.

230. *Centum*] Cretæ. 827. Agam. *Farnabius.*

231. *Inter remotos*] Geryonem tricorporem Hispaniæ regem interemit, ejusque armenta à Tartesso Hispaniæ Bæticæ oppido maritimo abegit in Bœotiam, in qua mons Cithæron. *Idem.*

237. *Vtrinque*] Fingitur Herc. collibus inter Abylam & Calpen diremptis intromisisse Oceanum, qui Mediterraneus dicitur. *Idem.*

238. *Et jam ruenti*] Optimus cum Lipsiano: *Latam ruenti.* Quod si cui

Post hæc, adortus nemoris opulenti domos,
Aurifera vigilis spolia serpentis tulit.
Quid? sæva Lernæ monstra, numerosum malum,
Non igne demum vicit, & docuit mori?
Solitasque pennis condere obductis diem
Petiit ab ipsis nubibus Stymphalidas?
Non vicit illum cœlibis semper tori
Regina gentis vidua Thermodontiæ:
Nec ad omne clarum facinus audaces manus
Stabuli fugavit turpis Augiæ labor.
Quid ista prosunt? orbe defenso caret.
Sensere terræ pacis auctorem suæ
Abesse terris. prosperum ac felix scelus,
Virtus vocatur. fontibus parent boni.
Jus est in armis, opprimit leges timor.
Ante ora vidi nostra, truculenta manu
Gnatos paterni cadere regni vindices;
Ipsamque Cadmi nobilis stirpem ultimam
Occidere. vidi regium capitis decus
Cum capite raptum. quis satis Thebas fleat?

Ferax

minus belle deesse conjunctio videbatur, scriberet: *abrupto objice, & Latam ruenti.* Sed opus non est. Posses & alioquin: *Vtrimque solidi montis abrupto objice Latam ruenti fecit Oceano viam.* Gronovius.

239. *Nemoris*] Hortorum Hesperidum, quorum custos præter tres Atlantis filias erat vigil draco. *Farnab.*

240. *Aurifera*] Aurea, Medica, citrea mala, εὔοσμα ἀλλ' ἄβρωτα: inquit ille apud Athen. 3. lib. 7. *aliis*, pecora nativo rutilo colore insignia cum μῆλα hæc & illa denotent. *Idem.*

241. *Lernæ monstra,*] Hydram & cancrum. *vel* solam Excetram quam propter amputata capita repullulantia vocat monstra. *Vt &* numerosum malum. *Idem.*

244. *Stymphalidas*] Aves à Stymphalo Arcadiæ palude dictas, quas ærei crotali crepitu fugavit. *Idem.*

246. *Regina gentis*] Hippolyte regina Amazonum juxta Thermodonta fl. Cappadociæ incolentium. *Idem.*

247. *Nec ad omne*] Nec dedignatus est Augiæ regis Elidis bubile, in quo 3000. boum stabulassent, nec per 30. annos expurgatum fuisset, purgare immisso fl. Peneo vel Alpheo. *Id.*

249. *Caret.*] Demissus ipse ad inferos. *Idem.*

250. *Sensere*] Quia illo absente Lycus interfecto Creonte & liberis regnum occupavit. *Idem.*

255. *Gnatos paterni*] Filios Creontis patris mei assertores regni paterni, &c. Vltimos stirpis Cadmi. *Idem.*

257. *Regium*] Diadema cum ipso Creontis capite ablatum. *Idem.*

259. Fe-

Ferax deorum terra quem dominum tremit?
E cujus arvis, eque fecundo sinu
Stricto juventus orta cum ferro stetit;
Cujusque muros natus Amphion Jove
Struxit, canoro saxa modulatu trahens;
In cujus urbem non semel divûm parens
Cœlo relicto venit; hæc quæ cœlites
Recepit, & quæ fecit, & (fas sit loqui)
Fortasse faciet, sordido premitur jugo.
Cadmea proles, civitasque Amphionis,
Quo decidistis? tremitis ignavum exulem,
Suis carentem finibus, nostris gravem?
Qui scelera terra, quique persequitur mari,
Ac sæva justa sceptra confringit manu,
Nunc servit absens, fertque quæ ferri vetat:

Tenet-

259. *Ferax*] Quæ Bacchum, Palæmona, Leucotheam, tot deos peperit. *Farn. Quem dominum tremit?*] Etruscus à manu prima eleganti simul apostrophe ac prosopopœia: *quem dominum tremis?* Sic mutaverant superius: *Iuno, cur nondum furis?* Gronovius. Quam ignavum, vilem, improbum? scilicet exulem. *Farnabius.*

261. *Stricto*] Ex dentibus serpentis à Cadmo interfecti seminatis nati sunt homines armati, qui mutuis vulneribus perierunt. *Idem.*

262. *Amphion*] Iovis ex Antiope filius Lyræ à Mercurio acceptæ modulatu saxa ad extruendas Thebas traxit. *Idem.*

264. *Non semel*] Venit enim ad Semelen, Antiopen, Alcmenam. *Idem.*

265. *Quæ cœlites*] Quæ in deorum numerum retulit, Bacchum, Semelen, Dircen, &c. supr. v. 258. *Idem.*

267. *Fortasse*] Hoc dicit propter Herculem indigetem cœlo destinatum. *Idem. Sordido*] Cicero 12. fam. 1. *Manabat illud malum urbanum, & ita corroborabatur quotidie, ut ego quidem & urbi & otio diffiderem urbano: sed ita compressum est, ut mihi videamur omne jam ad tempus ab illo dumtaxat sordidissimo periculo tuti futuri.*

268. *Cadmea*] Thebana, à Cadmo conditore. *Farn. Atque Ophionius cinis*] Palmaria emendatio Dan. Heinsii, *civitasque Amphionis*, ex corrupta pluscularum librorum, *cinis atque Ophionius.* Gronovius.

269. *Quo decidistis?*] Rectius, inquit Fabricius, *recidistis.* Sed illud habuit liber optimus à manu prima, (nam posterior alterum fecit) & videtur illa ætas maluisse. Tacitus 3. annali: *Huc decidisse cuncta, ut ne juvenis quidem accepto tanto honore adiret urbis deos, ingrederetur senatum.* Vide quæ notamus ad epist. 75. *Gronovius. Tremitis*] Cum tremore paretis ignavo Lyco. *Farnab.*

271. *Qui scelera*] Hercules interea qui aliis sceleſtam vim prohibet, absens servitutem & tyrannidem in suis fert. *Idem.*

272. *Sceptra confregit*] Florentinus, *confringit*: ut ante, *persequitur.* Gronov.

273. *Fertque quæ ferri*] Sustinet mala, quæ avertit ab aliis; patitur, quæ facit ne alii patiantur. sic recte Lugd.

Tenetque Thebas exul Herculeas Lycus.
Sed non tenebit. aderit, & pœnas petet,
Subitusque ad astra emerget: inveniet viam,
Aut faciet. Adsis sospes & remees, precor:
Tandemque venias victor ad victam domum.
Emerge conjux, atque dispulsas manu
Abrumpe tenebras: nulla si vetito via,
Iterque clausum est, orbe diducto redi;
Et quidquid atra nocte possessum latet,
Emitte tecum. dirutis qualis jugis
Præceps citato flumini quærens iter,
Quondam stetisti; scissa cum vasto impetu
Patuere Tempe. pectore impulsus tuo

Huc

& multi manusc. & placet. non male tamen Lipsienſ. *fertque quæ fieri*. Fertque scilicet ipsius ille tyrannidem, qui aliis libertatis assertor. Basilenſ. corrupte; *fert quæ fieri vetat*. Delrius.

277. *Et remees tuus:*] Quod Lipsianus, *& remees, precor*, non ex glossemate, ut suspicantur, sed ex principe librorum depromptum est: itaque cur sperneremus, nulla ratio fuit. Idem sequente versu: *dispulsus manu;* quod non modo notavit e suo Lipsius, sed etiam vestigiis membranarum post eruisse ait amicus ejus. non *depulsas*. Gronovius.

279. *Emerge*] Ab inferis, quos in centro terræ credebant. *Farnabius*.

280. *Nulla si vetito via,*] Hanc lectionem, absque Florentino esset, nec sollicitarem ipse, nec sollicitantium auctoritati parerem. Si, diceret, tibi vetito ac prohibito evadere nulla est via, & si iter est clausum, at tu fac ipse viribus viam. Sed Etruscus ille: *nulla si retro via*. Quod libens amplector. Supra: *Patefacta ab imis manibus retro via est*. Gronovius. *Via,*] Diruptа terra. *Farnabius*.

283. *Dirutis*] Vt quondam divulsis Ossa & Olympo exitum dedisti Peneo fl. in mare, atque aperuisti Tempe amœnissima Thessaliæ loca. Quod vero hic Seneca, Catullum & Diodorum secutus, Herculi tribuit; hoc Herodotus in Polyhymnia, & Claudian. lib. 2. de raptu, Neptuno asscripserunt. *Idem*.

285. *Quondam dedisti;*] A Fabricio sic legitur præfato, in aliis, *stetisti*, inepte, *fecisti*, inerudite conspici. Sed medium firmat Florentinus, neque ullas ejus ineptias agnosco. Plenum immo majestatis est verbum, victoremque & voti potentem decet. Troadibus: *Stat avidus iræ victor*. Vel est connitentis contendentisque, & arduum quid parantis. Statius: *Stat sexus rudis insciusque ferri, Et pugnas capit*. Apud Virgilium Entellus, *adversi contra stetit ora juvenci*. Nam *quærens* non conatum modo; sed effectum quoque denotat: ut pro *acquirere* Latinis sæpe usurpatur. Plautus Cistellaria 4, 2, 21. *Ecquem vidisti quærere hic cistellam cum crepundiis, quam ego hic amisi misera?* Frequens Iustino. *Quærens iter* est faciens iter. Nat. quæst. 2, 54. *fugam quærit & cum sono evadit*. Status igitur intelligitur vires Herculeas expromentis atque earum eventu potiti. Sed & Medea: *thalamis horrida meis Quales stetisti*. Gronovius.

287. *Huc*

Huc mons & illuc cecidit, & rupto aggere
Nova cucurrit Theſſalus torrens via.
Talis parentes, liberos, patriam petens,
Erumpe; rerum terminos tecum efferens:
Et quidquid avida tot per annorum gradus
Abſcondit ætas, redde; & oblitos ſui,
Luciſque pavidos ante te populos age.
Indigna te ſunt ſpolia, ſi tantum refers,
Quantum imperatum eſt. Magna ſed nimiũ loquor,
Ignara

287. *Huc mons & illuc*] Mons prius contiguus diviſus eſt in duos Oſſam & Olympum. *Farnabius.* Contigui montes, Oſſa & Olympus, diviſi, admiſerunt aquarum fluenta, ut per medium ſpacium fluerent. Apollodor. lib. 1. putat hanc diviſionem factam diluvio Deucalionæo. Seneca lib. 6. Nat. quæſt. terræmotu accidiſſe. idque valde veriſimile. *Delrius.*

288. *Theſſalus torrens*] Peneus. *Farnabius.* Multa quidem Theſſaliæ nobilia flumina, ſed poſtulant adjuncta, de Peneo intelligi: alioquin etiam per excellentiam ei hoc nomen competit. Apollonii Schol. in 3. ſcribit multa quidem Theſſaliam ornare influentia flumina, præcipua tamen cenſeri quattuor, Peneum, Apidanum, Paniſum, & Enipeum; excellere autem & nobiliorem reliquis Peneum, obſcurare aliorum nomina. ὁ Πηνειὸς τῷ ὀνόματι κατακρατῶν, ἀνωνύμους τοὺς ἄλλους ποιεῖ. *Delrius.*

290. *Rerum terminos*] Cerberum tricipitem, id eſt mortem, cujus genera tria: naturale, violentum, fortuitum. *Farnabius.*

292. *Oblitos*] Mortuos, qui epota Lethe quæcunque in vivis fecerant obliti ſunt. *Idem. Oblitos ſui Luciſque, &c.*] Gruterus Ditem deſignari putat, ejuſque adminiſtros. hos enim per cunctos annorum gradus abſcondit ætas, non etiam mortuos. Facit autem *oblitos ſui*, quod præ metu jam non amplius meminiſſent ferociæ aut virtutis priſtinæ. *Gruterus.*

293. *Luciſque*] Lucem non ferentes, tenebris aſſuetos. *Farnabius.*

295. *Quantum*] Cerberum juſſu Euryſthei. *Idem. Magna ſi nimium loquor,*] Indignum facinus, mutatam eſſe meliorum librorum & veterum editionum ſcripturam: *Magna ſed nimium loquor Ignara noſtræ ſortis. Vnde illum mihi.* Megara ingenti deſiderio mariti pœne extra ſe rapta ſuperbius locuta fuerat: ingratiis Plutonis erumperet Tartaro, & jure victoriæ virtuteque ſolita egreſſus ſecum traheret, atque in lucem educeret inferos. Hic ad ſe redit, & recordata fortunæ præſentis nimia priora dicta caſtigat: *magna ſed nimium loquor Ignara noſtræ ſortis.* Vt Andromache in Troadibus: *ſed mei fati memor Tam magna timeo vota.* Subjicit: *unde illum mihi diem?* hoc eſt, en unquam ille dies veniet? quis me deorum tam felicem reddet, ut illum diem videam? Vſus particulæ, quem vindicavimus etiam Statio in epithalamio Stellæ & Violantillæ. Seneca de beneficiis 3, 36. *unde certamen tam optabile, unde tantam felicitatem parentibus, ut fateantur ſeipſos filiorum beneficiis impares?* Epiſt. 95. *Vnde iſta tam rapacia virtutis ingenia vel ex ſe fertilia?* Horatius Sat. 2, 6. *ergo nunc Dama ſodalis Nuſquam eſt. unde mihi tam fortem tamque fidelem?* Sat. 7. *Vnde mihi lapidem? quorſum eſt opus?*

Ignara noſtræ ſortis. Unde illum mihi,
Quo te tuamque dexteram amplectar, diem;
Redituſque lentos nec mei memores querar?
Tibi, ô deorum ductor, indomiti ferent
Centena tauri colla: tibi frugum potens,
Secreta reddam ſacra: tibi muta fide

Lon-

unde ſagittas? Subdiderunt: *adde illum mihi:* quo abrepta manus illuſtris viri: *at da illum.* Gronovius.

299. *Tibi,*] Voveo tibi ô Iupiter Hecatomben. negat tamen Servius Iovi taurum immolari, abſque piaculo aut malo omine. quod & in hoc voto locum habet, propter furorem Herculis & necem Megaræ & liberorum. *Med.* 60. Farnabius.

300. *Centena tauri*] Vovet Iovi Taurorum Hecatomben, ſi ſibi detur adhuc Herculis conſpectu & conjugio frui: quod quia conſecuta non eſt, appoſite irrito voto, & non impetratis optatis, improbatas etiam victimas illam fingit polliceri. Quemadmodum apud Virgil. lib. 3. Æneas cœlicolûm regi taurum mactat in littore, *committens rem inſolitam & piacularem, ut monſtro locum faceret ſecuturo*, inquit Macrob. lib. 3. cap. 11. notans vetitum, Iovi taurum immolare: ſicut ergo Maro ad futura reſpexit, ut oſtenderet, non litatum; ſed ſecutum *horrendum dictu & mirabile monſtrum:* ita noſter pari acumine ad eventum reſpiciens, ut oſtenderet Megaram mariti reditu, non modo non conſecutam miſeriarum, quem ſperabat, finem; ſed in majores multo miſerias incidiſſe, hoſtiam fecit contrariam, votum improbum. Donatus tamen etiam taurum Iovis ſacrificio adhibet, & apud Ovid. libr. 4. Metamorph. Perſeus occiſo ceto, & Andromedâ liberatâ. Et eodem ſenſu Chor. Medeæ 59. *Primus ſceptriferis colla Tonantibus Taurus celſa ferat tergore candido, &c.* An ergo jure id Pontificio privatis interdictum, regibus Deorumque filiis licuit dumtaxat, iiſque omnibus qui ſuperiorem in terris non agnoſcebant? ſuſpicor. mira alias ſcriptorum diſſidentium pugna. Nec illud quidem Iuvenalis patitur ſubſiſtere, qui Sat. 12. in princ. privatis quoque ſacrificiis Taurum tribuit. Sed quid ſi Satyricum dicam id reprehendere? *Delrius. Tibi frugum parens,*] Recte, ait Lipſius: ſed nec male vetus, *potens.* Deltius: *parens* non rejicio; non male Mog. Herb. Ven. *potens:* &, niſi fallor, hoc Senecæ. Et hoc profecto tantum; non etiam illud, quod à correctoribus, & propterea rejicimus. Sic Etruſcus, ſic Voſſianus, ſic præterea tres inſpecti nobis, & omnis fere Pall. manus. Virgilio Iuno Æolum *Nimborumque facit tempeſtatumque potentem.* Ovidius 4. met. *Sic victrix juſſique potens.* Horatio, *diva potens Cypri,* & *Lyræ Muſa potens,* & Bacchus *potens Naiadum Baccharumque.* Seneca natur. quæſt. 1, 16. *materiam excipiendarum imaginum potentem.* Sic meliores ſcripti, & quo nos in Britannia uſi ſumus. Subdiderant, *capacem.* Vide ad Livium, 23, 16. *Gronov. Tibi frugum*] Tibi ô Ceres ſacra ſolvam. *Farnabius.*

301. *Tibi multa fide Longa, Eleuſi,*] Pall. apud Comelinum: *Eleuſim.* Vnde Scaliger, *Eleuſin.* Recte: & ſic Etruſcus à manu prima: ſed & cætera ejuſdem auctoritate ita legenda: *tibi muta fide Longa Eleuſin tacita jactabit faces.* Alloquitur Cererem, eique vovet ſua cura, ſumtu atque apparatu ſacra & λαμπαδοχίαν Eleuſine. Vt hic *mutam fidem*, ſic *tacitam fidem* habes Thyeſte verſ. 317. Troadibus: *An ſacris*

Longas Eleusin tacita jactabit faces.
Tum restitutas fratribus rebor meis
Animas, & ipsum regna moderantem sua
Florere patrem. si qua te major tenet
Clausum potestas; sequimur. aut omneis tuos
Defende reditu sospes; aut omneis trahe.
Trahes, nec ullus eriget fractos deus.
Amph. O socia nostri sanguinis, casta fide
Servans torum gnatosque magnanimi Herculis,
Meliora mente concipe, atque animum excita.
Aderit profecto, qualis ex omni solet
Labore, major. *Meg.* Quod nimis miseri volunt,
Hoc facile credunt. *Amph.* Immo quod metuunt nimis,
Nunquam amoveri posse, nec tolli putant.
Prona est timori semper in pejus fides.
Meg. Demersus, ac defossus, & toto insuper
Oppres-

sacris gaudens tacitis Eleusin? Conjungit utrumque vocabulum in alia re Lucanus lib. 1. *Et tacito mutos volvunt sub pectore questus.* Silius lib. 15. *Et muta elabi tacito jubet agmina passu.* Ovidius quoque *muta silentia* dixit. Ne quidquam superfluum putes. Infra Herc. Fur. *mutis tacitum litoribus mare.* Lepidi hic alioquin interpretes, *multam fidem* referentes ad castus illis sacris proprios, quasi id sit abstinendo venereis & vino & Punicis malis, &c. tum τὸ *Eleusi*, accipientes vocandi casu, quasi *Eleusis* cognomen sit Cereris. *Gronovius.*

302. *Tacita*] *Mystica quæ non nisi initiatis revelanda sunt,* quod Ceres tacite usa est consiliis, dum Proserpinam quæreret. *Farnabius.*

303. *Tum restitutas*] Tu ô conjux mihi redditus pensabis fratres & patrem. *Idem.*

305. *Si qua*] Si qua potestas inferorum major, quam tua est, te detineat, & nos te prompte sequimur. *Idem.*

309. *O socia nostri*] O conjux Herculis, filii mei. *Farnabius.* Initium colloquii faciunt mei manusc. & Moguntinens. & Herbipolens. Non tamen supervenit in scenam prodiens Amphitryo; prius enim prodierat una cum Megarâ, ut ex fine præcedentis Chori constat. quare putem non esse à superioribus separanda. *Delrius.*

316. *Prona*] Pejora facilius credimus, quam meliora. Aliqui ajunt hoc Megaræ esse responsum, quæ quasi assentiens dicit, ô Amphitryon, verum dixisti, quod timor pronus est fidem & credulitatem habere semper ad pejora, sed vellem scire, cum Hercules jaceat demersus quam viam habeat redeundi? q. d. nullam. *Farnab.*

317. *Demersus ac defossus*] Seneca consolatione ad Marciam de Octavia: *ipsam magnitudinis fraternæ nimis circumlucentem fortunam exosa, defodit se, atque abdidit.* Ad Polybium c. 32. *quæ* (misericordia Cæsaris) *cum ex ipso angulo, in quo ego defossus sum, complures multorum jam annorum rui-*

Oppressus orbe, quam viam ad superos habet?
Amph. Quam tunc habebat, cum per arentem plagam
Et fluctuantes more turbati maris
Abiit arenas; bisque discedens fretum,
Et bis recurrens: cumque deserta rate
Deprensus hæsit Syrtium brevibus vadis,
Et puppe fixa maria superavit pedes.
Meg. Iniqua raro maximis virtutibus
Fortuna parcit: nemo se tuto diu
Periculis offerre tam crebris potest:
Quem sæpe transit casus, aliquando invenit.
Sed ecce, lævus ac minas vultu gerens,
Et qualis animo est, talis incessu venit
Aliena dextra sceptra concutiens Lycus.

na obrutos effoderit, & in lucem reduxerit. Nat. quæst. 5, 15. *Quæ tanta necessitas hominem ad sidera erectum incurvavit & defodit.* Sumpsit à Virgilio in Culice: *Defossasque domos ac tartara nocte cruenta Obsita.* Gronov.

319. *Quam tunc*] Æque ac evasit Syrtes, sinus duos in mari Lybico cumulis arenæ, qui ventorum arbitrio agitati, varie vadosi, & fluxu refluxuque impetuosi naves ad se trahunt: unde & nomen iis à σύρω traho. *Farn.*

324. *Pedes.*] Apollodorus lib. 2. Biblioth. fabulatur aureum poculum ab Apolline Herculem accepisse dono, atque eo Oceanum tranasse: quia (ut docet Macrob.) usus navigio, cui nomen, *Scyphus.* alii voluntusum æreo lebete; pro velo, leonis pelle; pro malo, clavâ; pro rudentibus, phareträ loris; pro remo, arcu. unde manavit proverbium ἄλλο γένος κώπης. *aliud remi genus.* refert Plutarch. in Collectan. *Delrius.*

330. *Qualis*] Superbus & ferox, quod vel ex incessu patet. *Farnabius.*

331. *Aliena*] Vsurpata, inf. v. 336. *Idem.*

LYCUS. MEGARA. AMPHITRYON.

Lycus Thebis à Creonte in exilium missus, Hercule ad inferos profecto, cæso Creonte cum filiis, quo regnum occupatum sibi firmet, Megaræ nuptias ambit, abnuenti vim minatur.

Lycus. Urbis regens opulenta Thebanæ loca,
Et omne quidquid uberi cingit solo
Obliqua

332. *Vrbis regens*] Hunc versum cum quatuor sequentibus Megaræ adsignant libri vulgari, ipsi Lyco membranæ Florentinæ: meo quidem judicio multo decentius. Nam ut Megara, primum inimicissima tyranno, deinde tantis ærumnis ac miseriis affecta, magnifice atque otiose potentiam ejus extendat, ac latos imperii fines metiatur, quam est intempestivum? At ut ipse

Obliqua Phocis, quidquid Ismenos rigat,
Quidquid Cithæron vertice excelso videt,
Et bina findens Isthmos exilis freta,
Non vetera patriæ jura possideo domus
Ignavus hæres: nobiles non sunt mihi
Avi, nec altis inclytum titulis genus;
Sed clara virtus. qui genus jactat suum,
Aliena laudat. Rapta sed trepida manu
Sceptra obtinentur: omnis in ferro est salus.
Quod civibus tenere te invitis scias,
Strictus tuetur ensis. alieno in loco
Haud stabile regnum est. una sed nostras potest
Fundare vires, juncta regali face
Thalamisque Megara. ducet è genere inclyto
Novi-

ipse inflatus fortuna & plenus sui miretur, quod tam late imperet, præsertim virtuti illud suæ acceptum relaturus, cum contemtione illorum, qui relictis acquiescunt & nihil paratunt ipsi, nemo non videt esse personæ aptissimum. Ego, inquit, Thebarum dominus & Phocidos universæque Bœotiæ, non hæc obtineo ignavus hæres avitorum regnorum, &c. Sic Atreus apud veterem Poëtam: *Rex impero Argis. sceptra mihi liquit Pelops, Qua ponto ab Helles atque ab Ionio mari Vrgetur Isthmos.* Gronovius.

334. *Obliqua Phocis,*] Regio Græciæ ad sinuosum litus Crissæum. *Farnab. Quicquid Ismenus rigat,*] Etruscus, *Ismenos.* Et probat idem sæpius hujusmodi vocabula in his tragœdiis Græco sono fuisse prolata. Sic vers. 376. *Tityos.* Hippolyto vers. 14. *Ilissos.* Oedipo vers. 426. *Araxen,* & vers. 467. *Pactolos.* Medea vers. 13. *Corinthos* & vers. 87. *Alpheosque.* Oetæo Hercule vers. 501. *Euenos,* vers. 935. *Pluton,* vers. 1248. *Amphitryon.* Gronovius. *Ismenus*] Bœotia, quam rigat fluvius Ismenus, quamque prospicit mons Cythæron. *Farnabius.*

336. *Isthmos*] Peloponnesiacus, angustiæ sex millium inter Ægæum & Ionium maria, in quo Isthmo est Corinthus, unde & Corinthiacus dicitur. *Idem.*

337. *Non vetera*] Contrarium tamen tradit Euripides, in Hercule μαινομένῳ, Iulius Hyginus in fabulis, non quidem, ut arbitror antiquus ille, qui Augusti tempore vixit, & de Virgilio teste Gellio lib. 16. & de urbibus Italiæ auctore Servio 7. Æneidos scripsit, sed alius recentior; Lycum, inquit, Neptuni filium, quod Megaram, Creontis filiam, uxorem ejus, & filios Theremachum & Ophitem occidere voluit, interfecit. *Delrius.*

340. *Virtus.*] Sup. vers. 250. Prosperum ac felix scelus virtus vocatur. *Farnabius.*

343. *Quod civibus*] Malus imperii est custos metus. Quem enim metuunt, periisse expetunt. *Idem.*

344. *Alieno*] Regnum occupatum haud quaquam firmum est. *Idem.*

345. *Vna*] Mihi novo homini addent nobilitatis colorem Megaræ nuptiæ. *Idem.*

347. *Megara*] Cum Hercules Er-

Novitas colorem noſtra. non equidem reor
Fore ut recuſet, ac meos ſpernat toros,
Quod ſi impotenti pertinax animo abnuet,
Stat tollere omnem penitus Herculeam domum.
Invidia factum ac ſermo popularis premet?
Ars prima regni, poſſe te invidiam pati.
Tentemus igitur: fors dedit nobis locum.
Namque ipſa triſti veſtis obtentu caput
Velata, juxta præſides aſtat deos,
Laterique adhæret verus Alcidæ ſator.
Meg. Quidnam iſte, noſtri generis exitium ac lues,
Novi parat? quid tentat? *Lyc.* O clarum trahens
A ſtirpe nomen regia, facilis mea
Parumper aure verba patienti excipe.
Si æterna ſemper odia mortales agant,

Nec

gynum Minyarum regem crudeliſſimum fudiſſet Thebanos infeſtantem; Thebanorum rex Creon, ut animi grati benevolentiam teſtaretur, Herculi filiam ſuam Megaram deſpondit, conceſſâ etiam regni ſocietate, ſed dubium an hic ille Creon Iocaſtæ frater, de quo in Oedipo noſtri, & apud Sophoclem in Oedipo utroque ex Antigonâ. videtur. nam ſupra dixit Megara, Creonte & filiis interemtis, occidiſſe ſtirpem ultimam Cadmidarum. & infrà verſu 495. clare meminit Oedipi ut jam defuncti. quare hæc tragœdia foret poſtponenda Oedipo. ſed quia id non conſtat, & forte hic Creon alius. videtur etiam Oedipi calamitas jam mortuo Hercule obtigiſſe. quomodo enim ille non interfuiſſet prælio illi nobili ad Thebas? quomodo ad ipſum non potius confugêre ſupplices, quam ad Theſei filium? ſunt & alia multa huic conjecturæ faventia. ſed res non tanti. *Delrius. Ducet è genere inclyto*] Opinantur quidam ductam tranſlationem à parmis inglorioſorum militum, quæ pingebantur patrato aliquo facinore egregio. Acute quidem illi; ſed nimium profecto longe petitum. Imo ſumptum eſt potius vel à tinctoribus, vel à pictoribus; vel adeo ab aleiptis. *Gruterus.*

351. *Tollere*] Statutum eſt mihi ipſam cum liberis è medio tollere & Herculeam domum radicitus exſtirpare. *Farnabius.*

352. *Invidia factum ac ſermo*] Recte Gruterus, *factum*, & ſic Etruſcus à manu prima. Tollere Herculeam domum non faſtus erat, ſed crudele facinus. Cur autem Delrio ſcribendum fuerit viſum, *at ſermo*, ipſe ſolus, ſi tamen, viderit. *Gronovius.*

354. *Tentemus*] Megaram ad nuptias. *Farnabius.*

355. *Triſti*] Pulla, lugubri. *Idem.*

356. *Iuxta*] Confugit ſupplex, vel adſtat ad aras ſtatuas-ve Deorum tutelarium. Alii leg. *Præſtites*, quorum aræ juxta fores poſitæ erant, προστατηρίους. *Idem.*

357. *Verus*] Neque enim agnoſcet tyrannus Iovem eſſe Herculis patrem quem & Alcidem vocatab Alcæo avo paterno, *alii* ab ἀλκὴ, robur. *Idem.*

362. *Si æterna*] Si uſque maneant utrinque

Nec cœptus unquam cedat ex animis furor,
Sed arma felix teneat, infelix paret;
Nihil relinquent bella: tum vastis ager
Squallebit arvis. subdita tectis face
Altus sepultas obruet gentes cinis.
Pacem reduci velle, victori expedit;
Victo necesse est. particeps regno veni:
Sociemus animos. pignus hoc fidei cape:
Continge dextram. quid truci vultu siles?
Meg. Egone ut parentis sanguine aspersam manum,
Fratrumque gemina cæde contingam? prius
Extinguet Ortus, referet Occasus diem:
Pax ante fida nivibus & flammis erit:
Et Scylla Siculum jungetet Ausonio latus:
Priusque multo vicibus alternis fugax
Euripus unda stabit Euboica piger.

Patrem

utrinque odia; & potentior tueatur armis quæ vicerit, victus & oppressus vindictam armis paret, belli faces omnia vastabunt. *Idem. Odia mortales agant,*] Flor. cum Lipsiano: *gerant.* Gronovius.

369. *Particeps*] In conjugium meum. *Farnabius. Particeps regni veni:*] Sic Delrii & quædam editiones. Sed Fabricii & aliæ, *regno:* ut liber optimus & plures Mss. Sed mox liber idem à manu prima: *Sociemur animis:* nam vox prior correcta est, *sociemus.* Sed tamen quid opus fuit vetustiorem mutare? Nisi sunt inducti vers. 412. *sociemus toros.* Nat. quæst. 5, 12. *ubi vero sociavere vires.* Cicero fam. 3. ep. 3. *pro nostra consociatissima voluntate.* Gronovius.

371. *Dextram.*] Fidei pignus & symbolum. Troad. 689. *Farnabius.*

373. *Prius*] Et hæ τῷ ἀδυνάτων conditiones negationis vim habent. *Idem.*

376. *Et Scylla*] Recedet fretum, jungeturque Sicilia Italiæ, cui quondam adnexa fuisse dicitur. *Idem.* Cujus formam habes apud Homerum in Odyss. μ'. & Isacium in Lycophronem. *Delrius.*

377. *Priusque*] Prius Euripus fretum illud reciprocum inter Bœotiæ Aulidem & Eubœam, quod septies die ac nocte rapide fluit refluitque, quiescet. *Farnabius.*

378. *Euripus*] *Mare* (inter Atticam & Eubœam) *rapidum, & alterno cursu septies die, ac septies nocte fluctibus invicem versis, adeo immodice fluens, ut ventos etiam ac plenis velis navigia frustretur,* inquit Pompon. lib. 2. cap. 7. Plinius tamen, Seneca, Strabo, & alii tantum die ac nocte simul septies fluere contendunt. Livius autem lib. 38. ita scribit, *fretum ipsum Euripi, non septies die, sicut fama fert, temporibus statis reciprocat, sed temere in modum venti nunc huc nunc illuc verso mari, velut monte præcipiti devolutus torrens rapitur.* Causam hujus fluxus & refluxus, cum nequisset Aristoteles assequi, mœrore contabuit. auctores D. Iustinus

Patrem abstulisti, regna, germanos, larem,
Patriam: quid ultra est? una res supereſt mihi,
Fratre ac parente carior, regno ac lare,
Odium tui: quod esse cum populo mihi
Commune doleo. pars quota ex isto mea est?
Dominare tumidus, spiritus altos gere;
Sequitur superbos ultor à tergo Deus.
Thebana novi regna. quid matres loquar
Passas & ausas scelera? quid geminum nefas,
Mixtumque nomen conjugis, gnati, & patris?
Quid bina fratrum castra? quid totidem rogos?
Riget superba Tantalis luctu parens,
Mœstusque Phrygio manat in Sipylo lapis.
Quin ipse torvum subrigens crista caput

Illy-

stinus Martyr in Admonitor. ad Gentes, & D. Gregorius Nazianzenus orat. 1. in Iulianum apostatam. *Delrius.*

383. *Commune*] Vellem & eorum odium mihi soli esset, ut abundè odisse possem. *vel*, doleo quidem populum à te oppressum habere cur te oderint. *Farnabius.*

385. *Vltor*] Tantæ insolentiæ vindex, *vel* Nemesis superbiæ ultrix. Dii enim cum utriusque sexus sunt secundum Stoicos, Poëtæ Deum etiam pro Dea ponunt. *Idem.*

386. *Thebana*] Novi quam malo omine regnetur Thebis; quæ scelera Regum, quæ pœnæ. *Idem.* *Matres*] Agaven, quæ filium Pentheum interfecit: Ino, quæ se in mare præcipitavit; Nioben, de qua inf. vers. 388. *Idem.*

387. *Geminum*] Oedipi, qui patrem Lajum, verum non sciens eum patrem fuisse, interfecit, ex matre Iocasta, quam uxorem duxit, liberos suscepit. vide vers. 133. Theb. *Idem.*

389. *Fratrum*] Eteoclis & Polynicis filiorum Oedipi, qui binis exercitibus de regno decertantes mutuis vulneribus occubuerunt, impositisque eidem rogo cadaveribus eorum flamma se divisit. *Idem.*

390. *Riget superba*] Grotii manus ad marginem, *superbo*. Gronovius. *Tantalis*] Niobe filia Tantali numerosa prole superbiens Latonæ se prætulit, liberis itaque XIV. à Phœbo & Diana interfectis & ipsa dolore stupescens in saxum mutata est, in Sipylo monte Phrygiæ, quod perpetuo humore madet. Agamemn. 370. *Idem.*

391. *Sipylo lapis.*] Ex Callimacho & Ovidio, Leonides: Πέτρῳ ἔτ' ἐν Σιπύλῳ Νιόβη θρηνοῦσιν αἰώλῃ, *Est lapis in Sipylo Niobe lacrymas jugè fundens.* Sipylus urbs & mons Phrygiæ: hîc de monte loquitur. nam urbs eversa terræmotu, vivo Tantalo, testibus Aristot. in Meteor. Strabone lib. 11. cap. 41. *Delrius.*

392. *Subrigens*] Erigens. *Farnabius.* A *subrigo*, quo Virgil. utitur 4. Æneid. Seneca lib. 5. de benefic. *subrectis vexillis.* Plinius de upupa; *crista à visenda plicatili, contrahens eam, subrigensque per longitudinem capitis.* utitur etiam Tertullianus subrigendi verbo. *Delrius.*

393. *Illy-*

Illyrica Cadmus regna permensus fuga,
Longas reliquit corporis tracti notas.
Hæc te manent exempla. dominare ut lubet:
Dum solita regni fata te nostri vocent.
Lyc. Agedum, efferatas rabida voces amove:
Et disce regum imperia ab Alcide pati.
Ego rapta quamvis sceptra victrici geram
Dextra, regamque cuncta sine legum metu
Quas arma vincunt, pauca pro causa loquar
Nostra. cruento cecidit in bello pater?
Cecidere fratres? arma non servant modum,
Nec temperari facile, nec reprimi potest
Stricti ensis ira. bella delectat cruor.
Sed ille regno pro suo; nos improba
Cupidine acti: quæritur belli exitus,
Non causa. Sed nunc pereat omnis memoria.
Cum victor arma posuit, & victum decet
Deponere odia. non ut inflexo genu
Regnantem adores, petimus. hoc ipsum placet,
Animo ruinas quod capis magno tuas.
Es rege conjux digna: sociemus toros.
Meg. Gelidus per artus vadit exangueis tremor.
Quod facinus aures pepulit? haud equidem horrui,
Cum pace rupta bellicus muros fragor
Circumsonaret. pertuli intrepide omnia.

Thala-

393. *Illyrica*] Ipse Cadmus Thebarum conditor regno pulsus in Illyricum recessit, & in serpentem commutatus est una cum Hermione uxore. *Farnabius. Illyrica Cadmus*] Scribe, *Illyria*, vel propter κακέμφατον. Frequens librorum menda. *Gronovius.*

398. *Disce regum*] Disce à conjuge tuo quem adeo jactas, parere mihi regi, ut ille paret Eurystheo. *Farnab.*

401. *Arma vincunt*] Notum est illud, Inter arma leges silent. notum & illud Marianum, se inter armorum strepitum juris civilis verba exaudire non potuisse. *Delrius.*

406. *Sed ille regno*] *Anthypophora.* quod si objicias patrem tuum juste, me injuste arma cepisse, respondeo justitiam belli exitu non causa discerni; *victrix causa Diis placuit.* Farnabius.

408. *Pereat*] Sanciatur ἀρνησία. *Id.*

410. *Non*] Nolo me ut captiva adores, sed quoniam mihi placet tua hæc magnanimitas, ut me pro matito colas. *Idem.*

417. *Pertuli*] Cætera belli mala æquo

Thalamos tremiſco; capta nunc videor mihi.
Gravent catenæ corpus, & longa fame
Mors protrahatur lenta, non vincet fidem
Vis ulla noſtram: moriar, Alcide, tua.
Lyc. Animoſne merſus inferis conjux facit?
Meg. Inferna tetigit, poſſet ut ſupera aſſequi.
Lyc. Telluris illum pondus immenſæ premit.
Meg. Nullo premetur onere, qui cœlum tulit.
Lyc. Cogêre. *Meg.* Cogi qui poteſt, neſcit mori.
Lyc. Effare, thalamis quod novis potius parem
Regale munus? *Meg.* Aut tuam mortem, aut meam.
Lyc. Moriere demens? *Meg.* Conjugi occurram meo.
Lyc. Sceptroque noſtro potior eſt famulus tibi?
Meg. Quot iſte famulus tradidit reges neci!
Lyc. Cur ergo regi ſervit, & patitur jugum?
Meg. Imperia dura tolle, quid virtus erit?
Lyc. Obici feris monſtriſque, virtutem putas?
Meg. Virtutis eſt domare quæ cuncti pavent.
Lyc. Tenebræ loquentem magna Tartareæ premunt.
Meg. Non eſt ad aſtra mollis è terris via.
Lyc. Quo patre genitus cœlitum ſperat domos?

Amph.

æquo animo tuli. nunc tandem vere in ſervitutem redacta mihi videor, poſtquam ignavus tyrannus me de nuptiis interpellare audet. *Farnabius.*

420. *Non vincet*] Nullus cruciatus violabit fidem meam Herculi datam. *Idem.*

423. *Supera*] Cœlum. *Idem.*

424. *Premit.*]Ne emergere & aſcendere poſſit. *Idem.*

425. *Qui cœlum*] Supra v. 69. *Id.*

426. *Cogi*] Stoice. *Qui non timet mortem, cogi nequit. Non ſumus in ullius poteſtate, cum mors in noſtra poteſtate ſit.* Idem.

429. *Conjugi*] Ab inferis redeunti. *Idem.*

430. *Famulus*] Hercules Euryſtheo inſerviens. *Idem.*

431. *Quot iſte*] Multos, Diomeden, Buſirin, Geryonem, Antæum, &c. *Idem.*

433. *Imperia*] Verſatur enim virtus circa ardua, dura, formidabilia. *Idem.*

434. *Virtutem*] Audaciæ potius eſt & temeritatis. *Idem.*

435. *Virtutis*] Vincit enim vim virtus. *Idem.*

436. *Tenebræ*] Vt ut magna crepet, tenebræ tamen infernæ premunt ipſum & opprimunt. *Idem.*

438. *Quo patre*] Nec enim niſi diis geniti ſuperos adeunt. *Idem. Cœlitum penetrat domos?*] Lipſius è ſuo, *ſperat.* Delrio ſuggeſſit conjectura, ut ait, *penetret*, & confirmant quidam ejus codices. Et eſt, cui vel hoc vel primum

Amph. Miseranda conjux Herculis magni sile:
Partes meæ hæ sunt, reddere Alcidæ patrem,
Genusque verum. post tot ingentis viri
Memoranda facta, postque pacatum manu
Quodcunque Titan ortus & labens videt,
Post monstra tot perdomita, post Phlegram impio
Sparsam cruore, postque defensos deos;
Nondum liquet de patre? mentimur Jovem?
Junonis odio crede. *Lyc.* Quid violas Jovem?
Mortale cœlo non potest jungi genus.
Amph. Communis ista pluribus causa est deis.
Lyc. Famuline fuerant ante quam fierent dei?
Amph. Pastor Pheræos Delius pavit greges.
Lyc. Sed non per omnes exul erravit plagas.
Amph. Quem profuga terra mater errante edidit.
Lyc.

primum Herculi violento aptius videtur. Sane furenti aut gigantum Aloidarumve vim meditanti. Grutero haud frivolum, quod eruerunt alii, *sperat*, sed tamen efficacius *spirat*. Non mihi, cui placet unicum *sperat*, confirmatum ab Etrusco. Tacitus 4. Ann. *Optimos quippe mortalium altissima cupere. Sic Herculem & Liberum apud Græcos, Quirinum apud nos, deûm numero additos. Melius Augustum, qui speraverit.* Gronovius.

440. *Partes meæ hæ sunt,*] Satis intelligimus, quid velit Amphitruo cum dicit suas esse partes reddere Alcidæ patrem. Itaque superfluum, *hæ*, & insuave volente librorum principe deleatur. *Gronovius.*

442. *Pacatum manu*] Fuit Alcides per totum ferme orbem εἰρηνοποιὸς. Ovid. in Epist. Deianiræ. *Respice vindicibus pacatum viribus orbem, Qua latam Nereus cærulus ambit humum.* Claudianus, de Hercule: *Thracia pacifero contigit arva pede.* unde quædam inscriptiones: HERCULI PACIFERO. *Delrius.*

444. *Phlegram*] Vallem Thessaliæ, in qua Gigantes cum diis pugnavere. *Farnabius. Impio*] Gigantum impiorum. *Idem.*

445. *Defensos*] Herculis enim potissimum opera gigantes victos scribunt non pauci. *Idem.*

447. *Junonis*] Quæ nisi esset Iove genitus, eum non odio prosequuta usque exagitaret. *Idem.*

449. *Communis*] Complures Heroës misto mortalium ac immortalium semine nati in deos ascíti fuerunt. *Idem.*

451. *Pastor*] Hippol. 295. *Idem. Pastor*] Ovium Admeti regis juxta Amphrysum fluvium, & Pheras Thessaliæ urbem, teste Orpheo, Rhiano, Pindaro & Tibullo. Sed Callimachus, in hymno de lavacro Palladis, ait eum armenta equarum custodiisse: Homerus in Hymno in Mercurium, & Nonnus in Dionysiac. boum. quod Horat. lib. 1. carm. sequitur: *Te boves olim nisi reddidisses Per dolum amotas, puerum minaci Voce dum terret, viduus pharetra Risit Apollo.* Delrius.

452. *Sed non*] Quod facit Hercules. *Farnabius.*

453. *Quem profuga*] Et tamen in ipsa

Lyc. Non monstra, sævas Phœbus aut timuit feras.
Amph. Primus sagittas imbuit Phœbi draco.
Lyc. Quam gravia parvus tulerit, ignoras, mala?
Amph. E matris utero fulmine ejectus puer,
Mox fulminanti proximus patri stetit.
Quid? qui gubernat astra, qui nubes quatit,
Non latuit infans rupis Idææ specu?
Sollicita tanti pretia natales habent,
Semperque magno constitit, nasci deum.
Lyc. Quemcunque miserum videris, hominem scias.
Amph. Quemcunque fortem videris, miserum neges.
Lyc. Fortem vocemus, cujus ex humeris leo

Donum

ipsa insula erratica natus est. suprà vers. 15. *Farnab. Mater erranti*] Terram errantem vocat Delon, quam vers. 15. mobilem tellurem vocavit. *Idem. Mater erranti edidit.*] Alii, *dedit.* Sed cum valde variarent codices, expressisse ait Gruterus, quod erat in plerisque. Vt omne dubium tollamus, monemus in Etrusco esse: *mater errante edidit.* Statimque: *Num monstra sæva Phœbus aut timuit feras.* Gronovius.

455. *Phœbi*] Phœbus etiam puer sagittis interfecit Pythona draconem à Iunone missum, qui Latonam insequeretur. *Farnabius.*

456. *Quam gravia parvus*] Hæc pars responsionis, qua Lycum monstra & feras exprobrantem confutat Amphitruo, quamvis Bacchum ingerat, prorsus est ἀκαιροδιόνυσος. Quod enim Bacchus utero matris ejectus fulmine, quod infans Iuppiter vix patris dentibus subductus, nihil ad certamen cum monstris & feris. Habet Gruterus, quod fidenter glorietur, hos versus ante ipsum intellectos non esse. Nihil verius, quam quod monuit, hunc esse Lyci versum, nova contradictione objicientis tam exercitam infantiam superis genito non convenire. Scilicet oblitus es quæ pertulerit Hercules & infans? Regerit Amphitruo exempla Bacchi & Iovis, ex quibus constat sollicita pretia tantos habere natales & ingentem nobilitatem ingenti cum discrimine conjunctam. In vulgata nihil cohæret: quod sensit Delrius: sed inutiliter versus transponit. *Gronovius.*

457. *E matris*] Bacchus è Semeles Iovis majestatem (quam subdolæ Iunonis hortatu, videre desideraſſet) non ferentis & fœtum aborsæ utero fulmine ictus. *Farnabius.*

458. *Mox fulminanti*] In bello adversus Gigantes Bacchus in Leonem conversus maximo erat terrori Gigantibus. *Idem.*

459. *Qui gubernat*] Ipse Iupiter. *Id.*

460. *Non latuit*] An non à matre Rhea, ne Saturnus pater, ex fœdere cum fratre Titane de masculà prole tollenda παιδοτρώκτης voraret, in Cretæ antrum ablegatus est, & enutritus à Curetibus in monte Ida. *Idem. Rupis exesæ specu?*] Scio sic alibi recte scriptum occurrere in his tragœdiis: at hic loci legendum cum Florentino: *rupis Idææ specu.* Pomponius Mela lib. 2, 7. *Inter colles, quod ibi nutritum Iovem accepimus, fama Idæi montis excellit.* Nota fabula. *Gron.*

465. *Cujus*] Qui sub Omphale Lydiæ

Donum puellæ factus, & clava excidit,
Fulsitque pictum veste Sidonia latus?
Fortem vocemus, cujus horrentes comæ
Maduere nardo? laude qui notas manus
Ad non virilem tympani movit sonum,
Mitra ferocem barbara frontem premens?
Amph. Non erubescit Bacchus effusos tener
Sparsisse crines, nec manu molli levem
Vibrasse thyrsum, cum parum forti gradu
Auro decorum syrma barbarico trahit.
Post multa virtus opera laxari solet.
Lyc. Hoc Euryti fatetur eversi domus,
Pecorumque ritu virginum oppressi greges.
Hoc nulla Juno, nullus Eurystheus jubet:
Ipsius hæc sunt opera. *Amph.* Non nosti omnia.
Ipsius

diæ regina, clava & leonis pelle exutus, muliebri ornatu purpuraque indutus & unctus colum tractavit. *Farn.*

469. *Nardo*] Oleo Nardino. *Idem.*

471. *Barbara*] Phrygiis & Lydis in usu. *Idem.*

472. *Non erubescit*] Nec ipsi Baccho forti deo est rubori, si quando crinibus diffusis hastam pampinis involutam vibret, trahatque vestem muliebrem longe caudatam. syrma à σύρω traho. *Idem.*

475. *Syrma barbaricum*] Lege, ut Florentiæ habetur: *Auro decorum syrma barbarico trahit.* Sumsit è Virgilii secunda Æneide: *Barbarico postes auro.* Livius lib. 36. in dictis ab Antiochi legato in Græcia: *scire ipsos abundasse semper auro regna Asiæ.* Præcedente versu legitur ibidem: *Vibrare*, non *vibrasse.* Gronovius.

477. *Hoc Euryti fatetur*] Quærit Gruterus, an errarerit forsan auctor Euryto appellato, cum Thespium significaret. Sed excusant alii, duas historias separatas duobus deinceps versibus contineri. At quî eversus Eurytus dici potuit Lyco, cum ultimam omnium eam susceperit expeditionem Hercules & Deianiræ maritus? Vix potest in re tam nota errari. Ut scilicet Poëta, quicunque fuerit ille tandem, Sophoclis Trachinias aut Ovidii metamorphoseôn libros non legerit? Cur autem Moguntinus & plerique Delriani: *Teutantis testatur?* Vossianus melior unusque Pal. *Hoc Theutantis fatetur?* Annon clamant scribendum esse: *Teuthrantis hoc fatetur.* id quod Delrio quoque suboluit. Et obscurior hæc fabula est, quam ut à librariis aut corruptoribus veterum librorum proficisci potuerit. Quare & apud Ovidium *Teuthrantia turba* in suspicionem venit ante Angelum Politianum. Sed tamen Etruscus vulgatam sancit. Propendeo in alterum, etsi non novum sit Senecæ personas veteres & earum vocabula confundere. *Idem.*

478. *Pecorumque*] Thespii Athenienses quem Diodorus Erechthei filium, alii Teuthrantis filium, Pandionis nepotem, ut apud Eustathium ad Homerum est, faciunt, filiæ L, una nocte promiscue ab eo compressæ. *Farn.*

480. *Non nosti*] Vitia quæ sunt,

Ipsius opus est, cæstibus fractus suis
Eryx, & Eryci junctus Antæus Libys.
Et qui hospitali cæde manantes foci
Bibere justum sanguinem Busiridis.
Ipsius opus est, vulneri & ferro obvius,
Mortem coactus, integer Cygnus, pati:
Nec unus una Geryon victus manu.
Eris inter istos; qui tamen nullo stupro
Læsere thalamos. *Lyc.* Quod Jovi, hoc regi licet:
Jovi dedisti conjugem, regi dabis.
Et te magistro non novum hoc discet nurus,
Etiam viro probante, meliorem sequi.
Sin copulari pertinax tedis negat;
Vel ex coacta nobilem partum feram.
Meg. Umbræ Creontis, & penates Labdaci,
Et nuptiales impii Oedipodæ faces,
Nunc solita nostro fata conjugio date.

Nunc,

nosti, non autem meministi, quot tyrannos oppresserit. *Farnabius.*

482. *Eryx*,] Fil. Butæ ex Venere victus cæstibus *suis*. i. ad quorum certamen hospites provocare solitus erat. *Idem. Antæus*] Herc. Oed. vers. 24. *Idem.*

483. *Qui hospitali*] Busiridis sanguis justa vindicta (*vid. sup. vers.* 226.) effusus in aris, quibus ipse hospites immolavetat. *Idem.*

484. *Justum*] Justè effusum. *Idem.*

486. *Ante Geryonem pati:*] Locus summis viris aut desperatus aut frustra tentatus, quem salvum præstamus è Florentino: *Mortem coactus integer Cygnus pati.* Cygnum dicit Neptuni, vel, ut alii volunt, Martis filium, ἄτρωτον seu invulnerabilem, quem ab Hercule interemptum etiam Hesiodus, Diodorus, Pausanias, Apollodorus, Plutarchus, Higinus confirmant. Euripides in tragœdia hujus nominis: Κύκνον ὃ ξενοδείκτων τόξοις ὤλεσεν Ἀμφανίας οἰκήτορ' ὤμι-κτον. Mire in hoc lusit fabulatorum lascivia: quæ collegimus alibi, ubi & totum hunc locum ample illustravimus, nec vacat describere. *Gronov.*

487. *Victus*] Tres fratres erant, unus ante reliquos necatus; victus unâ manu non unus, nempe tricorpor. *Delrius.*

488. *Eris*] Te manet eadem vindicta quam illis inflixit Hercul. qui tamen non tentarunt uxori ejus stuprum inferre; quod tu facis. *Farnabius.*

489. *Jovi*] Jovi usuram conjugis tuæ Alcmenæ indulsisti, nurus tuæ Megaræ usum mihi regi dabis. quæ tuo exemplo non hoc primum discet me potiorem *veluti Jovem* sequi, marito suo Hercule *ut te quondam* permittente. *Idem.*

495. *Umbræ*] Ultrices patris mei Creont. umbræ, vosque male ominati lares Labdaci Thebarum regis ex Polydoro nepotis Cadmi, & vos infaustæ nuptiæ Oedipodis *supra* v. 386. *Idem.*

497. *Nunc solita nostro*] Flo. *vestro.* Quod si legamus: *Huic solita vestris fata*

Nunc, nunc cruentæ regis Ægypti nurus,
Adeſte, multo ſanguine infectæ manus,
Deeſt una numero Danais: explebo nefas.
Lyc. Conjugia quoniam pervicax noſtra abnuis,
Regemque terres; ſceptra quid poſſint, ſcies.
Complectere aras, nullus eripiet deus
Te mihi: nec, orbe ſi remolito, queat
Ad ſupera victor numina Alcides vehi.
Congerite ſilvas, templa ſupplicibus ſuis
Injecta flagrent: conjugem & totum gregem
Conſumat unus igne ſubjecto rogus.
Amph. Hoc munus à te, genitor Alcidæ, peto,
Rogare quod me deceat, ut primus cadam.
Lyc. Qui morte cunctos luere ſupplicium jubet,
Neſcit Tyrannus eſſe. diverſa irroga:
Miſerum veta perire; felicem jube.
Ego, dum cremandis trabibus accreſcit rogus,
Sacro regentem maria votivo colam.
Amph.

fata conjugio date. Gronovius. *Solita*] Nuptiis meis coactis date calamitates noſtro generi accidere ſolitas. *Farn.*

498. *Nurus*,] XLIX. è filiabus Danai prima nocte maritos ſuos totidem è filiis Ægypti interfecerunt: ſola Hypermneſtra pepercit Lino, ejus vicem ego ſupplebo & Lycum interficiam. *Idem.*

499. *Multo*] *Habentes manus multo cruore pollutas.* Idem.

500. *Numero.*]Quinquageſimo. *Idem.*

502. *Terres*,]Imprecationibus tuis. *Id.*

503. *Complectere*] Non ad quas confugiſti aræ, non deorum ſtatuæ, non ipſe Alcides reverſus, &, quod mihi jactas, in deorum numerum relatus te mihi eripiet. *Idem.*

506. *Congerite*] O famuli, adſtruite ligna, & ipſum templum, quo ſupplices confugerunt, admoto igne abſumite. *Idem.*

507. *Conjugem*] Megaram ux. Herc. & Amphitryonem cum natis Herc. *Idem.*

508. *Vnus igne ſubjecto rogus.*] Etruſcus, Voſſianus, meus, *Locus.* Sed ſuſpectum eſt: nam & ſequenti v. 512. *diverſa in loca*, liber optimus ἀντὶ τοῦ *irroga.* Gronovius.

509. *Hoc munus*] Ego Herculis (quoniam Iovem illi negas) pater hoc à te peto. *Farnabius.*

510. *Primus*] Ne ſenex videam meorum necem. *Idem.*

513. *Miſerum veta*] Miſericordiæ enim eſſet per citam mortem miſeris ærumnarum finem dare. *Idem.*

514. *Ego*,] Dum famuli parant ligna ad hos comburendos, ego Neptuno faciam ſacra, quæ illi vovi Creonte victo. *Idem.*

515. *Regentem maria votivo rogem.*] Lege cum Etruſco: *votivo colam.* Nemo non videt aptius hîc poni verbum futuro indicativo, quam præſenti dubitativo. *Gronovius.*

Amph. Proh numinum vis ſumma, proh cœleſtium
Rector parenſque; cujus excuſſis tremunt
Humana telis; impiam regis feri
Compeſce dextram. Quid deos fruſtra precor?
Ubicunque es, audi nate. Cur ſubito labant
Agitata motu templa? cur mugit ſolum?
Infernus imo ſonuit è fundo fragor.
Audimur: en, en ſonitus Herculei gradus.

520. *Nate.*] Tanquam numen mihi præſentiſſimum. *Farnabius. Cur ſubito*] Intet preces mota terra Herculem ab inferis adventare erumpentem conjicit Amphitryon. *Idem.*

523. *En, en ſonitus Herculei gradus.*] Alii, *en eſt.* Sed Etruſcus: *eſt, eſt ſonitus Herculei gradus.* Gronovius.

CHORUS THEBANORUM.

Actoris partes Chorus officiumque viriliter defendit, precibus Amphitryonis adſpirans Herculis reditum vovet, idque arguit Orphei exemplo.

O fortuna viris invida fortibus,
Quam non æqua bonis præmia dividis!
Euryſtheus facili regnet in otio:
Alcmena genitus bella per omnia
Monſtris exagitet cœliferam manum:
Serpentis reſecet colla feracia;
Deceptis referat mala ſororibus,
Cum ſomno dederit pervigiles genas
Pomis divitibus præpoſitus draco.
Intravit Scythiæ multivagas domos,

Et

526. *Euryſtheus*] Quæ tam inique rem comparaſti ut Euryſth. &c. *Farn.*

528. *Monſtris*] Delendis monſtris vexet manum cœlif. ſup. v. 68. *Idem. Cœliferam*] Illa manus, quæ tulit cœlum & deos, nunc occupatur circa naturæ pudenda. *Idem.* Sunt qui *teliferam* leg. Et ſane non manus Herculis propriè cœlum tulit, ſed ſedit id ejus humeris. At bene de telis. *Lipſius.*

529. *Serpentis*] Hydræ v. 240. *Idem. Colla ferocia;*] Amplectar conjecturam amici noſtri Simonis Vlrici Piſtoris, *feracia:* & ita adpictum ad oram unius codicis ſcripti. *Gruterus.*

530. *Deceptis*] Sup. v. 257. *Farnab.*

532. *Pomis*] Aureis, citreis. ſup. verſ. 239. *Idem.*

533. *Multivagas*] Ἀμαξοφόρους: plauſtris vectas; Scythiæ enim incolæ Nomades à paſcendis gregibus dicti nova quærentes paſcua mutant aſſidue loca, unde appellat *patriis ſedibus hoſpites.* Idem.

536. *Ta-*

Et gentes patriis sedibus hospitas:
Calcavitque freti terga rigentia,
Et mutis tacitum littoribus mare.
Illic dura carent æquora fluctibus;
Et, qua plena rates carbasa tenderant,
Intonsis teritur semita Sarmatis.
Stat pontus vicibus mobilis annuis,
Navem nunc facilis, nunc equitem pati.
Illic quæ viduis gentibus imperat,
Aurato religans ilia baltheo,
Detraxit spolium nobile corpori,
Et peltam, & nivei vincula pectoris,
Victorem posito suspiciens genu.
Qua spe præcipites actus ad inferos,
Audax ire vias irremeabiles,
Vidisti Siculæ regna Proserpinæ?
Illic nulla Noto, nulla Favonio
Consurgunt tumidis fluctibus æquora.
Non illic geminum Tyndaridæ genus
Succurrunt timidis sidera navibus.

Stat

536. *Tacitum*] Septentrionale mare, quod hiberno gelu concretum non agitatur fluctibus, nec litori allisum sonat. *Farnabius.*

538. *Qua plena*] Qua æstate navigarant, hyeme agitant currus. *Idem.* *Carbasa tenderant*] Defendi posse loco isto lectionem Propertii lib. 3. Eleg. 6. *At tu quæ nostro tendisti retia lecto;* monebat me amicus Melissus. *Gruter.*

539. *Intonsis Sarmatis*] Tartaris & Russis incultis, capillos & barbas libertatis suæ symbola alentibus. *Farn.*

542. *Quæ viduis*] Hippolyte vel Antiopa regina Amazonum sine viris degentium in Scythia, dedit Herculi scutum & baltheum spolia, ipsum victorem flexo genu venerata. *Idem.*

546. *Suspiciens*] Hippolyte vel Antiopa regina Amazonum, de quibus multa Stephanus. *Delrius.*

547. *Quaspe*] Apostrophe ad Herc. *Farnabius.*

548. *Irremeabiles*] Per quas reditus non patet. *Idem.*

549. *Siculæ*] In Sicilia natæ ac inde à Plutone raptæ, infra v. 658. *Idem.*

550. *Illic nulla*] Apud inferos non sunt venti, non stellæ. *Idem.* *Favonio*] Apud Gellium lib. 2. cap. 22. Phavorinus inquit: *Item alter Favonius, qui Græce vocatur Ζέφυρος.* quæ opinio verissima est, secundum Plinium & Fr. Floridum 2. lib. succisivarum lection. cap. 5. Vegetius tamen lib. 4. de re militari, & Strabo, ut notat Turnebus in Adversariis, crediderunt Favonium & Zephyrum duos esse ventos diversos: quæ sententia erronea. *Delr.*

552. *Tyndaridæ*] Διόσκουροι. supr. vers. 17.

553. *Sidera*] Exhalatio potius quam stella,

Stat nigro pelagus gurgite languidum;
Et, cum Mors avidis pallida dentibus
Gentes innumeras Manibus intulit,
Uno tot populi remige transeunt.
Evincas utinam jura feræ Stygis,
Parcarumque colos non revocabiles!
Heic, qui rex populis pluribus imperat,
Bello cum peteres Nestoream Pylon,
Tecum conseruit pestiferas manus,
Telum tergemina cuspide præferens:
Effugit tenui vulnere saucius,
Et mortis dominus pertimuit mori.
Fatum rumpe manu; tristibus inferis

Pro-

stella, ex motu quodam interfulgens, quæ in antennis, velis aut foris gemina apparens residentis tempestatis indicium est: nautæ, *Corpus sanctum*, Hispani *S. Telmum* vocant. *Farnabius.*

554. *Languidum*] Non fluctuans: omnium autem quæ hic sunt, volunt apud inferos simulachra esse. Herc. Oet. 1706. *Idem.*

556. *Manibus*] Ad manes inferos demisit. *Idem.*

557. *Remige*] Charonte umbratum vectore, portitore. infra v. 764. *Idem.*

558. *Evincas*] Vtinam nobis superstes redeas, devicto Stygis jure, quæ novies interfusa coërcet reditumque negat. *Idem.*

559. *Parcarumque*] Quæ vitæ stamina breviora aut longiora fusis suis devolvunt. sup. vers. 180. *Idem.*

560. *Heic*] Et vincere poteris. hic enim regnat ille Pluto, quem Pyliis auxilio advenientem tu Epirotarum ultor inflicto vulnere superasti. *Idem. Populis*] Non uni populo, sed ex pluribus, imo omnibus gentibus: *vel* mortuis, quorum numerus major quam viventium. *Idem.*

561. *Nestoream*] A Nestore regnatum opidum in Peloponeso occid. *Idem.*

563. *Tergemina*] Supra v. 51. *Idem.*

564. *Tenui vulnere*] Egregii Dii, qui vulnerati; quorum ex vulnere sanguis, vel, si Homerum audimus, sanies manavit. Vulnerata hoc eodem tempore ab Hercule, Iuno, alio Venus & Mars, à Diomede; Pallas, ab Ornyto; ipse Hercules, ab Hyppocoontidis. Clemens in Protrept. & Arnobius lib. 4. cont. Gent. testantur. *Delrius. Saucius.*] Narrant Arnobius lib. 4. Apollodor. lib. 3. Biblioth. Homer. Iliad. δ. addit Hesiodus eodem itinere Herculem Marti vulnera inflixisse. *Idem.*

565. *Mortis*] Pluto qui mortuis dominatur. *Farnabius.*

566. *Fatum*] Fatum Stygis non recludendæ tu potentiori fato evince. *Idem. Tristis & inferis*] Primus hac de lectione monuit Delrius, cum interpretatione dici inferis tristem lucis prospectum, quia sunt lucifugæ: sed Gruterus, quia sic omnes Pall. & vetus interpres, *tristari inferos dum vident lucem*, recepit eam primus in libros. At falsum est lucem esse inferis tristem, nisi quæ invitis & improvisa contingit: ut Tantalo in Thyeste, Cerbero hac fabula. Plutoni apud Ovidium in Phaëthontis incendio & Statium

Prospectus pateat lucis, & invius
Limes det faciles ad superos vias.
Immites potuit flectere cantibus
Umbrarum dominos, & prece supplici
Orpheus, Eurydicen dum repetit suam.
Quæ silvas, & aves saxaque traxerat
Ars, quæ præbuerat fluminibus moras;
Ad cujus sonitum constiterant feræ;
Mulcet non solitis vocibus inferos,
Et surdis resonat clarius in locis.
Deflent Eurydicen Threiciæ nurus,
Deflent & lachrimis difficiles dei;
Et qui fronte nimis crimina tetrica

tium Amphiarai lapsu. At non fuit tristis prospectus Plutoni, cum Proserpinam raperet. Valerius Flaccus Sthenelum emittit, cum Argonautæ ad sepulchrum ejus in statione essent, conspectum delectos heroas, non profecto tristem: nam & alii manes *ardent avidos attollere vultus*: at mox *Ille dolens altum repetit chaos*. Apud Statium Laio, quamquam ad funestum munus educto, non defuit *livida tabes invidiæ*, & vox missa cujusdam: *Heu dulces visure polos solemque relictum, Tristior has iterum tamen intrature tenebras*. Nec Protesilao, nec Achilli Polyxenam reposcenti triste fuit lucem revisere. Et cur rogabant, ut adessent sibi & affatu monitisque nocturnis juvarent amicorum defunctorum manes, si omnis illis superorum aspectus tristis? Nec Cerbero opus erat custode, qui tamen fontes tantum arcere dira lucis cupidine dicitur Statio. Recte olim editum: *tristibus inferis*: & sic Etruscus, nec è suo differentiam notavit Lipsius. Hoc illis proprium epitheton omnibus. Noster infra: *noctis æternæ chaos, Et nocte quiddam gravius & tristes deos*. Æneide sexta, quæ mysteria illa aperit, navita *tristis nunc hos, nunc accipit illos*; ibidem *tenent mœsti loca, qui sibi letum Insontes peperere manu*: & *mœsta Eriphyle*. Locat & Virgilius ibidem *tristes sine sole domos*: apud Statium, Plutoni *jamdudum regia tristis Attremit oranti*. Rursus Maroni, *tristique palus inamabilis unda*: ut & Horatio Tityon *tristi compescitunda* Pluto. Sic *triste nubilum* non hinc longe, & *nox atra tristi umbra* circa caput Marc. apud Virg. Et quæ plura ejusmodi obvia. *Gronov.*

569. *Immites*] Thracius poëta insignis ad inferos descendens repetitum uxorem Eurydicen à serpente, dum Aristæi vim fugeret, occisam, citharæ cantu in tantum demulsit Plutona & Proserpinam, ut illi uxorem restituerent, hac lege, ne illam ante intueretur quam ad superos veniisset, ille vero impatientia amoris respexit, receptamque amisit. *Farnabius.*

575. *Non solitis*] Vocibus non exauditis prius inferis. *Idem.*

576. *Surdis*] Vbi veræ voces non audiuntur, silentibus *sacro digna Silentio Mirantur umbræ dicere*. Idem.

577. *Threiciæ*] Threiciæ mulieres, quæ apud inferos. *Idem.*

578. *Difficiles*] Illacrymabiles Pluto & Proserpina. *Idem.*

579. *Et qui*] Quin & ipsi judices

Quærunt, ac veteres excutiunt reos,
Flentes Eurydicen Juridici sedent.
Tandem mortis, ait, vincimur, arbiter:
Evade ad superos; lege tamen data:
Tu post terga tui perge viri comes;
Tu non ante tuam respice conjugem,
Quam cum clara deos obtulerit dies,
Spartanique aderit janua Tænari.
Odit verus amor, nec patitur, moras.
Munus, dum properat cernere, perdidit.
Quæ vinci potuit regia cantibus,
Hæc vinci poterit regia viribus.

inferni, de quibus infra v. 730. rigidi licet, commiserentur Orphei. *Farnab.*

580. *Veteres*] Examinant scelera, quæ quis apud superos & in vivis perpetrarit, infra v. 727. *Idem.*

582. *Tandem*] Narratur hic descensus & Orphei fabula etiam à Virgilio 4. Georg. & Ovidio 4. Metamorph. Mythologiam tradit Lucian. περὶ ἀστρολογ. Delrius. *Mortis*] Mortis arbitri. Pluto ait, vicisti nos ô Orpheu. *Farnabius.*

586. *Deos*] Superos, solem & sidera, quibus dies sacra. *Idem.*

587. *Tænari.*] Promontorii Laconiæ, ubi ad inferos descensus patere credebatur, ut & in Averno Italiæ, *Tænareas fauces, altiostia Ditis.* Idem.

590. *Regia cantibus,*] Scribe cum Fl. *Quæ vinci potuit regia carmine.* Alterum interpretatio videtur. Hoc enim enim vel maxime carmen, quod canitur. Boëthius hunc locum imitatus: *Donamus comitem viro Emtam carmine conjugem.* Gronovius.

591. *Viribus.*] Herculis. *Farnab.*

ACTUS TERTIUS.

HERCULES.

Solem cæteroſque Deos precatur veniam Hercules quod juſſus Cerberum ſuperis inviſum traxerit.

O lucis alme rector, & cœli decus,
Qui alterna curru spatia flammifero ambiens,
Illustre lætis exeris terris caput;
Da Phœbe veniam, si quid illicitum tui
Videre vultus jussus in lucem extuli

Ar-

592. *Lucis*] Sol. *Farnabius.*

593. *Alterna*] Utrumque hemisphærium alternis vicibus lustrans. *Id.*

596. *Iussus in lucem extuli*] Ab Eurystheo: & hoc venia magis dignus. *Idem.*

597. *Se-*

Arcana mundi. tuque cœlestum arbiter
Parensque, visus fulmine oppositο tege,
Et tu secundo maria qui sceptro regis,
Imas pete undas. quisquis ex alto aspicit
Terrena, facie pollui metuens nova,
Aciem reflectat, oraque in cœlum erigat,
Portenta fugiens. hoc nefas cernant duo,
Qui advexit, & quæ jussit. In pœnas meas,
Atque in labores non satis terræ patent:
Junonis odio vidi inaccessa omnibus,
Ignota Phœbo; quæque deterior polus
Obscura diro spatia concessit Jovi.
Et si placerent tertiæ sortis loca,
Regnare potui: noctis æternæ chaos,
Et nocte quiddam gravius, & tristes deos,
Et fata vici, morte contempta redii.
Quid restat aliud? vidi: & ostendi inferos.
Da, si quid ultra est. tam diu pateris manus

Ces-

597. *Secreta*] Cerberum damnatum tenebris. *Farnab. Secreta mundi*] Etruscus: *Arcana mundi.* Gronovius. *Cœlestum arbiter*] Iupiter. *Farnab.*

599. *Tu secundo*] O Neptune, qui regis maria, quæ tibi secunda sorte contigerunt. *Idem.*

601. *Facie*] Novo hujus monstri aspectu. *Idem.*

603. *Duo,*] Ego & Iuno; *alii legunt* qui, *ut sit Eurysth.* Idem.

604. *In pœnas*] Ad explendum Iunonis odium non sufficiunt monstra terrestria, nisi, &c. *Idem.*

605. *Non satis terræ patent.*] Vt supra: *nec satis terræ patent: Effregit ecce limen inferni Iovis.* De tranquillitate animi cap. 9. *sine parcimonia nec ullæ opes sufficiunt, nec ullæ non satis patent.* Epist. 23. *Hoc de quo loquor, ad quod te conor perducere, solidum est, & quod plus pateat introrsus.* De brevitate vitæ: *ætas nostra bene disponenti multum patet.* Ad Marciam cap. 26. *Scies multum patuisse hoc tempus ex quo nihil perdidisti.* Gronovius.

606. *Iunonis*] Odio infestæ novercæ vidi omnibus vivis invia. *Farnab.*

607. *Ignota*] Soli, qui cuncta videt, invisa. *Idem. Quæque*] Nigra regna, quæ videt Antarcticus polus deterior, quia Stygi subjectus, *& quem sub pedibus nox atra videt manesque profundi.* Sorte data concessi Plutoni. *Idem.*

609. *Et si*] Quod si me regnandi rapuisset tam dira libido, occupare mihi licuisset inferna regna, quæ tertia sorte Diti obtigerunt. *Idem.*

610. *Noctis*] Hiatum & cæcam voraginem æternæ noctis, i. mortis. *Id.*

611. *Tristes*] Plutonem & Proserpinam. *Idem.*

612. *Fata*] Sup. vers. 565. *Idem.*

613. *Inferos.*] Cerberum ad superas auras tractum. *Idem.*

614. *Da,*] Dic, suggere. Virgil.

Cessare nostras, Juno? quid vinci jubes? 615
Sed templa quare miles infestus tenet?
Limenque sacrum terror armorum obsidet?

Sed tamen iste Deus, qui sit da Tityre nobis. Papinius: *Asopus genuisse datur.* sic Græci διδύνες. Delrius. *Tam diu*] Sup. vers. 206. *Farnab.*

615. *Quid vinci jubes?*] Flor. *qua vinci jubes.* Gronovius.

616. *Sed templa*] Miratur Herc. cur milites templum obsideant. *Farnab.*

MEGARA. AMPHITRYON. HERCULES. THESEUS.

Herculem reducem gratatur Amphitryon, illi quærenti narrat quo in loco res sint: dum Herc. proficiscitur ad occidendum Lycum, Theseus rogatus ab Amphitr. exponit, quæ apud inferos gesserit Hercules.

Amph. Utrumne visus vota decipiunt meos?
An ille domitor orbis, & Graiûm decus,
Tristi silentem nubilo liquit domum? 620
Est ne ille natus? membra lætitia stupent.
O nate! certa & sera Thebarum salus!
Teneone in auras editum, an vana fruor

De-

618. *Vtrumne*] Fallit ne me phantasia; an video filium reversum? *Farn.* In manusc. non distinguitur hîc nova scena, sed continuatur præcedenti. *Delrius. Visus vota*] Sic apud Maronem, non exspectato Æneæ adventu, stupefacta Andromacha, hæret initio, & quærit an ipsus sit, quem videt. Ait *vota decipiunt visus*; quia quos jugi cogitatione & desiderio fantasiæ impressimus; facile illi oculis videntur adversati. *Idem.*

620. *Silentem*] Ditis domum cæcam & silentem. *Farnabius.*

622. *Sera*] Tarda, interempto Creonte & amisso regno.

623. *Verumne cerno corpus,*] Prodidit è Melissæo Lipsius: *Teneone in auras editum, an vana fruor Deceptus umbra?* Sed uter germanior sit versus, non liquere fatetur. Raphelingius utriusque parte recepta, parte rejecta hibridam confinxit: *Verumne cerno corpus, an vana fruor.* Habet rivales, & magno nollent alii non suum quoque id commentum videri: testes faciunt, multisque laborant, ut ejus rei nobis faciant fidem. Credemus quantum volunt, sed insuper etiam illud *veri* ac *vani* antitheton, ut Lucilius diceret, ὀχληρῶδες que simul totum ac συμμειρακιῶδες, ambos decepisse. Liquet vero nobis Lipsiani codicis scripturam omnem esse veram, vel quia solam unus omnium integerrimus Etruscus illam ostentat. Nam quanto plus vivi spiritus plusque elegantiæ habeat illud, *Teneone in auras editum*, quam *Verumne cerno corpus*, mirum est quemquam posse ignorare. Solum verbum, *teneo*, affectus omnes possidet: & proprium est illorum, quibus necessitudines longum desideratæ offeruntur insperatæ. Plautus Rudente: *Vt vix mihi credo ego hoc, te tenere!* Terentius Heautont. *Salve anime mi.* A. *O mi Clinia, salve.* Cl. *Vt vales?* A. *Salvum venire gaudeo.* Cl. *Teneone te An-*

Deceptus umbra? tune es? agnoſco toros,
Humeroſque, & alto nobilem trunco manum.
Herc. Unde iſte, genitor, ſquallor, & lugubribus
Amicta conjux? unde tam fœdo obſiti
Pædore nati? quæ domum clades gravat?
Amph. Socer eſt peremptus: regna poſſedit Lycus;
Natos, parentem, conjugem leto petit.
Herc. Ingrata tellus, nemo ad Herculeæ domus
Auxilia venit? vidit hoc tantum nefas
Defenſus orbis? cur diem queſtu tero?
Mactetur hoſtis. *Theſ.* Hanc ferat virtus notam,
Fiatque ſummus hoſtis Alcidæ Lycus?
Ad hauriendum ſanguinem inimicum feror.
Herc. Theſeu, reſiſte: nequa vis ſubita ingruat,
Me bella poſcunt. differ amplexus parens,

Con-

te Antiphila, maxume animo exoptata meo? Sic optime Iocaſta ad Polynicen in Phæniſſis: *teneo longo tempore Petita votis ora?* Graviorem vis auctorem? Euripiden cape, apud quem Electra ad Oreſten: ὦ χρόνῳ φανεὶς, Ἔχω σ' ἀέλπτως. Et ille viciſſim: κᾆξ ἐμοῦ ἔχῃ χρόνῳ. Apud eundem Iphigenia ad Oreſten: Ἔχω σ' Ὀρέστα τηλέγωτον χθονὸς ἀπὸ πατρίδος. Sed etiam apud Sophoclem Electra ad Oreſten: Ἔχω σὲ χερσίν. Ορ. ὡς τὰ λοιπ' ἔχοις ἀεὶ. Paullinus nono Natali Felicis: *dic, quæſo, rediſti? Teque ipſum teneo, Niceta.* Pertinet eodem Ovidii lib. 7. de Iaſone: *gratantur Achivi; Victoremque tenent, avidiſque implexibus hærent.* Gronovius.

624. *Agnoſco toros,*] Agnoſco Herculem ex toris, humeris, & manu ingentem clavam tenenti. *Farnabius.* Fuit Hercules valde toroſus: quod fortitudinis indicium Phyſiognomici putant; noſter Hippolyto: *Æquas Herculeos jam juvenis toros.* Valerius Flaccus: *Conſpicuuſque toris Tirynthius* — Delrius.

626. *Lugubribus*] Hoc eſt, atratis veſtibus. nam color hic lugentibus Græcis ſemper in uſu fuit; ut apparet ex multis locis Euripidis, Homero Iliad. ω'. Plutarcho lib. de ſanitate tuenda, & in Apophth. Pauſania in Arcad. ſeu l. 8. Romanæ vero fæminæ, non ſemper, ut falſo Blondus & Polydorus autumant, ſed aliquando in luctu candidatæ, ut ex Tibullo lib. 3. ſtatim initio deprehendi, & ex Varrone, Dionyſio, Valerio, Ovidio, & Iuvenale docuit Hieron. Magius l. 3. miſcellan. c. 14. *Idem.*

628. *Pædore*] Illuvie & ſordibus. *Farnabius.*

632. *Vidit*] Orbis à me defenſus vidit hoc tantum nefas, nec repulit me abſente? *Idem.*

634. *Hanc ferat*] Indignum eſt, ô Hercule, tuam virtutem hac infamiæ nota ſugillari, ut poſt tot egregia facinora tam ignavi hominis ſanguinem haurias. Ego potius vado interfecturus Lycum. *Idem.*

637. *Ingruat.*] A tergo. ſumta vox à gruibus, quæ hoc ordine volant, ut una alteram à tergo conſequatur. *Delr.*

638. *Differ*] *Amphit. & Megaram ipſum*

Conjuxque differ: nunciet Diti Lycus
Me jam rediſſe. *Theſ.* Flebilem ex oculis fuga
Regina vultum: tuque nato ſoſpite
Lachrimas cadentes reprime: ſi novi Herculem,
Lycus Creonti debitas pœnas dabit:
Lentum eſt, dabit; dat: hoc quoque eſt lentum; dedit.
Amph. Votum ſecundet, qui poteſt, noſtrum deus,
Rebuſque lapſis adſit. O magni comes
Magnanime nati, pande virtutum ordinem:
Quam longa mœſtos ducat ad Manes via;
Ut vincla tulerit dura Tartareus canis.
Theſ. Memorare cogis acta, ſecuræ quoque
Horrenda menti: vix adhuc certa eſt fides
Vitalis auræ: torpet acies luminum,
Hebeteſque viſus vix diem inſuetum ferunt.
Amph. Pervince, Theſeu, quidquid alto in pectore
Remanet pavoris; neve te fructu optimo
Frauda laborum. quæ fuit durum pati,
Meminiſſe dulce eſt. fare caſus horridos.
Theſ. Fas omne mundi, teque dominantem precor
Regno capaci; teque, quam tota irrita
Quæſivit Ætna mater; ut jura abdita

Et

ipſum amplexantes jubet differre amplexus, donec Lycum ultus fuerit. Farn.

639. *Nunciet*] Cæſus ibit nuncius Plutoni dicturus me rediiſſe ab inferis. *Idem.*

641. *Tuque*] Abige, ô Megara, mœſtitiam, tuque ô Amphitryon, Hercule ſalvo ſerena vultum. *Idem.*

642. *Si novi*] Si bene novi Herculis commoti vires fulmineas. *Idem.*

651. *Vix adhuc*] Non mihi certa ſatis eſt fiducia me ad vitales auras rediiſſe, caligant ex diutinis tenebris oculi, nec ferunt ſolis lucem. *Idem.*

654. *Quidquid alto pectore*] Flor. *quicquid alto in pectore.* Plenius. *Gronovius.*

655. *Fructu*] Gloria, ſeu voluptate ex ſecura & jucunda recordatione prætetiti doloris. *Farnabius.*

658. *Fas omne mundi.*] Vos ô numina ſupera, Voſque inferna numina, Pluto & Proſerpina, *Dii quibus imperium eſt animarum, umbræque ſilentes, &c. Sit mihi fas audita loqui, ſit numine veſtro Pandere res altas terra & caligine merſas. Teque dominantem*] O Pluto, qui dominaris regno omnes capienti. *Farnabius.*

659. *Teque,*] O Proſerpina, quam anxia tua mater Ceres labore caſſo quæſivit per omnem Siciliam, Ætnam maxime, unde, dum flores colligeres, à Plutone rapta es. *Idem.*

660. *Irrita Quæſivit Ætnâ mater;*] Sic noſtri omnes. nec video quomo-

Et operta terris, liceat impune eloqui.
Spartana tellus nobile attollit jugum,
Densis ubi æquor Tænarus silvis premit:
Heic ora solvit Ditis invisi domus,
Hiatque rupes alta, & immenso specu
Ingens vorago faucibus vastis patet,
Latumque pandit omnibus populis iter.
Non cœca tenebris incipit primo via:
Tenuis relictæ lucis à tergo nitor,
Fulgorque dubius solis afflicti cadit,
Et ludit aciem. nocte sic mixta solet
Præbere lumen primus aut serus dies.
Hinc ampla vacuis spatia laxantur locis;
In quæ omne mersum pereat humanum genus.
Nec ire labor est, ipsa deducit via:

Ut

quomodo heîc locus esse queat illi, *erutâ*, quod erat in uno cod. Commentatoris, potius *Ætnâ* mutatim in *æthrâ*, ut divinasse Simonem Vlricum Pistoris, prodidi in Suspicionibus: quod ita statim placuit Iano Dousæ filio, ut exclamaret non esse quod hanc ulterius lectionem probarem, satis ipsam tuente merâ Veritate; quæsitam certe, & terrâ totâ & mari toto, hoc est *æthrâ*, Proserpinam; testatum passim Poëtis omnibus. *Gruterus.*

663. *Tænarus*] Promontorium Laconiæ, ubi ad inferos descensus patere credebatur. Suprà vers. 586. *Farnabius.* Etiamsi nonnulli è spelæo Heracleæ vicino Cerberum extractum memorent, inter quos Xenophon ἀναβάσ. ζ'. Euripides tamen ἐν τῷ μαινομένῳ, à Senecæ partibus stat. non desunt qui hæc omnia fabulosa credentes, hunc fuisse quendam immanem serpentem stabulantem in specu Tænario arbitrentur, eumque ab Hercule superatum. Pausanias, in Laconicis. Plutarchus in Theseo, perhibet fuisse canem Aïdonei regis Molossorum. *Delr.*

664. *Ora solvit*] Ostia & descensum. *Farnabius.*

668. *Cæca*] In totum tenebrosa, ut non videatur, vel quæ visum adimit. *Idem.*

670. *Solis afflicti cadit,*] Solis tanquam nebulis vel Luna operti, deficientis. *Idem.*

671. *Et ludit aciem.*] Vbi visa nec plane, nec longe discernuntur. *Idem. Nocte sic mixta solet*] *Qualia sublucent fugiente crepuscula Phœbo, Aut ubi nox abiit, nec tamen orta dies.* Alii leg. *tale non dubie solet.* Idem.

673. *Vacuis spacia*] Nec tamen datur vacuum intra mundum. *Farnabius.* Stoicis intra mundum nullum, extra eundem infinitum vacuum. Aristoteles omnino nullum esse vacuum contendit, lib. 4. Physic. lib. 1. de ortu, lib. 2. de cœlo. sed contra Aristotelem Cleomedes, finitum mundum in spacio seu vacuo infinito consistere, nititur probare. *Delrius.*

675. *Nec ire labor est,*] *Facilis descensus Averni, Noctes atque dies, &c.* Farnabius.

676. *Vt*

Ut sæpe puppes æstus invitas rapit;
Sic pronus aër urget atque avidum chaos:
Gradumque retro flectere haud unquam sinunt
Umbræ tenaces. intus immensi sinus
Placido quieta labitur Lethe vado,
Demitque curas: neve remeandi amplius
Pateat facultas, flexibus multis gravem
Involvit amnem. qualis incerta vagus
Mæander unda ludit, & cedit sibi,
Instatque; dubius, littus an fontem petat.
Palus inertis fœda Cocyti jacet;
Hic vultur, illic luctifer bubo gemit,
Omenque triste resonat infaustæ strigis;

Hor-

676. *Vt sæpe puppes*] Veluti naves attrahit æstus, invitis nautis; ita crassus & proclivis aër præcipites dat, insatiatumque illud Barathrum ad se trahit. *Farnabius.*

677. *Sic pronus agger*] Eleganter, de pronâ istâ ad inferos viâ. sed malene Vetus, *pronus aër?* ut velit ab aëre & occulto vento quodam rapi nos ad atram sedem. *Lipsius.*

678. *Gradumque*] *At revocare gradum superasque evadere ad auras, hoc opus hic labor est.* Farnabius.

679. *Vmbræ tenaces.*] Manes avidi, *vel* tenebræ palpabiles. *Farnabius. Intus immenso sinu*] Melius Florent. *immensi sinus.* Vadum dicit immensi sinus, late se & immensis ambagibus sinuans vel circumagens. *Gronovius.*

680. *Lethe vado,*] Fluvius ἀπὸ λήθης, id est oblivionis apud inferos, cujus latex potus demit curas, id est facit manes oblivisci omnium rerum præteritarum. *Farnabius.*

682. *Flexibus*] Involvit amnem gravem, tristem, id est Styga flexibus novem. *Novies Styx interfusa coërcet.* Idem.

683. *Qualis incerta vagus*] Etruscus: *qualis incertis vagus Mæander undis errat ludit & cedit sibi.* Ex quo apparet, utrumque verbum, & *errat* & *ludit*, eo loco in diversis antiquissimis libris inventum fuisse. Et neutrum est in ea respernendum. *Ludere* est apud Ovidium: *recurvatis ludit Mæander in undis.* Et rursum: *liquidis Phrygius Mæandros in undis ludit.* At *errare* non minus elegans. Phœnissis: *nec latis minus Mæandros arvis flectit errantes aquas.* Lucanus lib. 3. *descendens Marsya ripis Errantem Mæandron adit.* Et in genere Ovidius lib. 1. amnes, *qui, qua tulit impetus illos, In mare deducunt fessus erroribus undas.* In Oedipo habes *errantes aquas* Alphei. Elige utrum malis. *Gronovius.*

684. *Mæander*] Celebertimus Phrygiæ fluvius multis anfractibus sinuosus & flexuosus. *Farnabius.* Desumtum hoc ex Ovidio in Metamorph. vide Hippol. 15. *Delrius.*

686. *Palus inertis fœda Cocyti*] Cocytus fluvius infernalis, stagnat iners Pyriphlegetonti in Acherusia obvius *flumine languido Cocytus errans.* Farnabius.

687. *Vultur, bubo gemit,*] Aves inauspicatæ & ferales. *Idem.*

689. *Coma.*

Horrent opaca fronde nigrantes comæ,
Taxo imminente; quam tenet segnis Sopor,
Famesque mœsta tabido rictu jacens;
Pudorque ferus conscios vultus tegit:
Metus, Pavorque, Funus, & frendens Dolor,
Aterque Luctus sequitur, & Morbus tremens,
Et cincta ferro Bella: in extremo abdita
Iners Senectus adjuvat baculo gradum.
Amph. Estne aliqua tellus Cereris aut Bacchi ferax?
Thes. Non prata viridi læta facie germinant;
Nec adulta leni fluctuat Zephyro seges;
Non ulla ramos silva pomiferos habet:
Sterilis profundi vastitas squallet soli,
Et fœda tellus torpet æterno situ;
Rerumque mœstus finis & mundi ultima:
Immotus aër hæret; & pigro sedet
Nox atra mundo. cuncta mœrore horrida,
Ipsaque morte pejor est Mortis locus.
Amph. Quid, ille opaca qui regit sceptro loca,

Qua

689. *Comæ,*] Arborum cacumina. *Farnabius.*

690. *Taxo*] Taxo lethali & venenata arbore Cocyto imminente seu incumbente. *Idem.* Ovidius 4. Metamorph. *Est via declinis funesta nubila taxo, Ducit ad infernas per muta silentia sedes. Quam tenet segnis Sopor,*] Virgilius: *In medio ramos, annosaque brachia pandit Vlmus opaca, ingens; quam sedem somnia vulgo Vana tenere ferunt.* illa quoque, quæ mox late nostri prosequitur, omnia ad Virgilii imitationem dicta sunt. ait Maro: *Vestibulum ante ipsum, primisque in faucibus Orci Luctus & ultrices posuere cubilia curæ, Pallentesque habitant morbi, tristisque senectus, Et metus, & malesuada fames, & turpis egestas. Terribiles visu formæ, letumque laborque, Tum consanguineus leti sopor, & mala mentis Gaudia, mortiferumque adverso in limine bellum.* Delrius. *Segnis Sopor,*] *Adverte nativa & signantia epitheta.* Farnabius.

691. *Tabido*] Herbipol. *rapido.* Moguntinens. & unus Venetus: *rabido.* ceteri; *tabido.* melius. fames enim, quasi tabes, conficit. *Delrius.*

696. *Baculo*] Scipione. *Farnabius.*

697. *Cereris*] Frumenti aut vini ferax. *Idem.*

699. *Fluctuat*] More undarum fluctuat à ventis agitata. *Idem.*

700. *Non ulla ramos*] Ait apud inferos nullam felicem arborem esse, sed omnes (ut Cato loquitur) infelices. *Delrius.*

703. *Mundi*] Res hujus mundi ultimæ & infimæ decidunt ad centrum illud, quo infernum locant poëtæ. *vel* illic mors & rerum exitus. *Farnabius.*

707. *Quid,*] Vbi autem ponit regiam sedem Pluto? *Idem.*

708. *Popu-*

Qua ſede poſitus temperat populos leves?
Theſ. Eſt in receſſu Tartari obſcuro locus,
Quem gravibus umbris ſpiſſa caligo alligat.
A fonte diſcors manat hinc uno latex:
Alter quieto ſimilis (hunc jurant Dei)
Tacente ſacram devehens fluvio Styga:
At hic tumultu rapitur ingenti ferox,
Et ſaxa fluctu volvit Acheron invius
Renavigari. cingitur duplici vado
Adverſa Ditis regia, atque ingens domus
Umbrante luco tegitur: hic vaſto ſpecu

Pen-

708. *Populos leves?*] Manes, umbras. Hercul. Oet. 1706. *Farnabius.*

709. *Eſt in receſſu*] Moguntin. *ſeceſſu.* idem paullo poſt: *Manat hinc uno latex Alter, &c.* hoc ſenſu; ab uno eodemque fonte duo manant latices, hinc quieto ſimilis & ſtagnans, Styx; inde turbulentus, & ſpumans, Acheron. *Alter* etiam habeuit in Herbipol. & ſic legit Marmita. primus Daniel poſtea repoſuit; *ater.* hoc ſenſu, ex profundo erumpit Styx diſcors ſuo fonti. nam fons ille non adeo ater eſt, & inquietior. *Delrius. Tartari*] Vid. Hippol. verſ. 841. *Farnabius.*

711. *Diſcors*] Duo latices diverſæ naturæ, alter quietus, alter impetuoſus. *Farnabius.* Florentinus à manu ſecunda, *diſſors.* Gronovius.

712. *Hunc jurant Dei,*] Inviolabilem. *Dii cujus jurare timent & fallere numen.* Qui vero pejerat, annum unum & dies novem, *alios, novem annos,* nectare & ambroſia interdictus, Deorum epulis arcetur. hic autem honos Stygi habitus propter auxilium quod Iovi adverſus Titanas tulerunt Stygis filiæ Vis, Robur, Victoria: vel propter indicium conſpirationis deorum: *vel* quod beati cœlites per inferni odium triſtitiamque jurantes ſe obligant ad rem eorum naturæ contrariam ſi pejerent; στύξ enim à στυγέω, odi, vel quod diis & hominibus odio habentur, qui ad perjurium procliviores ſunt: *vel* quod omnibus elementis antiquior eſt aqua. *Farnabius.*

713. *Tacente ſacram*] Sine murmure, *vel* quod ipſe fluvius fere immotus eſt; *vel* quia fluit in locis ſilentibus. *Idem.*

714. *At hic tumultu*] Immiſcuerunt quidam libris lectionem unius m. ſ. *Aſt hinc:* male. *Hic* enim diſerte opponitur voci *Alter* verſ. 712. tuenturque ipſam noſtri omnes. *Gruterus.*

715. *Acheron*] Agamemn. verſ. 13. *Farnabius.* Non qui in agro Bruttiorum eſt, apud quem Alexander Moloſſus fuit interfectus. *Strabo, Liviuſque.* ſed alter Epiri, ex Acheruſia palude pone Pandoſiam ortus, multis in ſe receptis fluminibus, magno impetu in Maryandinorum (confundit Acherontem Bithyniæ & Epiri) regionem influens. *Apollon. 2. Argonaut.* hunc enim inferorum fluvium eſſe antiqui fabulantur, quemadmodum ex Aretadis Cnidii lib. 2. rerum Macedonic. & Nymphodori Samii lib. 1. Heracl. doctiſſimus Apollonii Scholiaſtes commemorat, lib. 2. Argonaut. quo poëta dicit, Acherontem ſub terra multis volvi vorticibus, tandemque ſe ſumma vi è maximo ſpecu effundere. *Delrius.*

716. *Duplici*] Utroque fluvio Stygе & Acheronte. *Farnabius.*

719. *Pen-*

Pendent tyranni limina: hoc umbris iter;
Hæc porta regni, campus hanc circa jacet,
In quo superbo digerit vultu sedens
Animas recentes. dira majestas deo,
Frons torva; fratrum quæ tamen speciem gerat,
Gentisque tantæ: vultus est illi Jovis,
Sed fulminantis. magna pars regni trucis
Est ipse dominus; cujus aspectum timet,
Quidquid timetur. *Amph.* Verane est fama, inferis
Tam sera reddi jura, & oblitos sui
Sceleris nocentes debitas pœnas dare?
Quis iste veri rector, atque æqui arbiter?
Thes. Non unus alta sede quæsitor sedens
Judicia

719. *Pendent*] Propter specum inflexum & descendentem. *Farnabius.*

720. *Hæc porta regni.*] Verbum de barbaricis regnis & olim hodieque usurpatum. Xenophon ἀναβασ. β. παραδόντως τὰ ὅπλα, ἰόντως ἐπὶ τὰς βασιλέως θύρας, ὅ ἐρώτησις ἦν τι δωσων. ἀγαθόν. Diodorus Siculus lib. 14. ὅτι λέγλ ὁ βασιλεὺς Ἀρταξέρξης, ἐπειδὴ νενίκηκε Κῦρον ἐπὶ Σκιλείνας, παρήγγειλε τὰ ὅπλα, καὶ ἐπὶ τὰς θύρας αὐτῶ βαδίσασθες, ζητεῖτε, πῶς αὐτὸν εὐθέρως πόσαντες ἀγαθῶ τινὸς μεμελάδηκε. Adde Leonclavium ad Xenophontem. *Gronovius.*

722. *Recentes.*] Quæ de novo advectæ sunt. *Farnabius.* *Dira majestas Deo,*] Flor. *dei.* Gronovius. Plutonis forma etiam à Claudiano describitur lib. 1. de raptu Proserpin. *Ipse rudi fultus solio, nigraque verendus Majestate sedet: squallent immania fædo Sceptra situ: sublime caput mœstissima nubes Asperat, & diræ riget inclementia formæ.* Sed Senecam non adæquavit. *Delrius.*

723. *Fratrum*] Iovis & Neptuni. *Farnabius.*

725. *Sed fulminantis.*] Sed Iovis irati & fulminantis. *Idem.*

726. *Cujus aspectum timet*] Flor. *adspectus.* Gronovius.

727. *Quidquid*] Ipsi manes horridi. *Farnabius.*

728. *Tam sera reddi jura,*] Post tot annos fieri judicia de nocentibus & examinari, *Quisquis apud superos furto lætatus inani Distulit in seram commissa piacula mortem.* sup. v. 579. *Idem.*

731. *Alta sede*] Tribunali. *à ritu Rom.* Tribunali, non subsellio. tribunal altius, & fixum: minorum judicum subsellia inferiora, & loco movebantur. subselliis judices delegati utebantur: tribunal erat judicum ordinariorum. maxime ejus, qui inter ceteros primus, & quasi præses. vide Polletum lib. 1. Fori Romani cap. 6. *Delr. Quæsitor*] Vide Agam. vers. 24. *Farn.* Quæsitores, qui judicio præerant: ideo illi tribunal tribuit. Cicero pro Fonteio: *quid mihi opus est sapienti judice? quid æquo quæsitore?* Quærere, nonnunquam significat judicio præesse. Cicero pro Rabirio: *Accusavi de pecuniis repetundis, judex sedi, Prætor quæsivi.* porro quæsitorum genus duplex, de quo Broideus in Corollar. ad Polletum lib. 5. cap. 7. num. 2. vide Polletum lib. 3. de foro Roman. *Delrius.*

Judicia trepidis sera sortitur reis.
Aditur illo Gnossius Minos foro;
Rhadamantus illo; Thetidis hoc audit socer.

Quod

Sedens,] Sedere sollemne judicibus dum judicabant, de quo alibi: interea consulere potes Pollet. l. 1. c. 5. *Delr.*

732. *Iudicia trepidis sera sortitur reis.*] Observant translatum à Romano ritu. Vere, sed quo? In gravibus enim & dubiis causis tabellas literis, *C.* condemnationis, *A.* absolutionis, *N.L.* ampliationis inscriptas, in cistam vel urnam conjectas sortitione dedisse reis vel salutem vel capitis periculum. Sed tam dubiæ & graves causæ possunt esse privatorum quam publicorum judiciorum. Debebant ergo dicere, in publicis judiciis seu quæstionibus hoc esse factum. Deinde superfluum bis annotant illum ritum, qui nihil ad rem pertinet. Aliud est sententiam ferre, aliud *judices sortiri*. Nemo unquam veterum sententiæ lationem, etsi in urnam tabellæ conjicerentur *sortitionem* dixit. *Iudicia sortiri* est judices legere, id enim fiebat per sortem: judices sorte ducere: quod erat quæsitoris, conjectis omnium judicum nominibus in urnam, eum numerum educere, qui lege, qua judicium exercebatur, definitus erat: inde *rejectio*, & postea *subsortitio*. Hoc proprie: hic porro per synecdochen partis *judicia sortiri* pro exercere judicia ponitur. Quemadmodum *postulare*, *deferre nomen*, *subscribere*, *jurare calumniam*, quæ singulæ partes sunt accusationis, pro legitima accusatione, seu omni accusandi ordine & opere satis frequenter accipiuntur. *Gronovius.*

733. *Auditur illo*] Legebam, *Auditor*. Nota in libris Iuris, *Auditorium principis*, *auditorium præfecti prætorio*, *auditoria judicum & magistratuum*; sic *auditorio adesse*, pro in judicio præsto esse, & *recipere auditorium*, pro recipere judicandi munus, & similia. Auctor Dialogi de causis corr. eloq. *Quantum virium detraxisse orationi auditoria & tabularia credimus, in quibus jam fere plurimæ causæ explicantur.* Sic & in veteri membrana scriptum inveneram, & in margine sui libri notaverat Grotius. Potior tamen mihi semper Etrusci codicis auctoritas, in quo, *Aditur illo*: cum præsertim hoc quoque verbum fori Romani sit proprium hac significatione. Cicero post reditum in Senatu: *Cum L. Cæcilius direptoribus meorum bonorum in jus adeundi potestatem non fecerit.* Cæsar Civilis primo: *quascumque postea controversias inter se milites habuerunt, sua sponte ad Cæsarem in jus adierunt*, lib. 2. in Verr. *antequam in jus aditum esset, antequam mentio controversiæ facta.* Valer. Maxim. lib. 3, 7. *Scipio cum oppidum Badiam circumsederet, tribunal suum adeuntes in ædem, quæ intra mœnia hostium erat, vadimonia in posterum diem facere jussit.* Idem lib. 7, 7. *A quibus aditus divus Augustus & nuptias mulieris & suprema judicia improbavit.* Seneca de Tranquill. animi: *qui inter peregrinos & cives, aut urbanus prætor adeuntibus adsessoris verba pronunciat.* Gronov. *Cnossius*] Cretensis, à Cnosso Cretæ urbe. *Farn. Minos furo*;] Rhadamantum & Æacum Iovis filios reges justos umbrarum judicio præfecit Pluto, Minoa arbitrum instituit, si quid difficile aut ἀπόῤῥητον incideret, *Et de te splendida Minos Fecerit arbitria.* Farnab. Poëtæ tres inferorum judices constituerunt, sicut & Plato in Gorgia. Idem tamen Plato in Apolog. Socratis, & Cicero 1. Tusc. Minoi, Rhadamantho, & Æaco, quartum adjungunt Triptolemum. *Delrius.*

734. *Thetidos hoc audit socer.*] De Benef. 3, 22. *Atqui de injuriis domorum in servos qui audiat, positus est.* Gronov.

UNIVERSITÄTS BIBLIOTHEK WUPPERTAL

Quod quisque fecit, patitur: auctorem scelus
Repetit, suoque premitur exemplo nocens.
Vidi cruentos carcere includi duces,
Et impotentis terga plebeia manu
Scindi tyranni. Quisquis est placide potens,
Dominusque vitæ servat innocuas manus,
Et incruentum mitis imperium regit,
Animæque parcit: longa permensus diu
Felicis ævi spatia, vel cœlum petit,
Vel læta felix nemoris Elysii loca,
Judex

Gronov. *Thetidis*] Æacus pater Pelei, cui Thetis peperit Achillem. *Farnab.*

735. *Quod quisque*] Vid. suprà vers. 226. *Idem.*

736. *Suoque*] Sibi non imperantis, crudelis, qui vivus plebi infligere verbera gaudebat. *Idem.*

739. *Quisquis*] Quicunque in vivis citra insolentiam usus est sua potentia, vel quisquis placide sibi suisque affectibus imperavit, vitæ suæ æquus moderator. *Idem.*

742. *Animoque parcit;*] Si vera esset lectio, verior quoque foret interpretatio Gruteri, *animo parcere* esse, minus commoveri & moderari animo. Sed plane liber optimus *Animæque parcit.* Gronovius. *Animæque parcit;*] Id est, vitæ civium. *Farnab.* Haud aliter triga nostrorum, & Scholiastes: tantoque confidentius admisi, quod placeret Lipsio, Deltio, Commelino. Qui tamen, *Animo parcit*, hoc interpretantur, *non contaminat animum crudelitate.* nescio an satis exprimant vim verborum: parcit enim animo, qui ei moderatur, qui ei non indulget. Ovidius lib. 1. de Ponto Eleg. VI. *Parcendum est animo miserabile vulnus habenti.* Arnobius lib. 7. advers. Gentes: *Ut parvuli pusiones quo animus parcant, abstineantque ploratibus, passerculos, pupulos, equuleos, panes accipiunt, quibus avocare se possint.* Quem locum injurie vexat Colvius Notis in Apuleium lib. 8. dum modo tentat rescribere, *quo lacrimis parcant;* modo, *quo animos pascant.* Gruterus. *Longa*] Post longam & felicem vitam. *Farnabius.*

743. *Vel cœlum*] Vel per ἀποθέωσιν, in divorum numerum refertur. *Farnabius.*

744. *Vel læta*] Vel migrat in Elysium. vid. Troad. vers. 942. *Idem.*

744. *Nemoris Elysii loca, Judex futurus.*] Hæc distinctio est à Grutero, volente dici, reges omnes, qui comi animo populos regunt, fieri à morte judices inferorum: non enim tantum tres facere judices Platonem, sed & Triptolemum καὶ ἄλλους ὅσοι τῶν ἡμιθέων δίκαιοι ἐγένετο, idemque Herculi promittere Chorum in Oetæo, v. 1556. Non illepide. Primò enim meminisse debemus in Elysio fingi quemque imaginem pristini muneris, quo vivus fungebatur, referre: ut mirum non sit illos judicare, qui religiosi judices in superis fuissent. Ovidius lib. 4. *Parsque forum celebrant, pars imi tecta tyranni: Pars aliquas artes antiquæ imitamina vitæ Exercent: aliam partem sua pœna coërcet.* Dein convenit hæc fictio pulchre illis, quæ modo notavimus de sortitione judicum apud inferos. nam auctor Minoi, Æaco, Rhadamanto, non tam judicum aptat personam, quam Quæsitorum vel prætorum, qui cum suo quisque consilio selectorum judi-

Judex futurus. Sanguine humano abſtine,
Quicunque regnas. ſcelera taxantur modo
Majore veſtra. *Amph.* Certus incluſos tenet
Locus nocentes? utque fert fama, impios
Supplicia vinclis ſæva perpetuis domant?
Theſ. Rapitur volucri tortus Ixion rota.
Cervice ſaxum grande Siſyphia ſedet.
In amne medio faucibus ſiccis ſenex
Sectatur undas, abluit mentum latex;
Fidemque cum jam ſæpe decepto dedit,
Perit unda in ore: poma deſtituunt famem.
Præbet volucri Tityos æternas dapes.
Urnaſque fruſtra Danaides plenas gerunt.

Errant

cum cauſas cognoſcant. Has ergo decurias vult conſcribi ex Vmbris piorum & magiſtratuum. *Gronovius.*

746. *Scelera taxantur modo Majore veſtra.*] Sic & Etruſcus, non *noſtra.* Interpres: plectuntur majore modo quam hic apud nos vel majore menſura & pœna, quam ſcelera commiſſa erant, cum quiſque patiatur eodem genere quo peccavit. Perperam. Ait enim: veſtra, ô reges & magiſtratus, ſcelera habentur graviora & majore modo pœnæ afficiuntur quam ſcelera privatorum & tenuiorum hominum. Eſt autem verbum, quo amat uti Seneca. De clementia, 2, 7. *& abſolvere illi licet & quanti vult, taxare litem.* Ad Marciam c. 19. *tanti quodque malum eſt quanti illud taxavimus.* Epiſt. 24. *quodcumque illud eſt malum, tecum ipſe metire, & timorem tuum taxa.* De benef. 4, 36. *quanti promiſſi mei verba taxentur.* Gronovius.

750. *Rapitur*] Iunonem de adulterio interpellare auſus è nube, quam Iupiter pro Iunone ſubjecit, Centauros genuit. Dum vero gloriatur ſe cum regina Deorum rem habuiſſe, fulmine ad inferos detruſus rotæ ſerpentibus implexæ alligatus *volvitur aſſiduus, dum ſe refugit que fugitque.* Farnabius.

751. *Cervice*] Vid. Hippolyt. verſum 1226. *Idem.*

752. *In amne*] Tantalus, vel quod Pelopem diis epulandum appoſuiſſet; vel quod ad deorum ſecreta admiſſus ea evulgaſſet, apud inferos Eridano fl. mento tenus immerſus, *Quærit aquas in aquis & poma fugacia captat.* vide Thyeſt. act. 1. *Idem.*

754. *Fidemque*] Cum jam feciſſet Tantalo ſpem ſe poſſe eam capere. *Id.*

756. *Præbet*] Vide Hippol. verſum 1228. *Idem. Tityus*] Lucretius: *Sed Tityus nobis hic eſt, in amore jacentem, Quem volucres lacerant, atque exeſt anxius angor, Aut alia quavis ſcindunt torpedine curæ.* eleganter hæc explicat Pierius lib. 18. Hieroglyph. *Delrius.*

757. *Vrnaſque*] L. Danai filiæ quæ & Belides ab avo Belo, patris juſſu maritos ſuos, filios Ægypti, prima nocte peremerunt omnes ad unam, hac pœna damnatæ, ut aquam pertuſis ſitulis ſeu urnis haurientes dolium item perforatum implere nitantur. *Farnabius. Danaides plenas ferunt.*] Etruſcus, *gerunt.* Parum intereſſe putes: tamen hoc fere verbo hac in re uti malunt. Plautus Pſeudolo: *Non pluris refert, quam ſi imbrem in cribrum geras.* Cato de

Errant furentes impiæ Cadmeides.
Terretque mensas avida Phineas avis.
Amph. Nunc ede nati nobilem pugnam mei.
Patrui volentis munus, an spolium refert?
Thes. Ferale tardis imminet saxum vadis,
Stupent ubi undæ, segne torpescit fretum:
Hunc servat amnem cultu & aspectu horridus,
Pavidosque manes squallidus gestat senex;
Impexa pendet barba, deformem sinum
Nodus coërcet, concavæ lucent genæ,
Regit ipse conto portitor longo ratem:

Hic

de re rustica cap. 152. *si quando non pluet, uti terra sitiat, aquam irrigato leniter in areas: si non habebis, unde irriges, gerito inditoque leniter.* Plautus Casina: *Ita te aggerunda curvom aqua faciam probe.* Pœnulo: *Aggerundaque aqua sunt viri duo defessi.* Gronovius.

758. *Cadmeides.*] Cadmi filiæ Agave, Ino, Autonoë, quæ Penthеum dilaceraverunt. *Farnabius.*

759. *Avis.*] Harpya. vide Thyesten, vers. 153. *Idem.*

761. *Patrui*] Accepitne Cerb. donum à volente Plutone patris sui Iovis fratre, an spolium ab invito Plutone abactum? *Idem.*

763. *Stupente ubi unda*] Etruscus: *Stupent ubi undæ, segne torpescit fretum.* Non pejus profecto quam cæteri. *Gronovius.*

764. *Amnem*] Styga. *Farnabius.*

765. *Pavidos manes*] Animas tremente. *Id. Squallidus gestat senex;*] Des. Heraldus non satis æquo animo fert *gestat*, malitque *vectat*, 1. Adv. 12. Illud tamen omnes habent libri. Et ne omnino condemnem, facit Cornelius Celsus, qui gestationem navi agnoscit. Lib. 2, 14. *Gestationum levissima est navi vel in portu vel in flumine, vehementior in alto mari.* Nat. quæst. 5. ult. *Dedit ventos ut commoda cujusque regionis fierent communia; non ut legiones equitemque gestarent; ut pernicioſa gentibus arma transveherent.* Tacit. lib. 2. histor. *Ex urbe atque Italia irritamenta gulæ gestabantur, strepentibus ab utroque mari itineribus.* Gronovius. *Senex;*] Charon, cujus descriptio ex Æneid. 6. petita. *Farnabius.*

766. *Impexa*] *Cui plurima mento Canicies inculta jacet.* Idem. *Deformem*] *Sordidus ex humeris nodo dependet amictus.* Idem.

767. *Concavæ lucent genæ,*] Gregales libri sic habent: lucemque vel ab oculis vel à macie extrema sunt imaginati. Plane imaginosum. Et ut *lucentes* paullo honestius quam *lugentes* conjecere: tamen potissimus liber accedit illis, ex quibus olim productum fuit, *squallent.* Quod cum præcedens tertius versus refutet, legas censeo cum Nic. Heinsio: *concavæ pallent genæ.* Solus enim color hactenus in descriptione Charontis videtur omissus. Sic apud Ovidium, *Invidiæ Pallor in ore sedet.* Sic Statio prima Thebaïde: *pallorque ruborque Purpureas hausere genas.* Idem lib. 2. *Palleutes erecta genas.* Gronovius.

768. *Portitor*] Vel quia portorium capit, quo respexit Propertius: —*ubi portitor ære recepit:* vel quia vehit. nam pro vectore simpliciter utuntur Columella, Lucanus, & Martialis. *Delrius.*

Hic onere vacuam littori puppim applicans
Repetebat umbras; poscit Alcides viam,
Cedente turba: dirus exclamat Charon;
Quo pergis audax? siste properantem gradum.
Non passus ullas natus Alcmena moras,
Ipso coactum navitam conto domat,
Scanditque puppem. cymba populorum capax
Succubuit uni. sedit, & gravior ratis
Utrimque Lethen latere titubanti bibit.
Tunc victa trepidant monstra, Centauri truces,
Lapi-

769. *Litori*] Citeriori, ad petendas animas. *Farnabius.*

770. *Repetebat umbras;*] Frequenti vitio librorum omnes & editi & scripti sequiores, *undas.* Quod dum numero ingerendum, velut superstitione, ligatos eruditorum animos tenet, genuit ridiculas, quod necesse fuit, & insanas interpretationes. Nam, quid est: ut facilius exscenderet, repetebat altam paludem? quam illi sententiam perspicuam esse aiunt. Si ad litus advertebat, non eodem momento repetebat undas: si revehebatur in altum, non uno tempore litori puppem applicabat. At forte stetit in prora undas repetituro similis: immo adeo undas repetens; quod animæ minimo momento cymbam erant repleturæ. Fateor hoc esse subtile. Quasi tamen evicisset, *repetere undas* dici navem, quæ subducta non fuit, aut portitorem, qui nullam exscensionem fecit. Nam, ut iterando, *Vndas, undas*, significaverit Charon conscendendum esse, (quod uni & alteri viro erudito aliudiavit) certus sum, si sic loquebatur Charon, nulli quidem Latinæ Vmbræ intellectum fuisse. Putassent siquidem eum, ut Teia illa apud Propertium, aquas inclamasse incendio: aut lætari aquis conspectis, ut illi apud Xenophontem, & Statium: & sic tamen poëtice magis quam humane locutum: nisi forte, contra votum navigantium optare illum tempestatem. Neminem certe ad navigandum vocantium illæ suspicarentur dicere, *Vndas, undas.* Desinamus ineptiarum, *Repetebat umbras,* ut Lipsianus, etiam Etruscus. Hoc erat onus, quod ille ex litore vacua nave identidem petere credebatur. Et si nullus haberet liber, tamen ita esset restituendum. Peccant securæ nimium sollicitæque manus. *Gronovius.*

771. *Charon;*] Arbiter & Iuvenalis vocant Porthmea: hic Sat. 3. — *tetrumque novitius horret Porthmea:* ille vero, *vix navita Porthmeus:* nec frustra geminantur hæ voces. aliud enim navitæ, aliud sæpe portitoris officium. *Delrius.*

775. *Cymba*] *Gemuit sub pondere cymba Sutilis, & multam accepit rimosa paludem.* Farnabius.

776. *Sedit, & gravior ratis*] Scripsit, opinor, *sidit.* Gronov. *Gravior*] Onerata majori pondere, quam solebat advectis umbris. *Farnabius.*

778. *Tunc vasta trepidant monstra.*] Optime Florent. *Tunc victa trepidant.* Sensus formatus e Virgilii sexto: *At Danaum proceres Agamemnoniaque phalanges Vt videre virum, fulgentiaque arma per umbras, Ingenti trepidare metu.* Gronovius. *Centauri*] Omnium rerum simulachra apud inferos esse perhibentur, sicut animæ apud superos: hæc vero vivo victore tremuerunt. Hercul. Oet. 1706. *Farnabius.*

Hos

Lapithæque multo in bella succensi mero.
Stygiæ paludis ultimos quærens sinus
Fecunda mergit capita Lernæus labos.
Post hæc avari Ditis apparet domus:
Hic sævus umbras territat Stygius canis,
Qui trina vasto capita concutiens sono
Regnum tuetur: sordidum tabo caput
Lambunt colubræ: viperis horrent jubæ:
Longusque torta sibilat cauda draco;
Par ira formæ. sensit ut motus pedum,
Attollit hirtas angue vibrato comas,
Missumque captat aure subrecta sonum,
Sentire & umbras solitus. ut propior stetit
Jove

Hos etiam cum Hydra Virg. 6. Æneid. in foribus inferorum statuit. *Delrius.* Quos Ixion è nube genuisse fingitur superne humana forma, inferne equina: hi primi ex equis pugnabant, ut & Lapithæ frenos & strata equorum invenisse dicuntur. Vterque Thessaliæ populus super mero ferox, ut in Pirithoi nuptiis. *Farnabius.*

779. *Multo ad bella succensi mero.*] Aberat editis olim præpositio. Adjecit Delrius hanc è suis, spreta quæ erat in Lipsiano, *in bella*: subscripsitque Gruterus, etsi omnes Pall. carerent utrovis. Sed Lipsiano præstat auctoritatem Etruscus. Virgilius lib. 11. Æneidos: *Quos ubi confertos ardere in prælia vidi.* Silius Italicus lib. 6. *in pugnamque & Martem & prælia & hostem Igneus.* Gronovius.

780. *Stygiæ*] Hydra mergit ima Styge capita fœcunde repullulantia, sup. vers. 289. *Farnabius.*

784. *Qui trina*] *Cerberus hæc ingens latratu regna trifauci Personat.* Id.

787. *Sibilat*] Pilos habet serpentinos & Draconem pro cauda. *Idem.*

788. *Par iraformæ.*] Terribilis forma, terribilis ira. *Idem.*

790. *Aure subjecta sonum,*] Lipsius emendat, *subrecta.* Cui correctioni etsi accedentem veterem librum, *surrecta* exhibendo, invenisset, tamen refragatur vir doctus: primum cum videatur *comis sublatis* opponere Poëta *subjectas aures*; deinde quia cernamus canes aliquos, ubi ex longinquo sonitum persentiscunt, auribus & oculis submissis, eundem quasi venari. Sed his rationibus pendendis aptior erit locus, cum ostenderit *subjicere oculos* vel *aures* esse idem quod submittere vel dejicere: id enim priusquam testimonium videam, pro Latino admittere non possum. Interim nos cum Etrusco tenebimus, *aure subrecta*: vel propter Terentianum, *arrige aure, Pamphile,* & Virgilii, *arrectisque auribus adstant:* atque etsi *subjicere* sciamus interdum esse mittere in altum, tamen nec hic id tempestivum & vetustissimo codici serviendum censemus. Plinius 8, 32. de Cervis: *cum erexere aures, acerrimi auditus; cum remisere, surdi.* Et l. 10, 48. *Phasianæ geminas ex pluma aures submittunt subriguntque.* 11, 37. *Aures in equis & omni jumentorum genere indicia animi præferunt, fessis marcidæ, nutantes pavidu, subrectæ furentibus, resolutæ ægris.* Gronovius.

791. *Sentire*] Etiam leves umbras auditu explorare solitus. *Farnabius.*

Jove natus, antro sedit incertus canis,
Et uterque timuit. ecce, latratu gravi
Loca muta terret, sibilat tortos minax
Serpens per armos: vocis horrendæ fragor
Per ora missus terna felices quoque
Exterret umbras. solvit à læva ferox
Tunc ipse rictus, & Cleonæum caput
Opponit, ac se tegmine ingenti clepit:
Victrice magnum dextera robur gerens,
Huc nunc & illuc verbere assiduo rotat,
Ingeminat ictus. domitus infregit minas,
Et cuncta lassus capita submisit canis,
Antroque toto cessit. extimuit sedens
Uterque solio dominus; & duci jubet:
Me quoque petenti munus Alcidæ dedit.
Tunc gravia monstri colla permulcens manu
Adamante texto vincit: oblitus sui

Custos

792. *Sedit*] Vulgo *cedit*. Nunquam tam cito; postmodum forte cederet dira bellua. an ergo, *cedit*, quod habent Lipsii & Veneti omnes, significat cedere cœpit; præfero lectionem Eguiani, & Moguntini, & Herbipolens. & Lugd. *sedit*: qui jacebat, Hercule adveniente non dignatus in pedes surgere, sed dumtaxat anteriori corporis parte paulisper sese erigere, posteriore sedere. & hoc molossicum. *Delrius*. Et meus, & olim editus, *antro sedit*. recte. Non enim fugit, nec decuit Cerberum: sed assedit, ambiguus quietis an pugnæ. *Lipsius*. M. S. o. *sedit*, proba lectio; id est dubius hæsit. Nam si cessisset Canis, Herculi, utpote fugato hoste, nihil erat timendum. at versu demum 804. antro cedit. *Commel*.

793. *Timuit*.] Sup. vers. 45. *Farn*.

795. *Serpens*] Serpentini pili, jubæ è serpentibus. *Farnabius*.

798. *Rictus*,] Pellem Cleonæi leonis sinistro suo brachio obvolutam solvit, qua se tegit opposito capite cani. ἠραχλῆς, inquit Apollod. χειρωσάμενος τὸ λέοντος, τῷ μὲν δορᾷ ἠμφιάσατο· τῇ κάρᾳ δὲ ἐχρήσατο κόρυθι. *Idem*.

799. *Clepit*:] A κλέπτω, quod & ipsum à κρύπτω. qui enim clam & latenter quid subtrahit, idem occulit tegitque. *Idem*.

800. *Robur*] Clavam. *Idem*.

802. *Infregit*] Remisit minas, deposuit iram. *Idem*.

803. *Cuncta*] Tria, al. centum, *bellua centiceps*. Idem.

804. *Antroque*] Aditum dedit Herculi. *Idem*.

805. *Uterque solio dominus*;] Pluto & Proserpina. *Id*. *Duci*] Addicitque canem Herculi ducendum, quo libeat. *Id*.

806. *Me quoque*] Et Herculi petenti dedit me in vinculis ibi detentum, qui cum Pirithoo adveneram ad rapiendam Proserpinam. *Idem*.

808. *Adamante*] Catena è solido ferro. solidas enim durasque res appellant Poëtæ adamantinas, veluti ex adaman-

Custos opaci pervigil regni canis
Componit aures timidus; & patiens trahi,
Herumque fassus, ore submisso obsequens
Utrumque cauda pulsat anguifera latus.
Postquam est ad oras Tænari ventum, & nitor
Percussit oculos lucis ignotæ, novos
Resumit animos victus, & vastas furens
Quassat catenas: pene victorem abstulit,
Pronumque retro vexit, & movit gradu.
Tunc & meas respexit Alcides manus:
Geminis uterque viribus tractum canem
Ira furentem, & bella tentantem irrita,
Intulimus orbi. vidit ut clarum æthera,
Et pura nitidi spatia conspexit poli,
Oborta nox est, lumina in terram dedit,
Compressit oculos, & diem invisum expulit,
Aciemque retro flexit, atque omni petiit
Cervice terram: tum sub Herculea caput

Abscon-

adamante factas, *Quis Martem tunica tectum adamantina, &c.* Legitur etiam *Adamante texto vinxit.* Farnab. *Sui*] Suarum virium, & solitæ ferociæ. *Id.*

811. *Herumque*] Agnoscens Here. sui domitorem & dominum. *Idem.*

812. *Cauda*] Adulando in obsequium. *Idem.*

813. *Ad oras*] Ad extremas & summas portas speluncæ Tartareæ. suprà vers. 586. *Idem. Nitor*] Postquam clara lux superæ auræ suo fulgore Cerberi oculos hujusmodi luci non assuetos perstrinxit, resumit priorem ferociam & indignans reluctatur. *Idem.*

814. *Lucis ignotæ, novos Resumit animos victus,*] Sic à conjectura Rutgersii. Vulgo, *bonos.* Lipsius malle ait: *lucis ignotæ bono:* non addito, fuerintne libri veteris ea, an ab ipso excogitata scriptura. Sed quia occurrit eadem Zinzerlingo in Thuringico & Rutgersio in Morelli exemplari scripto, & ante omnia nobis in Etrusco, vetisimile est fuisse illius quoque membranarum. Commendat eam Zinzerlingus loco Senecæ epist. 79. *adhuc nondum fruitur bono lucis,* & Statii 8. Theb. *Iucundaque offensus luce profatur.* Censeo scripsisse auctorem, *ignoto bono.* Et nitor lucis percussit oculos ignoto bono: vel nitor cœli percussit oculos ignoto bono lucis. Tacitus 2. annal. *sed prompti aditus, obvia comitas, ignotæ Parthis virtutes, nova vitia.* Nec insuave esset, *ignotum bonum,* per ἐπεξήγησιν. *Gron.*

818. *Respexit*] Professus sibi mea ope & manu auxiliari opus esse. *Farn.*

819. *Geminis*] Herculis & meis. *Id.*

823. *Oborta*] Tenebris assueto caliginem induxit Sol, declinavit oculos ad terram, imo clausit, ne lucem admitterent. *Idem.*

825. *Omni*] Vel tota cervice, id est, pervicaciter, vel *omni*, id est, triplici cervice. *Idem.*

826. *Sub Herculea caput*] Florentiæ legitur: *Herculeas umbras.* Gron.

Abscondit umbra. Densa sed læto venit
Clamore turba, frontibus laurum gerens,
Magnique meritas Herculis laudes canit.

828. *Clamore turba,*] Chorus è plebe Thebana lauro in lætitiæ atque victoriæ signum coronatus canit. *Farnabius.*

CHORUS THEBANORUM.

Chorus Herculis victoriam ex inferis reportatam canit, & cæteras illius laudes admiscet.

Natus Eurystheus properante partu,
Jusserat mundi penetrare fundum:
Deerat hoc solum numero laborum,
Tertiæ regem spoliare sortis.
Ausus est cœcos aditus inire,
Ducit ad manes via qua remotos
Tristis, & silva metuenda nigra:
Sed frequens magna comitante turba.
Quantus incedit populus per urbes
Ad novi ludos avidus theatri:
Quantus Eleum ruit ad Tonantem,

Quinta

830. *Properante*] Cum Iupiter inter Divos dixisset de die quo Hercules natus foret, cæteris illum dominaturum, qui eo die nasceretur. Iuno per Lucinam remorata Alcmenæ partum, uxoris Stheneli regis Mycenarum partum acceleravit, unde natus est Eurystheus septimo mense. *Farnabius.*

831. *Fundum:*] Medium terræ centrum, in quo inferos plerique locabant. *Idem.*

833. *Tertiæ*] Plutonem, cui in Saturni patris possessionum divisione inferorum imperium sorte obvenerat. *Idem.*

837. *Frequens*] Frequentata magno descendentium numero. *Idem.*

838. *Quantus*] Non rarior quam coit multitudo ad novos ludos theatrales. 2. ad Olympica certamina. 3. ad Cereris Sacra. *Idem.*

839. *Ad novi ludos avidus theatri:*] Tunc enim res exspectatior. Eo magis placere hoc poterat scriptum illo ævo, quod ludos hujusmodi viderant homines Romæ, sive sub Claudio dedicante Pompejanum theatrum, quod ambustum restituerat, ut est apud Suetonium cap. 21. sive sub Nerone in amphitheatro ligneo in regione Martii Campi intra anni spatium fabricato ludos dante, cujus meminit cap. 12. & Tacitus lib. 13. *Gronovius.*

840. *Eleum coit ad Tonantem,*] Recte collegit Gruterus, quia omnes fere Mss. *currit*, videri verum, quod in antiquo fuit Col. *ruit.* Et nobis obvium ubique fuit illud *currit*, præterquam in optimo: is plane, *ruit.* Virgilius lib. 6. Æn. *omnis turba ad ripas effusa ruebat.* Lib. 11. v. 236. *Olli convenere, ruuntque ad regia plenis Tecta viis.* Sic codex

Quinta cum sacrum revocavit æstas:
Quanta, cum longæ redit hora noctis,
Crescere

dex Etruscus antiquissimus, majusculis exaratus literis, cujus excerpta debemus Nic. Heinsio. Tacitus tertio annal. *multique etiam ignoti vicinis è municipiis, pars officium in principem rati, plures illos secuti, ruere ad oppidum Brundusium.* Ovidius, quod huc maxime proprium, l. 1. de arte: *Sic ruit ad celebres cultissima fœmina ludos.* Gron. *Eleum*] Concurrit ad ludos Iovis Olympici, qui prope Pisam Elidis urbem celebrantur. Elidi annumerat Strabo, quicquid inter Achaiam & Messeniam, usque ad mare jacet. *Delr.*

841. *Quinta*] Quarto quidem expleto anno, quinto ineunte, neque enim Olympias vel lustrum quinque absolutos annos complectitur. *Farnab. Revocavit*] Festum Iovi celebravit. *Id. Æstas:*] Annus vel æstas confecta Autumno jam cœpto, ubi longiores noctes & somnos reddit Sol in Libra ab æquinoctio autumnali. *Libra die somnique pares ubi fecerit horas.* Idem. Annus, sed inchoatus peractâ æstate, cœpto autumno. sic æstas sumitur Hercul. Oet. 597. sic *hiemes* à Catullo, & aliis. vide Corradum in lib. 1. Æn. *Delrius.*

842. *Cum longæ redit hora noctis,*] Etruscus, *nocti.* Et placet magis. Est dictum per hypallagen ἀντὶ τοῦ, *cum longa redit hora nocti.* Ex more veterum, quibus notum est diem tam hibernum quam æstivum & noctem tam æstivam quam hibernam fuisse duodecim horarum. Ita eveniebat necessario, ut per æstatem diurnæ nocturnis essent longiores, per hiemem breviores. Redeunt igitur longæ horæ noctibus, cum acceditur ad hiemem. Rutilius Numatianus similiter: *jam nocturnis spatium laxaverat horis Phœbus.* Vbi vir doctus interpretatur: nocturnæ horæ jam plures erant diurnis. Immo non erant plures, sed laxiores, productiores. Æque enim duodecim erant, ut antea. Hinc est, quod *horas æstivas* pro longioribus, *hibernas* vel *brumales* pro brevioribus ponunt, quales nempe diurnæ erant illis anni partibus: quasi quæ solæ essent tempestatis, non etiam nocturnæ: solis enim occasus suprema tempestas, & omnia nocturna, etiam præter intempestam noctem, intempestiva. Lib. 2. Antholog. Ἐν τρισὶν ὥρῃς γὰρ ἡελιοῦ μήλοις αἰθὰνεσ ὠκὺς. Martialis lib. 12. *Hora nec æstiva est, nec tibi tota perit.* Vegetius de re Milit. 1, 9. *Militari ergo gradu viginti millia passuum, horis quinque dumtaxat æstivis, conficienda sunt.* In contrarium Plautus Pseudolo: a. 5, sc. 2. *Credo equidem potesse te Massici montis uberrimos quatuor Fructus ebibere in hora una.* P. *hiberna, addito.* Vtpote quæ brevior sit. Ovidius lib. 4. meram. ad Phœbum amore Leucothoës captum: *Spectandique mora brumales porrigis horas.* Symmachus lib. 5. epist. 38. *Accesit hiemis contemplatio, quæ magno frigore & brevibus horis lucis moratur excursus.* Sic Censorinus finitum tempus elegantissime ait *ad ætatem infinitam non esse brumalis unius instar horæ.* Paullinus Natali nono Felicis: *Nunc te, cara dies, rapido nimis aëre nobis Temporis hiberni lex subtrahit, & brevitas Cogit hiems horas, cita lumine, pigra tenebris.* Et Augustinus, horam brumalem æstivæ comparatam minorem esse. Hinc intelligendum illud Principis Poëtarum lib. 1. Georg. *Libra die somnique pares ubi fecerit horas.* Intellige non numero, sed spatio: numero enim & ante pares erant & semper. Vir doctus adfectata quadam deductione, ut loquitur, quod dierum esset, adscripsisse horis ebrium vult Pseudolum, & multa in hanc rem effundit lib. 2. Adverf. 19. & lib. 5, 7. Atqui nulla est affectatio, nulla deductio, neque opus fingere, quid possit videri, cum revera tales fuerint horæ

diurnæ,

Crescere & somnos cupiens quietos
Libra, Phœbeos tenet æqua currus,
Turba secretam Cererem frequentat,
Et citi tectis properant relictis
Attici noctem celebrare mystæ:
Tanta per campos agitur silentes
Turba: pars tarda gradiens senecta,
Tristis, & longa satiata vita:
Pars adhuc currit melioris ævi,
Virgines nondum thalamis jugatæ,
Et comis nondum positis ephebi,
Matris & nomen modo doctus infans:
His datum solis, minus ut timerent,
Igne prælato relevare noctem.
Cæteri vadunt per opaca tristes:
Qualis est nobis animus, remota Luce,

diurnæ, æstate prolixiores, hieme contractiores: noctes autem, ut demonstravimus, in hac ratione extra tempestatem seu tempus habeantur. Præstrictus tamen Censorini & Augustini verbis, spatia horarum hieme atque æstate aliter ordinata fuisse videri agnoscit, ut hiemales essent breviores & plures, æstivæ longiores & pauciores. Si duo vocabula omisisset, *plures & pauciores*, crederem in viam rediisse: hæc enim novum produnt errorem, quali in universum tam nocturnæ quam diurnæ horæ fuerint æstate longiores, hieme breviores, & propterea non pati utroque tempore numero. Sed & cum relegat nos ad loci illius à nemine percepti, nedum digne enarrati explicationem, veteris est erroris manifestus. *Gronovius.*

845. *Secretam*] Mystica Cereris Eleusinæ sacra sup. v. 300. *Farnab.*

846. *Citi*] Mystæ enim δαδοῦχοι facem accensam tenentes currebant ad templum Cereris, prius Eleusin. *Idem.*

Tectis relictis] Per agros celebrabantur hæc Cerealia, & noctu. Attici enim diem à solis occasu auspicabantur. *Id.*

848. *Tanta*] Tanta multitudo frequentat viam illam ad inferos. *Idem.*

851. *Pars adhuc*] Qui sunt fortioris ætatis currere valent. *Idem.*

853. *Comis*] Ephebi, qui nondum comam (quam, ut dignoscerentur impuberes à puberibus, aluerunt) detondebant, eamque pro more, numinis alicujus aræ consecrabant. *Idem.*

854. *Matris*] Qui jam primum didicerat appellare matrem, quam modo mammam vocabat. *vel*, matris nomen pronunciare. *Infantumque animæ flentes in limine primo Quos dulcis vitæ experteis, & ab ubere raptos, Abstulit atra dies, & funere mersit acerbo.* Virg. Æneid. 6. *Idem.*

855. *His datum*] His infantibus concessum præferre cereum vel candelam, quæ tenebras & timorem arceat; ut adultis facem. *Idem.*

857. *Cæteri*] Cæteri manes per loca illa obscura descendunt, animo non minus tristes, quam si quis nostrûm hic per tenebras præceps decideret in foveam seu antrum profundum. *Farn.*

860. *Obru-*

Luce, cum mœstus sibi quisque sentit
Obrutum tota caput esse terra.
Stat chaos densum, tenebræque turpes,
Et color noctis malus, ac silentis
Otium mundi, vacuæque nubes.
Sera nos illo referat senectus.
Nemo ad id sero venit, unde nunquam,
Cum semel venit, potuit reverti.
Quid juvat durum properare fatum?
Omnis hæc magnis vaga turba terris
Ibit ad Manes, facietque inerti
Vela Cocyto. tibi crescit omne,
Et quod Occasus videt, & quod Ortus:
Parce venturis; tibi, Mors, paramur:
Sis licet segnis, properamus ipsi.
Prima quæ vitam dedit hora, carpit.
Thebis læta dies adest:
Aras tangite supplices,

Pin-

860. *Obrutum*] Alludit hic poëta ad loca subterranea similia Cryptæ Neapolitanæ, quam ipsemet nobis descripsit Epistola LVII. *Nihil illo carcere longius, nihil illis faucibus obscurius, qua nobis præstant, non ut per tenebras videamus, sed ut ipsas, &c.* Quæ consulantur: ex iis enim lux petenda est huic loco. *Gruterus.*

861. *Stat chaos*] Non moventur confuse illius voraginis tenebræ densæ & quasi palpabiles. *Farnabius.*

862. *Color noctis*] Tenebræ coloris expertes sunt: nocti tamen Poëtæ tribuunt atrum colorem, qui doloris & luctus proprius est, malum appellant Romani *nigrum*. Idem.

863. *Vacuæque*] Pluviæ inanes, & nubium tantum simulachra. *Idem.*

867. *Properare*] Non periculis objiciendo, & fatis quasi eundo obviam. *Idem.*

869. *Facietque*] Omne humanum genus Stygiam paludem trajiciet. *Id.*

870. *Tibi*] Neque aliud vita est quam ad mortem via. *Vt enim in utero præparamur vitæ; sic in hac vita illi loco, &c.* Senec. epist. 102. *Idem.* Hortatur populum, ut sospite Hercule Diis gratias agant. *Delrius.* Ab Euripide, ut multa alia, Θήβαις ἱερὸν φῶς. Et paulo ante, χορεῖ χορεῖ δ' Ἰαλίεμ μέλεσι Θήβαις. Quod noster, *Solennes agitent choros.* Scalig.

874. *Dedit hora, carpsit.*] Etruscus, *carpit.* Tractat eundem locum leviter Seneca epist. 24. non repente nos in mortem incidere, sed minutatim procedere. Hoc est enim, *vitam carpi*, vel nos à morte carpi. Iustinus elegantter lib. 15. *cum carpi sesingulos ab Antigono viderent.* Manilius: *Nascentes morimur, finisque ab origine pendet.* Quem sensum multis illustrat Batthius. *Gron.*

876. *Aras*] Sacrificate: Supplicibus enim precantibus, sacra facientibus & jurantibus manu aras tangere moris erat. *Farnabius.*

879. *Cho*

Pingues cædite victimas:
Permistæ maribus nurus
Solemnes agitent choros:
Cessent deposito jugo
Arvi fertilis incolæ.
Pax est Herculea manu
Auroram inter & Hesperum:
Et qua Sol medium tenens
Umbras corporibus negat.
Quodcunque alluitur solum
Longo Tethyos ambitu,
Alcidæ domuit labor.
Transvectus vada Tartari
Pacatis redit inferis.
Jam nullus supereſt timor:
Nil ultra jacet inferos.
Stantes sacrificus comas
Dilecta tege populo.

ACTUS

879. *Choros.*] Choreas, in sacris enim saltare solitum. *Idem.*

880. *Cessent*] Ferientur agricolæ à laboribus. *Idem.*

883. *Auroram*] Ab Auroræ ortu ad occasum vesperi. *supra* v. 35. Ab India ad mare Atlanticum. *Idem.*

884. *Et qua*] Meridiem versus, ubi Sol verticalis non reddit corporibus umbram, ut in Syene civitate in confinibus Æthiopiæ atque Ægypti, directa & perpendiculari linea sub æstivo Tropico sita, sole in Cancro existente, nulla de corporibus sexta hora jactatur umbra. *Idem.*

886. *Quodcumque abluitur soli*] Etruscus, *alluitur*. Rectius Virgilius: *mare quod supra, memorem, quodque alluit infra.* Nempe, Italiam. Curtius lib. 4. *Terrarum, quas Oceanus hinc alluit, illinc claudit Hellespontus.* Lib. 8. *Mare, quo alluitur, ne colore quidem abhorret à cæteris.* Frontinus Stateg. 1, 4. *Cum alterum latus ejus transitus abscisi montes premerent, alterum mare allueret.* Vbi vulgo idem vitium. Prudentius 1. περὶ στεφ. *colonos, quos Iberus alluit.* Gronovius.

887. *Tethyos*] Vxoris Oceani, pro mari. *Metonymice.* Farnabius.

891. *Iam nullus*] Et ipsis infetis devictis non est quod ultra timeamus. *Id.*

893. *Stantes*] Horrentes & arrectas, sacerdote sc. afflato divinitus in re divina. *Idem. Sacrificus*] Sacrifice: Antiptos. *Idem.*

894. *Populo*] Herculi sacra, qua coronatus descendit ad inferos: alii ferunt Herculem ex alba populo in ripa Acherontis inventa sibi coronam contexuisse, Κοσμῖ δ' ἔχων λεύκην πεφυκὼς ἱερὸν ἔρνος. Idem.

ACTUS QUARTUS.

HERCULES. THESEUS. AMPHITRYON. MEGARA.

Hercules à cæde Lyci reversus advocatis Diis sacra facturus in furorem vertitur, & ὑπὸ μανιάδος νόσου τὰς φρένας διαστραφεὶς suam uxorem cum liberis occidit, deinde in somnum labitur.

Herc. Ultrice dextra fusus adverso Lycus
Terram cecîdit ore: tum quisquis comes
[illegible]at tyranni, jacuit & pœnæ comes.
[illegible]c sacra patri victor & superis feram,
Cæsisque meritas victimis aras colam.
Te, te, laborum socia & adjutrix, precor,
Belligera Pallas, cujus in læva ciet
Ægis feroces ore saxifico minas.

Adsit

895. *Vltrice dextra fusus*] Etruscus, *Victrice*. Idem sequenti, *cecîdit*, pro quo *pugnavit* Gruterus, non *petivit*. Gronovius.

896. *Terram cecîdit*] Solus forte Aristides Orat. contra proditores mysteriorum, ea negat Herculi contigisse, quæ de furore illius hoc actu narrantur. *Delrius*. Cur Critici retinere maluistis? *Terram petivit*: an quia minus Latine? at dicitur, opinor, *cædere pugnis, calcibus, &c.* an quia prima syllaba producitur? ita arbitrabatur amicus meus: falso. nam & infra ecce versu 1036. *Tibi hunc dicatum maximi conjux Iovis Gregem cecîdi.* & Iuvenalis Satyrâ III. *petulans qui nullum forte cecîdit.* Bonum igitur factum, quod lectionem omnium m.ss. revocaverim, ejectâ aliâ spuriâ. Ceterum quod placet Commentatori novo, fortes fere terram momordisse, ne quis gemitus anteactâ vitâ indignus à circumstantibus exciperetur; haud ei accesserim, gnarus tale ab omnibus promiscue fieri, qui proni cadunt. proni, inquam: caditur namque etiam in latera, in tergum; ut pluribus demonstravi in Dissertatiunculis meis ad Cornelium Tacitum. *Gruterus*.

899. *Meritas aras*] Deorum sic meritorum. *Farnabius*. Quibus pro accepto beneficio victimæ debentur. sic sumunt Ovidius & alii, quos congerit Brissonius l. 1. Formul. pag. 114. *Delr.*

900. *Laborum socia*] Pallas Herculi se ad omnia certamina ducem præbuit, & Hercules quandocumque sibi contra hostes, quorum metuenda vis videbatur, tela dirigenda, in Minervæ auxilio spem ponebat. auctor Aristides orat. in Minervam, eo respicit. *Id.*

901. *Belligera*] Quam belli & consilii Deam (ut quæ clypeo & hasta armata è Iovis cerebro sit nata) Hercules in omni certamine præsentem habuit ducem, præsidem, auxiliatricem. *Farn.*

902. *Ægis*] Vide Agamem. v. 524. *Idem.* Scutum Palladis, cui Medusæ caput infixum contectum pelle capræ Amaltheæ; quam poëtæ modo Iovi, modo Palladi tribuunt. Martialis ait fuisse thoracem Palladis, Musæus & Homerus Iovis thoracem: Lactantius

Iovis

Adsit Lycurgi domitor & rubri maris,
Te[illegible]n virenti cuspidem thyrso gerens:
Geminumque numen, Phœbus & Phœbi soror,
Soror sagittis aptior, Phœbus lyræ;
Fraterque quisquis incolit cœlum meus,
Non ex noverca frater; huc appellite
Greges opimos. quidquid Indorum seges,
Arabesque odoris quidquid arboribus legunt,
Conferte in aras; pinguis exundet vapor.
Populea nostras arbor exornet comas:
Te ramus oleæ fronde gentili tegat,
Theseu. Tonantem nostra adorabit manus:
Tu conditores urbis, & silvestria
Tru-

Iovis clypeo; Seneca & Pausanias Minervæ scuto inducunt. Palladis autem hic habitus, pro lorica, ei pellis Pallantis necati; in casside, Typhon cælatus; in dextra, hasta plusquam cubitûm quatuor; in læva scutum cum eburneo Gorgonis capite; in talis, pennæ ejusdem Pallantis & pone cubans draco. dicitur è Iovis capite hastam vibrans, unde & nomen sortita, prosiluisse. Eadem belli præses & oleæ inventrix fingitur: quia videlicet justis bellis pax invenitur, & bella ad pacem stabiliendam geri debent. *Delrius.*

903. *Lycurgi*] Bacchus, qui, Lycurgi Thraciæ regis vites omnes è Thracia in Bacchi odium exscindere conantis falcem in sua crura convertit, illique furorem immisit, quo correptus uxorem & liberos trucidavit, ipse denique à Pantheris in Rhodope dilaniatus est. *Farn. Rubri maris*] Quod Bacchus transvectus Indiam primus devicit. Thyest 370. *Idem.*

904. *Cuspidem*] Pampinis inviolatam hastam. supra v. 72. *Idem.*

905. *Phœbus*] Diana semper venatrix. Apollo Arcitenens & ἑκηβόλος, sed lyræ sibi à Mercurio donatæ sæpe vacans: Musarum scil. præsidio celebris. *Farnab.*

907. *Fraterque*] Et quicunque indigetes Iovis filii sunt, sed non ex Iunone. *Idem.*

908. *Huc appellite*] Admovete huc ô famuli victimas pinguiores. *Idem.*

909. *Opimos.*] Oves *lectæ*, porci *eximii*, boves *egregii* dicebantur vel opimi. *Idem. Quidquid*] Quicquid aromatum vel thuris præbet India terra ferax & Arabia. *Idem.*

910. *Odoris*] Odoriferis arboribus, Oed. 117. *Idem.*

911. *Pinguis*] E victimis incensis pinguis vapor, id est, κνίσσα exundet, alii leg. *exudet.* vel *thus pingue.* *Idem.*

912. *Populea*] Supra v. 893. *Idem.*

913. *Gentili*] Theseus enim rex Athenarum. Olea autem ejusdem urbis propria est, utpote pacis symbolum, nata in contentione Palladis cum Neptuno de nomine & tutela urbis. *Idem.*

915. *Dii conditores*] Hanc vitio natam scripturam omnes fatentur. Post Delrii & Gruteri conjecturas adscripserat illustris manus: *Diis condita arces.* Sed verum exspectandum fuit ex membranis Etruscis. Hæ tres hos versus cum quarto dimidiato continuant in persona Herculis; verba autem sic concipiunt: *Tu conditores*: mox, *nobilis*

Trucis antra Zethi, nobilis Dircen aquæ,
Laremque regis advenæ Tyrium coles.
Date thura flammis. *Ampb.* Nate, manantes prius
Manus cruenta cæde & hostili expia.
Herc. Utinam cruorem capitis invisi Deis
Libare possem, gratior nullus liquor
Tinxisset aras. victima haud ulla amplior
Potest, magisque opima mactari Iovi,
Quam

bilis Dircenaque; quod est, *nobilis Dircen aquæ:* & in fine tertii, *Tyrium coles.* Sensu prompto & aptissimo: Ego adorabo Iovem; tu, Theseu, veneraberis deos patrios & penates Thebanorum. Nam Theseæ prævertere precari, antequam thus esset impositum aræ, deinde in mediis precibus hoc recordari, & thura poscere; aut hic præire Theseæ, mox continuare Herculem, aut cum Theseus jam incepisset, demum Herculem ab Amphitruone moneri; quæ vulgata significat: aut Herculem tanto ambitu & circumlocutione sacrorum ministros poscere thura, vel denique Thesei precationem, dum accelerare vult sacrum, ab Hercule interpellari: hæc, inquam, omnia paria monstra sunt. *Gronovius. Conditores*] Cadmum, qui Iovis monitu primus Thebas condidit, & Amphiona, qui testudinis à Mercurio donatæ sono saxa ad arcis Thebanæ constructionem traxit. *Farnabius. Silvestria*] Speluncas Cithæronis Bœotiæ montis, quo Dirces vinculis soluta Antiope fugiens peperit enutrivitque Zethum agrestem, immanem, ἄμουσον, cum fratre Amphione. *Alii legunt,* Ceti, *ut sit antrum immanis illius serpentis & ingentis & instar Ceti* à Cadmo cæsi, supra vers. 259. *Farn.*

916. *Trucis antra Zethi*] Alii, *Theti*, al. *Ceti.* utrumque falsum existimo. nam quum deos urbis conditores invocet, non dubito quin ex Apollodori Bibliothecæ libr. 3. legendum sit *Zethi;* Γαμεῖ Ζήθῳ μὲν Θήβας, ἀφ' ἧς ἡ πόλις Θῆβαι. verum si hoc nomine serpentem intelligas, ut veteres Glossatores omnes, hærebis. serpentem enim occidit Cadmus, Cadmum vero Zethus. adde quod serpentem qui ad fontem Dircen à Cadmo necatus fuit, Dercyllum Euripidis interpres Græcus nominat. *Commel. Dirces aquæ*] Vid. Theb. v. 126. *Farn.* Dirce quia Antiopam, Amphionis & Zethi matrem, persequebatur; ab iis crudeliter necata, ut declarat Nicocrates in Cypriis, postea in fontem conversa fuit, Euripid. in Bacchis. *Delr.*

917. *Regis advenæ*] Cadmi à Tyro huc advecti quæsitum sororem Europam. *Farnabius.*

918. *Manantes*] Nam *sacra manus à cæde recentes Attrectare nefas donec te flumine vivo Abluerit.* Idem.

920. *Capitis*] Tyranni. *Idem.*

923. *Opima*] Sicut oves pinguiores & candidiores, *lectæ*; & porci maximi, excepti ad sacrificia *eximii*; sic boves totius armenti pulcherrimi & electissimi, *egregii*, vel *opimi.* ideo rite ait, *victima opima*; ut & Seneca 1. de benefic. & in Oedip. & Plinius lib. 10. & Ovid. 4. de Ponto Eleg. 9. *Albave opimorum colla ferire boum.* Varro lib. 2. de re rust. *Boves altiles ad sacrificia publica saginati, dicuntur opimi.* Festus autem: *Hostiæ*, inquit, *opimæ, præcipuæ, pingues: & spolia opima, magnifica & ampla. Græci* κρατίστα λάφυρα vocant, ut Plutarch. in Marcello. Etymologiam nominis Plutarchus tradit in Romulo. *Delrius.*

Quam rex iniquus. *Amph.* Finiat genitor tuos
Opta labores: detur aliquando otium,
Quiesque fessis. *Herc.* Ipse concipiam preces
Iove meque dignas. Stet suo cœlum loco,
Tellusque & æther: astra inoffensos agant
Æterna cursus: alta pax gentes alat:
Ferrum omne teneat ruris innocui labor:
Ensesque lateant: nulla tempestas fretum
Violenta turbet: nullus irato Jove
Exsiliat ignis: nullus hyberna nive
Nutritus agros amnis eversos trahat:
Venena cessent: nulla nocituro gravis
Succo tumescat herba: non sævi ac truces
Regnent tyranni. Si quod etiamnum est scelus
Latura tellus, properet; & si quod parat
Monstrum, meum sit. Sed quid hoc? medium diem
Cinxere tenebræ: Phœbus obscuro meat
Sine nube vultu. quis diem retro fugat,
Agitque in ortus? unde nox atrum caput
Ignota profert? unde tot stellæ polum
Implent diurnæ? primus en noster labor
Cœli refulget parte non minima Leo,
Iraque totus fervet, & morsus parat;

Jam

925. *Opta*] Precare, ut Iupiter finem tandem statuat tuis laboribus. *Farnabius.*

927. *Stet suo*] *Vota hæc concipit ac pronunciat Hercules.* Constans & inviolata maneat mundi machina. *Idem.*

928. *Astra inoffensos*] Illæsa & inconcussa maneat cœli machina. *Delr.*

930. *Ferrum*] Nullus sit ferri usus nisi in agro colendo, in rustica instrumenta conflentur arma omnia. *Farn.*

933. *Ignis*] Fulmen. *Idem.*

934. *Agros*] Sata & agrorum proventus. *Idem.*

939. *Meum*] Me adhuc vivo, me monstrorum domitore, qui illa deleam. *Idem. Sed quid*] Arrogantiam hanc Herculis excipit furor, quo correptus videtur, quæ non sunt, videre. *Idem.*

940. *Phœbus*] Obscuratur sol, nulla tamen nube interposita. *Idem.*

941. *Retro*] Orientem versus. *Idem.*

942. *Vnde nox*] A qua cœli parte? *vel* unde fit ut media die oriatur noctis facies, stellæque appareant. *Idem.*

944. *Primus*] Ecce Leo Cleonæ, qui mihi è laboribus primus, jam vero in Zodiaco positus, minax & jubam stellis rutilam jactans, uno saltu transmittet signa Autumalia, & Hyemalia. *Idem.*

948. *Et*

Jam rapiet aliquod ſidus : ingenti minax
Stat ore, & ignes efflat, & rutila jubam
Cervice jactat : quidquid autumnus gravis,
Hiemſque gelido frigida ſpatio refert,
Uno impetu traſiliet : & verni petet
Frangetque Tauri colla. *Amph.* Quod ſubitum hoc ma-
Quo nate vultus huc & huc acres refers? (lum eſt?
Acieque falſum turbida cœlum vides?
Herc. Perdomita tellus, tumida ceſſerunt freta,
Inferna noſtros regna ſenſere impetus:
Immune cœlum eſt ; dignus Alcidæ labor.
In alta mundi ſpatia ſublimis ferar:
Petatur æther, aſtra promittit pater.
Quid ſi negaret? non capit terra Herculem,
Tandemque ſuperis reddit. en ultro vocat
Omnis deorum cœtus, & laxat fores,
Una vetante. recipis, & reſeras polum?

An

948. *Et rutila jubam Cervice jactat:*] Sic à Lipſii conjectura receptum eſt. At Etruſcus : *& rutilam jubam Cervice jactans.* Quo impellor, ut rectius editum ante Lipſium putem, *rutilat :* ſive accipias ὀδετέρως, ut *rutilantia ſidera* dicuntur : ſive, quaſi τὸ *jubam* bis poſitum eſſet: rutilat jubam jactans eam cervice mota. Eſt enim de capillis idem quod criſpare. Sic apud Catonem, *crinem cinere rutilare*, & apud Tacitum, *propexum rutilatumque crinem.* Gronovius.

949. *Quidquid*] Ait videre ſe leonem ad ſaltum paratum, uno ſaltu cuncta autumnalia & hiemalia ſimul ſigna, medium Zodiacum, tranſmiſſurum, ut Taurum, ſidus vernale invadat. *Delrius. Gravis,*] Fœcundus fructibus. vel, febrium cohorte gravis. *Farnabius.*

954. *Acieque*] Veluti caligant oculi à ſublato de ventriculo vapore : ita ubi halitus turbidi ab atra bile ſurſum feruntur concipiunturque in cerebri venis, imaginatio læditur, unde falſo judicant ſenſationes: & inſequitur θηριώδης παραφροσύνη & μελαγχολία, quæ tamen ſummis ingeniis plerumque accidit. ſic Herculi cœlum falſum, i. obſcurum apparebat, cum ſudum eſſet. *Idem.*

955. *Perdomita*] Terra, mari, inferis devictis reſtat cœlum viribus meis intentatum, quod opus cum labore meo dignum ſit, proxime aggrediar. *Idem.*

957. *Dignus Alcidæ labor.*] Nic. Heinſius legit, *Alcida.* Gronovius.

959. *Aſtra*] Sup. v. 23. *Farnab.*

960. *Non capit*] Non eſt capax mei, nihil habet amplius circa quod verſetur labor meus. Imitatur Varronis illud apud Nonium de Hercule, *Iccirco quem terra non cepit, cœlum recepit.* Id.

961. *Superis*] *Vel* quia, Iove genitum. *Vel*, ex diſciplina Platonicorum qui animas in cœlis prius fuiſſe cenſebant, quam in corpora demitterentur. *Id.*

963. *Vna*] Iunone. *Idem. Recipis,*]

An contumacis januam mundi traho?
Dubitatur etiam? vincla Saturno exuam,
Contraque patris impii regnum impotens
Avum resolvam. Bella Titanes parent
Me duce furentes: saxa cum silvis feram,
Rapiamque dextra plena Centauris juga.
Jam monte gemino limitem ad superos agam.
Videat sub Ossa Pelion Chiron suum:
In cœlum Olympus tertio positus gradu
Perveniet, aut mittetur. *Amph.* Infandos procul
Averte sensus: pectoris sani parum,
Magni tamen, compesce dementem impetum.
Herc. Quid hoc? gigantes arma pestiferi movent:
Profugit umbras Tityus, ac lacerum gerens
Et inane pectus, quam prope à cœlo stetit?
Labat Cithæron, alta Pallene tremit,
Mace-

Ad quam furens convertit sermonem, inquiens, utrum referabis cœlum ô Iuno, meque recipies? an mavis me obstantis indignantisque cœli janua diffracta per vim intrare? *Farnab.*

965. *Vincla*] Ni facias, Saturnum avum meum vinculis illi à filio Iove injectis exuam, ut regnum à Iove occupatum repetat. *Idem.*

966. *Patris*] Patris mei, id est, Iovis in patrem suum impii. *Idem. Regnum*] Regnum insolenter occupatum, Tyrannidem. *Idem.*

967. *Titanes*] Titanis filii, qui paterni regni (quo Titanem expulerat Saturnus) recuperandi causa contra Iovem bella moverunt. sup. v. 79. *Id.*

968. *Saxa cum silvis traham,*] Quicumque fide suorum Mss. hoc reliquerunt, (Delirium feciſſe puto) fecere, quod Etruscus factum non mutat. Attamen, *feram*, lepidius Grutero Memini apud Virgilium 1. Georg. de Eridano: *camposque per omnes Cum stabulis armenta tulit.* Sed nec in altero quidquam illepidi. Nam apud eundem secunda Æneide: *camposque per omnes Cum stabulis armenta trahit.* Gronov.

969. *Plena*] Montes Thessaliæ, quos incolunt Centauri, supra v. 777. *Farn.*

970. *Monte*] Iter & ascensum ad cœlum struam injecto Pelio Ossæ, & huic tertium superstruam gradum Olympum, qui si ad cœlum non perveniat, montem ego illum in cœlum jaculabor. *Idem.*

971. *Ossa Pelion*] Montes Thessaliæ. *Idem. Chiron*] E Centauris justissimus, qui in cœlum translatus Sagittarius est. Thyest. 859. *Idem. Suum*] Montem, quem ipse incoluerat. *Idem.*

975. *Magni*] Vt ut magni. *Idem.*

976. *Quid hoc?*] *Imaginatur se videre Gigantes bella Iovi inferentes.* Id. *Pestiferi*] Pernicioſi, anguipedes.

977. *Profugit*] Ruptis vinculis aufugit ex inferis Tityus, de quo supra vers. 755. *Lacerum*] Laniatum & exesum jecur. vers. 1206. *Farn.*

978. *Quam prope*] Quam prope cœlum contigit? *Idem.*

979. *Cithæron*] Bœotiæ mons. *Id. Pallene*] Vrbs Thraciæ. *Idem.*

980. *Mar-*

Macetumque Tempe. rapuit hic Pindi juga.
Hic rapuit Oeten. sævit horrendum Mimas.
Flammifera Erinnys verbere excusso sonat,
Rogisque adustas propius ac propius sudes
In ora tendit. sæva Tisiphone caput
Serpentibus vallata, post raptum canem,
Portam vacantem clausit opposita face.
Sed ecce proles regis inimici latet,
Lyci nefandum semen. inviso patri
Hæc dextra jam vos reddet. excutiat leves
Nervus sagittas. tela sic mitti decet
Herculea. *Amph.* Quo se cœcus impegit furor?

Va-

980. *Marcentque Tempe.*] Non Tempe profecto, sed sensus hic marcet. Ocius rescribe ex optimo libro: *alta Pallene tremit Macetumque Tempe.* Hic enim, in Macedonia dico, *sacro nemore nobilia Tempe*, Melæ verbis, 2, 3. Hoc autem vocabulum passim apud Poëtas corruptum est. Bis apud Lucanum, lib. 2, 647. *Grajorum Macedumque.* & lib. 5, 22. *In Macedum terras:* nam utrobique boni codices, *Macetum.* Vt & apud Silium lib. 13. extremo: *bella vocet Macetum instaurare sub armis.* Et lib. 15. *Macetum subitis perculsa ruinis.* Et alibi. *Gronovius.*

Tempe.] Sup. vers. 285. *Farnabius.*

981. *Horrendum*] Horrendè. *Idem.*

Mimas.] Gigas. *Idem.*

982. *Flammifera*] Face armata furia. *Idem. Verbere*] Flagello. *Idem.*

983. *Rogisque*] Intentat faces in rogis accensas. *Idem.*

984. *Tisiphone*] Vltrix furia anguibus crinita loco Cerberi à me rapti januam custode vacantem oppositâ face defendit. *Idem.*

987. *Proles*] *Hercules filios suos, quos pernicioso furore correptus Lyci esse existimat, interimit.* Idem.

988. *Inviso*] Demittet vos in Orcum ad patrem à me cæsum. *Idem. Inviso patri Hæc dextra jam vos reddet.*] Alloquitur per furorem filios suos, quasi Lyci suboles essent. Nihil hic mutant lib. veteres, nihil hucusque suspiciari sunt eruditi. Censeo tamen auctorem scripsisse, *Invito.* Nam in eo est acumen. Solent alias volentes gaudentesque patres recipere liberos, à quibus separati fuere. At vos ille recipiet ingratiis, quippe quos superesse mallet & genus propagare & patrem ulcisci. *Gronovius.*

990. *Nervus*] Chorda arcus. *Idem. Sic mitti*] Non à scopo proposito aberrantia, verum quodcunque minabuntur, ferientia. vid. Oetæum v. 1652. *Farnabius.*

991. *Quo se cœcus invergit furor?*] Non esse putat Delrius, cur cuiquam hæc lectio displiceat: at multis placiturum haud dubitat, quod ipse ex Moguntino, ex Pall. quibusdam protulit Comelinus, *immergit.* Ex multis illis ego quidem non sum: est quoque cur vulgata displiceat: scilicet, quia liber antiquissimus: *quo se cœcus impegit furor?* Quum & in suo Lipsius invenit. Sane *invergere* sensu ignavum & minus efficax quam *impingere:* & est hoc verbum ex crebro Senecæ usurpatis. De ira 2, 8. *Expulso melioris aquioriscque respectu, quocumque visum est, libido se impingit.* Virgilius 5. Æn. *cum*

Vastum coactis flexit arcum cornibus,
Pharetramque solvit. stridet emissa impetu
Arundo. medio spiculum collo fugit
Vulnere relicto. *Herc.* Cæteram prolem eruam,
Omnesque latebras. quid moror? majus mihi
Bellum Mycenis restat: ut Cyclopea
Eversa manibus saxa nostris concidant,
Huc eat & illuc aula disjecto objice,
Rumpatque posteis. columen impulsum labet.
Perlucet omnis regia. hic video abditum
Gnatum scelesti patris. *Amph.* En, blandas manus
Ad genua tendens, voce miseranda rogat.
Scelus nefandum, triste, & aspectu horridum,
Dextra precante rapuit, & circa furens

Bis

Troïa Achilles Exanimata sequens impingeret agmina muris. Gronovius. *Amph. Herculem è scena ne pueros coram trucidet exeuntem insequitur observaturus quid agat, redit, narratque, quid intus gestum sit.* Farnabius. Veteri, *cæcus impedit*, sed appâret ante fuisse, *impegit*. erasum est. *Lipsius.*

994. *Medio spiculum*] Hoc est, per medium collum transivit. Fugisse autem dicit, ut sagittæ emissæ velocitatem indicet. *Delrius.*

995. *Cæteram*] Prius hîc omnia loca abdita scrutabor. deinde excindam Mycenas & ulciscar Eurystheum regem Mycenarum, qui mihi tot dura imperavit. *Farnabius.*

997. *Cyclopea*] Mycenæ Cyclopum opus perhibentur, eorum, qui turrium construendarum inventores feruntur, numero septem è Lycæa, ἵνα τείχεα λάϊνα κυκλώπων, ἁρμόνια νέμοντες. Eurip. Troad. verum omnia magnæ molis opera Cyclopum credebantur, *Mœnia magna vides manibus fabricata Cyclopum.* Idem.

999. *Aula disjecto objice*] Flor. *dejecto.* Petronius: *sera sua sponte delapsa cecidit, reclusæque subito fores admiserunt intrantem.* Ovidius lib. 14. *porta cecidisse repagula.* Gronovius.

1000. *Columen.*] Hoc est, culmen. sic passim capit noster. *Delrius.*

1001. *Procumbat omnis regia*] Etruscus: *Perlucet omnis regia.* Passim scilicet parietibus columnisque dejectis perforata. Sic furens imaginatur. Plautus Rudente: *Ita omnes de tecto deturbavit tegulas. Illustriores fecit, fenestrasque indidit.* Virgilius lib. 9. Æneid. *Qua rara est acies, interlucetque corona Non tam spissa viris.* Frontinus Strateg. 2, 3. *ea ipsa intervalla expeditis velitibus implevit, ne interluceret acies.* Gron. *Hic video*] *Alterum è liberis suis comprehendit, receditque è scena.* Farn.

1002. *En, blandas*] Riccius lib. 1. de imitat. omnia putat in Scenâ coram geri. Melius Oblanca; Amphytruonem tanquam introspicientem ista loqui; sic tamen, ut cum hæc intus gerantur, quandocunque loquitur, quasi per transennam populum adspiciat, Hercules vero ista gerens non videatur à populo, sed audiatur tantum. *Delr.*

1003. *Genua*] V. Troad. vers. 689. *Farnabius.*

1005. *Dextra precantem rapuit,*] Etrus-

Bis ter rotatum misit: ast illi caput
Sonuit; cerebro tecta dispersо madent.
At misera parvum protegens natum sinu
Megara, furenti similis è latebris fugit.
Herc. Licet Tonantis profuga condaris sinu,
Petet undecunque temet hæc dextra, & feret.
Amph. Quo misera pergis? quam fugam, aut latebram
Nullus salutis Hercule infensо est locus:
Amplectere ipsum potius, & blanda prece
Lenire tenta. *Meg.* Parce jam conjux precor,
Agnosce Megaram; natus hic vultus tuos,
Habitusque reddit: cernis, ut tendat manus?
Herc. Teneo novercam: sequere, da pœnas mihi,
Jugoque pressum libera turpi Jovem.
Sed ante matrem parvulum hoc monstrũ occidat.
Meg. Quo tendis amens? sanguinem fundes tuum?

Amph.

Etruscus: *precante.* Manu, qua rogabar, illum prehendit: nam manus tendere supplicantium. *Gronovius. Introspiciens Amphitryon narrat quam miseranda morte perierit puer à patre circumactus & parieti allisus.* Farnab.

1007. *Sonuit: cerebro tecta*] Ita novem Mss. unus tantum, *Sonuit cerebro terra*; quomodo perperam hactenus vulgatur. nam in sublime missus infans tecta aspersit cerebro, non terram. Sed nec illud *Sonat*, quod nonnulli modo revocarunt, hèic convenit, planeque abit à Mss. *Gruterus.*

1008. *Misera*] *Megara infantem complexa fugit è penetralibus quibus latuerat, quam insequitur Hercules, per furorem Iunonem eam esse putans.* Farn.

1010. *Licet*] Conjugias licet in complexum Iovis tui, ego te insequutus inde eripiam. *Idem.*

1012. *Quam fugam aut latebras petis?*] Etruscus, *latebram.* Cicero 2. de divin. *Sed te mirificam in latebram conjecisti.* Et infra noster: *latebram longinquam abditam.* Et statim: *Hercule infesto*: ut & omnes Delrii. non *infenso.* Malit autem N. Heinsius: *Nullus saluti est Hercule infesto locus.* Gronovius.

1016. *Megaram*] Me uxorem tuam. *Farnabius. Vultus*] Filius hic facie & corpore patrem suum refert cum meæ pudicitiæ argumentum, tum causa satis digna cur & ipsi parcas. *Idem.*

1017. *Cernis,*] Cernis ut ad te tendat manus supplices? *Idem.*

1018. *Teneo novercam:*] Videtur sibi Iunonem tenere in uxore, eamque interficit. *Idem. Sequere,*] Filios tuos ad necem *vel* me trahentem. *Amovetque è scena intus digna geri.* Idem. *Da pœnas*] Tot laborum mihi imperatorum, odiique tui in me. *Idem.*

1019. *Jugoque*] Zelotypæ & rixosæ conjugio. *Idem.*

1020. *Ante*] *Vel* in conspectu matris, *vel* priusquam matrem interficiam. *Idem. Parvulum hoc monstrum auferam.*] Simplicius Etruscus: *monstrum occidat.* Gronovius.

1021. *Sanguinem*] Filium, quem ipse genuisti. *Farnab.*

Amph. Pavefactus infans igneo vultu patris
Perit ante vulnus: ſpiritum eripuit timor.
In conjugem nunc clava libratur gravis.
Perfregit oſſa: corpori trunco caput
Abeſt, nec uſquam eſt. cernere hoc audes nimis
Vivax ſenectus? ſi piget luctus, habes
Mortem paratam. pectus in tela indue;
Vel ſtipitem iſtum cæde monſtrorum illitum
Converte. falſum ac nomini turpem tuo
Remove parentem, ne tuæ laudi obſtrepat.
Theſ. Quo te ipſe, ſenior, obvium morti ingeris?
Quo pergis amens? profuge, & obtectus late,
Unumque manibus auferHerculeis ſcelus.
Herc. Bene habet: pudendi regis exciſa eſt domus,
Tibi hunc dicatum maximi conjux Jovis
Gre-

1022. *Pavefactus*] Vide quæ ad verſ. 991. & verſ 1004. *Idem. Igneo*] Ardentibus & ſcintillantibus Hercul. furioſi oculis. *Et igneo quodam ſplendore radiaſſe Hercul. oculos tradidit Ian Chius.* Idem.

1023. *Perit*] Timore exſpiravit infans, antequam percuſſus ſit. *Idem. Spiritum rapuit timor.*] Etruſcus & Voſſianus: *eripuit.* Gronovius.

1025. *Trunco*] Detruncato. *Farn.*

1026. *Nec uſquam*] Caput clava conciſſum in minuta fruſtula & contritum periit, evanuitque *more animæ.* Idem. *Cernere*] *Cur hæc in tempora duro? Cur diu vivendo ea, quæ nolo video?* Imo cur ſuſtineo videre aut tam triſti ſpectaculo ſuperſtim? *Idem.*

1027. *Habes*] Habes mortem ad manum, portum & libertatem abhis malis. *Stoice*, ſup. v. 425. *Idem.*

1029. *Vel ſtipitem*] Objice te clavæ iſti Herculis. *Idem.*

1030. *Converte*,] In me. *Idem. Falſum*] Me patrem tuum falſo habitum, cum Iup. vere ſit & qui gloriæ tuæ ſplendorem offuſcare poſſim, amove neci datum. *Et hæc dicit irritans & provocans Herculem, ut & eum tollat.* Idem.

1032. *Quo te ipſe, genitor, obvium*] Agnoverat Lipſius poſſe ferri ex more, quo ſenes omnes patres dicimus: tamen cum hæc Theſei ſint verba, non eſſe cauſſam, cur non ſtaret à veteri & veritate: *te ipſe, ſenior.* Repugnavit amicus, quaſi alterum ſit adfectui magis movendo, cum minus ſit ſenem occidere quam patrem. Inde fidentior Gruterus, apage, inquit, illum, qui contextui inducit, *ſenior*: cui nullus favet Pall. Tanto hercle pejores. Favet enim illi vetuſtiſſimus liber, nec indiget affectus illa ſignificatione locus. Pat culpa librariorum apud Statium in Lacrimis Etruſci, ubi fecere, *genitor mitiſſime patrem*, pro *ſenior*, quod vult res & libri veteres. *Gronovius.*

1033. *Profuge*,] Ne & te patrem occidat. *Farnabius.*

1035. *Pudendi*] Lyci tyranni, ut putabat. *Idem.*

1036. *Tibi hunc*] Hoc dicit in Iunonis, quæ Lyco favebat, irriſionem, *nimis autem vere prædicat ſe Iunoni vota ſolviſſe, neque enim quicquam Iunonis am-*

Gregem cecîdi. vota persolvi libens
Te digna: & Argos victimas alias dabit.
Amph. Nondum litasti nate, consumma sacrum.
Stat ecce ad aras hostia, exspectat manum
Cervice prona. præbeo, occurro, insequor:
Macta. Quid hoc est? errat acies luminum,
Visusque mœror hebetat. An video Herculis
Manus trementes? vultus in somnum cadit,
Et fessa cervix capite summisso labat;
Flexo genu jam totus ad terram ruit:
Ut cæsa silvis ornus, aut portus mari

Da-

amplius in votis erat, quam ut uxorem & liberos interimeret. atque furens obliviscitur se modo Iunonem voluisse occidere. Farnabius.

1038. *Te digna*] Mihi infestos & malos mactavi infesto maloque numini. *Vel*, digna te crudeli numine. *Idem. Et Argos victimas alias dabit.*] Nicol. Heinsius legebat: *at Argos.* Gronov. Argos profectus tibi & Eurystheum mactabo. Eurysth. quidem Mycenarum rex, sed Argos & Mycenas poëtæ confundunt. *Farnabius.*

1039. *Nondum*] *Vrget Hercul. Amphitryon inquiens*, uxori & liberis à te cæsis ego supersum, ego placida ante aras hostia sto, mortem à te expectans, expetens. *Idem.*

1042. *Errat acies luminum,*] *Herc. vehementi labore exagitantis furiæ defatigatus, tremebundus denique in somnum labitur. Sic autem Sophocles Ajacem, Euripides hunc ipsum Herculem consopitos prius inducunt, quam menti restitutos.* vers. 1050. & 1078. Idem. Hoc Stesichorus & Panyasis tradidere. addunt Thebani, præ insaniâ ipsum quoque Amphitryonem fuisse occisurum, nisi lapide à Minervâ jacto ictus somno se dedisset, eumque lapidem vocant, *auctorem reminiscentiæ.* ita Pausan. in Bœot. seu lib. 9. *Delrius.*

1043. *An video*] Fallor an video, &c. *Farnabius.*

1045. *Et fessa cervix*] Nimii labores somnum conciliant. nam illis vehemens calor excitatur; quo liquantur humores; hi cerebrum petentes ibi refrigerantur, & densati somnum adferunt: vel cum labore nimio vitales spiritus consumantur, refrigeratum corpus vim somni proferre non valet, sed opprimitur. Vide Argenterium lib. de somno. unde mirari non oportet tam laboriosum furorem Herculi somnum excitasse. *Delrius.*

1047. *Ut cæsa silvis ornus,*] Virg. 2. Æneid. *Ac veluti summis antiquam in montibus ornum Cum ferro accisam, crebisque bipennibus instant Eruere agricolæ certatim: illa usque minatur, Et tremefacta comam concusso vertice nutat, Vulneribus donec paulatim evicta, supremum Congemuit, traxitque jugis avulsa ruinam.* Simili comparatione tribus locis Iliad. δ'. ν'. & ϖ'. usus fuit Homerus: item Lucanus lib. 1. Pharsal. & Statius lib. 9. Thebaid. *Aut portus mari datura moles.*] Sic Virgil. 9. Æneid. *collapsarunt immania membra. Dat tellus gemitum, & clypeum super intonat ingens: Qualis in Euboico Bajarum litore quondam Saxea pila cadit; magnis quam molibus ante Constructam jaciunt ponto; sic illa ruinam Prona trahit, penitusque undis illisa recumbit.* Delrius. *Aut portus*] Aut pars rupis excisæ & ruentis in mare, quæ

Datura moles. vivis? an leto dedit
Idem, tuos qui misit ad mortem, furor?
Sopor est, reciprocos spiritus motus agit,
Detur quieti tempus, ut somno gravi
Vis victa morbi pectus oppressum levet,
Removete famuli tela, ne repetat furens.

objectu suo tranquillum reddat mare, portumque efficiat. *Farnabius.*

1048. *Motus,*] Scilicet arteriarum. *Vivis?*] *Appropinquans Amphytrion* inquit, vivis-ne, an idem furor qui te tuos occidere coëgit, & te interfecit? *Farnabius.*

1050. *Sopor est,*] *Hoc dicit tacta arteria vel observatis spirituum meatibus.* Idem.

1051. *Vt somno gravis Vis victa,*] Immo, *somno gravi Vis victa morbi,* ut habet Etruscus. Tali enim opus est adversus ingentem vim mali. Infra: *Preme devinctum torpore gravi.* Statius lib. 10. *& Aoniis longe gravis imminet arvis.* Sic contra *leves* eorum, qui non secure dormiunt ac supine. Horatius: *Nec leves somnos timor aut cupido Sordidus aufert.* Medici Latini somnum gravem & contra naturam vocant *pressuram.* Cælius Aurelianus l. 1. Acut. 17. *Atque hæc omnia gravando pressuram magis quam somnum facere videntur.* Idem alibi *oppressionem* dicit. *Gronov. Vt somno gravis*] Vide quæ ad v. 1041. *Farnabius.*

1053. *Tela,*] Clavam, arcum, & sagittas ne à somno furens repetat. *Idem.*

Chorus Thebanorum.

Deos, Sidera, & elementa quæ lymphatis, lunaticis, & mente captis dominantur, in luctum, commiserationem & auxilium Herculis Chorus advocat; somnum, qui furorem sedare solet, precatur, ut gravi sopore pressum Hercul. menti restituat, pueros denique cæsos deflet.

Lugeat æther, magnusque parens
Ætheris alti, tellusque ferax,
Et vaga ponti mobilis unda.
Tuque ante omnes, qui per terras,
Tractusque maris fundis radios,
Noctemque fugas ore decoro,
Fervide Titan. obitus pariter
Tecum

1054. *Lugeat æther,*] Cœlum cœlique creator. Cleanthes, Anaximenes aliique cum philosophi veteres tum poëtæ æthera summum Deum nuncupabant. *Tum pater omnipotens fœcundis imbribus æther, &c.* Alii, Æther Cœli pater, Cœlum Saturni, &c. Cum vero æther sive aër sæpissime pro Iove ponatur, exponas licebit, Iupiter Iovisque pater Saturnus calamitatem Herculis filii & nepotis lugeant. *Farnabius.*

1057. *Tuque*] O sol; suprà vers. 36. & vers. 881. *Idem.*

1063. *Tan-*

Tecum Alcides vidit & ortus,
Novitque tuas utrasque domos.
Solvite tantis animum monstris;
Solvite superi: rectam in melius
Flectite mentem. tuque ô domitor
Somne malorum, requies animi,
Pars humanæ melior vitæ,
Volucer, matris genus Astrææ,
Frater duræ languide Mortis,
Veris miscens falsa, futuri
Certus, & idem pessimus auctor:
Pater ô rerum, portus vitæ,
Lucis requies, noctisque comes,
Qui par regi famuloque venis,
Placidus fessum lenisque fovens:
Pavi-

1063. *Tantis*] Tam nefando & monstroso furore. *Farnabius.*

1064. *Solvite superi:*] Etruscus: *Solvite ô superi.* Gronovius.

1065. *Domitor Somne laborum*,] Non modo omnes Deltii, sed Etruscus etiam & Vossianus, *malorum.* Et hoc certe hic expressius, etsi alterum vocabulum pro altero sæpe ponatur. Sic & *labor* significat malum, quo corpus animusve laborat, & *malum* sæpe idem quod labor, quo exercitamur, fatigamur. Virgilius: *Adsuetumque malo Ligurem.* Idem de vitibus: *dum frons tenera imprudensque laborum.* Rursum: *sublevat morbi tristisque senectus Et labor.* Gronovius.

1067. *Melior*] Quæ nec agit nec cogitat malum, raro patitur. *vel*, quoniam quibusdam magnam si non majorem vitæ partem absumat, quid si dicamus, *major pars*, ut, *at bona pars procerum* pro *magna.* Pers. 2. sat. *Farnabius.*

1068. *Volucer*,] O alate somne. filium autem Iustitiæ Astræi gigantis filiæ vocat, quod beneficio justitiæ tuto & secure dormitur, qui tamen plerisque Noctis & Erebi filius dicitur. unde & addit *Frater, &c.* Idem.

1069. *Frater*] Frater Mortis, quæ ex eadem progenie. *Idem.*

1070. *Veris miscens falsa*,] Insomnia vera quandoque, falsa ut plurimum, ut quæ ex Eburnea porta. *Idem.*

1071. *Pessimus*] Frequentiora enim somnia vera ex mentis præsagæ metu, quam læta ex spe. *Idem.*

1072. *Pater*] Chaos & tenebræ primæ. *Vel*, qui digestionem juvas, alis, viresque reparas, adeoque genitalis. *Idem.*

1073. *Lucis*] Laboris diurni. *Idem.*

1074. *Par regi*] Ex æquo. *Idem.*

1075. *Lenisque fovens;*] Ab Scaligero est: nam prius vulgati, *foves.* Sed altius sedit ulcus, idque tolles trajecto hoc versu scriptoque, ut Florentiæ habetur: *famuloque venis, Pavidum leti genus humanum Cogis longam discere mortem; Placidus fessum lenisve fove: Preme devinctum, &c.* Quod si defectus præpositionis displicet, quamvis satis frequens, lege: *Pavidum & leti.* Gronovius.

1077. *Mor-*

Pavidum leti genus humanum
Cogis longam discere mortem:
Preme devictum torpore gravi.
Sopor indomitos alliget artus;
Nec torva prius pectora linquat,
Quam mens repetat pristina cursum,
En, fusus humi sæva feroci
Corde volutat somnia. nondum est
Tanti pestis superata mali:
Clavæque gravi lassum solitus
Mandare caput, quærit vacua
Pondera dextra, motu jactans
Brachia vano: nec adhuc omnes
Expulit æstus. sed, ut ingenti
Vexata Noto servat longos
Unda tumultus, & jam vento
Cessante tumet. pelle insanos
Fluctus animi. redeat pietas,
Virtusque viro: vel sit potius
Mens vesano concita motu;
Error cœcus, qua cœpit, eat.

Solus

1077. *Mortem:*] *I. Douza fil. legit* Noctem. *Nox autem longa mors est, cujus somnus imago,* & alioqui cum somnus censeatur mors brevis; haud male dicatur assuefacere nos longæ illi morti & perpetuo dormiendæ. *Farnabius.*

1078. *Preme*] Tantisper dormiat quoad concoxerit pernicioſum hunc humorem, qui furoris causa. *Idem.*

1082. *En, fusus*] Veluti, si quando mare ventorum vi agitatur, etiam si ponant venti, non tamen statim cessat undarum æstus: ita quamvis Hercul. μελαγχολικὸν πτίλῳ somno mulceatur ac sedetur, non tamen plane atrum atque acrem humorem expiravit. videte enim quam turbida etiam dormientem vexent insomnia, per somnum enim clavam quærit, quam dormiturus capiti supponere solet. *Id. Sæva feroci*] Quia humor ille ater & acer, quo Hercules abundabat, talia somnia solet excitare, ut sanguineus placida, testibus Hippocrate & Aristotele in libris de Insomniis. accedit, quod furiosi & melancholia perciti flatibus abundant, à quibus immodice concitati humores, monstruosas & confractas reddunt imagines, ut in aqua commota videmus. *Delrius.*

1086. *Vacua*] Nec enim invenit, quod quærit. *Farnabius.*

1087. *Pondera*] Clavam. *Idem.*

1089. *Sed,*] Vel etiam furore detineatur. ita nec ipse quod admiserit scelus agnoscet, nec crimini dabitur illi, cui furor arbitrii libertatem ademit. *Idem.*

1097. *Si-*

Solus te jam præstare potest
Furor insontem. Proxima puris
Sors est manibus, nescire nefas.
Nunc Herculeis percussa sonent
Pectora palmis: mundum solitos
Ferre lacertos verbera pulsent
Victrice manu: gemitus vastos
Audiat æther, audiat atri
Regina poli, vastisque ferox
Qui colla gerit vincta catenis,
Imo latitans Cerberus antro.
Resonet mœsto clamore chaos,
Lateque patens unda profundi,
Et, qui melius tua tela tamen
Senserat, æther.
Pectora tantis obsessa malis
Non sunt ictu ferienda levi:
Uno planctu tria regna sonent.
Et tu collo decus ac telum
Suspensa diu fortis arundo,

Phare-

1097. *Solus*] Proxime innocentiam est ignorantia. quæ, si non sit affectata & malæ dispositionis, reddit facta invita, & peccata excusat. maxime vero si subsequatur dolor: *Chorus itaque Herculem ad pœnitentiam adhortatur.* Farnabius.

1102. *Verbera*] Planctu, flagellis, gemitu testetur se dolere & pœnitere. *Idem.*

1104. *Æther,*] Cœlum, suprà versu 68. *Idem. Atri*] Proserpina regina inferorum, qui polo Antarctico subjecti vulgo creduntur, suprà versu 606. *Idem.*

1105. *Regina*] Moguntinens. *Regia.* hoc est, aula Plutonis. at *Regina,* hoc est, Proserpina. *Delrius.* Etruscus quoque, *Regia.* Gronovius.

1107. *Cerberus*] Quem ab Eurystheo dimissum Pluto pristinæ custodiæ iterum præposuerat. *Farnabius.*

1108. *Chaos,*] Rerum & elementorum confusio, cujus imago apud inferos.

1109. *Lateque patens*] Flor. *Latique.* Gronovius. *Vnda*] Mare. *Farnabius.*

1110. *Melius*] Melius in aëra, dum insequereris Stymphalidas, missa quam in tuos liberos. *Farnabius.*

1111. *Senserat, æther.*] Etruscus: *Senserat aër.* Verius, etsi Poëtæ confundant. *Gronovius.*

1112. *Tantis*] Polluta tantis malis, vel furore. ut sup. v. 1062. *Farn.*

1114. *Tria*] Cœlum, mare, infernus. *Farnabius.*

1115. *Et tu*] Et vos ô Herculis tela, arcus, sagittæ, &c. *Idem.*

1117. *Pha-*

Pharetræque graves, date sæva fero
Verbera tergo: cædant humeros
Robora fortes, stipesque potens
Duris oneret pectora nodis:
Plangant tantos arma dolores.
Non vos patriæ laudis comites,
Ulti sævo vulnere reges;
Non Argiva membra palæstra,
Flectere docti, fortes cæstu,
Forteſque manu; jam tamen ausi
Telum Scythici leve coryti
Missum

1117. *Pharetræque leves*,] Possis credere *leves*, quasi exhaustas. Sed mox appellatur, ut tum quoque erat, *Lernæis frequens Pharetra telis*. Magisque convenit Herculeis viribus, ut Choro videantur *graves*, quod habet Etruscus. *Gronovius.*

1119. *Robora*] Clava cædite & gravate pectus, humeros, tergum Herculis, exigiteque pœnas ab eo, quod vobis abusus sit. *Farnabius.*

1120. *Duris oneret pectora nodis:*] Sic Plautus Amphitruone: *Onerandus est pugnis probe.* Sed vide ne nimis Comicum sit. Vellem in Mss. reperissem: *Duris urat pectora nodis.* Vt *virgis uri*, & *subverbustus.* Gronovius.

1122. *Non vos*] Vos ô Herculis pueri nisere periistis, priusquam paternam gloriam possetis per ætatem æmulari, & morte tyrannos plectere. *Farnabius.*

1123. *Sævo*] *Legitur & sævos. quod non displicet.* Idem.

1124. *Argiva*] Synecdoche pro *Græca.* Idem. *Palæstra*,] Palæstra & cæstu pro *integro pentathlo.* Idem. Palæstram à quodam Mercurii filio inventam & nominatam, prodidit Philostratus in Imaginibus. Horatius ipsi Mercurio hanc laudem tribuit I. 1. Od. 10. Pausanias in Attic. Theseo. erat exercitatio liberalis, juxta illud Terentii: *Fac periculum in literis, in palæstra, in musicis; Quæ liberum est æquum scire adolescentem, sollertem dabo.* In Arcadiâ inventam scribit Philostratus; noster vocat *Argivam* communi nomine, pro Græcâ, ut in illo, — *qua vecti Argivi delecti viri.* Palæstra proprie luctationem significat; sed hic, ut alias sæpe, integrum Pentathlum, seu Quinquertium, quo tota puerorum ingenuorum exercitatio constabat: nempe disci jactum, cursum, saltum, luctam, jaculationem. *Delrius.*

1127. *Telum Scythici leve coryti*] Scribe cum Florentino: *Scythicis leve corytis Missum certa librare manu.* Gronovius. *Telum*] Sagittas. *Farnab. Scythici*] Hoc ait, quia Scythæ puerulos adhuc filios sagittis assuefaciebant: ita singularem dexteritatem sibi parabant, & cà genti suæ laudem. quare Lucanus de Parthis, Scytharum sobole, lib. 8. *Nec puer aut senior lethales tendere nervos Segnis, & a nullâ mors est incerta sagittâ.* Delrius. *Coryti*] Errant in hoc nomine recentiores, qui primam corripiunt, & ultimam aspirant: dissentiunt in exponendo veteres: nam Servius corytum interpretatur pharetram, Nonius Marcellus missile. Latini in pronunciando tenuem, quæ est apud Græcos, mutant in mediam. Est autem γωρυτὸς, τοξοθήκη: & Silius poëta, qui corytum

Missum certa librare manu,
Tutosque fuga figere cervos,
Nondumque feræ terga jubatæ;
Ite ad Stygios umbræ portus,
Ite innocuæ, quas in primo
Limine vita scelus oppressit
Patriusque furor: ite infaustum
Genus, ô pueri, noti per iter
Triste laboris: ite, iratos
Visite reges.

tum vocat sagittiferum, ostendit Marcelli interpretationem esse falsam, quod poëtæ probant meliores; separatim enim ponit corytum & arcum Virgilius: item corytum & tela Ovidius: ille præterea testatur ejusmodi pharetrâ usos Etruscos; hic Getas & Sarmatas; Seneca hoc loco Scythas. *Leve telum* heic intelligo, habile & pondere minus onerosum. *Fabritius.*

1129. *Tutosque*] Qui pedum velocitate freti, salutis fiduciam in fuga ponunt. *Farnabius.*

1130. *Nondumque*] Necdum ausi estis leonem jubatum aggredi. *Idem.*

1135. *Noti*] Generaliter, vel, noti patri vestro qua descendit, rediitque. *Idem.*

1136. *Iratos*] Plutonem & Proserpinam patri vestro indignatos propter vim illatam. *vel*, ut vers. 610. tristes deos. *vel* Tyrannos quos Hercul. demiserat. *Idem.*

ACTUS QUINTUS.

HERCULES. AMPHITRYON. THESEUS.

Hercules experrectus & menti restitutus, postquam suos à se interfectos comperisset, manus sibi inferre parat: patris precibus victus sibi parcit, Athenasque Thesei consilio purgandus proficiscitur.

Quis hic locus? quæ regio? quæ mundi plaga?
Ubi sum? sub ortu Solis, an sub cardine
Glacialis Ursæ? nunquid Hesperii maris
Extrema tellus hunc dat Oceano modum?
Quas trahimus auras? quod solum fesso subest?
Certe

1139. *Cardine*] Polo Arctico. sup. vers. 6. *Farnabius.*

1140. *Nunquid*] Aut in Hispania ubi Oceanus terræ facit terminum. *Idem.*

1141. *Modum?*] Finem, terminum. ita apud Horatium, modus agri non ita magnus, dicitur. *Delrius.*

1142. *Quas trahimus auras?*] Superas aut inferas? *vel* sub quo cœlo? in qua regione? *Quia subdit*, quod solum fesso subest. *Farnabius.*

1143. *Vis-*

Certe redimus. unde prostrata domo
Video cruenta corpora? an nondum exuit
Simulacra mens inferna? post reditus quoque
Oberrat oculos turba feralis meos.
Pudet fateri. paveo: nescio quod mihi,
Nescio quod animus grande præsagit malum.
Ubi est parens? ubi illa natorum grege
Animosa conjux? cur latus lævum vacat
Spolio leonis? quonam abiit tegimen meum,
Idemque somno mollis Herculeo torus?
Ubi tela? ubi arcus? arma quis vivo mihi
Detrahere potuit? spolia quis tanta abstulit?
Ipsumque quis non Herculis somnum horruit?
Libet meum videre victorem, libet.
Exurge victor, quem novum cœlo pater
Genuit relicto: cujus in fœtu stetit
Nox longior, quam nostra. quod cerno nefas?
Nati

1143. *Vnde*] *Videns cadavera hujus strata dubitat, an redierit ab inferis, necne, tandem ait,* certe rediimus. *Farn.*

1145. *Inferna?*] Qualia vidi apud inferos. *Idem.*

1146. *Oberrat oculos turba*] Etruscus: *oculis turba feralis meis.* Vt infra: *Jamdudum mihi monstrum impium,* &c. *Oberrat.* Statius 8. Theb. *dilecta genis morientis oberrant Taygeta.* Gronovius. *Feralis*] Mortuorum. *Farnabius.*

1151. *Tegimen*] Leonis pellis, qua me interdiu tegere solebam, quæ mihi dormituro strata pro lecto erat. *Idem.*

1153. *Vivo*] *Emphatice* ἐμοὶ ζῶντι ἢ ἐπὶ χθονὶ διεφθαρμένῳ. *Idem.*

1154. *Tanta*] Mihi, tam forti. *Id.*

1155. *Ipsumque*] Etiam Herculem dormientem. *Delrius.*

1157. *Exurge victor,*] Etruscus, *virtus.* An legendum: *Exsurge, virtus, quam novam cœlo pater Genuit relicto.* Nec mirum sit, virum fortem appellari *virtutem*, quando & Tacitus lib. 16. *Ad postremum Nero virtutem ipsam exscindere concupivit, interfecto Barea Sorano & Thrasea Peto.* Gronovius. Si quem me fortiorem genuerit Iupiter adulterata & vitiata aliqua fœmina per longiorem noctem, quam qua ego genitus sum. supra vers. 24. *Farnabius.*

1158. *Cujus incestu stetit Nox longior,*] Docent nos *incestare* esse vitiare & corrumpere; inde *incestum* late pro quovis stupro vel adulterio. Quomodo tot viri docti hoc præterire potuerunt sine nota? Vt ipse Hercules ex incesto se procreatum dicat? At quanto pudentius apud Statium prima Thebaide de suis natalibus Polynices? Præclare Florentinus: *cujus in fœtu stetit Nox longior.* Latini *fœtam* dicunt & gravidam & partu liberatam, ut recte Servius ad primam Æneida. Hinc *fœtus* & conceptus & partus. Prius hic: posterius Amphitruone: *Pater curavit, una ut fœtu fieret.* Varro lib. 2. de re rust. *Appello fœturam à conceptu ad partum: hi enim prægnationis primi & extremi fines.* Gronovius.

1160. *Na-*

Nati cruenta cæde confecti jacent:
Perempta conjux. quis Lycus regnum obtinet?
Quis tanta Thebis scelera moliri ausus est,
Hercule reverso? quisquis Ismeni loca,
Actæa quisquis arva, qui gemino mari
Pulsata Pelopis regna Dardanii colis,
Succurre, sævæ cladis auctorem indica,
Ruat ira in omnes. hostis est, quisquis mihi
Non monstrat hostem. victor Alcidæ lates?
Procede: seu tu vindicas currus truces
Thracis cruenti, sive Geryonæ pecus,
Libyæve dominos: nulla pugnandi mora est.
En nudus asto, vel meis armis licet
Petas inermem. cur meos Theseus fugit
Paterque vultus? ora cur condunt sua?

Differte

1160. *Nati*] Pindarus octo fuisse scribit: Izacius quatuor, Onitem, Therimachum, Democoontem, & Creontem, & Creontidem: Apollodorus Therimachum, Creontiadem, Lamium, & Deicontem: Euripides & Philostratus tres: Higynus duos, Theremachum & Ophytem. *Delrius.*

1161. *Quis Lycus*] Quis tyrannus Lyci similis vel deterior, &c. ille enim me absente regnum occupavit: hic autem reverso me. *Farnabius.*

1163. *Quisquis*] Aliquis ex iis qui Bœotiam, aut Peloponnesum incolit, indicet mihi hujus cladis authorem. *Idem. Ismeni*] Bæotiæ, quam rigat fl. Ismenus. Suprà vers. 333. *Idem.*

1164. *Actæa*] Attica, maritima, ab ἀκτὴ litus: aliis, ab Atthide Cranai filia. *Idem. Gemino*] Ægæo & Ionio mari. Suprà vers. 335. *Idem.*

1165. *Pulsata*] Peloponnesum Pelopi filio Tantali regis Phrygum regnatam, à quo & nomen habuit illa Peninsula. *Idem. Dardanii*] Phrygem fuisse docebo postea: tamen Apollonius lib. 2. Paphlagonem facit; Euphorion, Lydum. *Delrius.*

1167. *Ruat ira in omnes.*] Sic optimus & quicquid hactenus visum librorum, præter unum, in quo *hostes*. Satis placet alterum. *Omnes* dicit quoslibet, quoscumque obvios. Vt apud Horatium: *Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.* Gronovius.

1169. *Seu tu*] Seu tu ulciscaris interfectum à me Diomedem. suprà versu 225. *Farnabius. Currus*] Iugales equos, qui carne humana vescebantur. *Idem.*

1170. *Sive Geryonis pecus.*] Florentinus, *Gerionæ*: ut & vetustiores habere Pall. indicavit jam dudum Comelinus. Sic Agamemnone: *Geryonæ spolium triformis.* Vt plane libet Etruscus, & alludunt alii. Propertius 3, 21. *Geryonæ stabula.* Silius lib. 13. *Monstrum Geryones immane tricorporis iræ.* Gronovius. *Geryonæ*] Seu Geryonis abacta pecora, vers. 230. *Farnabius.*

1171. *Libyæve*] Seu Antæum versu 481. & Atlantis hortos vers. 237. *Idem.*

1174. *Ora cur condunt*] Manu inter lactymandum. *vel* præ pudore. *Idem.*

Differte fletus. quis meos dederit neci
Omnes ſimul, profare: quid genitor ſiles?
At tu ede Theſeu, ſed tua, Theſeu, fide.
Uterque tacitus ora pudibunda obtegit,
Furtimque lachrimas fundit. in tantis malis
Quid eſt pudendum? nunquid Argivæ impotens
Dominator urbis? nunquid infeſtum Lyci
Pereuntis agmen clade nos tanta obruit?
Per, te, meorum facinorum laudem precor,
Genitor, tuique nominis ſemper mihi
Numen ſecundum; fare, quis fudit domum?
Cui præda jacui? *Amph.* Tacita ſic abeant mala.
Herc. Ut inultus ego ſim? *Amph.* Sæpe vindicta obfuit.
Herc. Quiſquamne ſegnis tanta toleravit mala?
Amph. Majora quiſquis timuit. *Herc.* His etiam pater
Quidquam timeri majus aut gravius poteſt?
Amph. Cladis tuæ pars iſta, quam noſti, quota eſt?
Herc. Miſerere, genitor: ſupplices tendo manus.

Quid

1175. *Differte fletus.*] Membranæ antiquiſſimæ: *Defertellus.* Vix audeo fateri me dubitaſſe, an olim fuerit: *Differte leſſum.* Notum illud Plauti: *Thetis lamentando leſſum fecit filio.* Nic. Heinſius conjiciebat, *Referte juſſi.* Gronovius. *Differte fletus.*] Vt ſupra, *differte amplexus.* verſ.636. quin miſſis lacrymis dicite, quis meos, &c. *Farnabius.*

1177. *Tua*] Emphaſis, id eſt, bona fide: Theſeus enim amicis erat fidus, utcunque uxoribus fidem non præſtaret. *Idem.*

1180. *Nunquid Argivæ potens*] Scribe cum Etruſco: *numquid Argivæ impotens Dominator urbis?* Tyrannum enim facit, impotentem ejus dominationem toties expertus. Statim corrupti libri: *numquid infeſtum mihi Parentis agmen.* Cujus interpretationem excogitavit Scaliger, & fuere, qui ſic ederent. Sed alteri fundus Etruſcus. *Gronovius. Argivæ*] Euryſt. *Farn.*

1183. *Per te,*] *Ordo eſt*, precor te per laudem meorum facinorum. *Farn.*

1185. *Secundum;*] A Iove, cujus numen mihi primum. *Farnabius.*

1186. *Cui præda jacui?*] Quis arma me præſente diripuit? ſic Claudian. — *cui præda feror?* Delrius. *Tacita*] Μὴ κρῖνε, μὴ ἐξέταζε. Sophoc. Ait, ne inquire curioſius ea quæ neſcire præſtat. τὰ δ' ἀλλ' ἔα. *Farnabius.*

1187. *Vt inultus*] Itane abeant ignota, ut ego non ulciſcar? *Idem.*

1188. *Segnis*] Etiam ignavus? *Id.*

1189. *Majora*] Fortis tamen minora tolerabit, ut majora devitet. *Id.*

1191. *Cladis*] Quam vides & noſti, cædes, minima pars eſt calamitatis tuæ, quam non vides. *innuit multo pejus eſſe, quod ab ipſo cæſi ſunt.* Idem.

1192. *Manus.*] Manus mea ſibi male conſcia refugit contactum patris. Sic infrà verſ. 1317. *alii exponunt*, pater refugit tangere meas manus, *non placet.* Idem.

1193. *Hic*

Quid hoc? manus refugit. hic errat scelus.
Unde hic cruor? quid illa puerili madens
Arundo leto, tincta Lernæa nece?
Jam tela video nostra, non quæro manum.
Quis potuit arcum flectere? aut quæ dextera
Sinuare nervum vix recedentem mihi?
Ad vos revertor: genitor, hoc nostrum est scelus?
Tacuere, nostrum est. *Amph.* Luctus est istic tuus;
Crimen novercæ. casus hic culpa caret.
Herc. Nunc parte ab omni genitor iratus tona,
Oblite nostri: vindica sera manu
Saltem nepotes: stelliger mundus sonet,
Flammas & hic & ille jaculetur polus:
Rupes ligatum Caspiæ corpus trahant,
Atque ales avida. cur Promethei vacant

Scopu-

1193. *Hic errat scelus.*] Sic boni libri, & sic in Thyeste vers. 474. *errat hic aliqui dolus.* Ne quem inducant Delriani codices, *hic erat*, vel *hoc erat*, venditantes: aut interpres audiatur conjectans: *hinc erat scelus.* Gronov. Scelus, cujus author me latuit, in his manibus errat.

1195. *Tincta*] Hydræ sanguine & felle tincta. *Farnabius.*

1196. *Non quæro manum.*] Non ambigo de manu, quæ iis uti potuerit, quod nulla valuit præter meam. *Idem.*

1197. *Quæ potuit arcum flectere?*] Bene Gruterus à fronte versus, *Quis:* sed dein liber optimus: *aut quæ dextera Sinuare nervos vi cedente mihi.* Hinc illæ varietates apud Delrium: ut enim quisque novus accessit librarius, voluit complere versum. Alius, *vix jam cedentem*, quod cum lex metri refutet, frustra explicatur: alius, *vix pœne cedentem:* alius, *pene vix cedentem:* quartus, *vix cedentem*, ut & meæ membranæ. Vossianæ: *quæ dextera S. nervum pene cedentem.* Vix tamen videtur aliud restitui potuisse quam quod receptum est. *Gronovius.*

1200. *Tacuere,*] Φασὶ σιωπῶντες, tacent, consentire videntur. *Farn.* *Luctus*] Luctus quidem causa tua est; at crimen est Iunonis. *Farnabius.*

1202. *Genitor*] Iupiter. *Idem.*

1203. *Nostri:*] Qui curam non habuisti mei, filii tui à mente abalienati & nepotum tuorum à me interfectorum. vel oblivisere me filium esse tuum. *Sera manu*] Post admissum scelus, quod ante oportuit. *Farnabius.*

1204. *Nepotes:*] Tuos ex me nepotes à me cæsos. *Idem.*

1205. *Flammas & hic & ille*] Etruscus: *Flammasque & hic & ille.* Gronovius. *Hic*] Vterque polus. *Farnabius.*

1206. *Caspiæ*] Montis Caspii, qui Tauri pars fuit. *Idem.*

1207. *Cur Promethei*] Abripiat in locum Promethei, cujus Caucaso catenis alligati jecur renascens assidue depascebatur aquila ob ignem Iovi surreptum, quem tamen jam pœna illa liberavit Iupiter præmonitus à Prometheo, ut à Thetidos connubio abstineret. *Idem.*

Scopuli? paretur vertice immenso feras
Volucresque pascens Caucasi abruptum latus,
Nudumque silvis. illa, quæ Pontum Scythen
Symplegas arctat, hinc & hinc vinctas manus
Distendat alto: cumque revocata vice
In se coibunt saxa, quæ in cœlum exprimunt
Actis utrinque rupibus medium mare,
Ego inquieta montium jaceam mora.
Quin structum acervans nemore congesto aggerem,
Cruore corpus impio sparsum cremo?
Sic, sic agendum est; inferis reddam Herculem.
Amph. Nondum tumultu pectus attonito caret.
Mutavit iras: quodque habet proprium furor,
In se ipse sævit. *Herc.* Dira Furiarum loca
Et inferorum carcer, & sonti plaga

Decre-

1208. *Paretur*] In meum supplicium. *Farnabius.*

1211. *Symplegas*] Symplegades vel Cyaneæ insulæ sunt scopuli in Ponti Euxini ostio, quæ finguntur concurrentes, eo quod non multum à se distantes navigantibus modo disjungi, modo coire videantur. Optat Hercules, ut ubi hæ invicem colliduntur, manu altera ipse utrique alligatus intermedius concutiatur. Vide Medeam vers. 341. *Idem.*

1215. *Ego inquieta montium*] Convenit magnus Scaliger conscientiam lectoris, an hoc intelligat. Non tantum conscii nobis sumus nos hæc recte intelligere, sed etiam conscios alios non recusamus. Optat se medium jacere inter duas Symplegades, illarum velut *moram*, impedimentum, obicem: qui eas moretur, vetet aut satis arcte conjungi aut rursus distrahi: eamque *moram inquietam*, seu quæ identidem à commissis scopulis sollicitetur, impetatur, inquietetur. Vt apud Virgilium, Abantem *pugnæ nodumque moramque*: apud Florum, *scopulus & nodus & mora publicæ securitatis Antonius*: in prosis Senecæ, *commissuras & moras*, quod etiam male sollicitarunt Scaliger, *in quieta mora*: explicatque, in illa mora, in illo quieto momento, idque jam ostentant aliquæ editiones. Vestram fidem, Viri doctissimi! hoccine est Latine loqui? *Gronovius. Ego*] Moram iis injiciam, corpore scil. meo ne coëant, interjecto. *Farnabius.*

1216. *Quin structum*] Aut cur non potius ipse in constructam pyram me conjicio? *triste de morte sua omen.* Idem.

1217. *Impio*] Natorum à me impie effuso. *Idem.*

1218. *Reddam*] Vt qui prius ibi fuerim.

1219. *Nondum*] Non recessit furor ejus in totum. *Farnabius. Tumultu pectus attonitum caret.*] Etruscus, *attonito.* Sic in Thyeste: *Fateor, tumultus pectora attonitus quatit.* Hypallage frequenti. At mox: *In se ipse sævit:* non *furit*; quod frustra adjutum irit Lipsius. *Gronovius.*

1220. *Mutavit iras:*] Ab aliis in se. *Farnabius.*

1221. *Dira*] Supplicii loca. *Idem.*

1223. *Et*

Decreta turbæ, & si quod exilium latet
Ulterius Erebo, Cerbero ignotum & mihi,
Huc me abde tellus: Tartari ad finem ultimum
Mansurus ibo. pectus ô nimium ferum!
Quis vos per omnem, liberi, sparsos domum
Deflere digne poterit? hic durus malis
Lachrimare vultus nescit. huc ensem date;
Date huc sagittas; stipitem huc vastum date.
Tibi tela frangam nostra; tibi nostros puer,
Rumpemus arcus, ac tuis stipes gravis
Ardebit umbris: ipsa Lernæis frequens
Pharetra telis in tuos ibit rogos.
Dent arma pœnas: vos quoque infaustas meis
Cremabo telis, ô novercales manus.
Thes. Quis nomen unquam sceleris errori addidit?

Herc.

1223. *Et si quod exilium latet*] Copulativam & hic & sequenti versu loco priore arcet liber optimus. *Gronov.*

1224. *Erebo,*] Infernalium fluviorum infimo. *Farnabius.* Qui omnia ibi perscrutatus sum. *Idem.*

1226. *O nimium*] Quod non solvatur in lacrymas, sed quis vos digne deflere poterit? &c. *Idem.*

1228. *Durus*] Induratus malis. *Id.*

1231. *Tibi tela*] *Conversus ad unum filiorum dicit*, Tibi sagittas frangam: *ad alterum*, tibi arcum: *ad tertium conversus dicit*, tuis manibus quasi inferiæ comburetur clava hæc; *ad quartum*, tuo rogo ardebit pharetra, atque *ita quatuor Herculem filios (quorum nomina Onitem, Therimachum, Democoonta, Creontiadem ferunt) interfeciſſe vult, quos alii duos, alii octo statuunt.* Idem.

1233. *Lernæis*] Suprà vers. 1194. *Idem.*

1235. *Vos quoque*] Vosque una cremabo manus meæ, quæ ninis obsequutæ estis odio novercæ meæ Iunonis. *Idem.*

1237. *Nomen sceleris errori indidit?*] Sic Aldus. Delrius *dedit.* Pall. omnes & cum illis Gruterus *addidit*: quæ lectio cæteras prægravat fulta codicis Etrusci auctoritate. Habet aliquid veneris arcanæ hoc verbum. Apud Virgil. Teucris *addita Iuno*; Macrobio est, *adfixa & per hoc infesta, inimica & infesta*: notaturque sic dixisse Lucilium: *Si mihi non prætor siet additus atque agitet me.* Sane tam honos additur quam contumelia: tamen frequenter adhibetur in pejorem partem. Virgilius 1. Georg. *malum virus serpentibus addidit atris.* Et, *Mox & frumentis labor additus.* Plautus Captivis 201. *multam oculis miseriam additis.* Nam in loco vexatissimo nihil adhuc Camerarii lectione commodius vidi. Sic *addere virgas*, apud Livium, lib. 26. *Lictor, viro forti adde virgas, & in eum primum lege age.* Et sic scribendum apud Silium lib. 2, 591. *agit addita Erinnys.* non *abdita*, ut editur. Nam in factis ejusmodi *cuncto sua regnat Erinnys Pectore*, ut de Lemnias mulieribus loquitur Statius. Idem Silius alibi: *nascentique addita fata.* Arnobius lib. 1. *Morsu animam serpens tollit,*

Herc. Sæpe error ingens sceleris obtinuit locum.
Thes. Nunc Hercule opus est. perfer hanc molem mali.
Herc. Non sic furore cessit extinctus pudor,
Populos ut omnes impio aspectu fugem.
Arma, arma, Theseu, flagito propere mihi
Subtracta reddi. sana si mens est mihi,
Referte manibus tela: si remanet furor,
Pater recede. mortis inveniam viam.
Amph. Per sancta generis sacra, per jus nominis
Utrumque nostri, sive me altorem vocas,
Seu tu parentem; perque venerandos piis
Canos, senectæ parce desertæ precor,
Annisque fessis: unicum lapsæ domus
Firmamen, unum lumen afflicto malis
Temet reserva. nullus ex te contigit

Fructus

maledicam si primordiis rerum, quod tam sæva prodigia genituris spirantibus addiderunt. Quem locum olim contra Stewechium, Gelenium, Vrsinum, Heraldum defendebamus, accepto *ne maledicam si*, propria quadam Arnobio figura, pro illo, *an maledicam.* His omnibus *additum* est, male, infeliciter, vice pœnæ additum. *Sic errori nomen sceleris additum*, est, error vocabulo sceleris infamatus. Ovidius lib. 9. met. *namque hoc avus Eurytus illi Addiderat nomen.* Vbi tamen sine crimine est. Cæterum hunc versum, ut &, *Nunc Hercule*, Amphitruonis personæ adsignat Florentinus. *Gronov.*

1239. *Nunc Hercule*] Nunc tibi opus est solita tua tolerantia. *Farnab.*

1240. *Non sic furor*] Nec tamen adeo mihi pudorem excussit furor, ut tanto sceleri superesse velim, & perfricta fronte occurram hominibus, qui me horrentes fugiant è conspectu meo. *Farnabius.*

1243. *Sana*] Quæ sciat uti armis. *vel* quæ sentiat quid admiserim, statuatque pœnas sceleris exigere. *Idem.*

1245. *Mortis inveniam viam.*] Sic liber optimus & omnes, præter unum: sic postulat sensus. Vitiliore, *inveni*, & aurium isto judicio fruatur, qui volet: nos nihil offendimur veteri lectione. Anchises apud Virgilium: *Ipse manu mortem inveniam.* Gronovius, *Mortis*] Etiam absque armis mortem inveniam, mori enim certum est. *Farn.*

1246. *Per sancta generis sacra,*] Per sancta generis jura mutuaque patris precor. *Vel* per sacrificia gentilitia. *Id.* Gentilitia sacra intelligit: quorum mentio apud Livium lib. quæ gentilibus erant communia. Gentiles vero dicuntur, qui ex eodem genere orti sunt, ut Sex. Pompeius scribit. & qui simili nomine appellantur, ut ait Cincius, gentiles mihi sunt. Quo sensu, secundum quosdam Cicero Servium Tullium regem gentilem suum appellavit, cum interim ab eo genus non traheret. vide Paul. Manutium ad 1. epistol. famil. Ciceron. *Delrius. Nominis*] Alumni & parentis. *Farnab.*

1251. *Vnum*] Te mihi amicis destituto, soli, seni, malis afflicto solamen unicum reserva. *Farnabius.*

1252. *Nullus*] Hactenus de te absente

Fructus laborum. semper aut dubium mare,
Aut monstra timui. quisquis in toto furit
Rex sævus orbe, manibus, aut aris nocens,
A me timetur. semper absentis pater
Fructum tui, tactumque & aspectum peto.
Herc. Cur animam in ista luce detineam amplius,
Morerque, nihil est: cuncta jam amisi bona:
Mentem, arma, famam, conjugem, natos, manus;
Etiam furorem. nemo polluto queat
Animo mederi: morte sanandum est scelus.
Amp. Perimes parentem? *H.* Facere ne possim, occidam.
Amp. Genitore coram? *Herc.* Cernere hunc docui nefas.
Amph. Memoranda potius omnibus facta intuens,
Unius à te criminis veniam pete.
Herc. Veniam dabit sibi ipse, qui nulli dedit?
Laudanda feci jussus, hoc unum meum est.
Succurre genitor, sive te pietas movet,
Seu triste fatum, sive violatæ decus
Virtu-

sente solicitus fui: mihi jam tandem liceat tua præsentia frui. *Farnabius.*

1255. *Manibus, aut aris nocens,*] Notat Raphelingius, in aliis esse *armis:* quod melius etiam judicat manus illustris. Alii explicant in homines crudelem, in deos impium. Et nimis laxe, & non satis. *Aris nocentem*, intellige, per aras nocentem, qualis fuit Busiris: unde *illaudati Busiridis aræ.* Statim liber optimus etiam, *A me timetur.* Gronovius.

1258. *Cur animam*] Non est cur diutius vivam. *Farnabius.*

1260. *Manus;*] Quondam egregia & laude digna aggressus, nunc dedecorosa & scelerata. *Idem.*

1261. *Furorem.*] Quo me tenente nec culpam agnovi, nec dolorem sensi. *Idem.*

1262. *Morte*] Insanæ menti nulla est nisi à morte medela. *Idem.*

1263. *Perimes parentem?*] Hoc quoque Florentiæ dicit Amphitruo; nec non sequens: *Genitore coram?* Et videtur Theseus demum interfari versu 1271. *Gronovius. Perimes*] An te tollendo eris mihi causa mortis? *Farn. Facere*] Imo ipse me occidam, ne quando in furorem relapsus te interficiam, ut nuper, &c. *Farnabius.*

1264. *Genitore*] An te occides coram patre? *Farnab. Cernere*] Assuefeci eum hujusmodi spectaculis, qui in conspectu ejus interfeci uxorem & natos. *Idem.*

1265. *Memoranda*] Cæteras tuas virtutes perpende, iisque hanc unam condona.

1266. *Veniam*] Egone, qui ab aliis sontibus pœnas popposci, mihi ignoscam? *Farnabius.*

1268. *Laudanda*] Ab Eurystheo jussus, laudanda feci, scelus hoc à me profectum est. *Idem.*

1269. *Pietas*] Nepotum cædis pia vindicta. *Vel*, filii tui sibi & aliis detestabilis commiseratio. *Farnab.*

Virtutis : effer arma; vincatur mea
Fortuna dextra. *Thes.* Sunt quidem patriæ preces
Satis efficaces. sed tamen nostro quoque
Movere fletu. surge, & adversa impetu
Perfringe solito : nunc tuum nulli imparem
Animum malo resume. nunc magna tibi
Virtute agendum est; Herculem iratsci veta.
Herc. Si vivo, feci scelera: si morior, tuli.
Purgare terras propero : jamdudum mihi
Monstrum impium, sævumq;, & immite, ac ferum
Oberrat : agedum dextra, conare aggredi
Ingens opus, labore bisseno amplius.
Ignave cessas? fortis in pueros modo,
Pavidasque matres? arma nisi dantur mihi,
Aut omne Pindi Thracis exscindam nemus,
Bacchique lucos, & Cithæronis juga
Mecum cremabo : tota cum domibus suis,
Dominisque tecta, cum Deis templa omnibus
Thebana supra corpus excipiam meum,
Atque urbe versa condar. &, si fortibus
Leve

1275. *Nulli*] Nulli malo inferiorem, imo majorem. *Farnabius.*

1277. *Virtute*] Ut te virum præbeas. *Idem. Herculem*] Dolorem tuum, iramque vince. *Idem.*

1278. *Si vivo,*] Si mihi post tale flagitium vitæ usum indulsero, videbor consulto feciſſe & approbare. *Id. Si morior,*] Si vero morte ulciscar, credar per vim aliunde illatam & extrinseco morbi impulsu hoc perpetrasse. *Idem.*

1280. *Monstrum*] Monstrosum sc. scelus hoc meum. *Idem.*

1281. *Agedum*] Aggredere itaque, ô dextra, hoc monstrum extingue, cujus laboris gloria duodecim illorum à te gestorum laudem superabit. *Idem.*

1284. *Pavidasque*] *Per indignationem dixit*, prô matrem pavidam. ut Theb. 368. Med. 1005. Agam. 122. *Id.* Mss. uno consensu omnes, *Pavidasque matres.* & recte. sic enim sæpius utitur plurali numero auctor noster, idque elegantet, ad augendam invidiam, cui malo dum medicinam non necessariam adhibere conantur imperiti, gravius multo afficiunt. *Commel. Arma nisi dentur mihi*] Etruscus, *dantur*, & sequenti, *excidam.* Gronov.

1285. *Pindi*] Montis in confinibus Thessaliæ versus Thraciam. *Farnab.*

1286. *Bacchique*] Sylvas incæduas prope Thebas, quæ Baccho consecratæ sacrificiis lucent. *Idem.*

1290. *Et, si*] Quod si domus, templa, mœnia, portæ septem, universa urbs Thebarum nimis leve pondus sit ad me opprimendum, vertam ego in caput meum omnia inter terram & cœlum summum. *Vel*, molem ipsam terræ, quæ in medio librata suo interpositu

Leve pondus humeris mœnia immissa incident,
Septemque opertus non satis portis premar,
Onus omne media parte quod mundi sedet,
Dirimitque superos, in meum vertam caput. (lis, 1295
Amph. Reddo arma. *Herc.* Vox est digna genitore Hercu-
Hoc

terpositu alterum hemisphærium, seu cœli faciem mediam ab altera separat & occulit. *Farnabius.*

1291. *Mœnia inversa incident,*] Non alii legunt *immersa*: ut supine annotat homo eruditus: sed est ea vet. codicis unius interpolati lectio pro *immissa*: quod servat Etruscus, omnesque alii: neque est mutandum. Neque elegantius *excident*, ut visum nonnemini: conjungendum enim, *leve pondus incident*: si, inquit, immissa & conjecta in me mœnia hos humeros non gravabunt, depriment. *Immissa incident*, ut apud divinum Poëtam, *Lapsa cadunt folia.* Gronovius.

1293. *Media parte qua mundus sedet,*] Duas afferunt explicationes: unam de toto quod inter terram & cœlum supremum interjacet: alteram de mole ipsa terræ. Prior est nugatoria, posterior vera. quod ut certius statuas, emenda ex Florentino: *Onus omne media parte quod mundi sedet.* Hoc enim superos dirimit, puta nos & Antipodas. *Idem.*

1296. *Redde arma.* A. *Vox est*] Quamquam decrerint viti summi, qui personas aliter ponunt, eos errare: tamen verum est, quod notat Delrius, hæc frigere & jacere, qualia peccare non solet hic auctor. Neque culpa est ejus (didicimus ex Etrusco exemplari) sed librariorum, qui & verba leviter corruperunt, & personas male sic ordinarunt. Caput igitur hujus versus dandum est Amphitruoni. Is animadvertens amotis armis Herculem magis irritari, & prope secundum furorem esse, satius ducit ea restituere nondum prorsus efferato: id quod facit simul cum his dictis: *A. Reddo arma.* Ita namque Florentiæ legitur, non *Redde.* Quæ Hercules recipiens, paullo placatior, ait: *H. Vox est digna genitore Herculis:* facis quod te dignum est: neque enim decet, qui Herculis audiat pater, instrumenta gloriæ filio involare aut arcere. Porro Hercules tenens manu telum, & inspiciens, & stimulans dolorem suum ad manus sibi adferendas ait. *Hoc en peremptus spiculo cecidit puer:* quibus mactatum filium & patratum parricidium sibi ipse exprobrat. At leniens invidiam facti Amphitruo subjicit opportune arietem illum, *telum manu fugisse*, ceu non tantum bonus imperator, verum etiam jurisconsultus. *A. Hoc Iuno telum manibus emisit tuis.* Immo non tu auctor hujus mali, sed divûm regina, quæ in feriendo puero tuis nescii atque inviti manibus usa est: quæ fecit, ut telum manu fugeret. Hercules nihil motus hac extenuatione facti, magis aperit consilium de se interficiendo: *H. Hoc nunc ego utar.* Fuerit ante hoc telo usa Iuno: nunc duntaxat ipse ego utar. Territus tam præcipiti denuntiatione Amphitruo, & ad ultimum timoris admotus non invenit verba, quibus eum pergat dehortari, sed extremum metum suum & summam sollicitudinem rebus & argumento exhibet: *A. Ecce quam miserum metu Cor palpitat, pectusque sollicitum ferit.* Ita namque Florentinus, neque aliter legendum est. Est autem illud, quod Ovidio: *Attoniti micuere sinus.* Et, *Corque timore micat.* Et, *Corda micant regis.* Manilioque: *magnis concita causis Corda micant.* Pergit tamen Hercules, & telum in se vertit, dicens: *H. Aptata arundo est.* Ita stanti & de extremo momento deliberanti trepidus rursum instat Amphitruo: *A. Ecce*

Hoc en peremptus ſpiculo cecidit puer.
Amph. Hoc, Juno, telum manibus emiſit tuis.
H. Hoc nunc ego utar. *A.* Ecce, quam miſerum metu
Cor palpitat, corpuſque ſollicitum ferit.
H. Aptata arundo eſt. *A.* Ecce, jam facies ſcelus
Volens, ſcienſque. pande, quid fieri jubes?
Nihil rogamus; noſter in tuto eſt dolor.
Natum potes ſervare tu ſolus mihi,
Eripere nec tu. maximum evaſi metum.
Miſerum haud potes me facere, felicem potes.
Sic ſtatue quidquid ſtatuis, ut cauſam tuam

Fa-

jam facies ſcelus Volens ſcienſque: & hujus unius perſonæ eſt omnis ſermo uſque ad verſum 1314. ubi reſpondet jam ſedatus & concedens Hercules. *Gronovius. Genitore*] Quæ & me tam fortis viri patrem fortitudinis admoneat, doceatque mori. *Et cum dicto petit arundinem.* Farnabius.

1300. *Iam facies*] Tibi & patri mortem inferendo. *Idem.*

1301. *Volens,*] Sanus, non per furoris errorem & ignorantiam, ut dudum. *Idem.*

1302. *Nihil rogamus;*] Vox ad eos, quos deſperamus exorari poſſe, quique ut ait Cicero 2. fam. 17. *deteriores fiunt rogati.* Pro Quinctio: *Quod ſi facere nolit, atque inhibuerit ejuſmodi rationibus illum ad ſuas conditiones perducere, ſeſe nihil precari, & ſi quid agere velit, judicijs defendere.* Gronovius.

1303. *Tu ſolus mihi, Theſeu, ipſe necdum*] Merito ineptiſſime exteri illam diphthongum cenſuerunt ſummi viri: ſed reſtituere locum totum non erat niſi codicis Etruſci. Ejus eſt: *tu ſolus mihi, Eripere nec tu. maximum evaſi metum.* Continuanturque omnia ſub una Amphitruonis perſona, neque vel Theſei vel Herculis hic admittuntur partes. Verba ſunt deſperantis de pervincenda obſtinatione Herculis, eoque precibus omiſſis jam indignantis & ſuſque deque habere ſe fingentis, quicquid tandem in ſe conſulat. Quod naturaliter evenit, ut magnis precibus noſtris rejectis dolore accendamur in iram, & quod rogavimus, prope impetratum nolimus, ſed & verbis contrariis interdum indignationem teſtemur. Ita tamen deſperat & objurgat, ut arte interim ſpem & hortamenta ingerat. Age, inquit, quando non potes flecti, fac, aperi & monſtra, quod me vis cogiſque facere: (hoc eſt enim: *pande, quod fieri jubes*: occide te, quod vis, ut ego quoque faciam, & me occidam) deſino precum, ceſſat & dolor: venit in mentem, te quidem poſſe, parcendo tibi, ſervare mihi natum: ſed nec tu, licet te interficias, potes illum mihi eripere. (Sive quia antecedere & prior mori conſtituit, ſive quia etiamſi mortuo, filio tamen Hercule, erat futurus glorioſus.) Liber igitur ſum me, tu: neque enim potes mihi, ut nunc eſt, miſeriam augere; potes minuere: quod ſi non fiat, non tam malum eſt deſperantibus non levari, quam bonum eſt miſeriores fieri non poſſe. Et quæ ſequuntur ſine dubio ejuſdem Amphitruonis. Sed & Flor. *potes facere*, ſine *me*. Itaque Nic. Heinſius: *potes efficere*. Gronovius.

1305. *Miſerum*] Miſeriorem me reddere non potes tua morte, felicem, ſi vivas.

1306. *Sic ſtatue*] Ad Herculem, jam

Famamque in arcto stare & ancipiti scias.
Aut vivis, aut occidis. hanc animam levem,
Fessamque senio, nec minus quassam malis,
In ore primo teneo. tam tarde patri
Vitam dat aliquis? non feram ulterius moram,
Letale ferro pectus impresso induam:
Hic, hic jacebit Herculis sani scelus.
Herc. Jam parce, genitor, parce; jam revoca manum.
Succumbe virtus, perfer imperium patris.
Eat ad labores hic quoque Herculeos labor;
Vivamus. artus alleva afflictos solo,
Theseu, parentis: dextra contactus pios
Scelerata refugit. *A.* Hanc manum amplector libens:
Hac nixus ibo, pectori hanc ægro admovens
Pellam dolores. *Herc.* Quem locum profugus petam?
Ubi me recondam? quave tellure obruam?

Quis

jam deliberata morte ferocior se convertit: non supplicans, ut prius, sed minitans. *Delrius.*

1308. *Aut vivis*] Nisi mutata sententia vivere statuas, mihi causa eris necis. *Farnab. Levem,*] Quæ mihi jam seni misero facile discedat. *Idem.*

1309. *Fessamq́ senio, nec minus quassam malis,*] Ettuscus: *nec minus fessam malis.* non insuavi repetitione. *Gronov.*

1310. *In ore*] Ψυχὼ ἐπὶ χείλεσιν ἔχω. in primoribus labris, in extrema hac statione, hinc signo quasi dato facile avolaturam. *Farnabius. Tam tarde*] Tantum rogatus, cunctaris adhuc vitam, id est, causam cur in vita maneam, donare mihi patri? *Tarde*] Hoc addit, quia multum beneficio detrahit, qui cunctatur. bis dabis, si cito dederis. Vide Senecam lib. 2. de benefic. c. 1.2. & seqq. *Delr.*

1312. *Letale ferro pectus impresso induam:*] Recte sic Gruterus, & auctorem habet Florentinum: non etiam in versu, quem addit ex Thyeste, quamvis & in Rhetorum libellis jactato: *Brutium Coro feriente pontum.* Sic, inquam, liber optimus. *Gronovius.*

1313. *Sani*] Volentis ac scientis, ut modo vers. 1330. *Farnabius.*

1315. *Succumbe*] Cedat justitia, quæ impietatem meam in natos vindicatura erat, pietati in patrem. *Idem.*

1316. *Hic quoque*] Quod dolorem meum vicerim, & quod, ut patrem servem, tantæ impietatis conscientiæ superstes esse velim. *Idem.*

1317. *Vivamus*] Ego, & propter me pater. *Idem. Artus*] Tu, ô Theseu, tolle humo patrem, manus meæ pollutæ non audent tangere. vide sup. vers. 1192. *Idem.*

1319. *Hanc manum*] Hanc Herculis manum amplector potius. *Idem.*

1321. *Quem locum*] Coëgistis me vivere, sed in qua orbis parte latebo, ubique notus? aut quo flumine vivo ablutus expurgabo me, cui alto infixa animo sedet tam diræ impietatis memoria? *Idem.*

1322. *Quave tellure obruam?*] Etruscus: *obruar.* Gronovius.

1323. *Te-*

Quis Tanais, aut quis Nilus, aut quis Perſica
Violentus unda Tigris, aut Rhenus ferox,
Taguſve Ibera turbidus gaza fluens,
Abluere dextram poterit? Arctoum licet
Mæotis in me gelida transfundat mare,
Et tota Tethys per meas currat manus,
Hærebit altum facinus. in quas impius
Terras recedes? Ortum, an Occaſum petes?
Ubique notus perdidi exilio locum.
Me refugit orbis. aſtra tranſverſos agunt
Obliqua curſus; ipſe Titan Cerberum
Meliore vultu vidit. ô fidum caput
Theſeu, latebram quære longinquam, abditam.
Quoniamque ſemper ſceleris alieni arbiter
Amas nocentes, gratiam meritis refer

Vicem-

1323. *Tanais,*] Scythiæ fl. *Farn.* *Nilus,*] Ægypti fl. *Idem.* *Quis Perſica Violentus unda*] Equidem in Perſicum ſinum fertur Tigris: ſed an hoc ſatis cauſſæ, cur ejus unda *Perſica?* Sane magna poëtarum licentia in gentium vicinarum nominibus inter ſe confundendis. An mavis, quod placebat Nic. Heinſio: *percita Violentus unda Tigris.* nam à celeritate, qua defluit, nomen illi inditum vult Curtius. *Gron.* *Perſica Tigris,*] Qui in Armenia majore naſcens magnam Aſiæ partem perfluens in ſinum Perſicum defertur. fl. rapidiſſimus, unde & nomen habet: ſagittam enim Perſæ Tigrin appellant; & hinc feræ nomen. *Farn.*

1324. *Ferox,*] Ipſe fl. impetuoſus. *vel* propter feroces accolas Gallos & Germanos, quos diſterminat. *Idem.*

1325. *Taguſve*] Fl. Luſitaniæ, quæ Iberiæ, id eſt, Hiſpaniæ pars. *Idem.* *Gaza*] Aureis arenis. *Idem.*

1327. *Mæotis*] Palus Scythiæ. *Id.* *Mare,*] Septentrionale, *vel* Euxinum. *Idem.*

1328. *Tota Tethys*] Vxor Oceani. *Metonym.* mare. Mari autem polluta cuncta expiari credebantur: Θάλασσαι κλύζει πάντα τ' ἀνθρώπων κακά. *Idem.*

1332. *Me refugit*] Homines me abhorrent, dii oderunt. *Idem.*

1333. *Ipſe*] Sol plus obſcuratur me viſo, quam Cerbero. vid. verſ. 60. *Idem.*

1334. *O fidum*] Ὦ πίστ' φίλη κεφαλὴ πιστὸν ἑταῖρε. Qui Pirithoo fidus extitiſti comes in rapienda Proſerpina, mihi in furore meo. *Idem.*

1336. *Quicumque ſemper*] Quando ſolum alloquitur Theſea, & illum amare dicit etiam nocentes, propter Pirithoum, ne in ſcelere quidem relictum, nemo non videt ineptum hîc illud, *Quicumque.* Succurrit in tempore codex Etruſcus: *Quoniamque ſemper.* Quæ omnino vera lectio eſt. *Gronovius.*

1337. *Amas nocentes,*] Hoc dicit, quia Theſeus amaverat Pirithoum, atque eum juverat in rapienda Proſerpina; nunc ſe liberos necantem & ſummum furentem furorem non deſeruerat. *Delrius.* *Meritis*] Ego bene de te merui, cum te catenis infernis exemerim,

Vicemque noſtris: redde me infernis precor
Umbris reductum, meque ſubjectum tuis
Reſtitue vinclis. ille me abſcondet locus.
Sed & ille novit. *Theſ.* Noſtra te tellus manet.
Illic ſolutam cæde Gradivus manum
Reſtituet armis. illa te, Alcida, vocat
Facere innocentes terra quæ ſuperos ſolet.

rim, ſupra verſ. 805. tu referes mihi hanc gratiam, ſi me vinclis illis reſtituas. *Farnabius.*

1341. *Noſtra*] Athenas, quæ patria mea & regnum, profectus expiabere; nam & ibi Mars à Neptuno in judicium vocatus de cæde filii ſui Halirrothii omnium deorum ſententiis abſolutus eſt. *Idem.*

1343. *Illa te, Alcide, vocat,*] Etruſcus, *Alcida.* Lege cum Nic. Heinſio: *Alcida.* Vt ſequenti tragœdia: *Bonum eſt, Thyeſta, quod mala ignoras tua.* Gronovius.

L. ANNÆI SENECÆ *THYESTES.

DRAMATIS PERSONÆ.

THYESTES. ATREUS. TANTALUS. MEGÆRA. PLISTHENES. THYESTIS F. CHORUS SENUM MYCENÆORUM. TANTALUS THYESTIS F. } ALIUS THYESTIS F. } Mutæ Personæ. SATELLES NUNCIUS.

ARGUMENTUM.

Alternis annis regnandi vices pacti Atreus & Thyestes Pelopis ex Hippodamia filii Argu imperabant. Thyestes, adjuvante Aerope fratris uxore, quam in adulterium pellexerat, aureum arietem, in cujus possessione erat fatum regni, amovet, & male conscius in exilium abit. Atreus evasisse dolens, missis suis filiis velle se in gratiam redire simulat, oblata regni parte reditum illi suadet & persuadet. tres Thyestis liberos, quos obsides acceperat, ad aras immolatos, partim assos, partim elixos patri nescienti epulandos apponit, mistumque vino cruorem illi præbet. sub finem nefandi convivii (quod Sol, ne videret, refugit) capita illi & manus filiorum ostendit, quasque dapes absumpserit, narrat, insultans fratris luctui, dolori, & imprecationibus.

ACTUS PRIMUS.

UMBRA TANTALI. MEGÆRA.

Adducitur ab inferis Tantalus à furia, cogiturque miscere nefaria odia inter suos ex Pelope nepotes Atreum & Thyestem.

Tant. Quis me inferorum sede ab infausta extrahit,
Avido fugaces ore captantem cibos?

Quis

* *Thyestes.*] Hæc M. Annæi Senecæ tragœdia, nulla cæterarum inferior. Et quis dubitat, quin Vario aliquid debuerit? Vt omittam octo minimum apud Græcos in hoc argumento laudari. Chori sunt divini. Ὑποθετικοὶ fere omnes: & qui non τῇ τῶν γνωμῶν παρενθήκῃ, sed perpetua oratione hoc agunt. Omnes fere ad hoc facti, ut emendent mores. Etiam quæ à Stoicis sumpsit, omnibus accommodavit. Qualia de vero Rege, qui idem sit sapiens, in illo divino, cujus est exordium, *Tandem regia nobilis.* In Mſ. codice, ATREUS inscribebatur. Sane Accii cognominis laudatur. Et ὁ πρωτολόγος hisitio, est Atreus, non Thyestes. Cætera pro vulgari inscriptione sunto. *Heinsius.* Chorus hujus tragœdiæ constat ex senibus Mycenæis, non ex mulieribus, quod vel ex vers. 392. constat. Mycenæos ita intellige, ut etiam Argivi esse possint. quod poëtæ Argos Mycenis confundunt. ut vers. 179. Argos nominant, vers. 187. Mycenas. Id nos sæpissime notavimus, & jamdudum Strabo monuerat. De tribus autem Thyestis filiis Plisthenes maximus natu interloquitur: Tantalus autem, & minimus natu, inducuntur mutæ personæ. *Scal.*

Vers. 1. *Quis me furor nunc*] Scio apud Virgilium Eurydicen, cum retrahere-

Quis male deorum Tantalo vivas domos
Ostendit iterum? pejus inventum est siti
Arente in undis aliquid, & pejus fame
Hiante semper? Sisyphi numquid lapis
Gestandus humeris lubricus nostris venit?
Aut membra celeri differens cursu rota?

Aut

heretur ad inferos, dicere: *Quis & me miseram & te perdidit, Orpheu? Quis tantus furor?* Vnde si amaremus hanc lectionem, explicaremus eam: quæ ira deorum: non vero, quo furore furia Megæra percita. Sed satis hac glande sumus pasti, quam remittemus in posterum, quibus anima pro sale erit: nos verum accipiemus à Lipsiano & Florentino: *Quis me inferorum sede ab infausta extrahit:* hos duos ego non modo Pall. novem & octo Delrianis, sed omnibus, qui tota sunt Europa, libris obduco, & jubeo victores volitare. Nam quid accidit Grutero, ut cogitaret: *Quis me Furiarum:* & τὸ *Quis* fœminino genere acciperet? Attium aut Pacuvium versare se credidit, non Senecam. Vox *inferorum* conjungenda est cum vocabulo *sede*, non cum pronomine. Fuere & quibus *abstrahit* placeret. Quasi non in Phœnissis: *quæ me ab hac vita extrahat.* Gronovius.

3. *Quis male deorum Tantalo vivas*] Sic omnes Mss. priore quidem loco: & particula *male* conjungenda est cum verbo *ostendit:* ut sit *male ostendere*, in pœnam ostendere, inutiliter & magno cum pretio atque malo ostendere, ut observabamus olim. Agamemnone: *cum tranquillo Male confisæ, credunt iterum Pelago audaces. Vivas* etiam *domos* intelligebam per hypallagen vivorum domos, ut apud Livium lib. 6. *gregatim quotidie de foro adductos duci, & repleri vinctis nobiles domos, & ubicumque patricius habitet, ibi carcerem privatum esse.* Libet tamen Etruscus, *visu.* unde Nic. Heinsii conjectura: *invisas domos.* Idem.

4. *Pejus*] An graviorem aliquem mihi excogitaverunt cruciatum, quam qui mihi jam addictus est? *Farnab.*

6. *Sisyphi*] Hippol. v. 1226. *Idem.*

8. *Aut membra celeri differens*] Si bene distinguas, nihil est fere, quo offendaris. Numquid, ait, lubricus Sisyphi lapis, gestandus humeris nostris, venit mihi tanquam pœna nova vice pœnæ pristinæ? numquid venit mihi rota illa differens membra Ixionis celeri cursu? num denique pœna Tityi mihi venit, qui æternus avem pascit? num hæc vel illa mihi adsignabitur? num cadet aut eveniet sorte? num illam sortiar? Hoc enim est *venit.* Caveamus igitur refingere *differar* aut *differet.* Bene repetitur λῆμα *venit*, quod non ita adsociandum τῷ *gestandus*, ut sequentibus attribui non possit. Concedamus autem, *gestandus venit*, esse idem quod, gestandus est, & postea scriptum, *differet*, quid facient de illis: *Aut pœna Tityi?* num hic possunt repetere ex præcedente versu idem *differet?* Sed fovent pravam lectionem, *semper accrescens jecur:* quæ tamen separatis illis quatuor versibus de Tityo sensum esse patitur, sed non patitur eos cohærere cum prægressis. Quæ enim hæc connexio? Numquid Sisyphi lapis est mihi volvendus? rota Ixionis? aut jecur semper accrescens Tityi, quæ pœna illius est, pascit vulturem & reparat nocte, quod die perdidit, & sufficit iteratis morsibus. Quis tantum non puer non videat hanc orationem esse stolidam, ineptam, male sibi respondentem? Cui non succurrat sequi aliquid debere, quo non simpliciter narretur, quid fiat Tityo, sed ostendatur dubitare ipsum Tantalum

an

Aut pœna Tityi: qui ſpecu vaſto patens
Viſceribus atras paſcit effoſſis aves;
Et nocte reparans quidquid amiſit die,
Plenum recenti pabulum monſtro jacet?
In quod malum tranſcribor? ô quiſquis nova
Supplicia functis durus umbrarum arbiter
Diſponis! adde, ſi quid ad pœnas potes,
Quod ipſe cuſtos carceris diri horreat,
Quod mœſtus Acheron paveat; ad cujus metum
Nos quoque tremamus. quære: jam noſtra ſubit
Eſtir-

an ſibi eadem pœna immineat? Itaque miror ſecuritatem illius, qui nihil ad ſententiæ plenitudinem ait deſiderari. Sane nihil deſideratur, ſi in eloquendo ſatis eſt, quodvis membrum per ſe habere ſenſum, etiamſi ſenſus ille à proximis abhorreat. *Gronovius.* Hercul. Fu. 749. *Farnabius.*

9. *Semper accreſcens jecur*] Iam demonſtravimus hanc lectionem ſtare nullo modo poſſe, ut ſalva & honeſta ſit oratio. Lipſius adſcriptum in codice ſuo invenit: *qui ſpecu vaſto patens:* quod merito amplexus eſt Rapheliingius, viſus etiam ſibi deprehendiſſe, unde alterum proceſſerit, videlicet, cum adſcriptum eſſet ex Hippolyto: *Meumque pœnæ ſemper accreſcat jecur.* Quod quidem vere animadverſum puto, utcumque frivolum dicant alii: nec diſſimulo idem, mihi, antequam apud illum viderem, in mentem veniſſe. Præfidenter ajunt expungi *ſemper ac creſcens jecur.* At imprudenter illi, qui non percepta ſententia de ſcriptura verborum judicant. Nam τὸ *patens vaſto ſpecu* Latinum minus eſſe quam *jacens*, ne approbarunt Grutero quidem, etſi & ille ſex malis Codd. plus tribuat quam uni bono Lipſiano, ſperetque ſe excogitaſſe, unde attextum fuerit, *qui ſpecu vaſto patens.* Sed non eſt attextum: prima immo & antiqua lectio eſt, & ſola exſtat in membranis Florentinis. Vidit tamen Gruterus nec vulgatam bene ſe habere, ſeque fatetur impeditum, & molitur correctionem potius ex ſua quam auctoris mente, ſcriptiſque illis, quibus tamen ipſe fidit, ait nociſſe ungues exſcribentiũ. Dum τὸ *venit*, nimis arcte conjungit τῷ *geſtandus*, non potuit illud repetere ἀπὸ κοινοῦ ad ſequentia: hoc autem quia non fecit, nec cœpit ipſe ſenſum, nec illum cepit veræ lectionis facilitas. *Gronovius. Specu vaſto patens*] Illa ſcilic. parte corporis, qua admittebat aves rapaces. *Farnabius.*

10. *Aves;*] Ità & alii. Virg. 6. Æneid. unicum vulturem agnoſcit. *Idem.*

13. *In quod malum tranſſcribor?*] Verbum Senecæ, Epiſt. 4. *cum puerilem animum depoſueris, & te in virot philoſophia tranſſcripſerit.* Conſolatione ad Marciam cap. 16. *Clælium, contempto hoſte & flumine, ob inſignem audaciam tantum non in viros tranſſcripſimus.* A Virg. 5. Æn. *Tranſſcribunt urbi matres, populumque volentem Deponunt.* Lib. 7. *Et tua Dardaniis tranſſcribi ſceptra colonis.* Gron. *Tranſcribor?*] Tranſlatum ab iis, qui in novas colonias ſcripti deducuntur. *Farnabius.*

15. *Adde ſi quid ad pœnas potes.*] Etruſcus, *poteſt.* Puta, *addi.* Qua figura frequenter Plautus: *Abduce me hinc, quantum poteſt. Congrum exdorſua, quantum poteſt.* Gronovius.

16. *Cuſtos*] Cerberus. *Farnab.*

18. *Nos quoque*] Malis indurati, qui in

E ſtirpe turba, quæ ſuum vincat genus,
Ac me innocentem faciat, & inauſa audeat.
Regione quidquid impia ceſſat loci,
Complebo. numquam ſtante Pelopeia domo,
Minos vacabit. *Meg.* Perge deteſtabilis
Umbra, & penateis impios furiis age.
Certetur omni ſcelere, & alterna vice
Stringantur enſes. ne ſit irarum modus,
Pudorve. mentes cœcus inſtiget furor;
Rabies parentum duret, & longum nefas
Eat in nepotes. nec vacet cuiquam vetus
Odiſſe crimen, ſemper oriatur novum;
Nec unum in uno: dumque punitur ſcelus,
Creſcat. ſuperbis fratribus regna excidant,

Repe-

in vivis dira fecimus, apud inferos miſerrima patimur. *Idem.*

19. *Stirpe*] Pelope. *Idem. Turba*] Atreus & Thyeſtes. *Idem. Suum*] Me progenitorem infando ſcelere ſuperet. *Idem.*

20. *Innocentem*] Reſpectu & comparatione ipſorum. *Id. Inauſa*] Quæ nec ego, nec alius quiſpiam auſus eſt. *Idem.*

21. *Regione*] Vacua omni ſupplicii apud inferos loca progenies mea complebit. *Idem.*

22. *Nunquam*] Quamdiu quiſquam ſupereſt è noſtra familia, & *ſæva Pelopis domo* nullo non ſcelere contaminata, habebunt quæ torqueant crimina inferni judices. *Idem. Pelopeia domo*] Nullum ſcelus fuit, quo ſe Pelopidæ abſtinuerint. nam parentes liberos, liberi parentes, uxor maritum, maritus uxorem, frater fratrem, affines affinitate junctos occiderunt; pater liberos comedit; demum affinem patruelis, glorem levit, filiam pater ſtupravit. merito igitur eorum familia conviciis omnium proſciſſa fuit adeo, ut *Pelopeia domus*, pro ſæva & impia, adagii loco etiam hodie uſurpetur. Xenarcho dicitur ἄστυτος οἶκος, Euripidi δυστυχῶν δόμος, Horatio *ſæva Pelopis domus.* Delrius.

23. M. *Perge deteſtabilis*] Etruſcus: *FVRIA. Perge d.* Et ſic etiam perſonam eam vocat in inſcriptione: *TANTALI VMBRA. FVRIA.* Et inferius verſ. 100. *FVR. Hunc hunc furorem.* Gronovius.

26. *Stringantur enſes.*] Etruſcus: *Stringatur enſis.* Gronovius.

28. *Parentum*] Tantali & Pelopis, *vel indignanter pro* parentis, id eſt, aviſcilicet tui ô Tantale, ut Hercul. Fur. verſ. 1283. *pavidas matres.* Farnab.

30. *Oriatur novum;*] Ita dum Atreus ulciſcebatur adulterium Thyeſtæ cum Aëropa uxore ſua, filios ipſius illi epulandos appoſuit. Thyeſtes ut hoc vindicaret, conſulto oraculo, ex inceſto ſuæ filiæ Pelopeiæ ſtupro Ægiſthum genuit, qui Atreum interfecit & Agamemnonem. *Idem.*

32. *Superbis*] Atreo & Thyeſtæ alternis vicibus regnantibus regnum excidat, uti Thyeſtæ, qui corrupta fratris uxore in exilium ivit, à quo ſimulata conciliatione revocatus eſt. *Vide Argument.* Idem.

Repetantque profugos: dubia violentæ domus
Fortuna reges inter incertos labet.
Miser ex potente fiat, ex misero potens;
Fluctuque regnum casus assiduo ferat.
Ob scelera pulsi, cum dabit patriam deus,
In scelera redeant: sintque tam invisi omnibus
Quam sibi. nihil sit, ira quod vetitum putet,
Fratrem expaveſcat frater, & gnatum parens,
Gnatusque patrem: liberi pereant male;
Pejus tamen nascantur: immineat viro
Infesta conjux. bella trans pontum vehant:
Effusus omnes irriget terras cruor;
Supraque magnos gentium exultet duces
Libido victrix. impia stuprum in domo
Leviſſimum sit. fratris & fas, & fides,
Jusque omne pereat. non sit à vestris malis
Immune cœlum. cum micant stellæ polo,
Flammæque servant debitum mundo decus;

Nox

33. *Repetantque profugos*] Sic Florentinus, non *repetat*. Sensus: regna excidant & elabantur tenentibus, ac deinde redeant ac revertantur ad ejectos, exsules, profugos. Eodem jure quo excidere dicuntur illis, quibus auferuntur, & repetere possunt dici illos, in quorum ditionem redeunt. Si quis codex *civri & regna* haberet *sceptra*, valde probarem ob *regnum*, quod est vers. 36. Potest tamen & vulgatum satis ferri. *Gronovius.*

37. *Ob scelera*] Vterque pulsus, simul ac revocatus fuerit, in scelera redeat. *Farnabius.*

40. *Fratrem*] Atreus Thyestem & è contrario. *Idem. Et natum*] Clytæmnestra Orestem. *Idem.*

41. *Patrem:*] Matrem *rectius lege.* sic Orestes Clytæmnestram, quam fugiens latuit, tandem reversus interfecit. *Idem.* Gruterus retinet *patrem.* nihil enim vetat masculino contineri sexum deteriorem, quamvis sermo de Oreste & Clytæmnestra. *Pereant*] Thyestæ filii, quos patruus occidit, voravit pater. *Farnabius.*

42. *Pejus*] Ex incestu leviri cum glore, patris cum filia. *Idem. Viro*] Clytæmnestra Agamemnoni. *Idem.*

43. *Bella*] Agamemnon & Menelaus repetitum Helenam ad Trojanum bellum profecti. *Idem.*

45. *Supraque*] Ita Agamemnon magnus dux Græciæ Chryseida & Cassandram depetiit. *Idem.*

47. *Leviſsimum sit, &c.*] Commelin. sic distinguendum censet: *Leviſsimum sit fratris: & fas & fides.*

49. *Cum micant stellæ polo,*] Digna, quæ noscatur, conjectura Grotii: *cur micant stellæ polo? Flammæque servant debitum mundo decus?* Et nihil verius. Præsumit animo, quod in diurno sidere futurum erat inter epulas Thyesteas. *Gronovius.*

51. *Exci-*

Nox atra fiat, excidat cœlo dies.
Misce penateis: odia, cædes, funera
Arcesse, & imple Tantalo totam domum.
Ornetur altum columen, & lauro fores
Lætæ viresçant; dignus adventu tuo
Splendescat ignis. Thracium fiat nefas
Majore numero. dextra cur patrui vacat?
Nondum Thyestes liberos deflet suos?
Ecquando tollet ignibus jam subditis
Spu-

51. *Excidat*] Mensæ enim Thyesteæ atrocitatem sol videre non sustinens ortus retrocessit. *Farnabius.*

53. *Et imple scelere Tantaleam domum,*] Pulchre Flor. *& imple Tantalo totam domum.* Intellige, animo, fortuna & casibus Tantali. Mittebatur enim, *ut dirus vapos tellure rupta, vel gravem populis luem sparsura pestis*, ut ipse mox ait. Statius in diversam partem: *ille penates Implet, & ingenti genio juvat.* Gronovius. Per promiscuos incestus & stupra.

54. *Ornetur altum columen*] Sic liber optimus & omnes: & cur mutavit Fabricius? *Columen* proprie materia suspensa, quæ totius ædificii fastigium percurrit ac sustinet, apud Vitruvium. Quod eleganter ostendit Rutilius Numatianus lib. 1. vers. 348. etsi propter versum *culminis* voce utatur. *Parvula subrectis facimus tentoria remis, Transversus subita culmine contus erat.* Vbi male interpres, contum navalem erectum cuspide in terram fixo culmen subitario ædificio fuisse, scribit. Ex columine columnam, ex vara vibiam. Immo remorum ordo pronorum ac fastigatorum cum ordine contrario ita junctus, ut supremis in partibus leviter decussati essent, atque in terram statutus est: hic super impositus contus, ad quem revincirentur & contextum inter se opus hæreret. *Subrectis* autem legendum. non *subjectis*: quod est quidem interdum in altum movere, sed huc non congruit. Varro de re rustica lib. 3. *Columbarum unum genus agreste, quod habetur in turribus & columinibus villæ.* Seneca transfert, & pro quavis conspectissima domus parte accipit. *Gronovius.* In simulata conciliatione, quod in festis solet, ornentur postes floribus, frondibus, lauri ramis, lucernis, foco sed crudeli, qui incestum Thyestæ vindicet. *Farnabius.*

56. *Thracium*] Quale admiserunt Progne & Philomela in vindicta Terei regis Thraciæ. vid. Herc. Fu. vers. 145. *Idem.* A Pausania in Atti. Terei historia sic narratur, ut præter metam. istas, omnia vere videantur accidisse. *Delrius.*

57. *Majore*] Sed illæ unum Terei peremere filium Ityn: tu ô Atreu, duos Thyestæ, *imo tres.* Farnabius. *Patrui*] Atrei. *& instat Furia festinare jubens, ut ipse famelicus cruentis his dapibus se exsatiet.* Sarcas. *Idem.*

59. *Ecquando tollet ignibus jam subditis*] Aliquid hic vitii subesse jam olim suspicatus Lipsius, sed non illud videtur sublatum distinctione, quam facit: *Spumante aheno membra*; nam vocabulum, *membra*, sequenti à membro orationis decerpi non debet. Quid autem est, *tollet aheno membra?* Quod si manet distinctio prior, vel sic quoque, quis aut quid *tollet?* neque enim ipse Thyestes ex aheno prompturus est partes liberorum suorum. In ea voce menda videtur latere. sed quid substituemus? Cogitabam: *Ecquando vellet*, vel *conderet?* nempe Thyestes libe-

Spumante aheno? membra partes eant
Discerpta: patrios polluat sanguis focos:
Epulæ instruantur. non novi sceleris tibi
Conviva venies; liberum dedimus diem,
Tuamque ad istas solvimus mensas famem.
Jejunia exple. mistus in Bacchum cruor
Spectante te potetur. inveni dapes,
Quas ipse fugeres. Siste, quo præceps ruis?
Tant. Ad stagna, & amnes, & recedentes aquas,
Labrisque ab ipsis arboris plenæ fugas,
Abire in atrum carceris liceat mei
Cubile: liceat, si parum videor miser,
Mutare ripas: alveo medius tuo
Plegethon relinquar, igneo cinctus freto.
Quicunque pœnas lege Fatorum datas
Pati juberis: quisquis exeso jaces
Pavidus sub antro, jamque venturi times
Montis ruinam: quisquis avidorum feros
Rictus leonum, & dira Furiarum agmina
Implicitus horres: quisquis immissas faces

Semi-

ros mansos. Notum Ovidii, *in viscera viscera condi*, in orat. Pythag. Deinde malebam: *ignibus jam subditis Spument ahena, membra per, &c.* Vti prorsus habebat optimus codex. Vulgata utcumque pronunciat fore, ut Thyestes liberos, tanquam exta fervente foco, coctos accipiat. *Gronovius.*

62. *Non novi*] Qui filium tuum Pelopem coctum olim diis epulandum apposuisti. *Farnabius.*

63. *Liberum*] Hunc diem à fame tibi vacuum permisi, ut apud tuos ad satietatem usque convivareris. *Idem.*

65. *Mistus*] Vinum cruore puerorum Thyestæ mistum. *Idem.*

67. *Ipse fugeres*] Tu, quem cæteræ dapes fugiunt: namque hoc audito, Tantalus refugit, repetitque inferas potius fame pœnas, quam tales accedat mensas. *Furia itaque siste ait*, quo præceps ruis? *Idem.*

69. *Arboris*] Arborem fugientem ab ipsis labris. *Idem.*

71. *Liceat*] Si in solita ripa non satis miser videar, in magis diras sævasque me transmitte, modo ne ad has epulas cogar. *Idem.*

73. *Phlegethon*] *Qui rapidis flammis ambit torrentibus amnis Tartareus. Phlegethon à φλέγω. Idem.*

76. *Quique venturi times*] Melius Florentiæ: *jamque venturi times.* De eodem enim loquitur Sisypho, de quo membrum præcedens. *Gronovius.*

78. *Furiarum*] Trium, ut in Herc. Fur. vers. 101. quas ab impetu, furore & assiduitate supplicii vocat *agmina sæva sororum.* Farnabius.

79. *Quisquis*] Qui manu repellis à facie

Semiustus abigis, Tantali vocem excipe
Properantis ad vos: credite experto mihi,
Amate pœnas. quando continget mihi
Effugere superos? *Meg.* Ante perturba domum,
Inferque tecum prælia, & ferri malum
Regibus amorem: concute insano ferum
Pectus tumultu. *Tant.* Me pati pœnas decet,
Non esse pœnam: mittor, ut dirus vapor
Tellure rupta, vel gravem populis luem
Sparsura pestis. ducam in horrendum nefas
Avus nepotes. Magne divorum parens,
Nosterque, quamvis pudeat; ingenti licet
Taxata pœna lingua crucietur loquax;
Nec hoc tacebo: moneo, ne sacra manus

Vio-

facie intentatas ab ultricibus Furiis, faces. *Farnabius.*

81. *Properantis*] Festinanter revertentis ad vos. *Idem. Experto*] Qui tuli pœnas inferorum, & ab inferis excitus vidi scelera vivorum. *Idem.*

82. *Amate pœnas*] Vt Virg. 3. Æn. *Hortor amare focos, arcemque attollere tectis.* Id est, ipsos sibi approbare & conciliare has sedes, non deserere. Nec enim proprie *domos construere*, ut Onomasticon vetus apud Turneb. 28. Adv. 5. lib. 5. *Quo tantum mihi dexter abis? huc dirige cursum: Littus ama.* Statius 9. Thebaid. *nec unquam Longius indulget dextræ motusque per omnes Corpus amat.* Vtcumque se moveat, à corpore non abit. *Gronovius.* Contenti sitis & amate pœnas, quas datis apud inferos, potius quam revertamini ad superos. *Farnabius.*

83. *Ante*] Non reverteris priusquam domum tuam perturbaveris, dissidiique faces nepotibus tuis admoveris. *Idem.*

87. *Non esse*] Non aliis pœnas facessere. *Vapor*] Exhalatio pestifera. *Idem.*

90. *Magne*] Quamvis te pudeat, ô Iupiter, genuisse hominem tam sceleratum. *Idem.*

92. *Taxata*] Tantalus enim ad Deorum secreta admissus, quum ea evulgasset, ad inferos Eridano fl. mento tenus immersus: *Quarit aquas in aquis, & poma fugacia captat.* Vide Hercul. Fur. 753. ἀηδόλαιον ἔχε γλῶσσαν. *Idem. Lingua crucietur, loquar.*] Nec male, si non melius Etruscus cum Vossiano, *loquax*: sublata, quæ huic voci præponitur, distinctione. Licet garrula lingua, cui lis grandi pretio est taxata, crucietur; tamen nec illud tacebo. Statim recte jussit Lipsius, scriberemus, *violate*, & *adspergite*: nam utrumque sic exhibet princeps codicum. Frustra subjiciunt, *violenta*, aut verentur ulcus in proximis. Sensus depromptus ex illo sextæ Æneidos: *Phlegyasque miserrimus omneis Admonet, & magna testatur voce per Vmbras: Discite justitiam moniti, & non temnere divos.* Gronovius.

93. *Monea*] Monebo neporem Atreum & repellam à tanto scelere. *Farnabius. Sacra manus*] Execranda. Sacra cædes dictum ut sacra fames. *Idem.*

Violate cæde, neve furiali malo
Aſpergite aras. ſtabo, & arcebo ſcelus.
Quid ora terres verbere, & tortos ferox
Minaris angues? quid famem infixam intimis
Agitas medullis? flagrat incenſum ſiti
Cor, & peruſtis flamma viſceribus micat.
Sequor.
Meg. Hunc, ô, furorem divide in totam domum.
Sic, ſic ferantur, & ſuum infenſi invicem
Sitiant cruorem: ſenſit introitus tuos
Domus, & nefando tota contactu horruit.
Actum eſt abunde. gradere ad infernos ſpecus,
Amnemque notum: jam tuum mœſtæ pedem

Terræ

95. *Aras.*] Ad aras enim filios Thyeſtæ Atreus mactavit. *Farnabius.*

96. *Quid ora*] *Talia dicenti Megæra flagello inſonat, vipereas arrecta comas minitatur ſe omnes illi injecturam angues, & famem ſitimque auget.* Id.

97. *Famem infixam intimis Agitas medullis*] Seneca epiſt. 94. *Oſtendis eſurienti, quid tanquam ſatur faciat? fixam potius medullis famem detrahe.* Porro *agitas* plene codex optimus, ne quis curet aliorum *accitas.* Gronov.

100. *Sequor.* M. *Hunc ô furorem*] Etruſcus quoque ſuperfluam ſyllabam habet: *F V R. Hunc hunc furorem.* Nec diſplicet Hugonis Grotii, uno ut verſu legatur: T. *Sequor.* F. *Hunc furorem divide.* Sequenti verſu etiam Etruſcus: *Sic ſic ferantur.* non *feratur.* Gron.

101. *Sic, ſic*] Quantum tu aquam, tantum illi ſitiant cruorem. *vel* ita ut facis, ſparge furoris & odii ſemina. *Farnabius.*

105. *Actum*] Satis ſuperque flammas concitaſti, jam redi ad locum ſupplicii. *Idem.*

106. *Iam tuo mœſtæ pede*] Lipſii liber: *tuum m. pedem Terræ gravantur.* Non paullo rotundius, inquit Gruterus, ſed nullæ membranæ ei adſentiuntur. Quid tum? ille enim οἷος πέπνυται, αἱ δ' σκιαὶ ἀΐσσουσι. Neque aliter Etruſcus. Sed ecce virum alium doctum, qui haud ſcit an quadret hæc lectio, ſi reſpicias ad verbum *gravantur.* Poſthac ſciet. Seneca de Clementia 1, 12. *At illum acerbum & ſanguinarium neceſſe eſt graventur ſtipatores ſui.* Thiodamas apud Statium ad deam Tellurem, poſt abſorptum Amphiaraum: *Nos tantum portare negas? nos, diva, gravaris.* Qui locus huc valde conveniens. Reſtituimus eam phraſin Statio in Silvis. Nunc quoque Iuſtino lib. 20, 2. *Illi, longinquam militiam gravati, auxilium à Caſtore & Polluce eos petere jubent.* Hoc eſt, recuſantes, gravem ducentes. Vulgo, *longinqua militia.* Et lib. 39, 4. *At in Ægypto Cleopatra cum gravaretur ſocium regni filium Ptolomæum.* i. non ferret. Vbi etiam ſubjecerunt, *ſocio regni filio Ptolomæo.* Bis idem vitium Appulejo oblatum: Lib. 5. *confeſtimque præſentiam noſtram gravata:* & in Apolog. *Eſt enim pudentis animi & verecundi vel falſas vituperationes gravari.* Sic enim & Mſſ. ut viri docti monuere: tamen editur *præſentia noſtra & falſa vituperatione.* Sed non *gravamur aliqua re*, niſi quam cum maxime ſuſtinemus & utcumque ægre ferimus;

Terræ gravantur. cernis, ut fontes liquor
Introrsus actus linquat; ut ripæ vacent;
Ventusque raras igneus nubes ferat?
Pallescit omnis arbor, ac nudus stetit
Fugiente pomo ramus; & qui fluctibus
Illinc propinquis Isthmos atque illinc fremit,
Vicina gracili dividens terra vada,
Longe remotos latus exaudit sonos.
Jam Lerna retro cessit, & Phoronides
Latuere venæ: nec suas profert sacer

Al-

ferimus: *gravamur aliquam rem*, quam vel si jam ferimus, tentamus excutere, vel nondum susceptam recusamus ac procul habemus. *Gronovius.*

107. *Cernis*] Cernis ut omnes aquæ subsidant tuo conspectu, arboresque veluti sideratione tactæ arescant? *Farnabius.*

109. *Raras*] Sine pluvia, quas in Herc. Fur. vers. 863. vocabat *vacuas*, *vel*, paucas.

111. *Qui fluctibus, &c.*] Binaque maria Ægæum & Ionium, quæ Isthmon Corinthiacum utrinque alluunt, recedunt à litore longiusque remotis exaudiuntur ipsorum fremitus. *Farnabius.*

114. *Latus exaudit sonos.*] Vocem *latus* obelo Aristarchorum objicit Delrius, etsi omnibus in ejus scriptis reperiatur. Quomodo enim *latus*, si vicina vada gracili terra dividit? Censetque feliciter emendasse Lipsium *lætus*, quod scilicet remoto jam mari mergi non verebatur. At sanum esse alterum adfirmat Gruterus: velle auctorem ita inhorruisse pelagus adventu Tantali, ut se subduxerit, utroque latere aquis suis nudato; ideoque angustias Isthmi minus fuisse angustas, quod plusculum hinc & illinc terræ sit additum litori. Non male, si de lectione constaret: nam Florentiæ non *latus* habetur, sed *litus*. Quam lectionem & ante productam nescio quos exponere ait tentasse Farnabius. Sed frustra: quid enim, *Isthmos exaudit litus, sonos?* aut quomodo stare possunt simul hi duo accusativi? Emenda: *Longe remotis litus exaudit sonis.* Nempe reducto utrimque pelago Isthmos, solitus ante littus, seu fluctus littori allisos aut fragorem littoris, sonis propinquis audire & vehementibus, nunc eos percipit longinquis & levioribus. Ovidius in epist. Phædræ: *Et tenuis tellus audit utrimque mare.* Noster Nat. quæst. 6, 7. *Villas in conspectu collocatas fluctus, qui longe audiebatur, invasit.* Gronovius.

115. *Lerna*] Palus in agro Argivorum. *Farnabius. Phoronides*] Vndæ fl. Inachi filii Phoronei regis Argivor. *Idem.*

116. *Nec suas profert sacras Alpheus*] Scribe cum Florentino: *sacer Alpheos undas.* Sic mox vers. 130. *Alpheos stadio notus Olympico.* Et vers. 627. *maris gemini premens Fauces Corinthos.* vers. 799. *numquid Tityos.* Ovidius: *Et sacer admissas exigit Hebrus aquas.* Gronovius. Nullus fons numine vacare credebatur, propter perennem æternamque scaturiginem, unde & filii deorum dicti fluvii. *vel* quod huic fl. tanquam Deo & Iovis amico (cujus quippe solius aqua aram Iovis Olympici diluí sancitum) Elei honores habuerunt, signumque in templo Iovi dedicato posuerunt. *Farnabius.*

Alpheos undas, & Cithæronis juga
Stant parte nulla cana deposita nive,
Timentque veterem nobiles Argi sitim.
En ipse Titan dubitat, an jubeat sequi,
Cogatque habenis ire periturum diem.

117. *Alpheos*] Fl. Elidis in Arcadia Pisas alluens. *Farn.* *Cithæronis*] E Cithæronis jugis solutæ evanuerunt nives. *Idem.*

119. *Veterem*] Ineptè Ascensius *situm* legit: ineptiùs Marmita *sitim*, ad siccitatem quæ fuit tempore Phaëthontis, refert. Recte Ægid. Maserius, in comment. Valerii Flacci, & Cœlius Rhodiginus scribunt loqui Senecam de siti, quæ ante Danai tempora fuit: cum, nondum inventis puteis Argos in loco arido situm, aquarum penuria laborabat, quam Danaus teste Plinio natur. hist. lib. 7. sustulit inventis puteis. unde Hesiodus teste Eustathio Iliad. δ'. Ἄργος ἄνυδρον ἐὸν Δάναος ποίησεν ἔνυδρον. *Delrius.*

120. *Ipse Titan*] Sol dubitat an curru quadrijugo vectus jubeat diem procedere, per te periturum, id est, obscurum futurum; neque enim lucescente die dæmoniis, furiis, umbrisve vagari permissum. sic Anchisæ umbra Æneid. 5. *Et me flavus equis oriens afflavit anhelis.* & Tiresiæ 2. lib. 5. Sat. Horat. *sed me Imperiosa trahit Proserpina, vive, valeque.* Farnabius.

CHORUS.

Chorus ex senibus Mycenæis vel Argivis constans (Argos enim cum Mycenis confundunt poëtæ) deos urbium in Peloponneso præsides, ut mala & scelera in domo Pelopis concepta & imminentia prohibeant avertantque, & Tantali impium facinus ac pœnam canit.

Argos de Superis si quis Achaïcum,
Pisæisque domos curribus inclitas:
Isthmi si quis amat regna Corinthii,
Et portus geminos, & mare dissidens:

Si

122. *Achaïcum*,] Ad differentiam aliorum, qui decem. huic autem Iuno præest. *Farnabius.*

123. *Pisæisque domos turribus inclitas:*] Dolent à Raphelingio sibi inscribi, *curribus*: nihil enim se mutandum duxisse, sed quid in libris contineretur, monuisse. Gallus gallinaceus unionem. Gaudere potius debebant & grates agere. Sic enim & Florentinus, & vel de conjectura satis polito ingenio probaretur. Gruteri codices pejorem lectionem habuisse non miror. Cyclopum *turres* novimus Argis vel Mycenis: sed Oenomai regia *Pisæis curribus* inclita: qui tantum negotii dederunt Poëtis, ut turres ejusdem regiæ nihil sint morati. Nec victoris tantum, sed & victis curribus insignem domum cogita ex illo Virgilii: *in postibus arma, Captivi pendent currus.* Et Silii, *In foribus*, &c. *Captivi currus, belli decus.* Noster infrà vers. 658. *Gronovius.* *Pisæisque*] Pisæ civitatis in Elide, quæ Iovi curæ propter Olympia, quæ juxta hanc celebrantur. *Farnæbius.*

125. *Geminos*,] Ab utraque parte Isthmi,

Si quis Taygeti conspicuas nives,
Quas, cum Sarmaticus tempore frigido
In summis Boreas composuit jugis,
Æstas veliferis solvit Etesiis:
Quem tangit gelido flumine lucidus
Alpheos, stadio notus Olympico:
Advertat placidum numen, & arceat,
Alternas scelerum, ne redeant, vices;
Neu succedat avo deterior nepos;
Et major placeat culpa minoribus.

Tan-

Isthmi, de quo in Herc. Fur. vers. 335. *Farnabius. Dissidens:*] Isthmo interjecto dividente Ionium & Ægæum. *Id.*

126. *Taygeti*] Montis prope Lacedæmona. *Idem.*

127. *Quas,*] Quas Boreas à Septentrione, ubi Sarmatæ populi, flans hyeme congelavit, Etesiæ venti æstivi ab alia atque alia cœli parte spirantes solvunt. *Idem.*

129. *Veliferis Etesiis:*] Stati enim venti sunt, & constantes. unde eos Varro *Navales* appellat. *Idem.* Æstivos esse ventos constat ex Aristot. lib. de mundo ad Alex. Plutarcho in Dione, & Gellio lib. 2. cap. 22. item de genere Aquilonum ex Plinio lib. 2. & lib. 18. & D. Isidoro lib. 13. cap. 11. ideo Lucretius dixit: *Etesia flabra Aquilonum.* Delrius.

131. *Stadio*] Curriculo; ita dicto quod stadii mensuram expleret: stadii inquam Olympici de quo Gellius lib. 1. Noct. Attic. cap. 1. *Nam cum fere constaret curriculum stadii, quod est Pisæ apud Iovem Olympium, Herculem pedibus suis metatum: idque fecisse longum pedes sexcentos, cetera quoque stadia in terra Græcia ab aliis postea instituta, pedum quidem esse numero sexcentûm; sed tamen esse aliquantulum breviora.* Censorin. vero in lib. de die Natali: *Stadium in hac mundi mensura id potissimum intelligendum est, quod Italicum vocant, pedum sexcentorum viginti quinque. Nam sunt præterea & alia, longitudine discrepantia, ut Olympicum, quod est pedum sexcentûm, Pythicum quod est mille pedum.* Teste Plinio stadium efficit passus centum viginti quinque nostros, hoc est pedes sexcentos viginti quinque, l. 2. Nat. hist. c. 23. octo vero stadia conficiunt unum milliare, Polybio lib. 3. & Plutarcho in Gracch. & hæc dimensio Romanis historicis in usu est. Vnde apparet Plinium de Italico stadio locutum: & D. Isidorum lib. 15. cap. 16. (quando stadium definit octavam milliaris partem, viam scilicet centum viginti quinque passuum; eoque modo dicit Herculem id terminasse, cum illud uno spiritu confecisset, ac proinde stadium appellasse, quod in fine respirasset, simulque stetisset) vera quidem tradere, sed non distinxisse inter Olympicum, quod Herculis stadium, & Romanum, seu Italicum quod CXXV. passuum. Gellium denique Pythici stadii vel ignarum vel immemorem fuisse. *Delrius.*

132. *Et arceat Alternas scelerum,*] Etruscus: *& arceat, Alternæ scelerum ne redeant vices.* Sermo non insolens. *Arceat, ne redeant,* est arceat redire, ut alibi loquitur. Infra: *Vtinam arcuisset, ne tegat functos humus.* Silius Italicus lib. 13. *Arce, quæ putres artus medicamina servant.* Idem tamen sensus vulgatæ. *Gronovius.*

135. *Et major placeat*] Sic omnes

Tandem lassa feros exuat impetus
Sicci progenies impia Tantali.
Peccatum satis est. fas valuit nihil,
Aut commune nefas. proditus occidit
Deceptor domini Myrtilus, & fide
Vectus, qua tulerat, nobile reddidit
Mutato pelagus nomine. notior
Nulla est Ioniis fabula navibus.
Exceptus gladio parvulus impio
Dum currit patrium natus ad osculum,
Immatura focis victima concidit:
Divisusque tua est, Tantale, dextera,
Mensas ut strueres hospitibus deis:
Hos æterna fames prosequitur cibos,
Hos æterna sitis: nec dapibus feris
Decerni potuit pœna decentior.
Stat lusus vacuo gutture Tantalus,
Impendet capiti plurima noxio

Phi-

Mss. Sunt verba per artem ominantia, dum videntur avertere omen. Ita enim factum est, & revera *major* fuit culpa & avitam excessit noxa, quæ minoribus seu nepotibus placuit. Nihil igitur ridiculum, ut properanti Scaligero visum. Vide ad primum Silvarum. Petronius: *culpæque ignosce minori.* Gronovius.

139. *Proditus*] Oenomaus oraculo monitus sibi à genero imminere mortem, suorum equorum velocitati confisus filiam uxorem procis proposuit ea lege, ut certans curru auferret Hippodamiam, & pater à tergo lancea insequutus eum si assequeretur conficeret. Pelops Myrtilum, cui primam noctem, vel ut alii, partem regni promiserat, corrupit, ut sublata fibula, qua modiolus axis affigitur, currum everteret. Oenomao ab equis discerpto, Pelops Hippodamia & regno potitus est. Myrtilus autem eadem fide, quam domino præstiterat, id est, falsa decepto à Pelope in mare è Geræsto præcipitatus dedit nomen mari Myrtoo. quod tamen à Myrto puella dictum tradit Pausanias in Arcadicis. *Farnab.*

140. *Deceptor dominæ*] Undecumque, recte notavit Deltius legendum esse, *domini:* hoc enim vult historia & membranæ Etruscæ. Taceat igitur factio corruptorum librorum, & valeat veritas. *Gronovius. Fide Vectus*] Sicuti hoc loco Myrtilus, si communem traditionem sequimur. nam Istrus, in Atticis, scripsit Myrtilum singulari certamine pro Hippodamiâ cum Pelope decertantem cecidisse. *Farnabius.*

143. *Ioniis navibus.*] Navigantibus Ionium mare. *Idem.*

144. *Exceptus*] Pelopem filium currentem ad patrium osculum Tantalus pater interfecit, coctumque diis epulandum apposuit, abstinuerunt omnes præter Cererem, &c. *Idem.*

149. *Hos*] Vide Herc. Fur. v. 751. *Id.*

154. *Phi-*

Phineis avibus præda fugacior:
Hinc illinc gravidis frondibus incubat
Et curvata suis fœtibus, ac tremens
Alludit patulis arbor hiatibus:
Hæc, quamvis avidus, nec patiens moræ,
Deceptus toties tangere negligit,
Obliquatque oculos, oraque comprimit,
Inclusisque famem dentibus alligat:
Sed tunc divitias omne nemus suas
Demittit propius, pomaque desuper
Insultant foliis mitia languidis,
Accenduntque famem; quæ jubet irritas
Exer-

154. *Phineis*] Harpyis. Phineus Arcadiæ rex filios suos ex priore uxore, suasu Harpalices superinductæ iis novercæ, excœcavit. quam impietatem dii ulti & ipsam oculis privarunt immissis terris his volatilibus ore virgineo, manibus aduncis, quæ cibos ejus fœdarent. *Farn. Fugacior:*] *Celerique fuga sub sidera lapsæ, &c.* Idem.

156. *Incurvata suis fœtibus,*] Delrii est ex uno Moguntino prolatum. Et succinit Vossianus, arridetque Gutero, etsi novem ejus, *Et curvata.* Sed hoc etiam modo Tuscus, nec quidquam video caussæ quare illud magis placeat. Arbor, inquit, gravidis fructu frondibus ab omni parte impendet ac tantum non incubat Tantalo, & curvata non alio onere quam suorum fœtuum trepidansque & se motitans hiatibus esurientis *alludit*, vel adblanditur. Nam sic quoque liber optimus, non *Illudit*. De tranquill. animi c. 10. *Relictis his, quæ aut non possunt fieri aut difficulter possunt, prope posita speique nostræ alludentia sequamur.* Fab. decl. 298. *Fructus curvatis ramis ad manum paratos habemus.* Gronovius.

158. *Hæc, quamvis avidus,*] Itane vero Tantalus negligit tangere apposita poma? Certe toties deceptus negligit aliquantisper & obdurat, ut fingit eleganter auctor. Cur enim subjicit: *Sed tunc divitias*, &c. nempe, quia hoc in pœnam Tantali sapiens nemus videt illum obfirmato animo & clauso ore perstare? ideo plura illi admovet oblectamenta, ideo se magis demittit, & cum famem auget, tum spem apprehendendi incitat. Cur sequitur: *has ubi protulit, Et falli libuit?* nisi quia continuit eas aliquandiu, & falli dedignatus est. Male quidam scriptus, *Nec*, & contra sententiam auctoris. Florentinus & fere omnes alii, *Haec.* sed ille diphthongo expressa & soluta. *Idem.*

160. *Obliquatque*] Demittit, ne videat. vel limis ocellis aspicit. *Farn. Oraque*] Ore clauso famem coërcet. *Idem.*

162. *Divitias*] Omnis arbor poma demittit ad labra, illumque allicit. *Idem.*

165. *Jubet irritas Exercere manus:*] Hic certe non licuit correctoribus, quod in prosis Senecæ, cujus hæc propria phrasis. Nat. Quæst. 7, 13. *Solvere ista quid aliud est, quam manum exercere, & in ventum jactare brachia?* De clementia, 1, 7. *Humili loco positis exercere manum, litigare, in rixam procurrere, ac morem iræ suæ gerere, liberius est.* De otio Sapientis cap. 32. *nec tantum, quid faciendum sit, cogitare, sed etiam,*

Exercere manus: has ubi protulit,
Et falli libuit, totus in arduum
Autumnus rapitur, silvaque mobilis.
Instat deinde sitis non levior fame;
Qua cum percaluit sanguis, & igneis
Exarsit facibus, stat miser obvios
Fluctus ore vocans, quos profugus latex
Avertit, sterili deficiens vado,
Conantemque sequi, deserit. hic bibit
Altum de rapido gurgite pulverem.

etiam aliquando manum exercere, & ea, quæ meditata sunt, ad verum perducere. Sic omnes Mss. & observavit in parte Isacius Pontanus. Tale est lib. 5. Nat. Quæst. 18. *Nos sine ulla parcimonia nostri alienique sanguinis movemus manum & navigia deducimus.* Sic enim meliores Mss. ubi vulgo *maria.* Gron.

167. *Falli*] Nec enim sperabat se posse prehendere: tantum experiri voluit.

168. *Autumnus*] Pomorum maturi fructus copia, ramique fugaces. *Farn.*

171. *Exarsit*] Sitis. *Farnab. Stat miser obvios Fluctus ore vocans,*] Lipsii liber, *petens.* Si admittam, non commovebor, quod hoc verbum aptius (nam *vocans* eodem sensu & simplex & in compositis passim Seneca) sed sola reverentiâ tot indubitata bona nobis elargiti codicis Etrusci: quamvis suspicari possis interpretantium esse. *Gronovius.*

174. *Hic bibit*] Arenas capit pro aqua quæ fuit. *Farnabius.*

175. *Altum de rapido gurgite pulverem.*] Vbi expromserint viri summi rationes, quibus inducti docent nos, finem huic Choro deesse; quid nobis statuendum sit, considerabimus. Nunc nolumus damnare inauditos: sed neque apparet causa, cur lectorem moremur asteriscis. *Gronovius. Gurgite*] Ex alveo fugitivi gurgitis. *Delrius.*

ACTUS SECUNDUS.

* ATREUS. SATELLES.

Atreus ulciscendi fratrem certus de vindictæ ratione cum Satellite deliberat, quem ad honesta consulentem non audit, impiam tandem & infandam ultionis rationem excogitat.

Atr. Ignave, iners, enervis, & (quod maximum
Probrum tyranno rebus in summis reor)
Inulte,

* ATREUS. SERVUS.] Non Cruserianus tantum, sed & Florentinus, cum hic in inscriptione, tum per totum hoc colloquium, ubi & Vossianus, habet: SATELLES & SAT. pro illis, SERVUS & SER. Itaque non dubitavimus ita restituere. *Gronovius.*

177. *Rebus*] In magna potentia & rerum summa. *Farnabius.*

180. *Irasi?*

Inulte, post tot scelera, post fratris dolos,
Fasque omne ruptum, quæstibus vanis agis
Iratus Atreus? fremere jam totus tuis
Debebat armis orbis, & geminum mare
Utrimque classes agere: jam flammis agros
Lucere & urbes decuit; ac strictum undique
Micare ferrum. tota sub nostro sonet
Argolica tellus equite: non silvæ tegant
Hostem, nec altis montium structæ jugis
Arces. relictis bellicum totus canat
Populus Mycenis. quisquis invisum caput
Tegit ac tuetur, clade funesta occidat.
Hæc ipsa pollens incliti Pelopis domus
Ruat vel in me, dummodo in fratrem ruat.
Age anime, fac quod nulla posteritas probet;
Sed nulla taceat. aliquod audendum est nefas
Atrox, cruentum; tale, quod frater meus

Suum

180. *Irasne? at Argos*] Longe aliter principes membranæ: *quæstibus vanis agis Iratus Atreus. Fremere jam totus tuis Debebat armis orbis, & geminum mare Utrimque classes agere: jam flammis agros lucere & urbes decuit.* Quæ etsi mitum quantum à vulgatis & vulgaribus scriptis libris ducentis abeant, tamen, quia & verbis & sensibus constant, non possum & hic unici atque antiquissimi codicis auctoritatem spernere. *Iratus Atreus* nomine personæ multum addit gravitati sententiæ. Vt in illo: *Medeafugiam?* Apud Livium: *Hannibal peto pacem.* Apud Suetonium: *tantis rebus gestis C. Cæsar condemnatus essem.* Illud, *fremere jam totus tuis Debebat armis orbis*, caussari possis Neronem potius decere quam Atrea, Romanum Principem quam regulum Peloponnesi, & vix totius. Sed nec novum aut inobservatum eruditis Senecam vetustis personis tribuere verba suum ævum decentia: nec absurdum est impotentem & injurias suas non parvi æstimantem tyrannum superbius de viribus suis loqui, denique eodem jure *orbem* dicere poterat imperii sui, quo Minos apud Ovidium, *Iovis incunabula Creten, qui meus est orbis.* Nam *classes agere mare*, seu mare classibus agi, agitari, inquietum haberi, ut Hercule Fur. *Si æterna semper odia mortales agant.* Vbi Etruscus sane, *gerant.* Sed vide Gruterum. Vulgo: *fremere jam totum tuis D. a. omnis & g. m. Innare classis: jam tuis.* Gron. *Argos*] *His Argos confundi cum Mycenis vides.* Farnabius.

181. *Geminum*] Ionium & Ægæum, quæ Peloponnesum utrinque alluunt. *Idem.*

185. *Equite:*] Equitatu, equitibus. *Idem.*

186. *Hostem,*] Thyestem, quem nominare non dignatur. *Idem.*

194. *Tale,*] Quale mallet frater se in me fecisse, quam me in illum. *Id.*

195. *Suum*

Suum esse mallet. scelera non ulciscēris
Nisi vincis. & quid esse tam sævum potest,
Quod superet illum? numquid abjectus jacet?
Numquid secundis patitur in rebus modum,
Fessis quietem? novi ego ingenium viri
Indocile: flecti non potest, frangi potest.
Proin antequam se firmet, aut vires paret,
Petatur ultro; ne quiescentem petat.
Aut perdet, aut peribit. in medio est scelus
Positum occupanti. *Sat.* Fama te populi nihil
Adversa terret? *Atr.* Maximum hoc regni bonū est,
Quod facta domini cogitur populus sui
Tam ferre, quam laudare. *Sat.* Quos cogit metus
Laudare, eosdem reddit inimicos metus.
At qui favoris gloriam veri petit,
Animo magis quam voce laudari volet.
Atr. Laus vera & humili sæpe contingit viro:
Non nisi potenti falsa. quod nolunt, velint.
Sat. Rex velit honesta; nemo non eadem volet.

Atr.

195. *Suum esse malit.*] Florentiæ, *mallet.* Et vers. 201. *Proinde antequam se firmat aut vires parat.* Gronovius.

196. *Nisi*] Nisi majora scelera facis. *Farnabius. Et quid*] Nec tamen video, qua ratione illum vincam, quem nulla domat fortuna aut sui memorem reddit: in adversis enim rebus non deprimitur, in prosperis supra modum insolescit, neque in laboribus admittit quietem, etiam exul modo machinatur mihi malum. *Idem.*

200. *Indocile:*] Indomitum. *Idem.*

201. *Antequam*] Prius ipsum invadam, quam ille me. *Idem.*

203. *In medio*] Vterque nostrûm meditatur scelus, qui autem prius cœperit, melius perficiet. *Idem.*

207. *Quam ferre tam laudare*] Scribe cum Etrusco: *Tam ferre quam laudare.* Et vel hac nota agnosce L. Annæum, cui proprium & frequentissimum in usu harum particularum naturalem ordinem invertere. Vt de clementia 1, 3. *Illius demum magnitudo stabilis fundataque est, quem omnes tam supra se esse quam pro se sciunt.* Cum significaret, tam pro se quam supra se, vel non tantum supra se, sed etiam pro se. Quod primus observavit Petrus Faber Semestrium 1, 23. *Gronovius.*

211. *Laus vera,*] Infimo cuique ex merito præbetur laus: potenti etiam immerito. *Farnabius.*

212. *Quod nolunt*] Etiam inviti cogantur laudare. *Idem.*

213. *Rex velit honesta;*] Plinius, in Panegyrico: Vita principis censura est, eaque perpetua: ad hanc dirigimur. item, Melius homines exemplis docentur. Claudianus: — *componitur orbis Regis ad exemplum: nec sic inflectere sensus Humanos edicta valent, quam vita regentis. Mobile mutatur semper*

cum

Atr. Ubicunque tantum honesta dominanti licent,
Precario regnatur. *Sat.* Ubi non est pudor,
Nec cura juris, sanctitas, pietas, fides;
Instabile regnum est. *Atr.* Sanctitas, pietas, fides,
Privata bona sunt: qua juvat, reges eant.
Sat. Nefas nocere vel malo fratri puta.
Atr. Fas est in illo, quidquid in fratre est nefas.
Quid enim reliquit crimine intactum? aut ubi
Sceleri pepercit? conjugem stupro abstulit,
Regnumque furto: specimen antiquum imperii
Fraude

cum principe vulgus. Deltius. Fac velit, dic regem velle. *Farnabius.*

215. *Precario*] Non absolute, sed ex alieno arbitrio. *Idem.*

218. *Privata bona sunt:*] Privatorum propria sunt bona. *Idem.* Curam juris omisit: quia illa potius publicum bonum sit, & potissimum ad principem pertinet. *Delrius.* *Qua juvat,*] Qua placet, pro lubidine sua. *Farn.*

219. *Vel malo*] Etiamsi scelerato. *Idem.*

220. *In illo*] Tam egregie impio. *Idem.*

221. *Quod enim reliquit crimen intactum?*] Delrius testatur hoc solam proseminasse Lipsiensem, in qua præter omnes scriptos & editos is, quem illi religio est nominare, ex margine Basileensis sic ediderit: nec male fecisse illum innominatum, si Mss. confirmarent. Si nihil interest, qui qualesve, acta res est: nam potiorem Pall. partem aliter habuisse docendo Comelinus videtur fateri quosdam sic habuisse. Nobis tamen sine magna ratione abeundum à castissimis membranis minime videtur, quæ cum Vossiano meoque & infinitis aliis: *Quid enim reliquit crimine intactum?* Et quid quæso hic incommodi? Quid enim, puta fratris, vel meum, reliquit incontaminatum crimine? aut qua in re scelus in me meosve aut mea patrandum reservavit? Nam quod quis putet huic posteriori membro melius convenire, *quod crimen intactum;* crederem, si hic esset, *cui*, non *ubi*: nunc longe congruentius antiquum. *Gronovius.*

222. *Stupro*] Hoc est, adulterio. loquitur κατ' ἐξοχήν quemadmodum & lex Iulia de adulteriis, teste Papiniano & Modestino l. inter liberas, l. stuprum D. ad leg. Iul. de adulter. lib. 101. D. de verb. signific. vide Alciatum lib. 1. disjunct. cap. 26. & 2. prætermissor. Catellianum Cottam in Memor. in voce Adulterium. dixi in Repet. l. transigere, C. de transaction. *Delrius.*

223. *Specimen antiquum imperii*] Nonnemo librorum *antiqui.* Quod arripit vir eruditus, quia in Phœnissis: *Non te ut reducam veteris ad specimen domus.* Sed in hoc hypallage est: illo autem loco *antiquum* servat liber optimus. *Specimen* sumsit à Virgilio in 12. Æneidos. — *tempora circum Quadrijugo vehitur curru, cui Aurati bis sex radii fulgentia cingunt Solis avi specimen.* Ammianus lib. 22. *Ctesiphon quam rex Pacorus, incolarum viribus amplificatam & mœnibus, Græco indito nomine, Persidis efficit specimen summum.* Gron. *Specimen*] Indicium, argumentum, omen regni. arietem scil. aurei velleris, cum fatale esset illum regnaturum apud quem ille aries esset, hunc prius adeptus est Atreus interfecto Chrysippo fratre. *Farnab.* Pro indicio & argumento

Fraude est adeptus; fraude turbavit domum,
Est Pelopis altis nobile in stabulis pecus,
Arcanus aries, ductor opulenti gregis;
Cujus per omne corpus effuso coma
Dependet auro, cujus è tergo novi
Aurata reges sceptra Tantalidæ gerunt;
Possessor hujus regnat: hunc cunctæ domus
For-

gumento poni solet. Lucretius lib. 4. *Hoc etiam imprimis specimen verum esse videtur.* & lib. 5. *Si non ipsa dedit specimen natura creandi.* quoniam vero omina & portenta earum, quas præsignificant, rerum quædam indicia sunt, recte arietem aureum, noster *specimen* nuncupavit; quem Attius *prodigium portento missum* vocarat. *Delrius.*

225. *Est Pelopis*] Apud Ciceron. 3. de natura Deorum exstant de hoc ariete antiqui poëtæ, fortassis Attii in Atreo, carmina hujusmodi: *Addo huc; quod mihi portento cælestum pater Prodigium misit, regni stabilimen mei; Agnum inter pecudes aurea clarum coma, Quondam Thyestem clepere ausum esse è regia: Qua in re adjutricem conjugem cepit sibi.* Idem.

227. *Corpus infuso coma*] Gruterus è suis hoc: ac Florentinus cum ptioribus edd. *effuso.* Nec video cur necesse sit mutare. Hujus coma dependet auro per omne corpus effuso, dejecto, circumjecto, late superfuso: hoc est, aurea per omne corpus sparsa & effusa. Virgilius quarto Æneidos: *& crines effusa sacerdos.* An hoc aliud, quam sacerdos crinibus effusis, vel crines effusos habens. *Gronovius.*

229. *Aurata*] Tantali nepotes Peloponnesiaci reges sceptrum aurea hujus arietis lana ornare solent. Phialam autem fuisse, in cujus medio insculptus prominebat caper, tradit Herodotus Heracleotes apud Athenæum lib. 6. cap. 4. *Farnabius.* *Sceptra*] Ait hujus arietis lanâ aureâ solitos Pelopidas sceptrum ornare; de quo Pausan. in Bœot. scriptum reliquit Deorum omnium maxime consuevisse Cherronenses illud sceptrum colere, quod Iovi fabricasse Vulcanum Homerus cecinit, à Iove acceptum Mercurium dedisse Pelopi, Pelopem Atreo reliquisse, Atreum Thyesti, à Thyeste per manus traditum tenuisse Agamemnonem: & hoc illos præcipue sceptrum veneratos, & hastam nominasse. plura deinde de hujus sceptri cultu & sacris subjungit. Vnde manifestum fit hoc sceptrum hastæ simile fuisse, nec mentitum Iustinum lib. 43. cum tradidit, adhuc Romulo regnante, reges hastas, pro diademate habuisse, easque Græcos *sceptra* nominasse: quod intelligendum puto de hastis brevioribus, qualia sunt pila Romanorum, vel venabula Thessalorum, ferro tamen minus lato; non de oblongis illis Macedonum sarissis, quibus hodie pedites utuntur. *Delrius.*

230. *Possessor hujus*] Hoc non abre confictum fuit, nam in libro Etruscorum, teste Macrob. 3. Saturn. traditur, si aries insolito colore fuerit inductus, portendi imperatori rerum omnium felicitatem, & Tarquinius in Epitomâ Ostentarii Tusci, inquit. Purpureo aureove colore ovis arietve si aspergetur, principi ordinis & generis summa cum felicitate largitatem auget, genus progeniemque propagat in claritate, lætioremque efficit. non est igitur mirum si Phryxus & Helle ab aureo ariete servati fingantur, &, qui agnum aurea clarum coma possideret, Argis imperaturum eum responsum fuerit. hunc agnum Atreus, interfecto Chrysippo fratre, fuit adeptus; eumdem

Fortuna sequitur. tuta sepositâ sacer
In parte carpit prata quæ claudit lapis,
Fatale saxeo pascuum muro tegens;
Hunc, facinus ingens ausus, assumpta in scelus
Consorte nostri perfidus thalami avehit.
Hinc omne cladis mutuæ fluxit malum.
Per regna trepidus exsul erravi mea:
Pars nulla generis tuta ab insidiis vacat.

Cor-

dem amisit Aëropes uxoris & Thyestæ fratris fraude. *Delrius. Hunc tantæ domus*] Lege cum Flor. & Vossiano: *hunc cunctæ domus Fortuna sequitur.* Doctus editor adleverat Vossiani margini forte legendum esse *cinctæ*. Verius est vetus. *Fortuna cunctæ domus*, est cuncta vel summa fortuna domus regiæ, atque adeo regnandi potestas, quæ penes caput familiæ est. *Gronovius.*

231. *Sacer*] Propter fatum & ostentum imperii. *Farnabius.*

233. *Fatale sacro pascuum*] Sic ab Avantio & Boccario accepit Fabricius, cum legeretur: *saxeo pecus muro*: quare & per *pascuum* non intelligit pratum, sed pecus: & *pecus pascuum* hic dici, quod Columellæ *pascuale*. Sed haud dubie *fatale pascuum* est illud arcanum & sepositum in parte pratum, locus ipse. Absit autem *more*, quod ingerunt quidam pro *muro*; absit, inquam, ut vivat versus. Neque ideo tantum, sed & quia sensu est ineptum: ne pergat juvare vir doctus: *more integens*: vel, *Fatale sacro more cingens pascuum.* Etruscus: *Fatale saxeo pascuum muro tegens.* Synalœphe Poëtis frequens. Virgilius: *villi onerosum atque unguibus aureis.* Et alibi: *optato conduntur Tibridos alveo.* Et, *centum aerei claudunt vectes.* Silius lib. 7. vers. 408. *Ducit sinuato captivum ad litora lino.* Ita enim Mss. Oxonienses, non *captivum sinuato*, ut vulgo transpositum est. Et eodem alludit Romana editio prima: *Duce summato captivum.* Silius lib. 6. *Sinuatu*, & lib. 10. *Sinuatur*, eodem modo τρισυλλάβως ponit. *Gronovius.*

234. *Facinus ingens*] Hæc verba, *facinus ingens*, si in parenthesi ponantur, majorem exprobrationem habent, & odium justius concitant. *Fabritius.*

235. *Consorte*] Ordo. Ille perfidus, ausus ingens facinus, avehit hunc arietem, consorte mei thalami, i. e. uxore mea Aërope in scelus assumpta & *associata.* Farnabius. Conjugem Atrei, *arietis chrysomali proditricem* idem Bocatius vocat *Meropem*, Ravisius *Europen*, Ægius Apollodori Athenienses interpres, *Æropen.* Sed hi omnes sunt libris depravatis, & nominum aliorum similitudine decepti; cum ejus nomen sit distinctis vocalibus *Aërope*, cum apud alios, tum apud Euripidem in Oreste, λέκτρων κρήσας Αἰγίσθου δολίας. Ovid. 11. Tristium, *Si non Aëropen frater sceleratus amasset.* In quo loco & Gallicæ & Germanicæ editiones fere sunt corruptæ. *Fabrit.*

236. *Mutuæ*] Quam uterque nostrûm in alterum molimur. *Farnab.*

237. *Exsul erravit mea:*] Quem sensum habet? An Thyestes, exsul trepidus regnum meum occupavit? Hoc profecto non est *errare per regna.* Potius rescribe cum Flor. *erravi.* Ego, inquit, conspiratione fratris & uxoris exactus regia, per meum ipsius regnum, velut exsul trepidus ac latitans erravi, latebrasque mutavi. Sequenti versu quoque Lipsianum, *generis*, confirmat idem primæ fidei codex: ubi vulgo *nostri.* Gronovius.

Corrupta conjux, imperii quassa est fides,
Domus ægra, dubius sanguis: est certi nihil.
Nisi frater hostis. quid stupes? tandem incipe,
Animoque sume Tantalum, & Pelopem aspice:
Ad hæc manus exempla poscuntur meæ.
Profare, dirum qua caput mactem via.
Sat. Ferro peremptus spiritum inimicum exspuat.
Atr. De fine pœnæ loqueris, ego pœnam volo.
Perimat tyrannus lenis. in regno meo
Mors impetratur. *Sat.* Nulla te pietas movet?
Atr. Excede pietas; (si modò nostra in domo
Unquam fuisti,) dira Furiarum cohors,
Discorsque Erinnys veniat, & geminas faces
Megæra quatiens. non satis magno meum

Ardet

239. *Fides,*] Qua inter nos conveniebat de vicissitudine regnandi per alternos annos. *Farnabius.*

240. *Dubius.*] Incerti filii & hæredes. *Idem.*

241. *Quid stupes?*] *Se ad vindictam excitat.* Idem.

242. *Animoque sume. Tantalum*] Hoc à Fabricio est, notante, alios aliter hæc verba legisse & distinxisse, quibuscum sentire non possit. Huic quidem ignosco. Sed quum Comelinus notarit Mss. & edd. veteres exhibere: *Animoque sume Tantalum*: miror tot sequentes editores non animadvertisse hanc lectionem multo esse elegantiorem. Dictum Sullæ de Cæsare aliquid simile habet, *Cæsari multos Marios inesse.* Statius lib. 10. de Capaneo: *socium coiisse animas & corpore in uno Stare omnes: ita cuncta replet.* Pertinet eodem Cicetonis post reditum in Senatu: *ut haberet in consilio & fratrem, ab inferis, socium rerum mearum, & omnes Metellos, præstantissimos cives, pœne ex Acheronte excitatos.* Vtroque enim intelligitur ob oculos sibi ponere animum & facta sive Tantali sive Metellorum, & ad ea exempla imitanda se stimulare. *Gronovius.* *Tantalum*] Aude aliquid immane & nefarium, & propone tibi exemplum Tantali, qui Pelopem interfecit, & Pelopis qui &c. supra vers. 138. *Farnabius.*

246. *De fine*] Tu de morte respondes, ego de genere mortis & cruciatu quæro. *Idem.*

247. *Perimat tyrannus lenis.*] Mors cita gratiæ & beneficii loco indulgetur. vide vers. 105. Herculis Fur. *Idem.*

248. *Impetratur.*] Sic distinxi, persuasus à Mss. aliquot & judicio Comelini, præsertim cum id etiam poscere ret nexus ac vis sententiæ. Ante distinguebatur: *Perimat tyrannus. lenis in &c.* directe contra mentem Atrei, qui qualemcunque mortem beneficii loco ducebat, tanquam finem pœnæ. *Gruterus.*

249. *Si modo nostra in domo*] Flor. *si modo in nostra domo.* Istiusmodi levia sunt vers. 259. *majus hoc ira est malum.* Et vers. 265. *facere quid tandem paras?* Et vers. 267. *moris humani tumet.* Gronovius.

251. *Geminas*] Quæ geminent mihi furorem. *Farnabius.*

259. *Ipso*]

Ardet furore pectus: impleri juvat
Majore monstro. *Sat.* Quid novi rabidus struis?
Atr. Nil quod doloris capiat assueti modum.
Nullum relinquam facinus; & nullum est satis.
Sat. Ferrum? *Atr.* Parum est. *Sat.* Quid ignis?
Atr. Etiamnum parum est.
Sat. Quonam ergo telo tantus utetur dolor?
Atr. Ipso Thyeste. *Sat.* Majus hoc ira est malum.
Atr. Fateor. tumultus pectora attonitus quatit,
Penitusque volvit: rapior, & quo nescio;
Sed rapior. imo mugit è fundo solum;
Tonat dies serenus; ac totis domus
Ut fracta tectis crepuit; & moti lares
Vertere vultum: fiat hoc, fiat nefas,
Quod dii timetis. *Sat.* Facere quid tandem paras?
Atr. Nescio quid animus majus, & solito amplius,
Supraque fines moris humani tumet,
Instatque pigris manibus: haud, quid sit, scio:
Sed grande quiddam est. ita sit; hoc anime occupa.
Dignum est Thyeste facinus, & dignum Atreo.
Uterque faciat. vidit infandas domus
Odrysia mensas. fateor; immane est scelus,

Sed

259. *Ipso*] Ipsius Thyestis in se & suos sævitia. *Farnabius.*

262. *Imo*] *Hac forte propter Tantalum à Megara excitum, ipsumque ad furorem iræ & vindictæ incitantem.* Idem.

263. *Serenus;*] Quod malum omen. *Fulgura fallaci micuerunt crebra sereno.* Idem.

264. *Lares*] Dii domestici, præstites, domus tutelares, Mercurii & Laræ filii.

270. *Hoc, anime, incipe.*] Scribe cum Etrusco: *hoc, anime, occupa.* Quasi dicat, ne ille faciat prior. Supra: *in medio est scelus Positum occupanti.* Mox idem liber: *Quod uterque faciat.* Vt hic quoque intelligatur ex præcedenti: *Dignum est.* Gronovius.

272. *Vterque*] Ego interficiendo fratris natos, ille comedendo suos. *Farnabius.*

273. *Odrysia*] Domus Terei regis Thraciæ, cujus Odrysii incolæ ab Abderis ad Euxinum. vers. 145. Hercul. Fur. *Idem.* De Tereo loquitur, qui fuit rex Odrysarum, (Thraciæ pars est, Thucydides lib. 2. Plinius lib. 5. hist. natural.) quibus sollemne fuit in conviviis præliari, & se invicem vulneribus deformare, teste Ammiano Marcellino. de his loqui puto Horatium lib. 1. ode 18. & 27. — *monet Sithonius non levis Evius.* &, *Natis in usum lætitiæ scyphis Pugnare, Thracum est. tollite barbarum Morem* — Delrius.

Sed occupatum: majus hoc aliquid dolor
Inveniat. animum Daulis inspira parens,
Sororque. causa est similis. assiste. & manum
Impelle nostram: liberos avidus pater
Gaudensque laceret, & suos artus edat.
Bene est. abunde est. hic placet pœnæ modus
Tantisper. ubinam est? tam diu cur innocens
Versatur Atreus? tota jam ante oculos meos
Imago cædis errat; ingesta orbitas
In ora patris. anime, quid rursus times?
Et ante rem subsidis? audendum est, age:

Quod

274. *Sed occupatum:*] Ab aliis inventum, & factum, ego novum velim. *Farnabius.*

275. *Animum filio inspira parens,*] Et hic frustra omnes ingenii nervos intendêre summi viri: neque enim citra veteres membranas hoc mendum eximi poterat. Igitur ex Etrusco refinge: *animum Daulis inspira parens Sororque.* Prognen & Philomelan invocat simile flagitium ulturus simili scelere. Vtrobique dolor ζηλοτυπίᾳ permistus, illic ob sororem vitiatam & mutilatam, hic ob uxorem violatam & thesaurum regni interversum. Propterea dicit, *causa est similis.* Aliis *Daulia* & *Daulias ales*, cum ipsum πολίχνιον sit *Daulis.* Sed quasi populus Δαυλοὶ (sic Megarensibus τὰ δάση vocari scribit Strabo, unde quidam nomen oppido inditum velint) appelletur, *Daulida* dicit Seneca: perinde ut *Colchis* & regionem significat & Medean. Secus πολίτας dici Δαυλιέας & Δαυλίους & Δαυλιδίους, testis Eustathius in secundam Iliada. Et si cui durum videbitur, scribat: *Daulia inspira parens.* Sed servat veterem scripturam Plutarchus Συμποσ. η. ἐξ ὧν τ' Τηρέα καὶ τὰς γυναῖκας, τὰς μὲν δράσαι, τὰς δὲ παθεῖν ἄθεσμα καὶ σχέτλια λέγουσι, καὶ μέχρι νῦν. Δαυλίδας ὀνομάζουσι τὰς ὄρνιθας. Invocatio autem similis Hippolyto vers. 663. *Te, te, soror, quacumque siderei poli In parte fulges, invoco ad caussam parem.* Et in argumento meliore, Alexander Asiatica expeditione cum Eleuntem venisset, sacrum fecit Protesilao, quod is primus Græcorum ad Trojam euntium pedem in Asia posuisset. Καὶ ὁ νοῦς τῆς θυσίας ἦν, inquit Arrianus, ἐπιτυχεστέραν οἱ γενέσθαι ἢ Πρωτεσιλάῳ τὴν ἀπόβασιν. Curtius lib. 3. in prælio ad Isson: *Victor adhæc Atheniensium Philippus invocabatur.* Sic minor Decius, apud Livium, *patrem nomine compellans, quid ultra moror*, inquit, *familiare fatum?* Sic Germanicus apud Tacitum precatur Drusum, *ut se eadem ausum libens placatusque exemplo ac memoria consiliorum atque operum juvaret.* Gronovius.

277. *Liberos avidus parens,*] Florentinus: *avidus pater.* Et placet, quoniam altera vox de matre proxime præcessit. *Idem.*

280 *Tantisper.*] Sed interea ubinam est Thyestes? qua ratione illum inventum adducam, ut partes suas agat in hoc scelere? *Farnabius. Tam diu*] Cur à nocendo tamdiu moror? *Idem.*

282. *Errat;*] Vt *oberrat.* vers. 1145. in Herc. Fur. pro *obversatur.* Idem. *Ingesta*] Ipse suos liberos, quibus jam orbatus fuerit, vorabit. *Idem.*

284. *Subsidis?*] Deficis, labascis? *Idem.*

286. *Hoc*

Quod est inisto scelere præcipuum nefas,
Hoc ipse faciet. *Sat.* Sed quibus captus dolis,
Nostros dabit perductus in laqueos pedem?
Inimica credit cuncta. *Atr.* Non poterat capi,
Nisi capere vellet. regna nunc sperat mea:
Hac spe minanti fulmen occurret Jovi;
Hac spe subibit gurgitis tumidi minas;
Dubiumque Libycæ Syrtis intrabit fretum;
Hac spe, quod esse maximum retur malum,
Fratrem videbit. *Sat.* Quis fidem pacis dabit?
Cui tanta credet? *Atr.* Credula est spes improba.
Gnatis tamen mandata, quæ patruo ferant,
Dabimus: relictis exul hospitiis vagus
Regno ut miserias mutet, atque Argos regat
Ex parte dominus. si nimis durus preces
Spernet Thyestes; liberos ejus rudes,
Malisque fessos gravibus, & faciles capi,
Præcommovebunt. hinc vetus regni furor,
Illinc egestas tristis, hinc durus labor,
Quamvis rigentem tot malis subigent virum.
Sat. Jam tempus illi fecit ærumnas leves.
Atr. Erras: malorum sensus accrescit die.

Leve

286. *Hoc ipse faciet.*] Comedet sc. suos. *Farn.* Proletaria lectio, *faciat:* sed altera restat in Mss. melioribus; estque extenuantis facinus. Itaque facesset prior. *Gruterus.*

288. *Non poterat*] Inhiat regno. quod captans ipse, ut piscis escam dum capit, capietur. *Farnabius.*

291. *Gurgitis*] Adriatici maris tempestatibus maxime obnoxii: sic infra vers. 362. *Idem.*

292. *Libycæ*] Syrtes, sinus duo in mari Libyco cumulis arenæ, qui ventorum arbitrio agitati, variè vadosi, & fluxu refluxuque impetuosi naves ad se trahunt: unde & nomen iis à ἕλκω *traho.* Vide Herc. Fur. vers. 320. *Idem.*

294. *Fratrem*] Me. *Emphas.* Idem. *Quis*] Quis faciet ut credat? *Idem.*

299. *Ex parte*] In regni societatem assumptus. *Idem.*

302. *Preces movebunt.*] Florentinus quidem cum Lipsiano: *Prece commovebo:* sed unde conficiendum est, *Præcommovebunt*, ut recte factum in quatuor Pall. nosque in duobus Germanicis codd. scriptum vidimus: & jam probaverunt Comelinus, Gruterus, Scaliger. Vt apud Ovidium *præconsumere, præcontrectare, prædelassare.* Fortassis & deinceps legendum: *tunc vetus regni furor.* Gronovius. *Regni*] Insatiata & immensa regnandi cupiditas. *Farnabius.*

304. *Rigentem*] Induratum. *Idem.*

Leve est miserias ferre, perferre est grave.
Sat. Alios ministros consilii tristis lege:
Pejora juvenes facile præcepta audiunt:
In patre facient, quidquid in patruo doces.
Sæpe in magistrum scelera redierunt sua.
Atr. Ut nemo doceat fraudis & sceleris vias,
Regnum docebit. ne mali fiant, times?
Nascuntur istud. quod vocas sævum, asperum,
Agique dire credis, & nimium impie,
Fortasse & illic agitur. *Sat.* Hanc fraudem scient
Gnati parari? *Atr.* Tacita tam rudibus fides
Non est in annis, detegent forsan dolos.
Tacere multis discitur vitæ malis.
Sat. Ipsosne, per quos fallere alium cogitas,

Fal-

307. *Perferre*] Gnaviter, & ad exitum perferre. sic Martialis: *Nam vigilare leve est, pervigilare grave.* Farnabius.

308. *Consiliis istis lege:*] *Consilii tristis*, quod ex libris restituit Scaliger, non est à sciolo, ut censent summi viri: nam & in Florentino, Vossiano, duobusque in Germania collatis olim, obvium nobis fuit. Nam de anapæsto, nec *consilii* nec *consiliis* anapæstum facit, sed utrumvis τελευτάδως pronuntiandum est. Cur autem *consilii tristis* sit magis coactum quam *consiliis istis*, non video. Immo diligenter *tristis*, non *sævi*, non *diri*, quia persona est à principe suo adhibiti. *Supplicius* in Medea & Oedipode eadem regione haud dubie τελευτάδον est. In cæteris ex prava lectione anapæstus obsidet. *Gronovius.*

312. *Ut nemo*] Etsi nemo doceat. *Farnabius.*

313. *Ne mali fiant, times? Nascuntur istud.*] Nempe mali. Et hoc Senecæ Epistola 95. *Habeamus in commune, quod nati sumus.* nempe cognati, mutuo amantes, sociabiles. Tales nos natura edidit, tales igitur omnibus & in commune nos præstemus. Sane, quod labore & industria acquisivimus, ejus simus parci atque avari: at ejus, quod innatum est, simus liberales in omnes, nempe amoris mutui, humanitatis, de illo nemini invideamus. Particula, *quod*, pronomen est, non conjunctio. Facile alioqui possis mutare distinctionem: *ne mali fiant, times? Nascuntur. Istud, quod vocas sævum, asperum, Agique dure credis.* Sic autem Etruscus: non *dire*. Refertur ad *consilium*, quod altera persona vocaverat *triste*. Gronov. *Nascuntur*] Sive ex me nati, sive ex illius adulterio, mali nascuntur. non ad hoc duce vel magistro opus est. *Farnabius.*

316. *Illic agitur.*] Apud Thyestem, id est, forte & ipse Thyestes idem in me scelus meditatur. *Idem.*

317. *Tacita tam rudibus fides*] Hoc cum duobus sequentibus versibus Atreo dat Florentinus: & rectius, ut videtur. Non audeo, inquit, illos adsumere in conscientiam parati facinoris, ne per imprudentiam ætatis rem prodant & irritam faciant. Secreta tegere nesciunt rerum inexperti. Inde diversum rogat Satelles. *Gronovius.*

321. *Fal-*

Falles, ut ipsi crimine & culpa vacent?
Atr. Quid enim est necesse liberos sceleri meo
Inserere? per nos odia se nostra explicent:
Male agis, recedis anime: si parcis tuis,
Parces & illi: consilî Agamemnon mei
Sciens minister fiat, & patri sciens
Menelaus adsit. prolis incertæ fides
Ex hoc petatur scelere. si bella abnuunt,
Et gerere nolunt odia; si patruum vocant;
Pater est. eatur. multa sed trepidus solet
Detegere vultus; magna nolentem quoque
Consilia produnt: nesciant quantæ rei
Fiant ministri. nostra tu cœpta occule.
Sat. Haud sum monendus. ista nostro in pectore
Fides, timorque; sed magis claudet fides.

CHO-

321. *Falles?* A. *At ipsi*] Florentinus hæc continuat uni personæ ita mutata: *Falles, ut ipsi crimine & culpa vacent.* Tum respondentem facit A. *Quid enim necesse est liberos.* Optime. Intellige hoc nunc potius probare tyrannum, quasi diceret: Ita prorsus faciam, ut dicis: nam quid opus est illos participare meam vindictam. Pari brevitate apud Tacitum lib. 14. annal. *At quidam insontes peribunt? nam & ex fuso exercitu cum decimus quisque fuste feritur, etiam strenui sortiuntur.* Pars prior est objectio, altera responsio. Integrum foret: Peribunt, fateor, idque excusabile est. nam & ex fuso, &c. Troadib. *quis tuos artus teget Tumuloque tradet?* N. *quos enim præceps locus Reliquit artus?* Gronovius.

324. *Recedis*] Qui dubitas & filios corrumpere. quibus si parcas, parces & fratri. *Farnabius.*

325. *Agamemnon*] Fil. Atrei. *Idem.*

326. *Et patri sciens Menelaus adsit.*] Quam belle *patri sciens* hic dicatur filius, viderint. In optimo codice legitur una voce: *patrisciens.* Quod dividendum: *& patri sciens Menelaus adsit.* Statim omnes veteres: *Ex hoc petatur.* non *paratur.* Gronovius.

327. *Proli*] Etiam hinc experiar, filii ne mei sint, an Thyestis, qui uxorem meam corrupit. *Farnabius.*

330. *Eatur.*] Ibunt. *Idem. Multa sed trepidus solet*] Reprehendit castigatque consilium illud Atreus quo decreverat vindicare liberis dolum patruo paratum. Si hoc, inquit, scierint, prodar: neque enim tam tudi ætate magnum istud scelus dissimulent vultu, quamvis maxime cupiant: quare nesciant quantæ rei fiant ministri. *Grut. Multa*] Et tamen in dubio sum, an expediat, eos consilii mei esse conscios, ne forte non bene dissimulent, sed vultu etiam inviti consilium prodant. *Farnabius.*

333. *Nostra tu cœpta occule.*] Flor. *occules.* Gronovius.

335. *Fides,*] Hoc dicere decebat. sed an ita erat? non opinor. imo tyrannis nulli fides: timent omnes, & quos timent odêre. an ergo melior lectio? *timor.* non arbitror. nam quamvis hoc verum, dici tamen coram tyranno non oportuit, nec tutum mussitare. *Delrius.*

CHORUS.

A dissidiis fratrum, qui ad tempus minas componunt, sumpta occasione, chorus regum ambitionem taxat, quis vere rex sit docet, vitam denique latentem collaudat.

Tandem regia nobilis,
Antiqui genus Inachi,
Fratrum composuit minas.
Quis vos exagitat furor,
Alternis dare sanguinem,
Et sceptrum scelere aggredi?
Nescitis cupidi arcium,
Regnum quo jaceat loco.
Regem non faciunt opes,
Non vestis Tyriæ color,
Non frontis nota regiæ,
Non auro nitidæ fores.
Rex est, qui posuit metus,
Et diri mala pectoris:

Quem

337. *Genus*] Nec tamen de genere Inachi fuerunt Tantalidæ, sed successores ejus in regno Argivorum, supra vers. 138. *Farnabius.*

338. *Composuit*] *Adspirat scenæ chorus videturque pacem sperare missis Agamemnone & Menelao ad Thyestem cum mandatis de conciliatione.* Idem.

339. *Vos*] O fratres Atr. & Thyest. *vel* ô reges *generaliter.* Idem.

340. *Alternis dare sanguinem*,] Scioppius fatetur nescire, quo auctore satis locuplete, vel *dare* vel *haurire* sanguinem dicatur, cumque istud legat in Thyeste Senecæ, facilius se credere eidem alibi conquerenti, ista ætate homines Romæ desisse Latine loqui. Cur ergo Ovidius lib. 14. met. *multumque ab utraque cruoris Parte datur.* Aut si non satis hic ei locuples auctor, cur Livius lib. 3. *Dandus est invidiæ sanguis.* Et lib. 26. *tanta aviditas supplicii expetendi, tanta sanguinis nostri hauriendi est sitis.* Gronovius.

342. *Nescitis cupidi arcium*,] Epistola 95. *O quam ignorant homines cupidi gloriæ, quid illa sit, aut quemadmodum petenda?* Gronovius. *Arcium*,] Dominationis, quam quo tueantur & pro sua lubidine exerceant tyranni, arces in urbibus exstructas colunt. *Farn.*

345. *Tyriæ*] Purpureæ. quo colore claret Tyros in Phœnicia, ubi piscium, quorum succo tingitur, piscatus uberrimus. *Idem.*

345. *Nota*] Diadema, fascia seu pannus quo reges caput redimire soliti. vid. vers. 523. *Idem.*

347. *Non auro nitidæ trabes.*] Flor. *fores.* Cicero lib. 4. in Verr. *nam bullas omnes aureas ex his valvis, quæ erant & multæ & graves, non dubitavit auferre.* Gron. *Auro*] Auratæ. *Farn.*

348. *Rex est*,] Rex est, qui non servit perturbationibus. *Idem.*

353. *Non*

Quem non ambitio impotens,
Et nunquam ſtabilis favor
Vulgi præcipitis movet.
Non quidquid fodit Occidens;
Aut unda Tagus aurea
Claro devehit alveo:
Non quidquid Libycis terit
Fervens area meſſibus.
Quem non concutiet cadens
Obliqui via fulminis:
Non Eurus rapiens mare;
Aut ſævo rabidus freto
Ventoſi tumor Adriæ,
Quem non lancea militis,
Non ſtrictus domuit chalybs:
Qui tuto poſitus loco,
Infra ſe videt omnia:
Occurritque ſuo libens
Fato: nec queritur mori.
Reges conveniant licet
Qui ſparſos agitant Daas;

Qui

353. *Non quidquid*] Non aurum & argentum, quod foditur in Hiſpania. *Farnabius.*

354. *Tagus*] Luſitaniæ flu. aureas volvens arenas. *Idem.*

355. *Libycis*] Libya frumenti feraciſſima eſt. *Idem.*

357. *Fervens*] Nativum epitheton. eſt enim area, in qua frumenta teruntur & areſcunt. fervens à pedibus boum qui exterunt ἁλοῶσι qui priſcis triturandi mos erat; ut & hodie pleriſq;. *Id.*

359. *Obliqui*] In obliquum delati. *Idem.* Omnes ignes cœleſtes maximâ ex parte in obliquum feruntur, maxime fulmina: ut docet Ariſtotel. in Meteor. *Delrius.*

361. *Aut ſævo rapidus freto*] Flor. *rabidus.* Probe, vel quia præcedente verſu, *rapiens.* Horatius: *Inſanientem navita Boſporum Tentabo.* Et alibi: *Neptunum procul è terra ſpectare furentem.* Gronovius.

362. *Adriæ,*] Matis Adriatici procellis obnoxii, utpote ventis, maxime Noto expoſiti. *Farnabius.*

364. *Chalybs:*] Gladius è chalybe. *Id.*

366. *Infra*] Quia magnanimus & humanis caſibus ſuperior ſub pedibus fortunam videt captivam, omniaque minoris æſtimat quam ſe & conſcientiam rectam. *Idem.*

367. *Occurritque*] *Ex Stoica illa Nania quam ubivis in Epiſtolis ingerit Seneca*, Mortem portum eſſe nunquam recuſandum, aliquando petendum. *Idem.*

370. *Qui ſparſos agitant Daas;*]

Qui rubri vada littoris;
Et gemmis mare lucidum
Late sanguineum tenent:
Aut qui Caspia fortibus
Recludunt juga Sarmatis.
Certet, Danubii vadum
Audet qui pedes ingredi;
Et quocunque loco jacent
Seres vellere nobiles;
Mens regnum bona possidet.
Nil ullis opus est equis;
Nil armis, & inertibus
Telis, quæ procul ingerit
Parthus, cum simulat fugas:
Admotis nihil est opus
Urbes sternere machinis,

Lon-

Lege cum Etrusco: *Dahæ.* Populus Scythicus in Margiana, habens ad orientem Bactra vicina, ad occasum Hyrcanos & Parthos, ad meridiem Arianos, ad Septentrionem finem Caspii maris & ostium Oxi fluminis. *Dahæ* nulli sunt, sed *Daci*, & hujus vocabuli prior syllaba producitur. *Gron.*

373. *Sanguineum*] Conveniant licet reges, maris rubri accolæ, quod cum Ἐρυθρᾶς dicerentur Græcis ab Erythra filio Persei & Andromedæ qui ibi regnavit, Latini Rubrum verterunt, cujus coloris vel arenas vel undas esse credebant. Heb. סוף. id est, papyrosum. *Farnabius.*

374. *Aut*] Et licet conveniant Armenii qui portas, id est, iter per juga Caspia non claudunt adversus Sarmatas, eorum incursus non timentes. *Idem.*

375. *Sarmatis:*] Vide Herc. Fur. vers. 538. *Idem.*

376. *Certet Danubium, licet,*] Non temere est, quod Etruscus: *Certet, Danubii vadum Audet qui pedes ingredi.* Passim in his tragœdiis *vadum* pro ipso flumine seu fluvialibus undis ponitur. Sic in Hippolyto: *Et victa prono puppis aufertur vado.* Phœnissis: *trahens opulenta Pactolus vada.* Gronov. *Certet*] Licet illi conveniant ac certent, qui Danubium Germaniæ fluvium hiberna glacie concretum pedibus calcare non metuunt. *Farnabius.*

379. *Seres*] Pop. Scythiæ Asiaticæ, qui ex arboribus crebra aquarum aspergine mollitis lanuginem depectunt, unde sericum conficiunt. *Idem.*

381. *Nil ullis*] Ad regnum verum, quod bonæ mentis est, nil equis, telis, &c. opus erit. *Idem.*

382. *Inertibus*] Quæ ignaviæ & timiditatis speciem ferant: cum Parthi fugam simulantes *mittant post terga sagittas.* Idem.

386. *Machinis,*] Balistis, è quibus πολιορκητικὴ saxa mittunt ad labefactanda & demolienda mœnia. *Idem.* Vitruvius tradit, machinam esse continentem ex materia conjunctionem, maximas ad onerum motus habentem virtu-

Longe saxa rotantibus.
Rex est, qui metuit nihil.
Rex est, qui cupiet nihil.
Hoc regnum sibi quisque dat.
Stet quicunque volet potens
Aulæ culmine lubrico:
Me dulcis saturet quies.
Obscuro positus loco,
Leni perfruar otio.
Nullis nota Quiritibus
Ætas per tacitum fluat.
Sic cum transierint mei
Nullo cum strepitu dies,
Plebeius moriar senex.
Illi mors gravis incubat,
Qui notus nimis omnibus,
Ignotus moritur sibi.

ACTUS

virtutes: eaque movetur exarte circulorum rotundationibus, per κυκλικὴν κίνησιν. *Delrius.*

389. *Rex est, quique cupit nihil.*] Hunc versum ὀξυλίζει Scaliger tanquam eorum temporum, quum *quique* pro *quisquis* usurpabatur: igitur *quisque*, non *quique* scripsisse Monachum versiculi auctorem. Sed hoc argumentum eluditur scriptura optimi codicis: *Rex est, qui cupiet nihil.* Neque Monachi ulla culpa est. At obloquitur etiam Gruterus, Poëtam hac stropha non persequi duplicem affectum, spem & metum, sed ea tantum, quibus regnum adquiritur impugnaturque vi mera. Immo totus hic Chorus persequitur ambitionem, quæ utroque affectu mixto torquetur. Sic superius dixit, regem esse qui posuit metus & morbos pectoris, inter quos haud dubie cupiditates. tum quem non ambitio & favor vulgi moveat. quo? nempe ad cupienda plus quam civilia. Nam si legamus *cupiet*, quod ipse quoque in nonnullis libris reperit, legendum item priore *metuet*, necessarium non putamus: nec negant Grammatici, hanc temporis mutationem poëtis esse usitatam. *Gronovius.*

395. *Leni perfruar otio.*] Epist. 94. *laudant otium lene & sui juris.* Gron.

396. *Nullis*] Vita à populari aura publicisque muneribus remota, non nota civibus. *Prolepsis. nondum enim erant Romani, Quirites dicti, vel à Curibus, id est, Sabinis in partem urbis receptis, vel à Romulo Quirino cognominato quod hastam, quæ Sabinis Quiris est, gestare solebat, vel à κύειν, & ut alii volunt.* Farnabius.

402. *Qui notus*] Aliis conspiciendus propter potentiam: sibi ignotus, utpote, felici fortuna ebrius & ignorantia stupidus, cum sapiens se primum nosse debeat. *Idem.*

403. *Ignotus*] Qui magis publico vivit, quam sibi.

ACTUS TERTIUS.

* THYESTES. PLISTHENES.
TANTALUS Junior & FRATER Tertius. } Mutæ Personæ.

Thyesti à fratre Atreo per filios Atrei revocato redeuntique in patriam non sine diffidentia ac mente malum præsagiente, revertendi fiduciam addunt filii sui.

Thyest. Optata patriæ tecta, & Argolicas opes,
Miserisque summum ac maximum exulibus
Tactum soli natalis, & patrios deos (bonum,
(Si sunt tamen dii) cerno; Cyclopum sacras
Turres, labore majus humano decus,
Celebrata juveni stadia, per quæ nobilis
Palmam paterno non semel curru tuli.
Occurret Argos, populus occurret frequens;
Sed nempe & Atreus. repete silvestres fugas,

Sal-

* THYESTES. PLISTHENES.] Florentinus rubrica personas sic præponit: *THYESTES. TANTALVS. PLISTHENES TACITVS.* Sic & per totam scenam Thyestæ respondet *TAN. Gronovius.*

405. *Exulibus bonum,*] Patria omnibus chara: exulibus maxime, quibus interdicitur, quippe *Nitimur in vetitum semper cupimusque negata.* Farn.

407. *Si sunt tamen dii*] Si modo vel isti, vel alii omnino Dii sunt, qui, me in exilium & tot miserias incidere sunt passi. *Farn.* Vel illi patrii, vel ulli omnino. digna impio Thyeste dubitatio; digna irato, propter miserias in quas illum passi incidere. Est autem hîc Diagoricus Thyestes: ille alius in Attii Antigonâ; qui negat Deos regere, vel curare omnia, Epicureus est. Nam Diagoras & Theodorus tollebant Deos, Protagoras & Epicurus non Deos, sed Diis providentiam, ut docent Cicero de Nat. Deor. & Lactantius lib. 5. cap. 22. & de Ira Dei cap. 9. unde Claudianus in Rufin. —*quæ numina sensu Ambiguo, vel nulla putat, vel nescia nostri.* Delrius. *Cyclopum*] Mycenæ Cyclopum opus perhibentur, eorum, qui turrium construendarum inventores feruntur. Tum omnia magnæ molis opera Cyclopum credebantur: *Mænia magna vides manibus fabricata Cyclopum.* Vide Hercul. Fur. vers. 996. *Farnabius.*

409. *Iuveni*] Mihi juveni. *Idem. Stadia,*] Suprà vers. 130. *Idem. Per quæ nobilis*] Vnus m. s. *nobilem.* Licet autem hîc notare senilem jactantiam; quam in Nestore Homerus, in Euandro Virgilius bene expresserunt. Aristoteles Rhetoric. hujus jactantiæ causam reddit; διατελοῦσι γὰρ τὰ γενόμενα λέγοντες· ἀναμιμνησκόμενοι γὰρ ἥδονται. *Delrius.*

411. *Occurret*] Vrbs visui occurret. *vel* populus. *Farnabius.*

412. *Atreus.*] Quem nollem. Revertar itaque. *Idem.*

414. *Cla-*

Saltusque densos potius, & mixtam feris
Similemque vitam. clarus hic regni nitor
Fulgore non est quod oculos falso auferat.
Cum quod datur spectabis, & dantem aspice.
Modo inter illa, quæ putant cuncti aspera,
Fortis fui, lætusque: nunc contra in metus
Revolvor. animus hæret, ac retro cupit
Corpus referre: moveo nolentem gradum.
Plisth. Pigro (quid hoc est?) genitor incessu stupet,
Vultumque versat, seque in incerto tenet.
Thyest. Quid anime pendes? quidve consilium diu
Tam facile torques? rebus incertissimis,
Fratri atque regno credis? ac metuis mala
Jam victa, jam mansueta, & ærumnas fugis
Bene collocatas? esse jam miserum juvat.
Reflecte gressum, dum licet, teque eripe.
Plisth. Quæ causa cogit, genitor, à patria gradum
Referre visa? cur bonis tantis sinum
Sub-

414. *Clarus.*] Non est cur hic clarus regni nitor animi mei oculos perstringat, mentemque auferat, ut spe regnandi occæcatus adeo in perniciosas fortassis insidias ruam. nec tam munus, quam dantem aspice, ἐχθρῶν γὰρ ἄδωρα δῶρα καὶ οὐκ ὀνήσιμα. *Farnabius.*

416. *Cum quid datur spectabis,*] Sic Lugdun. & Lipsiens. bene; tamen Erb. Mog. Herbip. & Ven. *Cum quod datur spect. & tandem aspice*, mendose habere notat Delrius. Sane *tandem* pro *dantem*: at non *quod datur*: ita enim & Florentinus & poscit ratio. nam, *Quid detur*, dicendum fuisset, quod lex versus respuit. Virgilius: *ulla putatis Dona carere dolis Danaum? sic notus Vlysses?* Gronovius.

417. *Illa,*] Exilium & pauperiem. *Farnabius.*

418. *Nunc*] In regni partem accitus. *Idem.*

424. *Rebus incertissimis, Fratri atque regno*] De vita beata cap. 5. *quem voluptates doloresque, incertissima dominia impotentissimaque, alternis possidebunt.* Gronovius. Fratri inimico & regno, quibus nil magis metuendum. *Farnabius.*

425. *Mala*] Exilium & pauperiem, quæ jam assuefaciendo ac ferendo reddidi mollia. *Idem.*

427. *Bene*] Quæ me docuerunt æquanimitatem & animi magnitudinem. *Idem.*

430. *Cur bonis tantis sinum Subducis?*] Gaudet hinc transferre Seneca. Sic *sinum implere*, de benef. 2, 31, & 6, 42. de vita beata 9: *in sinum fundere*, de benef. 7, 19. *in sinu condere*, 2, 16. *in sinu invenire*, 7, 28. *sinu onerato fugere*, de constant. 6. *sinum expandere*, epist. 74. *in sinu positæ divitiæ*, epist. 20. *Gronovius. Sinum*] Metaph. ab iis qui sinum vel gremium pandunt, captantes missilia, vel quæ decidunt. *Farnabius.*

431. *Redit;*]

Subducis? ira frater abjecta redit;
Partemque regni reddit: & laceræ domus
Componit artus, teque restituit tibi.
Thyest. Causam timoris, ipse quam ignoro, exigis.
Nihil timendum video; sed timeo tamen.
Placet ire: pigris membra sed genubus labant,
Alioque, quam quo nitor, abductus feror.
Sic concitatam remige & velo ratem
Æstus, resistens remigi & velo, refert.
Plisth. Evince quidquid obstat, & mentem impedit;
Reducemque quanta præmia exspectent, vide.
Pater, potes regnare. *Thyest.* cum possim mori?
Plisth. Summa est potestas. *Thyest.* nulla, si cupias nihil.

Plisth.

431. *Redit;*] In gratiam redit. *Farnabius.*

433. *Tibi.*] Dignitati pristinæ. *Id.*

437. *Alioque, quam quo nitor, abductus*] Rectius Fl. *abductus.* Sæpe hoc verbum ubi antiquis placuit, recentioribus displicuit. Vide ad Livium. *Gronovius.*

439. *Remigi & vento, refert.*] Flor. quoque, ut alios fere omnes habere monuit H. Comelinus, *remigi & velo.* nam in repetitione vocabulorum lusit. *Idem.*

440 P. *Pervince quicquid*] Etruscus: TAN. *Evince quicquid.* Virgilius: *concepit furias evicta dolore.* Et *Tu lacrimis evicta meis.* Idem.

442. *Cum possim mori.*] Delrius interpretatur, offerri potestatem cum summo mortis periculo conjunctam: vel, regnare ais me posse: atque adeo jam regno, quum mortis meæ penes me arbitrium sit. H. Comelino respondet Thyestes, se vere regnare posse, quum mortem non timeat, occurratque libens suo fato, ex Choro & Agamen. vers. 606. Lipsius corrigit: *quin possum mori.* quod sit, sed fortasse mors in propinquo. Quod ex vulgata etiam colligit Gruterus. Verat quoque Lipsium mutare vir summus, quum sit è Stoicorum paradoxis, regem esse, qui mori didicit. Nihil horum voluit auctor, sed Thyestem fecit detestari regnum & mortem eo potiorem ducere. Itaque exaudiendum cum interrogationis nota: *cum possim mori?* Ego possim vel sustineam regnare, cum possim rem tam gravem ac molestam vel morte evadere? Quisquamne tam stultus sit, ut cum ei sit integrum mori, velit regnare? Ut apud Iuvenalem Sat. 6. *Ferre potes dominam salvis tot restibus ullam? Cum pateant altæ caligantesque fenestræ? Cum tibi vicinum se præbeat Æmilius pons.* Ille regnet, qui non audet mori, & mavult in miseriis & curis & splendida servitute vivere. Tale responsum, licet ex alia causa, putetur Germanici, qui cum à milite seditioso ad imperium vocaretur, ferrum à latere deripuit, elatumque deferebat in pectus, ni proximi prehensam dextram vi attinuissent. *Gronovius.*

443. *Summa est potestas.* Th. *Nulla,*] Interpretantur nullam potestatem esse nullam cupienti: vel leg. *summa, si cupias nihil*, q. d. summam potestatem esse nihil cupienti. Potius, quum dixisset Tantalus, summam potestatem esse regnare, respondet Thyestes, regem,

Plisth. Gnatis relinques. *Thyest.* non capit regnum duos.
Plisth. Miser esse mavult, esse qui felix potest?
Thyest. Mihi crede, falsis magna nominibus placent.
Frustra timentur dura. dum excelsus steti,
Nunquam pavere destiti, atque ipsum mei
Ferrum timere lateris. ô, quantum bonum est,
Obstare nulli! capere securas dapes
Humi jacentem! scelera non intrant casas.
Tutusque mensa capitur angusta cibus.
Venenum in auro bibitur. expertus loquor,
Malam bonæ præferre fortunam licet.
Non vertice alti montis impositam domum,
Et eminentem civitas humilis tremit;
Nec fulget altis splendidum tectis ebur;
Somnosque non defendit excubitor meos:
Non classibus piscamur; & retro mare

Jacta

gem, si absit libido & improba cupiditas, ut abesse debet, nihil plus posse privato: neque enim sibi permittit posse, & magis continetur reverentia famæ, nullum ei secretum indulgenti. *Gronovius.*

444. *Non capit*] Neque nos fratres capit neque vos capiet. *Nulla fides regni sociis, omnisque potestas impatiens consortis erit.* μία λόχη ȣ̓ τρέφει δύο ἐριθάκȣς. Non capit mundus duos soles. *Farnabius.*

449. *Lateris.*] Vel etiam satellitum, qui latus meum stipabant. *Idem.*

453. *Venenum*] *Nullis aconita bibuntur Fictilibus, tunc illa time cum pocula sumes Gemmata.* Idem. *Expertus*] Vtramque fortunam expertus, adversam & secundam. *Idem.*

454. *Præferre fortunam licet.*] Si verum volumus, satis est, inquit, causæ, cur illam, quæ vulgo mala vocatur fortuna, bonæ præferamus. Non placet igitur, *libet.* Gronovius.

455. *Non vertice alti montis*] Scena Argiva est. Cum vero Romæ agatur tragœdia, taxatur luxus Romanorum in ædificiis, piscinis, balneis, agris, &c. & quæ sequuntur studio quodam desumuntur è Senecæ epist. 60. 89. 90. 123. Hic, in humili fortuna cives non coërcentur arcibus in sublimi positis. infra vers. 640. *Farnabius.* Dictum videtur propter Valerium Poplicolam; qui, cum in summa Velia ædificaret, venit in suspicionem affectati regni. itaque ne à civibus suis timeretur, non in planum modo ædes suas detulit, sed etiam colli ipsi subjecit, id se facere inquiens, ut populus supra suspectum se civem habitaret, & in Velia ædificarent, quibus melius publica libertas, quam sibi patriæ liberatori credebatur. Livius libro secundo. *Delrius.*

457. *Ebur;*] Eburneum lacunar. *Farnabius.*

459. *Classibus*] *Dum gula sævit Retibus assiduis penitus scrutante macello Proxima.* Idem. *Retro*] Fundamentis in mare jactis quæ ipsum mare angustent, & *Contracta pisces æquora sentiant.* Idem. Exemplum præbet Surrentinum Pollionis, apud Papinium lib. 2. Silv. *Delrius.*

460. *Ven-*

Jacta fugamus mole: non ventrem improbum
Alimus tributo gentium; nullus mihi
Ultra Getas metatur & Parthos ager:
Non thure colimur; nec meæ, excluso Jove,
Ornantur aræ: nulla culminibus meis
Imposita nutat silva; nec fumant manu
Succensa multâ stagna: nec somno dies,
Bacchoque nox jungenda pervigili datur.

Sed

460. *Ventrem improbum*] Gulam insatiatam & delicatam: & hoc dictum de multitudine servorum. *Farn.* Vili sumtu pascimur: non egemus, nec abutimur tributis aut publicis victigalibus explendæ ingluviei, ut apud Athenæum lib. 4. Xerxes, & alii apud Boysteum histor. prodig. c. 25. huc pertinent ista Satyrici: *Atque ita defecit nostrum mare, dum gula sævit Retibus assiduis, penitus scrutante macello Proxima; Tyrrhenum patitur nec crescere piscem. Instruit ergo focum provincia.* Seneca epist. 16. *Quamdiu ergo sationibus implebimus magnarum urbium campos? quamdiu nobis populus metet? quamdiu unius mensæ frumentum multa navigia, & non quidem ex uno mari, subvehent? taurus paucissimorum jugerum pascuis implebitur. una silva elephantis pluribus sufficit: homo & terra pascitur & mari. quid ergo? tam insatiabilem nobis alvum natura dedit, cum tam modica corpora dedisset, &c.* Vix autem dubito, quin noster hoc loco Caji gulam notare voluerit. sic enim de illo, lib. de Consolat. ad Helviam matrem cap. 9. *Cajus Cæsar, quem mihi videtur natura edidisse, ut ostenderet, quid summa vitia in summâ fortunâ possent: centies sestertio cœnavit uno die, & in hoc omnium adjutus ingenio, vix tamen invenit, quomodo provinciarum tributum una cœna fieret.* Delrius.

463. *Non thure colimur;*] Caligulam, Domitianum aliosque imperatores taxari ait interpres. Scilicet ante neminii id contigit, non Iulio, non Augusto, non Tiberio, non Claudio, non ipsi Neroni. Caligulam tamen feras: sed cur adjecit Domitianum? *Gronov.* Non usurpamus divinos honores Diis veris negatos. *Farnabius.*

464. *Nulla culminibus*] Seneca l. 5. Declamat. *Alunt in summis culminibus mentita nemora, & navigabilium piscinarum freta.* hæc parens: at filius epist. 123. *Non vivunt contra naturam, qui pomaria in summis turribus serunt: quorum silva in tectis domorum ac fastigiis nutant; inde ortis radicibus, quo improbe cacumina egissent;* & Tibullus de istis hortis, lib. 3. Eleg. 3. *Et nemora in domibus sacros imitantia lucos.* tales forte illi Babylonii pensiles, & alii Thebis, apud Plin. lib. 36. *Delrius.*

465. *Nec fumant manu*] Non balnea thermæque vastissimæ instar stagnorum (quas Oceanos appellabant) multo labore calefiunt. *Neronis stagnum innuit.* Farnabius. De balneis ergo domesticis, & ambitioso in eas apparatu Poëta loquitur.

466. *Nec somno*] Non contra naturam viventes diem somno, noctem compotationibus transigimus, Epist. Sen. 122. *Farnabius.*

467. *Bacchoque nox ducenda*] Etruscus, *jungenda.* Id est, continuanda diei. Est enim *jungere* interdum idemque quod continuare, connectere, perpetuum ducere. Sic enim apud Statium *junctam lunam* legimus pro duabus noctibus continuatis. Et apud eundem: *Sic ut anhelabant, juncto sudore, volantes*

Mars

Sed non timemur. tuta sine telo est domus.
Rebusque parvis alta præstatur quies.
Immane regnum est, posse sine regno pati. 470

Plisth.

Mars impellit equos. Item, *Tunge, puer, cyathos* : quod est, continenter da, alium post alium porrige. Livius l. 21. *ut non petisse Saguntinos, sed rerum serie, finitimis domitis gentibus jungendoque tractus ad id bellum videri posset.* Iustinus lib. 12. *cum diei noctem pervigilem junxisset.* Hippolyto : *jungitur semper nefas.* Gronovius.

468. *Sed non timemus.*] Nostri fere *timemur* ; quod improbat nexus orationis. An fuit? *timetur.* Ita certe extat in Mss. uno : neque aliter Commentaria Bernardini. *Gruterus. Sed non timemus.*] Omnes Mss. *timemur.* Gruterus ait hoc improbare nexum orationis. At non improbat, si cogitemus, ut ipsum *timeri* invidiosum est infestumque periculis, tam hetele & magis interdum quam *timere*, sic etiam *non timeri* esse juxta jucundum, gratumve ac tutum sane sapientibus quam *non timere* : ut non immerito illud pro maximo bono multis incommodis paupertatis obducat. Deinde quod sequitur, *sine telo tuta domus*, tam argumentum est nos non terrere quam non timere : adeo hæc implicita inter se ac propemodum indivisa sunt. Vnde Claudianus : *Ancipites habeant arces, trepidique minentur.* Adde epist. 105. ubi inter cætera: *Illud, ne timeatis, præstabit tibi & fortunæ mediocritas & ingenii lenitas : cum te esse homines scient, quem offendere sine periculo possint. Timeri autem tam domi molestum est quam foris; tam a servis quam a liberis. Nulli non ad nocendum satis virium est. Adjice nunc quod qui timetur, timet. nemo potuit terribilis esse secure.* Quineciam ut priore parte versus dicit, se non timeri, ita posteriore, se non timere. *Gronovius.*

469. *Rebusque*] Humili fortunæ. *Farnabius.*

470. *Immane regnum est, posse sine regno pati.*] Monstraverunt hunc locum pro dubio & obscuro Delrius & Gruterus & toto capite Adversariorum Barthius. Grotius primus ei deterfit nubem : quod tanti putavit Heinsius, ut suis insereret notis : Salmasius ipsum intulit meridiem : *ita tres maximi viri, de quorum meritis, ut adolescentiæ nostræ ducum, libenter loquimur, feliciter hic operas junxerunt. Pati*, nullo adjecto nominis casu, est durare, obdurare, sustinere, ὑποφέρειν, vivere & utcumque se habere. Sic Virgilius : *Certum est in silvis inter spelæa ferarum Malle pati.* Id est, ὑποφέρειν ἐν ταῖς ὕλαις ἢ ἀπηλεείοις. Malo sustinere duram & difficilem in antris & speluncis vitam. Ex quo versu ridicule vir doctus, plum & Christianum usum verbi *Pati*, cum morte Servatoris mundi & agonibus martyrum, & Christiana pietate natum, etiam extra Ecclesiam Latinum fuisse probare contendit. Terentius Eunucho: *Verum si incipies, neque pertendes gnaviter, Atque ubi pati non poteris, quum nemo expetet, Infecta pace ultro ad eam venies.* Id est, durare & vivere sine Thaide, ferre illam vitam solitariam, quam nunc tam fortiter tibi proponis. Idem Hecyra : *Fugere e conspectu illico. Videre nolle, denique ubi non quit pati.* Vbi non potest diutius vivere cum sœtu; durare apud illam. Sic Hercule Oetæo v. 1523. *Quique sub plaustro patiuntur Vrsæ.* i. vivunt, durant. Vbi male Scaliger, *pariuntur. Sic posse pati sine aliquo* est posse vivere sine aliquo, perferre vel desiderium personæ vel inopiam rei alicujus. *Pati posse sine regno est immane regnum*, hoc est, posse æquo animo carere regno & potentia est, magni regni & potentiæ instar: nam qui hoc possunt, carent laboribus & invidia & periculis, quibus regnantes, sed magis regnandi avidi, sunt exposi-

Pliſth. Nec abnuendum eſt, ſi dat imperium deus.
Thyeſt. Nec appetendum. *Pliſth.* Frater, ut regnes, rogat.
Thyeſt. Rogat? timendum eſt. errat hic aliquis dolus.
Pliſth. Redire pietas, unde ſummota eſt, ſolet:
Reparatque vires juſtus amiſſas amor.
Thyeſt. Amat Thyeſten frater? æthereas prius
Perfundet Arctos pontus; & Siculi rapax
Conſiſtet æſtus unda, & Ionio ſeges
Matura pelago ſurget; & lucem dabit
Nox atra terris: ante cum flammis aquæ,
Cum morte vita, cum mari ventus fidem
Fœduſque jungent. *Pliſth.* Quam tamen fraudem times?
Thyeſt. Omnem. timori quem meo ſtatuam modum?
Tantum poteſt, quantum odit. *Pliſt.* In te quid poteſt?
Thyeſt.

poſiti: fruuntur autem quiete & tranquillitate, qua illi carent utrique. Sic Lucanus, *ſine rege pati poſſe*, pro poſſe ferre libertatem: quod non poterant Cappadoces apud Iuſtinum, nec Iunii Vitelliique apud Livium. Hoc genus loquendi Patri Controv. 9. & filio Senecis Nat. quæſt. 3. reſtituimus. Terentius Heautont. *Non poſſum pati, quin tibi caput demulceam.* Non contineo me: nequeo durare. Auctor de bello Africano: *miles hic non potuit pati, quin ſe armatum beſtiæ offerret.* Tale eſt & illud Plauti Menæchmis a. 5. ſc. 1. *Non patiar præterhac, Quin vidua vivam, quam tuos mores perferam.* Vbi vulgo male poſt τὸ *præterhac* τελεία ὑποστιγμὴ ponitur, & diſcerpitur continua periodus. Nihil me, inquit, tenebit, quo minus malim eſſe vidua, quam cum tali viro nupta. Sic *Patiens*, qui obdurat, contentus anguſtiis præſentibus, Horatio lib. 1. Sat. 1. *& illâ utitur arte Quæſtis patiens.* Vbi corrigere Lambinus voluit, *ſapiens*: ſed merito rejectus à I. Douza majore, accommodante ſimilem locum ex lib. 2. Sat. *quid te juvat, inquit, amice, Præruptî nemoris patientem vivere dorſo?* Gronovius. Maximum imperium eſt poſſe regno ſine difficultate carere. ſic Lucan. *Non poſſunt ſine rege pati.* Farn.

472. *Frater,*] Neque enim ut appetas opus eſt, cum frater ut regnes roget. *Idem.*

475. *Iuſtus*] Neceſſarius, ut amor fratrum poſt iras firmius reſarcitur. *Idem.*

476. *Æthereas*] Nunquam fiet ut amet. *impoſſibilis conditio negat.* Idem.

477. *Arctos*] Vrſæ autem ſidera arctico circulo incluſæ non deſcendunt ſub Horizontem noſtrum, non itaque tingi videntur in æquore, ut ceteræ ſtellæ. *Idem. Siculi*] Freum illud rapidiſſimum inter Italiam & Siciliam prius quieſcet. *Idem.*

484. *Quantum poteſt, tantum odit.*] Solus Delrius hic obſervat in aliis codd. eſſe: *Tantum poteſt, quantum odit.* Cæteri ne tralaticia quidem mentione dignam hanc ſcripturam cenſuere. At ego vix ullum vidi paullo melioris notæ (vidi autem variis in locis plurimos, nec paucos integros contuli) in quo non ſic legeretur. Et ſane diligentius conſideranti vulgatæ ſenſus plebejus ac futilis videtur. Alter hic eſt:

Vis

Thyest. Pro me nihil jam metuo: vos facitis mihi
Atrea timendum. *Plisth.* Decipi captus times?
Serum est cavendi tempus in mediis malis.
Thyest. Eatur: unum genitor hoc testor tamen;
Ego vos sequor, non duco. *Plisth.* Respiciet deus
Bene cogitata. perge non dubio gradu.

Vis scire quam fraudem timeam? Nullam non timeo. Vis scire quis sit mihi modus timendi? nullus. Neque enim scelus est ullum tantum, neque ulla fraus tam detestabilis, quod scelus, quamque fraudem in se admittere ille vereatur. Denique tantum potest fraudis ac scelerum concipere, quantum in me suscepit odii: id autem infinitum est, & neque rationem neque terminum habet. *Gronovius.*

485. *Pro me*] De me, qui mortem contemno, securus: de vobis solicitus sum. *Farnabius.*

487. *Serum est*] Cum vero nimis appropinquaris, serum est jam revertisum tibi consulere, perge itaque. *Idem.* Et istum versum patri potius dederim quam filio. *Gruterus.*

488. *Eatur:*] Al. volunt verbum illud *Eatur* esse Plisth. & Thyest. incipere, *Vnum genitor, hoc testor tamen.* Sed continenter hæc Thyestes dicit evictus tandem suadela sive precibus liberorum. Age, inquit, eamus. tamen ego hoc pater vobis testor, sequi me, non ducere. *Farnabius.*

489. *Ego*] Protestor vos mihi duces præviisse, me invitum subsecutum. *Delrius. Respiciat Deus Bene cogitata.*] Flor. *Respiciet.* quod spei ac fiduciæ juvenis magis convenit. *Gronovius.*

ATREUS. THYESTES. PLISTHENES.
TANTALUS F. & Tertius Frater, } Mutæ Personæ.

Tacite sibi applaudit Atreus irretitum fratrem, cui obviam procedit, & simulata in gratiam reditione eum circumvenit.

Atr. Plagis tenetur clusa dispositis fera.
Et ipsum, & una generis invisi indolem
Junctam parenti cerno. jam tuto in loco
Versantur odia: venit in nostras manus
Tandem Thyestes; venit, & totus quidem.
Vix tempero animo, vix dolor frenos capit.
Sic cum feras vestigat, & longo sagax
Loro tenetur Umber, ac presso vias
Scru-

491. *Fera*] Thyestes. *Farnabius.*

492. *Generis*] Filios patrem malum vultu & indole referentes. *Idem.*

495. *Totus*] Cum filiis. *Idem.*

498. *Vmber*] Etsi Argivæ Scenæ magis conveniisset Spartanus aut Molossus, cum tamen Romæ agatur, non multum refert, si Vmbrum ut notæ sagacitatis canem citet. *Idem. Presso*] In terram inclinato. *Idem.*

Scrutatur ore; dum procul lento fuem
Odore sentit, paret, & tacito locum
Rostro pererrat: præda cum propior fuit;
Cervice tota pugnat, & gemitu vocat
Dominum morantem, seque retinenti eripit.
Cum spirat ira sanguinem, nescit tegi.
Tamen tegatur. aspice, ut multo gravis
Squallore vultus obruat mœstos coma:
Quam fœda jaceat barba. præstatur fides.
Fratrem juvat videre: complexus mihi
Redde expetitos. quidquid iratum fuit,
Transierit. ex hoc sanguis ac pietas die
Colantur: animis odia damnata excidant.
Thyest. Diluere possem cuncta, nisi talis fores.
Sed fateor, Atreu, fateor, admisi omnia
Quæ credidisti. pessimam causam meam
Hodierna pietas fecit. est prorsus nocens,
Quicunque visus tam bono fratri est nocens.
Lachrimis agendum est: supplicem primus vides.

Hæ

501. *Rostro*] Vsitatius de avibus dicitur, sed & de quadrupedibus, cum à *Rodo* descendat & de ipso homine, quod etiamdum in Hispanica *rostro* manet. *Farnabius.*

502. *Et gesta vocat*] Antiquitus, *gemitu*, sic m. s. sic Interpres vetustior. sequioris ævi, *& gestu vocat.* male. neque unquam venaticis canibus adfuere qui defendunt: vere enim tum gemunt. *Gruterus.*

504. *Cum spirat ira sanguinem,*] Quod ex margine Basil. & Eibio refert Delrius, *sperat*, confirmat Etruscus. Quum homo iratus & vindictæ cupidus confidit adesse tempus hauriendi sanguinis hostilis, difficulter animum dissimulat. *Gronovius. Spirat*] Affectat. *Farnabius.*

505. *Aspice*] *Superiora apud se, quæ sequuntur conversus ad fratrem loquitur.*

507. *Præstatur fides.*] Ab Atreo, an Thyeste, quærit Gruterus, & statim, ab Thyeste puto. Immo ab Atreo. Cicero famil. 5. ep. 11. *De Dionysio, si me amas, confice. quamcumque ei fidem dederis, præstabo.* Flor. tamen, *Præstetur.* Hæc inde, *Aspice ut multo*, clariore voce loquitur, ita ut frater exaudire possit: atque hoc ultimo quasi sibi suisque imperat, ut præstent fidem, quam nomine ejus filii dederant. *Gronovius.* Præsto tibi fidem, quam nunciarunt tibi filii mei. *Farnabius.*

510. *Sanguis*] Necessitudo sanguinis. *Idem.*

512. *Diluere*] Excusare quidem admissa mea conarer; si te adeo placabilem & ad veniam facilem non cernerem, jam itaque fateor. *Idem.*

514. *Pessimam*] Tua in me pietas quanto major, tanto mea in te scelera sunt graviora. *Idem.*

518. *Pi-*

Hæ te precantur pedibus intactæ manus.
Ponatur omnis ira, & ex animo tumor
Erasus abeat: obsides fidei accipe
Hos innocentes. *Atr.* Frater, à genubus manus
Aufer, meosque potius amplexus pete.
Vos quoque, senum præsidia, tot juvenes, meo
Pendete collo. squallidam vestem exue,
Oculisque nostris parce, & ornatus cape]
Pares meis: lætusque fraterni imperii
Capesse partem. major hæc laus est mea,
Fratri paternum reddere incolumi decus.
Habere regnum, casus est: virtus, dare.
Thyest. Dii paria, frater, pretia pro tantis tibi
Meritis rependant. regiam capitis notam
Squallor recusat noster, & sceptrum manus
Infausta refugit. liceat in media mihi
Latere turba. *Atr.* Recipit hoc regnum duos.
Thyest. Meum esse credo, quidquid est, frater, tuum.
Atr. Quis influentis dona Fortunæ abnuit?
Thyest. Expertus est quicunque quam facile effluant.
Atr. Fratrem potiri gloria ingenti vetas?
Thyest. Tua jam peracta gloria est, restat mea.
Respuere certum est regna consilium mihi.
Atr.

518. *Pedibus intactæ manus.*] Sic liber optimus: non *injectæ, injunctæ, victæ, vinctæ.* Gronovius. Quæ supplices hucusque nullius pedes tetigere; tu enim primus me supplicem vides. *Farn.*

523. *Senum præsidia, vos juvenes,*] Restitue ex Mss. & editis antiquis, *tot juvenes.* Non inane vocabulum *tot.* Statius ad Iulium Menecratem: *Tot dominis clamata domus.* Hi quoque non ultra tres erant. Ibidem: — *ulterius sed enim producere questus Non licet. en hilaris circumstat turba tuorum, Defensatque patrem. quem non hoc agmine vincas.* Vox terrima Peponillæ ad Vespasianum apud Dionem: Τοῦτο τὸ ἐπιθύνησα ἐν τῷ μνημείῳ ἡ ἑρεῦνα, ἵνα σε πολίονες ἐπὶ δύσωμεν. Gronovius. *Vos juvenes,*] Alii leg. *tot juvenes.* i. Tres: Plisthenes qui loquebatur, Tantalus, & natu minimus, mutæ personæ, vers. 715. 723. & 737. infrà. *Farnabius.*

525. *Oculisque*] Ne videant, non sine lacrymis, squallorem tuum. *Idem.*

528. *Paternum*] Regnum. *Idem.*

531. *Regiam*] Regni insigne diadema. inf. vers. 543. *Idem.*

532. *Recusat*] Vide Hercul. Fur. vers. 1192, & 137. *Idem.*

534. *Turba.*] Plebe. *Idem.*

540. *Respuere*] Certum est mihi consi-

Atr. Meam relinquam, nisi tuam partem accipis.
Thyest. Accipio. regni nomen impositi feram:
Sed jura & arma servient mecum tibi.
Atr. Imposita capiti vincla venerando gere.
Ego destinatas victimas Superis dabo.

consilium regna quamvis oblata renuere. *Farnabius.*

541. *Nisi tuam partem accipis.*] Fl. *ni tuam.* Gronovius.

543. *Jura*] Quæcunque ad pacem sive ad bellum spectant, illa omnia ut & ego ipse tibi inserviemus. *Farnabius.*

544. *Vincla*] Redimiculum sive fasciam ex panno preciosissimo, sic & Græce διάδημα à διαδέω revincio. *Idem.*

CHORUS.

Inserviens actui præcedenti Chorus Atrei collaudat pietatem, quæ simultates & dissidia fratrum composuit, non secus ac serenitas tempestatem sequuta.

Credat hoc quisquam? ferus ille & acer,
Nec potens mentis, truculentus Atreus,
Fratris aspectu stupefactus hæsit.
Nulla vis major pietate vera est.
Jurgia externis inimica durant,
Quos amor verus tenuit, tenebit.
Ira cum magnis agitata causis
Gratiam rupit, cecinitque bellum,
Cum leves frenis sonuere turmæ,
Fulsit hinc illinc agitatus ensis;
Quem movet crebro furibundus ictu
Sanguinem Mavors cupiens recentem,
Opprimit ferrum, manibusque junctis
Ducit ad pacem pietas negantes.
Otium tanto subitum è tumultu
Quis

546. *Credat hoc quisquam?*] Ep. 97. *Credat hoc quisquam? qui damnabatur uno adulterio, absolutus est multis.* Epist. 91. *Quis hoc credat, ubique armis quiescentibus, Lugdunum, quod ostendebatur in Gallia, quari?* Gronov.

547. *Nec potens*] Affectibus, non rationi parens. *Farnabius.*

552. *Ira*] Consanguineos, etsi ad tempus acerrime dissideant, pietas tamen & verus amor in gratiam reducit, alios non item. *Idem.*

556. *Quem movet*] Quem ensem strinxit vibravitque ira belli, hanc in vaginam recondit & comprimit pietas. *Idem.*

563. *Pal-*

Quis deus fecit? modò per Mycenas
Arma civilis crepuere belli.
Pallidæ natos tenuere matres;
Uxor armato timuit marito,
Cum manum invitus sequeretur ensis,
Sordidus pacis vitio quietæ.
Ille labentes renovare muros;
Hic situ quassas stabilire turres;
Ferreis portas cohibere claustris
Ille certabat; paviduſque pinnis
Anxiæ noctis vigil incubabat.
Pejor est bello timor ipse belli,
Jam minæ sævi cecidere ferri;
Jam silet murmur grave classicorum;

Jam

563. *Pallidæ matres timuere natis;*] Flor. ordine verborum quoque commutato: *Pallidæ natos tenuêre matres.* Ex Virgilii, *Et pavidæ matres pressêre ad pectora natos.* Vnde & Statius: *Ipsa suum genitrix curvo delphine vagantem Arripuit frenis, gremioque Palæmona pressit.* Vidit & Delrius. *Gronovius. Tenuere*] *Tenere* est aut complecti, adprimere ad pectus infantes, aut inhibere ne ruerent ad bellum adolescentes. *Gruterus.*

565. *Invitus*] Civilem scilicet hausturus sanguinem. *Farnabius.*

566. *Sordidus*] Rubiginosus. *Id.*

570. *Pinnis*] Murorum minis. *Id.*

571. *Anxiæ noctis vigil*] Immo *noctis*, ut habet Etruscus. non enim nocti, sed murorum pinnis incubabat. *Gronovius.*

574. *Classicorum;*] Classicum olim buccinâ seu cornu solitum cani, & convocationis militum ad bellum instans signum: sed prœlii conferendi signum, tubâ dabatur: licet opinor ipsam buccinam comitarentur vel præcedebant. significat hoc Lucanus lib. 7. — *stridulus aer Elisus lituis, conceptaque classica cornu: Tunc ausæ dare signa tubæ* — aperte etiam Isidorus lib. 17. Origin. c. 4. qui Lucano lucem aliquam tribuit his verbis: *Inter tubam autem & buccinam veteres discernebant. nam buccina insonans sollicitudinem ad bella denunciabat. Virgil.* — qua buccina signum Dira dedit. *Tuba autem prœlia indicabat, ut:* At tuba terribilem sonitum dedit ære canoro. *Cujus sonitus varius est, nam interdum canitur ut bella committantur, interdum ut insequantur eos, qui fugiunt, interdum receptui. nam* receptus *dicitur, quo se exercitus recipit: unde & signa receptui canere dicuntur.* Classica *sunt cornua, quæ concinendi causa erant facta, & à calando classica dicebantur. de quibus Virgilius:* Classica namque sonant. *Apud Amazonas autem non tubâ sicut à regibus, sed à reginâ sistro vocabatur feminarum exercitus.* Glossar. Græco-Latinum, σφεῖρης σάλπιγξ. *Classica.* De Classicum canendi modo, nonnulla Dion Cassius lib. 47. hist. Augustæ: ita tamen, ut tubæ & classici differentiam aperte confundat, si recte N. interpretatur. Etsi generali vocabulo buccinator, tubicinem & cornicinem comprehendat; proprie tamen tuba æneatorum

Jam tacet ſtridor litui ſtrepentis;
Alta pax urbi revocata lætæ eſt.
Sic ubi ex alto tumuere fluctus,
Brutium Coro feriente pontum;
Scylla pulſatis reſonat cavernis,
Ac mare in portu timuere nautæ,
Quod rapax hauſtum revomit Charybdis;
Et ferus Cyclops metuit parentem

Rupe

eſt, buccina cornicinum. Cornua lituis plerumque conjungunt, ut hìc Seneca, & Lucanus loco citato, & Horatius quando minaci cornuum murmuri addit lituos ſtrepentes; etſi etiam lituo tubæ ſonitum permiſcuit. *Delrius.*

575. *Litui ſtrepentis;*] Lituus incurvus erat, auctore Feſto, ideo ſonum ſtreperum & acutum edebat. Ennius: *Inde loci lituus ſonitus effudit acutos.* iccirco ait *ſtrepentis.* imitatus Horatium, qui 2. carmin. ait; *Iam nunc minaci murmure cornuum Perſtringis aures, jam litui ſtrepunt.* Idem.

578. *Coro*] Vento ab Occaſu ſolſtitiali flante, adverſus Aquilonem, excitante jam mare, quod Brutios alluit Italiæ extremos juxta fretum Siculum. *Farnabius.*

579. *Scylla*] Saxum in freto Siculo, quod fluctuum concurſu & illiſione in ſcopulos reſonans dedit locum fabulæ de Scylla Phorci filia in monſtrum hoc converſa, canibus pube tenus ſuccincta. *Idem.*

580. *Ac mare in portu timuere*] Ita & vetuſtiſſimæ membranæ, non *intortum*, vel *in totum*: eædemque ſequenti verſu *hauſtum*, non *auſtet*, ut junctæ umbone phalanges codicum nugatoriorum, ſi cum uno illo comparentur. Ioculare autem, *auſtrum Charybdi* dici violentiam Charybdis. Scilicet non Senecam, ſed fabulatorem illum decuiſſet hæc elegantia, qui ſperavit ſe mire locutum eſſe, cum dixit: *quid aget tanta caloris hiems?* Si omnino turbare hic *auſtrum* illum oporteret, ſcriberemus: *Quod rapax auſtro revomit Charybdis.* Nempe auſtro flante. Ovidius: *auſtroque agitata Charybdis.* Iuvenalis Sat. 5. *nam dum ſe continet auſter, Dum ſedet, & ſiccat madidas in carcere pennas Contemnunt ipſam temeraria lina Charybdim.* Sed glandes legimus ac digerimus jam inventis frugibus. Epiſt. 79. *quicquid illo freti turbine arreptum eſt, per multa millia trahi conditum, & circa Tauromenitanum litus emergere.* Gronovius. Cum Scylla ſævit, & tempeſtas ubique atrox: nautæ vix in portu ſecuros ſe putant, illic etiam timent. at cum ſerenum redit, non ſolum naves, ſed & cymbæ (ut infra ſequitur) perſultant, & ludunt in illo ipſo freto. *Farnabius.*

581. *Quod rapax*] Ab Homero Odyſſ. μ΄. — δῖα χάρυβδις ἀναῤῥοιβδεῖ· μέλαν ὕδωρ Τῆις μὲν γὰρ τ' ἀνίησιν ἐπ' ἠμαθὶ, τῆις δ' ἀναρροιβδεῖ Δεινὸν — quæ ſic expreſſit P. Virgilius Æneid. 3. — *Charybdis Obſidet, atque imo barathri ter gurgite vaſtos Sorbet in abruptum fluctus, rurſuſque ſub auras Erigit alternos, & ſidera verberat unda.* Deltius.

582. *Cyclops*] Polyphemus timet ne pater ſuus Neptunus, id eſt, mare extinguat ſemper ardentes fornaces Ætnæ. *Farnabius.* Conon in Heraclea ſcribit Polyphemi patrem fuiſſe Elaſum; quem Andron Teïus, in lib. de affinitatibus, Elatam appellat; Homer. Odyſſ. α΄. Euripides in Cyclope, Apollonius 1. Argonaut. & Lucianus in dialog. matinor. deor. Neptunum fuiſſe dicunt,

Rupe ferventis residens in Ætnæ,
Ne superfusis violetur undis
Ignis æternis resonans caminis;
Et putat mergi sua posse pauper
Regna Laërtes, Ithaca tremente.
Si suæ ventis cecidere vires,
Mitius stagno pelagus recumbit;
Alta quæ navis timuit secare
Hinc & hinc fusis spaciosa velis,
Strata ludenti patuere cymbæ:
Et vacat mersos numerare pisces;
Hic ubi ingenti modo sub procella
Cyclades pontum timuere motæ.
Nulla sors longa est, dolor ac voluptas
Invicem cedunt. brevior voluptas.
Ima permutat levis hora summis.

Ille

dicunt. quod noster hic sequitur: forte quia ut Tzetza chil. 2. histor. 51. scribit, τοὺς θυμικοὺς γὰρ σύμπαντας καὶ πάντας τοὺς ἀνδρείους, υἱοὺς καὶ φίλους, ἐραστὰς φασὶ τοῦ Ποσειδῶνος. Præterea recte noster per Neptunum voluit vim maris significare. nam Cicero lib. 1. de nat. deor. ex Chrysippi sententia prodidit Neptunum nihil esse aliud quam spiritum qui mare commovet. *Delrius.*

583. *Ferventis*] Ætnæi incendii causam tradit Lucretius lib. 6. his versibus: — *primum totius subcava montis Est natura fere, silicum suffulta cavernis: Omnibus est porro in speluncis ventus & aër, &c.* addit Claud. lib. 1. de raptu Proserp. *Quæ scopulos tormenta rotant? quæ tanta cavernas Vis glomerat? quo fonte ruit Vulcanius ignis? Sive quod obicibus discurrens ventus opertis Offenso per saxa ruens rimosa meatu, Dum scrutatur iter, libertatemque reposcens Putrida multivagis populatur flatibus antra: Seu mare sulphurei ductum per viscera montis Oppressis ignescit aquis & pondera librat, &c.* Auctor libri de mundo docet terram multos flatus & ignis fontes in se continere: quorum alii sub terra sint occulti & obscuri, alii vero, ἀναπνόας ἔχουσι καὶ ἀναφυσήσεις, ὥσπερ Λιπαρά τε καὶ Αἴτνη καὶ τὰ ἐν Αἰόλου νήσοις. Delrius.

586. *Putat*] Timetque suæ insulæ ne mergatur, Laërtes, seu quis alius Rex Ithacæ, est enim *Prolepsis ex persona poëtæ, necdum enim erat Laërtes.* Farnabius.

590. *Alta*] Maria, quæ modo procellosa, non ausa est tentare valida & velivola navis, modo pacata, etiam cymbæ pervia facta sunt. *Idem.*

595. *Cyclades*] Insulæ illæ in cycli formam dispositæ in mari Ægæo ventis motæ timuere, ne absorberentur. *Idem.*

598. *Ima permutat brevis hora*] Non Gruteri modo omnes, sed etiam Etruscus, *levis hora.* Id est, inconstans fortuna in horas varians. Vt enim *tempus, dies,* sic & *hora* pro fortuna. *Gron.*

Ille qui donat diadema fronti,
Quem genu nixæ tremuere gentes,
Cujus ad nutum posuere bella
Medus, & Phœbi propioris Indus;
Et Daæ Parthis equitem minati;
Anxius sceptrum tenet, & moventes
Cuncta divinat metuitque casus
Mobiles rerum, dubiumque tempus.
Vos, quibus rector maris atque terræ
Jus dedit magnum necis atque vitæ,
Ponite inflatos tumidosque vultus:
Quidquid à vobis minor extimescit,
Major hoc vobis dominus minatur.
Omne sub regno graviore regnum est.
Quem dies vidit veniens superbum,
Hunc dies vidit fugiens jacentem.

Nemo

599. *Fronti,*] Suæ, *vel* qui aliis regna distribuit. *Farnabius.*

600. *Quem genu*] Cujus arbitrio & imperio parent remotissimæ gentes, Medi, Persæ, Parthi, Indi directis Solis radiis viciniores; *respicit autem Poëta imperatores Romanos, maxime Neronem quocum fœdus percusserunt reges externi, & à quo Tiridates diadema accepit.* Idem.

603. *Et Daæ Parthis equitem*] Hic quoque liber optimus: *Dahæ.* Genus est, uti dictum, finitimum Parthis: equis inhærens, perinde ut illi: sed eisdem ferocius, ut vere Scythicum, nec delicatiore Asia, ut nonnihil Parthi, emollitum. Ideo *equitem minari Parthis* dicuntur, tanquam formidabilem, quamvis & huic equestri populo. Statim idem liber optimus, ut Lipsianus: *& moventes Cuncta divinat:* probaverunt que merito Lipsius & Scaliger. Quid opus est turba, ubi constat de optimis? Nec libet vellere aures sermonem respuentes. Age, vel solutis eum numeris considera: *& casus rerum mobiles* valde ipsos, secum autem *moventes cuncta* prævidet atque extimescit. Sic regi ab eo qui regitur, indignamur: sic Martialis se salutatum ire ad eum, qui ante ierit salutatum. Epist. 94. *Ostendat ex constitutione vulgi beatos, in isto invidioso fastigio suo trementes & attonitos, longeque aliam de se opinionem habentes, quam ab aliis habetur. Nam quæ aliis videntur excelsa, ipsis prærupta sunt. Itaque exanimantur & trepidant, quoties despexerunt in illud magnitudinis suæ præceps. Cogitant enim varios casus, & in sublimi maxime lubricos: tunc appetit a formidant, & quæ & illos graves aliis reddit, gravior ipsis felicitas incumbit.* Hic *lubrici*, qui illic *mobiles*. Posses alioqui non inepte facere *Flebiles*. Gronovius.

608. *Ius*] Deus. *Farnabius.*

611. *Major*] Imperium. *Idem.*

612. *Omne*] *Regum timendorum in proprios greges, reges in ipsos imperium est Iovis.* Idem.

613. *Veniens*] Oriens. *Idem.*

614. *Fugiens*] Occidens. *Idem.*

616. *Me-*

Nemo confidat nimium secundis, 615
Nemo desperet meliora lapsis.
Miscet hæc illis, prohibetque Clotho
Stare fortunam. rotat omne fatum.
Nemo tam divos habuit faventeis,
Crastinum ut possit sibi polliceri. 620
Res Deus nostras celeri citatas
Turbine versat.

616. *Meliora*] In rebus adversis. *Farnabius.*

617. *Hæc illis*] Adversa secundis. *Idem. Clotho*] Vna è Parcis. Hercul. Fur. 558. *Idem.*

618. *Stare*] Diu in eodem statu manere. *Idem.*

622. *Turbine*] Volubilitate. *Idem.* Turbo celerior & concitatior est vento. De turbine Seneca lib. 7. nat. quæst. cap. 9. *mira velocitas ejus & mira brevitas est.* quid sit docet, inquiens: *efficit turbinem, plurium ventorum inter ipsos luctatio.* Delrius.

ACTUS QUARTUS.

NUNCIUS. CHORUS.

Crudele Atrei facinus & epulas nefandas, in quibus apponebantur Thyestæ sui liberi, digna quæ ex oculis spectatorum sublata intus gererentur, narrat nuncii facundia præsens.

Nunc. Quis me per auras turbo præcipitem vehet,
Atraque nube involvet, ut tantum nefas
Eripiat oculis? ô domus, Pelopi quoque 625
Et Tantalo pudenda! *Chor.* Quid portas novi?
Nunc. Quænam ista regio est, Argos & Sparte pios
Sortita fratres? & maris gemini premens
Fauces Corinthos? an feris Ister fugam

Præ-

625. *Pelopi*] Vel ipsis crudelibus tyrannis erubescenda. *Farnabius.*

627. *Quænam*] Civilisne Græcia an barbara Scythia? *Idem. Argos & Sparte pios*] Sic fecit Gruterus è Pall. quum esset antea: *Sparte & Argos:* quod hoc minus conveniret τῷ *Sortita.* Recte ille: sed ut omne mendum è versu tollatur, scribe cum Etrusco: *Argos, & Sparte pios Sortita fratres.* Puta Castorem & Pollucem. Phœnissis: *Spartenque fratre nobilem gemino.* Hinc belle Statius Iovem inducit loquentem de instanti Thebanorum fratrum certamine: *Ledæi videant neu talia fratres.* Ne tam pii exemplum impietatis norint in fratribus. *Gronov.*

628. *Maris*] Corinthus sita in Isthmo, i. in angustiis inter Ægæum & Ionium maria. *Farnabius.*

629. *An feris Ister fugam Præbens Alanis?*] Interpretantur Danubium fuga

Præbens Alanis? an sub æterna nive
Hyrcana tellus? an vagi passim Scythæ?
Quis hic nefandi est conscius monstri locus?
Chor. Effare: & istud pande, quodcumque est malum.
Nunc. Si steterit animus, si metu corpus rigens
Remittet artus. hæret in vultu trucis
Imago facti. ferte me insanæ procul
Illo procellæ; ferte, quo fertur dies
Hinc raptus. *Chor.* Animos gravius incertos tenes.
Quid sit, quod horres, ede, & auctorem indica.
Non quæro quis sit, sed uter. effare ocius.
Nunc. In arce summa Pelopeæ pars est domus
Conversa ad Austros; cujus extremum latus
Æquale monti crescit, atque urbem premit,
Et contumacem regibus populum suis

Ha-

fuga celeri fluentem per Alanos crudelissimos Scythiæ populos. At Senecæ *Ister præbens fugam*, qui citatum accessum & recessum dat vagis illis populatoribus hiberno tempore quum conglaciatus est. *Fuga* huic auctori quævis velox itio. Habet complures in Naturalibus Quæstionibus. *Gronovius.*

630. *Alanis?*] Hi juxta Plinium & Ammianum Sarmatiam Europæam incoluerunt, juxta alios vel Daciæ partem, vel ulterioris Scythiæ. Alanorum formam habes apud Claudianum, de bello Gethico: *Cui natura breves animis ingentibus artus Finxerat, immanique oculos infecerat ira: Vulneribus pars nulla vacat, resciſſaque contis Gloria fœdati ſplendet jactantior oris.* Lucanus lib. 10. feritatis & crudelitatis exempla, Mauros, Scythas, & Alanos proponit. *Delrius. Anſub æterna nive*] An perenni nive vexata adeoque inculta & fera Hyrcania, pardis & tigribus famosa? *Farnabius.*

631. *Vagi*] Vide Herc. Fur. v. 532. *Idem.*

632. *Quis hic nefandi est conscius, &c.*] Hunc versum in eadem Nuntii persona continuat Flor. & solum sequentem dat Choro. Haud dubie commodius. Et observavit Delrius. *Gronovius.*

634. *Si steterit*] Si animus se collegerit & firmatit, corporis jam metu stupidi organis & membris resolutis. *Farnabius.*

635. *Hæret*] Etiamdum ante oculos versatur trucis imago facti. *Idem.*

637. *Illo*] Ad Antipodas, ad alterum Hemisphærium. *Idem.*

638. *Animos*] Morando & refugiendo, in graviori metu animos nostros suspendis. *Idem.*

639. *Esser, auctorem indica*] Flor. cum illis facit, qui, *ede & auctorem indica.* Non tam vivide, inquit Gruterus. Oro te, propter quid? Oedipo. *Quem memoret, ede, Phœbus.* Hippolyto: *Quis, ede, nostri decoris everſor fuit.* Gronovius.

640. *Non quæro*] Procul dubio alter est è fratribus. sed uter? *Farnab.*

643. *Vrbem*] Vrbi imminet, quam vi reprimit metuque coërcet cives. sup. vers. 453. *Idem.*

645. *Ha-*

Habet sub ictu: fulget hic turbæ capax
Immane tectum, cujus auratas trabes
Variis columnæ nobiles maculis ferunt.
Post ista vulgo nota, quæ populi colunt,
In multa dives spatia discedit domus.
Arcana in imo regio secessu patet,
Alta vetustum valle compescens nemus,
Penetrale regni. nulla qua lætos solet
Præbere ramos arbor, aut ferro coli:
Sed taxus, & cupressus, & nigra ilice
Obscura nutat silva; quam supra eminens
Despectat alte quercus, & vincit nemus.
Hinc auspicari regna Tantalidæ solent,
Hinc petere lapsis rebus & dubiis opem.
Affixa inhærent dona: vocales tubæ;
Fractique currus; spolia Myrtoi maris;
Victæque falsis axibus pendent rotæ;
Et omne gentis facinus, hoc Phrygius loco
Fixus tiaras Pelopis: hic præda hostium;
Et de triumpho picta Barbarico chlamys.

Fons

645. *Habet*] Ἐπὶ ξυρᾷ ἀκμῆς. unde telis cogant feriantque rebelles. *Farn. Turbæ*] Huc enim populus convenire solebat ad munia publica. *Idem.*

650. *Arcana*] Si arcana (inquit Lipsius) quomodo patet? Patet, sc. in ampliudinem & spatium, non quod omnes ingrediantur. *Idem.*

652. *Penetrale*] Latarium, in quo Dii Penates. *Idem.*

653. *Ferro*] Falce putari, ut solent fructiferæ. *Idem.*

654. *Nigra*] Propter frondes opacas. *vel* medullam nigram, unde & μελάνδρυον dicitur Theophrasto. l. 9. cap. 19. *Idem.*

656. *Vincit*] Altitudine superat. *Id.*

657. *Auspicari*] Per auguria & auspicia sortiri & inire regna. *Idem.*

658. *Lapsis*] Sic Lipsienſ. sed plerique lib. *Iasis*, non quæ corruerint jam, sed quæ ruinam minantur. *Delrius. Flor. Iasis.*

659. *Dona*] Ἀναθήματα, votiva donaria & monumenta Diis consecrata, affixa huic quercui pendent. *Farnab.*

660. *Fractique*] Currus Oenomai fractus & Pelopis quo Hippodamiam abstulit, usus fraude Myrtili, quem petentem mercedem in mare præcipitavit, unde Myrtoum dictum. supra vers. 138. *Idem.*

661. *Falsis*] Sublata modiolis fibula, *vel* fibula, seu axe secundum alios, plumbea affixa. *Idem.*

662. *Omne*] Tantaleæ gentis facinorum omne monumentum. *Idem.*

663. *Tiaras*] Insula Phrygibus in usu. cujus lobi sub mento connectebantur. & ipse Pelops è Phrygia Elidem advenerat. *Idem.*

664. *De triumpho*] Acu picta chlamys,

Fons ſtat ſub umbra triſtis, & nigra piger
Hæret palude. talis eſt diræ Stygis
Deformis unda, quæ facit cœlo fidem.
Hic nocte cœca gemere ferales deos,
Fama eſt: catenis lucus excuſſis ſonat,
Vlulantque Manes. Quidquid audire eſt metus,
Illic videtur. errat antiquis vetus
Emiſſa buſtis turba, & inſultant loco
Majora notis monſtra. Quin tota ſolet
Micare flamma ſilva, & excelſæ trabes
Ardent ſine igne. ſæpe latratu nemus
Trino remugit: ſæpe ſimulachris domus
Attonita magnis. nec dies ſedat metum.
Nox propria luco eſt, & ſuperſtitio inferûm
In luce media regnat. Hinc orantibus
Reſponſa dantur certa, cum ingenti ſono
Laxantur adyto fata, & immugit ſpecus
Vocem Deo ſolvente. Quo poſtquam furens
Intravit Atreus liberos fratris trahens;
Ornantur aræ. quis queat digne eloqui?
Poſt terga juvenum nobiles revocat manus,

Et

mys, ſpolium Phrygibus ademptum. *Farnabius.*

665. *Stat*] Stagnat inſtar Stygis. *Id.*

666. *Stygis*] Vide Hercul. Fur. verſ. 711. *Idem.*

667. *Quæ facit cœlo fidem.*] Facit ut diis credatur, qui ejus jurare timent & fallere numen, juxta Heſiodum in Theogon. Homerum Odyſſ. ε. & Apollonium Argonaut. δ'. vid. Hercul. Fur. 711. *Delrius.*

668. *Hic nocte tota*] Sic Mſſ. non *cæca*; quod vulgo circumfertur, inquit Gruterus. At quod vulgo ante illum circumferebatur, perſpicue habet vetuſtiſſimus codex. Ergo reſtituatur. *Gronovius.* *Ferales*] Majora, quam quæ nos vidimus monſtra. *Vel* apparent umbræ majores humano corpore & auguſtiores. *Farnabius.*

676. *Trino*] Velut Cerberi trifaucis latratu. *Idem.*

677. *Nec dies*] Etiam interdiu hæc videntur & audiuntur. *Idem.*

678. *Nox*] Lucus tenebroſus eſt. *Idem.* *Superſtitio*] Et vana inferorum apparitio hic dominatur mediâ diei luce. *Idem.*

681. *Laxantur*] Pandantur, emittuntur. *Idem.*

685. *Nobiles religat manus.*] Iam reſtituit Gruterus *nobiles revocat manus.* Idem nobis in duobus Florentinis, duobus Tholoſatibus, Foxienſis bibliothecæ, Heinſiano, Voſſiano, Norico, & quem domi habeo, apparuit. Alii *renodat*, vel *reducat*, quæ eodem alludunt. Vide Obſervat. 2, 19. *Gronov.*

686. *Vit-*

Et mœsta vitta capita purpurea ligat:
Non thura desunt, non sacer Bacchi liquor,
Tangensve salsa victimam culter mola.
Servatur omnis ordo, ne tantum nefas
Non rite fiat. *Chor.* Quis manum ferro admovet? 690
Nunc. Ipse est sacerdos. ipse funesta prece
Letale carmen ore violento canit.
Stat ipse ad aras. ipse devotos neci
Contrectat, & componit, & ferro admovet.
Attendit ipse. nulla pars sacri perit. 695
Lucus tremiscit. tota succusso solo
Nutavit aula, dubia quo pondus daret,
Ac fluctuanti similis. è lævo æthere
Atrum cucurrit limitem sidus trahens.

Li-

686. *Vitta*] Et vitta purpurea obnubit regalium victimarum capita. *Farn.*

687. *Sacer*] Vinum capitibus victimarum aspersum. *Idem.*

688. *Mola*] Mola ex hordeo & è sale confecta: qua frontem victimæ, focum & cultros aspergere moris erat. hinc *Immolare.* Vide Hippol. vers. 497. *Idem.*

690. *Quis manum*] Quis feriebat victimas? *Idem. Ferro*] Cultros suppositos impellit. *Supponunt alii cultros.* Virgil. 6. Æneid. & 3. Georg. *Suppositi tinguntur sanguine cultri.* Idem.

695. *Attendit ipse.*] Sic præclare Lipsius è codice suo, in cujus annotatione fidenter expungas licet illud postremum & superstitiosum, *Tamen.* Nihil est enim, quod deterrere debeat nos ab illa scriptura etiam Florentino probata. Plinius lib. 28. cap. 2. *Vidimus certis precationibus obsecrasse summos magistratus: & ne quid verborum prætereatur aut præposterum dicatur, de scripto præire aliquem; rursusque alium custodem dari, qui attendat; alium vero præponi, qui faveri linguis jubeat.* Gronovius. *Attendit*] *Hoc agit:* observat, pro ritu extispicii, motus gestusque hostiarum ad aras. vide Oedip. vers. 352. In sacris enim dicebatur *hoc age.* id est, attende. Ipse præcone aut monitore opus non habet, ipsemet *hoc agit.* Farnabius. *Nulla*] Nullus sacrificii ritus omittitur. *Idem.*

696. *Succusso*] Commoto. *Idem.*

697. *Quo pondus*] In quam partem caderet. *Idem.*

698. *Elævo*] E sinistra parte cœli, quod Græcis omen malum, ut quibus auguria capientibus antica pars septentrio: ut Romanis contra bonum omen, quibus in auspiciis pars antica Meridies, cum utrisque conveniat Orientem esse dextram cœli partem, Occidentem sinistram. *Idem.*

699. *Atrum cucurrit limitem*] Vestigium atrum ajunt mortis sceleriscque imminentis signum. Ego sidus illud crassa ac nebulosa velut regula vel linea relicta viam, qua transiit aërem, signans, intelligo omen intercisæ lucis & tenebrarum diurnarum per epulas Thyesteas. In contrarium Virgilius: *noctisque per umbram Stellarum longos a tergo albescere tractus.* Gronovius.

700. *Mu-*

Libata in ignes vina mutato fluunt
Cruenta Baccho. regium capiti decus
Bis terque lapsum est, flevit in templis ebur.
Movêre cunctos monstra: sed solus sibi
Immotus Atreus constat, atque ultro deos
Terret minantes. jamque dimissa mora
Assiluit aris, torvum & obliquum intuens.
Jejuna silvis qualis in Gangeticis
Inter juvencos tigris erravit duos,
Utriusque prædæ cupida, quo primos ferat
Incerta morsus, flectit huc rictus suos,
Illo reflectit, & famem dubiam tenet;
Sic dirus Atreus capita devota impiæ
Speculatur iræ. quem prius mactet sibi,
Dubitat; secunda deinde quem cæde immolet.
Nec interest: sed dubitat. & sævum scelus
Juvat

700. *Mutato*] Vino in sanguinem mutato. *Farnabius.*

701. *Regium*] Diadema non semel è capite Atrei decidit. *Idem.*

702. *Flevit in templo ebur.*] Eburneæ statuæ flevere. *Idem.* Solemne prodigium. Tibullus lib. 2. *Et simulacra Deûm lachrymas fudêre tepentes.* Ovidius 15. Metamorph. *Mille locis lachrymavit ebur* — Lucanus lib. 7. —— *rorantia fletu Usque ad Thessaliam Romana & publica signa.* Silius lib. 8. —— *lachrymæque vetustæ Effigie patris late fluxere Quirini.* Iulius Obsequens, in lib. de prodigiis testatur, L. Æmilio Paullo & Cn. Bæbio Tamphilo coss. Lanuvii Iunonis sospitæ simulacrum lacrymasse, Ap. vero Claudio & M. Perperna coss. Apollinis effigiem per quatriduum flevisse. *Delrius.* Fere enim dii ex ebore. Ovidius de arte amandi. *At cum pompa frequens cœlestibus ibit eburnis.* Sic sane etui è codice antiquo. De cujus scripturæ sinceritate nullus dubitarit Pyrrhonius. Vulgo: *certantibus ibit ephebis.* Gruterus.

703. *Movere*] Prodigia hæc terruerunt omnes, qui ea in cœlo vèl templis animadverterant. *Farnabius.*

705. *Minantes.*] Illi exitium, & his ostentis ab instituto scelere deterrentes. *Idem.*

707. *Gangeticis*] Indiæ sylvis per quam fluit Ganges. *Idem.*

708. *Inter juvencos*] Ovid. 5. Metamorphos. *Tigris ut auditis diversa valle duorum Exstimulata fame mugitibus armentorum, Nescit utro potius ruat, & ruere ardet utroque.* Delrius.

715. *Sed dubitat & tantum scelus*] Flor. *sævum scelus.* Quum sæva gaudeant impetu (unde & *sævitia* interdum pro impetu ponitur, & *sævire* est furioso impetu agere) ille deliberat, quamvis nihil interesit, hunc prius invadat an alium, partem voluptatis in crudelitate putat, quod licet eam per commodum & dispositè exsequi. Medea: *Perfruere lento scelere, ne propera, dolor, &c.* *Dubitare* est deliberare. Suetonius Claudio cap. 35. *Dubitavit adhibitis principibus viris, an obtemperaret*

Juvat ordinare. *Chor.* Quem tamen ferro occupat?
Nunc. Primus locus (ne deesse pietatem putes)
Avo dicatur; Tantalus prima hostia est.
Chor. Quo juvenis animo, quo tulit vultu necem?
Nunc. Stetit sui securus, & non est preces
Perire frustra passus: ast illi ferus
In vulnere ensem abscondit, & penitus premens
Jugulo manum commisit. educto stetit
Ferro cadaver: cumque dubitasset diu
Hac parte an illa caderet, in patruum cadit.
Tunc ille ad aras Plisthenem sævus trahit,
Adicitque fratri: colla percussa amputat.
Cervice cæsa truncus in pronum ruit:
Querulum cucurrit murmure incerto caput.
Chor. Quid deinde gemina cæde perfunctus facit?
Puerone parcit? an scelus sceleri ingerit?
Nunc. Silva jubatus qualis Armenia leo
In cæde multa victor armento incubat,
Cruore rictus madidus, & pulsa fame
Non ponit iras? hinc & hinc tauros premens
Vitulis minatur, dente jam lasso piger:
Non aliter Atreus sævit, atque ira tumet,

Fer-

raret. Nerone cap. 21. *Dubitavit etiam, an privatis spectaculis operam inter scenicos daret, quodam prætorum sestertium decies offerente.* Ita optime Salmasii Mss. codex. i. Deliberavit advocatis amicis, consultavit inter amicos. Quod qui non intelligerent, subjecerunt: *Non dubitavit operam dare.* Gronovius.

717. *Primus locus,*] Filii Atrei, quos ei frater appositi, tres fuerunt: unde alibi, — *liberis plenus tribus In me sepultis.* Tragicus eorum nomina dicit fuisse, Tantalum & Plisthenem, tertium nomine non exprimit; quem & Hyginus omittit. Tres itidem recenset Interpres Euripidis, sed aliis nominibus, Aglaum, Orchomenum, Calcum. *Fabricius. Ne deesse*] Per ironiam. *Farnabius.*

718. *Avo*] Sup. v. 522. fil. Thyestæ qui avi nomen tulit. *Idem.*

723. *Jugulo*] In Iugulo Tantali *capulo tenus abdidit ensem.* Idem.

725. *Hac parte an illa*] Nam & hoc extispices observabant. lege Brissom. lib. 1. de Formul. & hunc locum adde. *Delrius.*

726. *Plisthenem*] Secundum Thyestæ filium. *Farnabius.*

727. *Adicitque*] Adjicit, addit, fratri comitem necis. *Idem.*

730. *Gemina*] Tantali & Plisthenis. *Idem.*

731. *Puerone*] Tres ergo nepotes ex fratre jugulavit. *Delrius.*

Ferrumque gemina cæde perfusum tenens,
Oblitus in quem rueret; infesta manu
Exegit ultra corpus. at pueri statim
Pectore receptus ensis, in tergo exstitit.
Cadit ille, & aras sanguine extinguens suo,
Per utrumque vulnus moritur. *Chor.* O sævum scelus!
Nunc. Exhorruistis? hactenus sistat nefas,
Pius est. *Chor.* An ultra majus aut atrocius
Natura recipit? *Nunc.* Sceleris hunc finem putas?
Gradus est. *Chor.* Quid ultra potuit? abjecit feris
Lanianda forsan corpora, atque igne arcuit.
Nunc. Utinam arcuisset, ne tegat functos humus,
Ne solvat ignis! avibus epulandos licet
Ferisque triste pabulum sævis trahat;
Votum est sub hoc, quod esse supplicium solet.
Pater insepultos spectet. ô nullo scelus
Credibile in ævo, quodque posteritas neget!

Erepta

741. *Ensis, in tergo exstitit.*] Non displicere quidem ait Gruterus, ablandiri sibi tamen, *exiit*. Lipsius è suo annotat, *stetit*. Sed *exstitit* est in Flor. pluribusque aliis, & id probanius unice. Estque idem quod apparuit, conspectus est. Cicero lib. 1. de divin. *Lysandri statuæ in capite corona subito exstitit ex asperis herbis & agrestibus.* Lib. 2. *At in Lysandri statuæ capite Delphis exstitit corona ex asperis herbis & quidem subita.* Gronovius.

743. *Utrumque*] Pectoris & tergi. *Farnabius.*

744. *Hactenus non stat nefas, Plus est.*] Elegantissime liber Magni Ducis: *hactenus sistat nefas, Pius est.* Si non ultra progrediatur, etiam pius possit haberi. Defectus articulæ *Si*. Vt apud Propertium: *Illa velit, poterit magnes non ducere ferrum.* Virgilius in sexto: *Partem opere in tanto, sineret dolor, Icare haberes.* Sunt quidem, quæ audistis, scelerata: sed quæ possint pia vocari in comparatione illorum, quæ restant. Medea: *quicquid admissum est adhuc, Pietas vocatur.* Gronovius.

748. *Igne*] Rogo illis interdixit. Græci, Romani & Barbari cadavera comburebant, igne ea purgari credentes. *Delrius.*

749. *Ne tegat*] Non optamus ut sepelissetur, non ut combussissetur, utinam avibus & feris abjecissetur, neque, &c. & hoc voto dignum est. i. e. optandum quod alibi est supplicium, ut insepultum parentes & amici videant. *Farnabius.*

753. *Pater*] Ianus Gruterus horum verborum trigam *Pater insepultos spectet*, Choro adscriptam vult, ut interruperit sermonem Nuncii; conjectante coactum patrem inspectare hanc lanienam filiorum: subjiciatque statim Nuncius; Non, non; nemo conjecturis ullis assequetur scelus illud, adeo est inusitatum, supraque omnem fidem. *Idem.*

754. *Neget!*] Neget factum esse, non credat. *Idem.*

756. *Ve-*

Erepta vivis exta pectoribus tremunt,
Spirantque venæ, corque adhuc pavidum salit.
At ille fibras tractat, ac fata inspicit;
Et adhuc calentes viscerum venas notat.
Postquam hostiæ placuere, securus vacat
Jam fratris epulis. ipse divisum secat
In membra corpus; amputat trunco tenus
Humeros patentes, & lacertorum moras;
Denudat artus dirus, atque ossa amputat:
Tantum ora servat, & datas fidei manus.
Hæc verubus hærent viscera, & lentis data
Stillant caminis: illa flammatus latex,
Querente aheno, jactat: impositas dapes
Transiliit ignis, inque trepidantes focos
Bis ter regestus, & pati jussus moram,

Invi-

756. *Venæ,*] Atteriæ, in quibus spiritus. *Farnabius.*

757. *Fibras*] Iecinorum venas & radices. *Idem. Fata*] Per extispicia disquirit futura. *Idem.*

759. *Vacat*] Parandis fratri epulis vacat. *Idem.*

762. *Lacertorum*] Pulpas. *Idem.*

763. *Denudat artus dirus,*] Auctoritate codicis perveteris calamo exarati delet hunc versum Barthius 10. Adversi. 15. Nobis ille nusquam defuit. quin & scripti fere, *durus.* Displicet tamen illud repetitum *amputat.* Si *eligit* aut tale quid substitui posset, reliquum facile ferrem. Vt apud Ciceronem *fibræ stirpium persequendæ & eligendæ.* apud Columellam, *gramina exstirpare, quæ nisi manu eliguntur & in summum rejiciuntur.* Nisi tamen verbum alio sensu tepetere non duxit religioni. priori enim loco est abscindere, posteriori circumcidere. Et eodem codice mox Barthius: *hæc lentis data Stillant caminis.* Gronovius.

764. *Datas*] Quas dederant, ubi eos fratri obsides Thyestes fratri tradidit. *Farnabius.*

765. *Hæc verubus*] Hæc pulpamenta è denudatis artubus partim torret, partim coquit, nam *viscera* proprie interiora sunt pulmo, jecur, cor, ilia, præcordia, & in his *Exta* quæ extant eminentque vel quæ exsecantur, Aruspicibus inspicienda. *Idem.*

766. *Flammatus*] Aqua calida. *Id.*

767. *Querente aheno*] Videtur bellum. Optimus liber tamen: *Candente aheno.* Sequenti piget, *cripitantes foci,* non ferri modo & teneri, sed etiam defendi, postquam *trepidantes* legendum esse Zinzerlingus planissimum fecit. Delrius quoque & Comelinus hoc in suis, nos in quinque scriptis super Florentinum notavimus. Statius 12. Thebaid. *primos ut contigit artus Ignis edax, tremuere rogi.* Mox, *piceos ignis* Flor. *Gronovius. Querente*] Sibilo inter coquendum veluti condolentiam testante. *Pathos, ut & de igne qui.* Farnabius.

768. *Transiliit*] Officio tam nefario defungi abhorruit, ne & ipse, qui alia purgat, contaminaretur. *Idem.*

769. *Bis ter*] Vi subactus aheno, ne transiliret. *Idem.*

Invitus ardet. ſtridet in verubus jecur.
Nec facile dicam, corpora an flammæ magis
Gemuere. piceus ignis in fumos abit:
Et ipſe fumus triſtis, ac nebula gravis
Non rectus exit, ſeque in excelſum levans,
Ipſos penates nube deformi obſidet.
O Phœbe patiens, fugeris retro licet,
Medioque ruptum merſeris cœlo diem;
Sero occidiſti: lancinat gnatos pater,
Artuſque mandit ore funeſto ſuos.
Nitet fluente madidus unguento comam,
Graviſque vino: ſæpe præcluſæ cibum
Tenuere fauces. in malis unum hoc tuis
Bonum eſt, Thyeſta, quod mala ignoras tua.
Sed & hoc peribit. verterit currus licet,
Sibi ipſe Titan obvium ducens iter;
Tenebriſque facinus obruat tetrum novis
Nox miſſa ab ortu tempore alieno gravis;
Tamen videndum eſt. tota patefient mala.

CHO-

774. *Non rectus*] Non in altum rectus aſcendit. *quia gravis neb.* Farnab.

775. *Penates*] Deos Domeſticos, qui prope focum. Penatibus enim cura æterni ignis credita, qui vitæ ſymbolum. Sunt enim Penates per quos penitus ſpiramus & animæ rationem habemus. *al.* penes nos nati. *Idem.*

776. *O Phœbe*] O Sol, qui alia complurima videre ſcelera ſuſtines, hoc tamen in tantum horrebas ut etſi propere refugeres, ſero tamen occideris. *Idem.*

780. *Nitet fluente*] Horat. 2. car. 7. *coronatus nitentes Malobathro Syrio capillos.* Delr. Hinc Plauto *nitidiuſculum caput.* Gronovius.

782. *Præcluſæ*] Etiam naturæ præſagio non deglutivere hos cibos. *Farn.*

782. *Tenuere fauces.*] Puta in ore, nec deglutire potuerunt. Epiſt. 82. *Non in ore crevit cibus, non hæſit in faucibus.* Suſpicabar aliquando: *Renuere.* Silius lib. 14. *deſcendere fauces: Abnuerant ſiccæ juſſorum alimenta ciborum.* Gronovius.

784. *Sed &*] Sed & hoc bonum, ſcilicet quod ignoras quas voraveris dapes, tandem peribit, reſciſces enim. *Far.*

785. *Sibi ipſe*] Itineri conſueto contrarium Orientem ſcilicet repetens. *Idem.*

786. *Novis,*] Inſolitis. *Idem.*

787. *Nox miſſa*] Occidente ſole, unde ortus. *Idem. Tempore*] Meridie. *Idem.*

788. *Tota*] Innoteſcet tibi, qualibus dapibus veſcereris. *Idem.*

789. *Ter-*

CHORUS.

Videns Chorus solem retrocedere obstupescit, veritus ne dissoluta mundi machina omnia in antiquum Chaos recidant.

Quo terrarum superûmque parens,
Cujus ad ortus noctis opacæ
Decus omne fugit, quo vertis iter,
Medioque diem perdis Olympo?
Cur Phœbe tuos rapis aspectus?
Nondum seræ nuncius horæ
Nocturna vocat lumina vesper:
Nondum Hesperiæ flexura rotæ
Jubet emeritos solvere currus:
Nondum in noctem vergente die
Tertia misit buccina signum:
Stupet ad subitæ tempora cœnæ
Nondum fessis bubus arator:
Quid te ætherio pepulit cursu?
Quæ causa tuos limite certo
Dejecit equos? numquid aperto
Carcere Ditis victi tentant
Bella gigantes? numquid Tityos
Pectore fesso renovat veteres
Sau-

789. *Terrarum*] Sol calore tuo quæ in terris ipsosque homines generans. *Farnabius.*

790. *Cujus*] Quo oriente stellæ fugiunt, id est, non apparent. *Idem.*

794. *Nondum*] Vesper noctis prænuncius nondum evocavit stellas lucere solitas. *Idem.*

796. *Nondum*] Inclinatio currus ad occasum vergentis nondum jubet te solvere equos diurnum iter emensos. *Idem.*

798. *Nondum in*] Buccina non dedit signum ultimæ partis diei, id est, nondum est hora nona. Græci diem in stationes tres quaternis horis emensi, noctem in vigilias totidem diviserunt. Hebræi autem & Romani in quatuor distinctiones, quas buccinæ vel tubæ sonitus indicabat. *Idem.*

802. *Quid te*] Quod horrendum facinus vidisti ô Sol, ut refugeres? *Idem.*

804. *Aperto*] Diffracto. *Idem.*

805. *Victi*] Gigantes quondam à Diis victi: *vel, Ditis victi*, id est, quem jam Gigantes vicerunt, adeoque è vinculis evaserunt. *Idem.*

806. *Tityus Pectore fesso*] Flor. *Tityos. Fesso* explices licet fatigato & jam indignante carpi eoque per impatientiam rebellionem tentante. Nisi scripsit, *fisso*, id est, lacero, inciso. *Gron. Tityus*] Herc. Fur. vers. 755. & Hippolyt. vers. 1228. *Farnabius.*

Saucius iras? num rejecto
Latus explicuit monte Typhoëus?
Numquid ſtruitur via Phlegræos
Alta per hoſtes? & Theſſalicum
Threſſa premitur Pelion Oſſa?
Solitæ mundi periere vices:
Nihil Occaſus, nihil Ortus erit.
Stupet Eoos aſſueta deo
Tradere frenos, genitrix primæ
Roſcida lucis, perverſa ſui
Lumina regni. neſcit feſſos
Tingere currus, nec fumantes
Sudore jubas mergere ponto.
Ipſe inſueto novus hoſpitio
Sol auroram videt occiduus,
Tenebraſque jubet ſurgere, nondum
Nocte parata. non ſuccedunt
Aſtra, nec ullo micat igne polus.
Nec Luna graves digerit umbras.
Sed quidquid id eſt, utinam nox ſit!

Tre-

808. *Iras?*] Bella in Deos. *Farnabius.*

809. *Monte*] Ætna ſecundum Pindarum & Ovidium: Virgilio, quem ſecuti ceteri Latini poëtæ, Inarime ab Homeri εἰν ἀρίμοις inſula in ſinu Puteolano, quam Typhoëo uni è gigantibus ſuperjectam, quod flammas quandoque vomat, ferunt. *Idem.*

810. *Phlegræos*] A Phlegra valle Theſſaliæ, in qua gigantes cum Diis pugnavere. Herc. Fur. verſ. 443. *Idem.*

812. *Threſſa*] Oſſa quæ in Thraciam prominet. Herc. Fur. 970. *Idem.*

815. *Stupet*] Aurora ſolita inſtruere ſolis orientalis equos ſtupet ſole retrocedente. *Idem.*

819. *Tingere*] Herc. Fur. v. 26. *Idem. Nec fumantes*] Solem veteres aſtrologi cum apparere deſinebat occidere & intetire, & cum rurſus apparere incipiebat naſci credebant, in quo errore etiam Epicurum fuiſſe docet Cleomedes libr. 2. quo loco miram quandam veterum Hiſpanorum fabulam narrat. ἐμπίπλονζα τὸν ἥλιον τῷ ὠκεανῷ, ψόφον ἐμποιεῖν σβεννύμενον ὡς διάπυρον σίδηρον ἐν ὕδατι. *Delrius.*

821. *Novus*] Indis exceptus, qui ſolitus eſt occidere apud Iberos. *Farnabius.*

823, *Nondum nocte parata.*] Ecce enim Sol ſeſe condens, noctem inducebat & ſurgere jubebat ante tempus, ideoque imparatam. *Lipſius.*

826. *Graves*] Tenebras denſas vel graves, id eſt, noxias nec ſalubres. Poëtæ enim umbram poſitivum quiddam eſſe volunt. *Farnabius.*

827. *Vtinam*] Et non defectio naturæ rerumque diſſolutio. *Idem.*

829. *No*

Trepidant, trepidant pectora magno
Percussa metu, ne fatali
Cuncta ruina quassata labent.
Iterumque deos hominesque premat
Deforme chaos: iterum terras,
Et mare & ignes, & vaga picti
Sidera mundi Natura tegat.
Non æternæ facis exortu
Dux astrorum secula ducens
Dabit Æstatis Brumæque notas.
Non Phœbeis obvia flammis
Demet nocti Luna timores,
Vincetque sui fratris habenas,
Curvo brevius limite currens.
Ibit in unum congesta sinum
Turba deorum.
Hic, qui sacris pervius astris
Secat obliquo tramite zonas,
Flectens longos Signifer annos,
Lapsa videbit sidera labens.
Hic, qui nondum vere benigno
Reddit Zephyro vela tepenti,

Aries

829. *Ne fatali*] Ne confusa illa, quæ ab initio, unitas vel inanitas, omnia, cœlum & elementa misceat *Farn.*

833. *Vaga*] Cœli stellati errantes nec non fixas stellas. *Idem.*

836. *Dux*] Sol anni tempestates & secula dimensus. *Idem.*

838. *Non Phœbeis*] Nec Luna Soli opposita per totam noctem lucens tollet terrores noctis, quos inducunt tenebræ. *Idem.*

840. *Vincetque*] Nec luna cursu celeri, utpote 29 diebus, 12 horis, 44 min. consequetur solem. *Idem.*

841. *Curvo*] Per Zodiaci obliquum limitem. *Idem.*

842. *Ibit*] Confundentur sidera & elementa, quæ Stoicis Dii. *Idem.*

844. *Hic,*] Zodiacus, sub quo Sol & Luna decurrunt. *vel* in quo signa duodecim Deorum totidem præsidio. *Manil.* 2. lib. *Idem.*

845. *Obliquo*] Ab utroque tropico per Æquinoctialem transverso. unde obliqui anguli. nec non signa oblique oriuntur & occidunt. *Idem. Zonas,*] Geminas mediæ Zonæ partes, quæ ab utroque Æquinoctialis latere Tropicis terminantur. *Idem.*

846. *Flectens*] Varians anni longitudinem ad motum solis per Zodiac. *vel* annum longum 3500. solarium perficiens super suos polos. *Idem.*

848. *Hic,*] Aries sub ortu solis inducit Zephyrum, quo flante tempus navigationis aperitur. *Idem.*

Aries præceps ibit in undas,
Per quas pavidam vexerat Hellen.
Hic, qui nitido Taurus cornu
Præfert Hyadas, secum Geminos
Trahet, & curvi brachia Cancri.
Leo flammiferis æstibus ardens
Iterum è cœlo cadet Herculeus.
Cadet in terras Virgo relictas;
Justæque cadent pondera Libræ;
Secumque trahent Scorpion acrem.
Et, qui nervo tenet Æmonio
Pennata senex spicula Chiron,
Rupto perdet spicula nervo.
Pigram referens hiemem gelidus
Cadet Ægoceros, frangetque tuam,

Quis-

850. *Aries*] Aries ille aureo vellere insignis fingitur Hellen, à cujus casu Hellespontus dicitur, & Phryxum, Athamantis iram fugientes per mare vexisse, deinde inter astra collocatus. *Delrius. Præceps*] De Zodiaco cadet in mare, &c. alludit autem ad fab. Arietis aurei velleris, vide Troad. 1032. *Farnabius.*

852. *Hic,*] Hippol. v. 202. *Idem.*

853. *Hyadas,*] Suculas stellas 7. Atlantis filias à fratre Hyante (quem deplorantes in cœlum translatæ sunt) denominatæ. *Idem. Geminos*] Signum tertium sive Castora & Pollucem, seu Iasonem & Triptolemum. *Idem.*

854. *Curvi*] Chelas incurvi Cancri, à Junone inter astra positi, quod Hydræ adversus Herc. subsidiarius fuerit. *Idem.*

856. *Iterum*] Semel enim decideratex Lunari globo. vide Herc. Fur. v. 83. *Idem. Herculeus.*] Ab Herc. victus & à Junone in cœlum translatus. *Idem.*

857. *Virgo*] Erigone seu Astræa Jovis & Themidos filia jam recidet in terras quas *cæde madentes* olim reliquerat. *Idem.*

858. *Justæque*] Quæ juste pondetat, *vel* quæ noctes diebus æquat. *Idem.*

859. *Secumque*] Inest enim Libræ spatio pars Scorpii prior. *Idem. Scorpion*] Quod Orionem tentarat interimere, in astra relatum. *Idem.*

860. *Et, qui nervo*] Chiron Centaurus, non quidem, ut Suidas negatur, Ixionis; sed potius Saturni filius ex Cratini & Acusilai comicorum sententia, vulneris impatiens sagittâ Herculis in pedem ejus delapsâ, vel teste Mnesagora, longioris vitæ tædio, à Jove impetravit ut sibi mori liceret; itaque inter sidera fuit translatus, Higyno auctore. *Delrius.*

861. *Senex*] Theocritus: Κεντὴρ Ἡρακλῆι γέρων ἐστώσατο Χείρων. *Idem. Chiron*,] Centaurus, Herculis sagitta quæ forte deciderat supra pedem vulneratus, Jovis miseratione in cœlum relatus, dictusque Sagittarius. *Farnabius.*

862. *Rupto*] Cadente ipso Chirone. *Idem.*

863. *Pigram*] Primum signum Hyemale. *Idem.*

864. *Ægoceros,*] Capricornus, qui cœlum

Quisquis es, Urnam. tecum excedent
Ultima cœli sidera Pisces.
Monstraque numquam perfusa mari
Merget condens omnia Gurges.
Et qui medias dividit Ursas,
Fluminis instar, lubricus Anguis:
Magnoque minor juncta Draconi
Frigida duro Cynosura gelu:
Custosque sui tardus plaustri
Jam non stabilis ruet Arctophylax.
Nos è tanto visi populo
Digni, premeret quos everso
Cardine mundus.
In nos ætas ultima venit.
O nos dura sorte creatos,
Seu perdidimus solem miseri,
Sive expulimus! Abeant questus.
Discede timor. Vitæ est avidus,
Quisquis non vult, mundo secum
Pereunte, mori.

ACTUS

cœlum meruit, quod Pan hujus specie indutus Gigantes terruerat. ab αἴξ αἰγὸς capra & κέρας cornu. *Farnabius.*

865. *Quisquis*] Neque enim constat de Aquario, an fuerit Deucalion, Cecrops, Hylas, an Ganymedes. *Idem.*

866. *Ultima*] Vlt. Zodiaci in anni ordine signum. *Idem.*

867. *Monstraque*] Arctos. supra vers. 376. *Idem.*

868. *Gurges.*] Mare. *Idem.*

869. *Et qui*] Ruet anguis ille maximus, &c. Hesperidum quondam custos ab Hercul. interfectus. *Idem.*

871. *Minor*] Scil. Vrsa. *Idem.*

872. *Frigida*] Ad polum posita. *Id.*

873. *Tardus*] Qui polo positus gyrum minorem lentius oberrat. *Idem.*

874. *Stabilis*] Prope polum qui stabilis. *Idem. Arctophylax.*] Custos plaustri Bootes, Arcton enim quæ plaustrum dicitur insequutus agitare videtur. *Idem.*

875. *Nos è tanto*] Qui hucusque fuerit. *Idem.* Non male animentur aut interrogationis aut aliâ notulâ, quâ utuntur attoniti. *Gruterus.*

880. *Miseri*,] Non nostra culpa, *merita nec morte perimus, sed miseri ante diem.*

881. *Expulimus!*] Per scelus nostrum, culpa nostra. *Idem.*

ACTUS QUINTUS.

ATREUS.

Exultans impius Atreus nefariam de fratre vindictam sibi gratulatur, dirisque appositis dapibus de natorum sanguine præbendo deliberat.

Æqualis astris gradior, & cunctos super
Altum superbo vertice attingens polum.
Nunc decora regni teneo, nunc solium patris.
Dimitto superos: summa votorum attigi.
Bene est; abunde est; jam sat est etiam mihi.
Sed cur satis sit? pergam, & implebo patrem
Funere suorum: ne quid obstaret pudor,
Dies recessit. perge, dum cœlum vacat.
Utinam quidem tenere fugientes deos
Possem, & coactos trahere, ut ultricem dapem
Omnes viderent! quod sat est, videat pater.
Etiam die nolente discutiam tibi
Tenebras, miseriæ sub quibus latitant tuæ.
Nimis diu conviva securo jacet
Hilarique vultu. jam satis mensis datum est,
Satisque Baccho. sobrio tanta ad mala
Opus est Thyeste. turba famularis fores

Tem-

887. *Decora*] Iam denique rex, recepto ariete regni fato, sup. vers. 222. jam Deus mihi videor, postquam injurias plene ultus fuerim. *Farnabius.*

888. *Dimitto*] Dehinc non precibus fatigo, non votis solicito Deos, voti abunde compos. *Idem.*

889. *Etiam mihi*] Etiam mihi ultionis cupientissimo. *Idem.*

891. *Ne quid*] Invitant sublata cum luce verecundia tenebræ. *Idem.*

892. *Perge, dum cœlum vocat.*] Florentinus, *vacat.* Multo melius. Vacat enim cœlum, quum abierint dii, hoc est Stoicis, sidera. Idem margini adscripserat H. Grotius. *Gronovius.*

893. *Deos*] Solem & cæteras stellas quæ Stoicis Dii, *aliis* faces & lampades Diis præviæ. *Farnabius.*

895. *Pater.*] Thyestes. *Idem.*

897. *Tenebras*] Ignorantiæ tuæ, ut videas quam miser sis. supra vers. 785. *Idem.*

898. *Iacet*] Ex more conviviorum priscorum. nam in his jacebant seu recumbebant. *Delrius.*

900. *Sobrio*] Quo mala sua ἐμπαθεστερῶς sentiat vehementiusque doleat quam ebrius.

901. *Turba*] O famuli, aperite fores templi vel domus festæ. *Farnabius.*

903. *Li-*

Templi relaxa; festa patefiat domus.
Libet videre, capita natorum intuens
Quos det colores, verba quæ primus dolor
Effundat, aut ut spiritu expulso stupens
Corpus rigescat. fructus hic operis mei est.
Miserum videre nolo, sed dum fit miser.
Aperta multa tecta collucent face.
Resupinus ipse purpura atque auro incubat,
Vino gravatum fulciens læva caput.
Eructat. ô me cœlitum excelsissimum,
Regumque regem! vota transcendi mea.
Satur est, capaci ducit argento merum.
Ne parce potu, restat etiamnum cruor
Tot hostiarum. veteris hunc Bacchi color
Abscondet. hoc hæc mensa claudatur scypho.

Mistum

903. *Libet*] Nimium videre vellem. *Farnabius.*

904. *Quos det*] Pallescatne an rubescat. *Idem. Primus*] Prima doloris apprehensio, primus motus. *Idem.*

905. *Vt spiritu*] Velut expulso: sopitis sc. sensibus, ut in animæ deliquio. *Idem.*

907. *Miserum*] Miserum jam factum non tam delectat videre, quam ubi primum miser fieri incipit. *Idem.*

908. *Multa*] Multis lucernis, quas in festis accendere mos fuit. *Idem.*

909. *Resupinus*] Iam satur & bene potus reclivis in lecto purpureis auroque intertextis stragulis ornato discumbit. *Idem. Purpura atque auro incubat,*] Flor. *purpuræ.* Gronovius.

910. *Fulciens*] *Languidus in cubitum jam se convivа reponit.* Farnabius.

911. *Eructat.*] Præ saturitate & ingluvie ex vescendi aviditate. *Idem.*

912. *Vota*] Etiam ultra votum felix sum, plus quam optaram consecutus. *Idem.*

913. *Capaci*] Argenteo poculo majori vinum non dilutum ebibit. *Idem. Merum.*] Meri potationem, ἀκρατισμὸν ποσίων veteres probro vertebant, ut docet Athenæus lib. 10. eamque *Scythicam potationem* appellabant, unde jactatum in Roman. Imperatorem ridiculum illud nomen *Caldius Biberius Mero.* Semper enim modestis & temperantibus in more fuit, vinum aquâ diluere, & temulentum Bacchum sobriis Nymphis temperare: quod à quo, & quando cœperit, quot etiam modis & quantâ aquâ vinum veteres temperare sint soliti, petendum ex Hier. Mercuriali lib. 1. Var. lection. cap. 18. & N. lib. 3. Conviv. antiquit. cap. 11. *Delrius.*

915. *Tot hostiarum.*] Trium natorum tuorum. *Farnabius. Hunc*] Sanguis rubro vino mistus non se prodet. *Idem.*

916. *Abscondet.*] Pro *abscondit*, suppositi *abscondet*, ut viso fratre plus satis delectato poculis, novum capiat consilium, consummarique velit prandium poculo sanguinis. *Gruterus. Hoc hæc mensa claudatur scypho.*] Animam novam affudisse huic loco lætatur Gruterus scribendo, *hoc hoc mensa.* Nec sane aliter Florentinus. Alterum tamen

Mistum suorum sanguinem genitor bibat;
Meum bibisset. ecce jam cantus ciet,
Festasque voces, nec satis menti imperat.

men auctoris videtur. Consentiat cibo potio: *hoc scypho claudatur hæc mensa*, nempe liberorum artubus patri structa. Quintilianus lib. 8. Instit. 5. *Huic simile in illo, cui pater sua membra laceranti venenum dedit: Qui hæc edit, debet hoc bibere.* Gronovius. *Claudatur*] Cœnam clauserunt veteres poculo quod *boni Genii vel dæmonis* appellabant. *Farnabius.*

918. *Meum bibisset.*] Si potuisset. *Id.* *Cantus*] Παρῳδικῶς, cantillat potus. *Id.*

THYESTES.

Thyestis epulantis cantus: quo invitat se ad lætitiam, quam tamen mens ejus præsaga mali non admittit.

Pectora longis hebetata malis,
Jam sollicitas ponite curas.
Fugiat mœror, fugiatque pavor.
Fugiat trepidi comes exilii
Tristis egestas, rebusque gravis
Pudor afflictis. magis unde cadas,
Quam quo, refert. magnum, ex alto
Culmine lapsum, stabilem in plano
Figere gressum: magnum, ingenti
Strage malorum pressum, fracti
Pondera regni non inflexa
Cervice pati; nec degenerem
Victumque malis, rectum impositas

Ferre

922. *Mœror*] Ex præterito aut præsenti malo. *Farnabius. Pavor,*] E futuro. *Idem.*

925. *Magis unde cadas, Quam quo, refert.*] Manus illustris appinxerat: Forte, *minus*: me non probante. Considerat triplex suum tempus, amissionem regni, exilium, præsentem statum. Amisisse regnum erat grave: postea quocumque recidas, nihil est tam grave quam summum non tenuisse. Itaque postquam illud ferre potuerit, quæcumque deinde eveniant, non justam dare causam novi doloris significat. Pertinet huc dictum Cæsaris: *difficilius se principem civitatis a primo ordine in secundum, quam ex secundo in novissimum detrudi.* Gronovius. Quia felicem fuisse, miserum. *Farnabius.*

926. *Magnum,*] Magni animi & fortis est, ubi quis è sublimi rerum statu decideris, patienter adversa tolerare. *Idem.*

930. *Non inflexa*] Non succumbente cervice, erecto animo. *Idem.*

932. *Rectum impositas*] Et hic prodit se Seneca. Vide notas nostras ad epistolam 104. *Gronovius.*

937. *Thye-*

Ferre ruinas. ſed jam ſævi
Nubila fati pelle, ac miſeri
Temporis omnes dimitte notas:
Redeant vultus ad læta boni.
Veterem ex animo mitte Thyeſten.
Proprium hoc miſeros ſequitur vitium,
Numquam rebus credere lætis.
Redeat felix Fortuna licet,
Tamen afflictos gaudere piget.
Quid me revocas, feſtumque vetas
Celebrare diem? quid flere jubes
Nulla ſurgens dolor ex cauſa?
Quis me prohibet flore recenti
Vincire comam? prohibet, prohibet.
Vernæ capiti fluxere roſæ;
Pingui madidus crinis amomo
Inter ſubitos ſtetit horrores;
Imber vultu nolente cadit.
Venit in medias voces gemitus;
Mœror lachrimas amat aſſuetas,
Flendi miſeris dira cupido eſt.
Libet infauſtos mittere queſtus.

Libet

937. *Thyeſten*] Thyeſten, id eſt, meam triſtitiam & mœrorem, quæ me quondam exulem comitabantur. *Farn.*

939. *Nunquam*] Quia fortunæ varietatem edocti timent ne *honorum apicem rapax fortuna tollat, & ſuperbos vertat funeribus triumphos.* Idem.

945. *Flore*] Florum faſciculis, ſertis coroniſque capita revincti in conviviis potare ſoliti erant: primum quidem hederaceis, vid. Oed. verſ. 414. & ex apio; mox mytteis, quippe quæ adſtringunt & vinis exhalationes arcent; tum è roſis quæ & gravitatem capitis ſedant & potione æſtuantes refrigerant. Corona inſuper plenitudinis & libertatis ſymbolum feſtis conviviiſque competit, & capiti quod rationalis animæ ſedes. Neque me fugit lacertis etiam ſerta, cervicique τὰς πλεκτὰς ὑποθυμίδας circumdediſſe ſolitos. *Idem.*

946. *Prohibet,*] Neſcio quis dolor, aliquis certe prohibet. *Idem.*

947. *Fluxere*] Marceſcunt in capite. vel, deciderunt è capite. *Idem.*

948. *Madidus*] Vnguentis delibuti veteres convivabantur cum valetudinis tum voluptatis cauſa amomo comas inungentes. *Idem.*

949. *Stetit*] Inhorruit. *Idem.*

950. *Imber*] Lacrymæ etiam nolenti excidunt, *humor & in genas furtim labitur.* Idem.

955. *Satu-*

Libet & Tyrio saturas ostro
Rumpere vestes. ululare libet.
Mittit luctus signa futuri
Mens, ante sui præsaga mali.
Instat nautis fera tempestas,
Cum sine vento tranquilla tument.
Quos tibi luctus, quosve tumultus
Fingis demens? credula præsta
Pectora fratri. jam quidquid id est,
Vel sine causa, vel sero times.
Nolo infelix; sed vagus intra
Terror oberrat; subitos fundunt
Oculi fletus, nec causa subest.
Dolor, an metus est? an habet lachrimas
Magna voluptas?

955. *Saturas*] Bis vel plene tinctas purpura Tyria. supr. vers. 344. *Farnabius.*

961. *Quos tibi vultus, quosve tumultus*] Lege cum optimo: *Quos tibi luctus.* Gronovius. Reprehendit suum dolorem & metum tanquam inanem. *Farnabius.*

964. *Sine causa,*] Si nihil in te molitur Atreus. *Delrius.* *Sero*] Si quid molitur. nunc enim in manu ipsius constitutus nequis evadere. debebas itaque vel prius timuisse, vel nunc timere non debes. *Idem.*

965. *Nolo*] Nollem quidem timere sed, &c. *Farnabius.*

968. *An habet*] Habet sane, quæ præintenso gaudio effluant, frigidas: quæ præ mœrore, calidas. Tolet. 2. de Anima, 4, 30. *Idem.*

ATREUS. THYESTES.

Atreus festivitatem simulans fratrem ad poculum invitat. Cupienti illi videre liberos quo plenius gauderet, ostendit capita & palmas, & quid actum sit aperit, hinc dolor, ira, convicia, execrationes ortæ.

Atr. Festum diem, germane, consensu pari
Celebremus: hic est sceptra qui firmet mea,
Solidamque pacis alliget certæ fidem.
Thyest. Satias dapis me, nec minus Bacchi tenet,
Augere cumulus hic voluptatem potest,
Si cum meis gaudere felici datur.

Atr.

972. *Solidamque*] *Ambigue.* Thyest. de conciliatione, Atreus de cæsis nepotibus sentit. *Farnabius.*

975. *Meis*] Liberis. *Idem.*

977. *Hei*

Atr. Heic esse natos crede in amplexu patris.
Heic sunt, eruntque; nulla pars prolis tuæ
Tibi subtrahetur: ora, quæ exoptas dabo,
Totumque turba jam sua implebo patrem.
Satiaberis, ne metue: nunc misti meis,
Jucunda mensæ sacra juvenilis colunt.
Sed accientur. poculum infuso cape
Gentile Baccho. *Thyest.* Capio fraternæ dapis
Donum. paternis vina libentur deis,
Tunc hauriantur. Sed quid hoc? non vult manus
Parêre: crescit pondus, & dextram gravat.
Admotus ipsis Bacchus à labris fugit,
Circaque rictus ore decepto effluit.
En, ipsa trepido mensa subsiluit solo.
Vix lucet ignis. ipse quin æther gravis
Inter diem noctemque desertus stupet.
Quid hoc? magis magisque concussi labant
Convexa cœli: spissior densis coit
Caligo tenebris, noxque se in noctem abdidit.

Fugit

977. *Heic sunt,*] *Et hæc ambigue.* Farnabius.

979. *Totumque*] Ventrem & oculos, corpus & mentem. *Idem.*

980. *Nunc*] *Mentitur eos esse in convivio cum patruelibus.* Idem.

981. *Sacra juvenilis colant.*] Optimus, *colunt.* Quod videtur melius quadrare proximo membro. *Gronovius.*

983. *Gentile*] Gentis nostræ proprium, quod nos admoneat consanguinitatis & amoris. poculum φιλοτήσιον. *Farnabius.*

984. *Paterni*] Laribus & familiæ Diis prima in festis conviviis libamina fiebant, effuso in terram vini pauxillo, ut & dapum parte in focum injecta. *Idem.*

985. *Non vult manus*] Flor. *Nolunt manus Parere.* Gronovius. Præsagio mentis abominatus hausturn, sentit poculum gravius fieri & vinum quasi refugere.

990. *Ignis.*] Cœnationi adhibitus, obsoniis subjectus. *Farnabius.*

991. *Desertus*] A Sole, Luna, sideribus. *Idem.*

993. *Spissior*] Condensantur solis tenebræ spissiores. *Idem.*

994. *Noxque se in noctem abdidit.*] Sic egregie Palatinos consensu uno reddere ait Gruterus, quum antea esset, *in nocte.* Ego vero nec hoc, nec illud intelligo, censeo interim auctorem scripsisse: *noxque se in noctem addidit.* Sententia, quæ Ovidii lib. XI. *Omne latet cælum, duplicataque noctis imago est.* Dictio, qualis ejusdem lib. VIII. *Vicisceor facioque nefas. mors morte pianda est. In scelus addendum scelus est, in funera funus.* Lib. X. *quo se fortissimus heros Addat in hunc florem.* Sic Livio *album in vestimentum addere.* Sallustius

Fugit omne sidus. quidquid est, fratri, precor,
Gnatisque parcat; omnis in vile hoc caput
Abeat procella. redde jam gnatos mihi.
Atr. Reddam, & tibi illos nullus eripiet dies.
Thyest. Quis hic tumultus viscera exagitat mea?
Quid tremuit intus? sentio impatiens onus,
Meumque gemitu non meo pectus gemit.
Adeste nati, genitor infelix vocat:
Adeste; visis fugiet hic vobis dolor.
Unde obloquuntur? *Atr.* Expedi amplexus pater.
Venêre. gnatos ecquid agnoscis tuos?
Thyest. Agnosco fratrem. sustines tantum nefas
Gestare tellus? non ad infernam Styga
Te nosque mergis? rupta & ingenti via
Ad chaos inane regna cum rege abripis?
Non tota ab imo tecta convellens solo
Vertis Mycenas? stare circa Tantalum,
Avosque nostros, si quis intra Tartara est,

Uter-

stius in orat. Cæsaris: *Sed per deos immortales, quamobrem in sententiam non addidisti.* L. 9. ad l. Corneliam de falsis: *Lege Cornelia cavetur & qui in aurum vitii quid addiderit, quique argenteos nummos adulterinos flaverit, falsi crimine teneri Nox addidit se in noctem* est conduplicavit tenebras. *Gronovius.* Naturali & usitata tenebricosiorem. *Farnabius.*

996. *Gnatisque*] Meis, aut utriusque. *Idem. Hoc caput*] Meum. *Idem.*

998 *Tibi illos*] Vt qui jam in alimentum abierunt. *abitque petitum capita.* Idem.

1004. *Vnde*] Male præfagus videtur sibi audire filios vocatos è visceribus dare responsum. *Idem. Expedi*] *Redit Atreus & allata capita Thyesti ostendit.* Idem.

1006. *Fratrem.*] Te crudelem, impium, perfidum mihi ut semper fratrem. *Idem.*

1007. *Styga*] Herc. Fur. vers. 711. *Idem.*

1008. *Rupta*] Annon hiatu facto absorbes Mycenas cum Atreo? *Idem.*

1009. *Chaos inane*] Ovid. l. 4. Fast. *Possidet alter aquas, alter inane chaos.* uterque de inferis loquitur, apud quos maximum inane, de quo supra in Herc. Fur. dictum est satis. vide Med. 9. *Delrius.*

1011. *Stare*] Amandari in eadem cum Tantalo pœnas, majoris sceleris rei. vers. 750. Herc. Fur. *Farnabius.*

1012. *Si quis intra Tartara est,*] Non deest his verbis sensus commodus De sceleratissimis, quasi quibus nec unquam contingeret beata quies defunctorum, nec inferi satis suppliciorum haberent, dubitabant, orco recepti essent. Valerius Maximus lib. 11. *Etiam apud inferos, si tamen illuc receptus est, quæ meretur, supplicia pendet.* Quo respexit etiam Plautus Pseudolo:

Uterque jam debuimus. hinc compagibus
Et hinc revulsis huc tuam immani sinu
Demitte vallem; nosque defossos tege
Acheronte toto: noxiæ supra caput
Animæ vagentur nostrum, & ardenti freto
Phlegethon arenas igneus tortas agens,
Exitia supra nostra violentus fluat.

dolo: *Orcus recipere ad hunc se noluit.* Catonisque inimicus apud Plutarchum: Ἅδδε ξενόν σε Πόρκιον εἰς Ἅιδεω Περσεφόνη δέξαι τάχα. Et declamator ille apud M. Senecam contr. 3. *à superis dejecta, ab inferis non recepta.* Tum Hannibal apud Silium lib. 16. *tum manes inimica fide repellat Æternum, sociique abigat me frater averno.* Sed aliud suadet Etruscus codex: cujus partem una cum vulgatis exhibet Pal. unus: nam quum superiora teneret, ut edunter, continuat: *Et hinc revulsis, si quid infra Tartara est Avosque nostros, huc tuam:* adeoque cepit Gruterum, ut ille omnino vulgatis ob similitudinem priorum excidisse hæc existimet, & non levem pro hac admonitione gratiam poscat. Sed tollit quod superfluum habet ille, liber Etruscus: *stare circa Tantalum Vterque jam debuimus. hinc compagibus Et hinc revulsis si quid infra Tartara est Avosque nostros, hoc tua immani sinu Demitte valles.* Quæ omnia satis bene habent, modo scribas postrema: *huc tuam immani sinu Emitte vallem.* Dicit primum meruisse se & fratrem cum avo inter parata æternum esurire ac sitire. Dein non contentus hac pœna, infra ipsos inferos vult eosdem amandari. Hic est locus ille imaginatius, quem in Hercule Furente, *ultra nocentum exsilia, & exsilium ulterius Erebo*; in Phœnissis, *si quid ultra Tartarum est*, vocat: quo *infra terram deduci* (nam terræ pars inferi) dicit de Clementia 1, 6. ut hinc quoque Senecam agnoscas. Statius l. 8. Thebaid. *& si quos procul inferiore barathro Altera nox, aliisque gravat plaga cæca tenebris.* Habent à patre poëtarum. Ιλ. Θ. Ἡ μὲν ἔλων ῥίψω ἐς τάρταρον ἠερόεντα Τῆλε μάλ' ᾗχι βάθιστον ὑπὸ χθονός ἐστι βέρεθρον, Ἔνθα σιδήρειαί τε πύλαι καὶ χάλκεος οὐδός, Τόσσον ἔνερθ' ἀΐδεω, ὅσσον ἀπὸ γαίης. *Tartara* ait *Avosque nostros*, quia hos, quæ inferos faciebat fabula, etiam ponebat in inferis. Tantalum enim ipsum intelligit per enallagen numeri. *Vallem immani sinu* appellat inane vel immensum vacuum sub Tartareo inani. Ea non potest dici istuc *demitti*, quia jam demississima est, sed *emitti*, hoc est, aperiri hiatu terræ, ut in eam absorbeantur fratres. Quod hic *emittere*, id *trahere ex imo sinus* est in Troadibus vers. 169. ubi vide, quæ notamus. *Gronovius. Tartara*] Imam partem terræ, *vel* infra Tartara vid. Herc. Fur. vers. 708. & supra vers. 830. *Farnabius.*

1016. *Acheronte*] Ex ἀχ- & ῥεῖν, quod luctuosis fluat undis. vel ab α, & χαίρειν, quasi illætabilis unda. Vide Agam. 13. *Idem.*

1018. *Phlegethon*] *Qui rapidis flammis ambit torrentibus amnis Tartareus Phlegethon.* à φλέγω. Supr. vers. 73. *Idem. Arenas igneus tortas*] Potest tolerari, ut vortices fluvii significet. Haudquaquam tamen sprevetim Raphelingii *rostan.* Vtrumvis videtur probare Silius, cui lib. 13. Phlegethon *saxosa incendia torquet*: & iterum, *atque ustas sub gurgite cautes Egerit, & scopulis pulsat flagrantibus ora.* Gron.

1019. *Exitia supra nostra*] Puto, *Exsilia*, ut in Hercule Furente. Pœnalem locum. *Idem.*

Immota tellus pondus ignavum jaces?
Fugere Superi. *Atr.* At accipe hos potius libens
Diu expetitos, nulla per fratrem est mora,
Fruere: osculare: divide amplexus tribus.
Thyest. Hoc fœdus? hæc est gratia? hæc fratris fides?
Sic odia ponis? non peto, incolumes pater
Gnatos ut habeam: scelere quod salvo dari
Odioque possit, frater hoc fratrem rogo;
Sepelire liceat. redde, quod cernas statim
Uri. nihil te genitor habiturus rogo,
Sed perditurus. *Atr.* Quidquid è gnatis tuis
Superest, habebis: quodque non superest, habes.
Thyest. Utrumne sævis pabulum alitibus jacent?
An belluis servantur? an pascunt feras?
Atr. Epulatus ipse es impia gnatos dape.

Thyest.

1020. *Immota tellus*] Non recedis ut Sol & sidera, nec tantum scelus detestaris & ulcisceris? *Farnabius.*

1021. *Recipe hosce citius;*] Iam olim notavit Comelinus, ante hunc versum in nonnullis antiquis libris apparere hemistichion: *Fugere Superi:* in aliis vero exstare: *Fugere superi.* A. *At accipe hoc potius libens:* sed posterius sibi non placere. Gruterus quoque prius recipit, exclusis aliis, ut ait, quod non videantur genuina, attexta ab iis, qui consultum ibant versui. Immo & velit recidere, *Recipe hosce citius*, tanquam nihil sapientia Senecæ, & refingere: *Fugere Superi.* A. *liberis tandem tuis Diu expetitis.* Sed enim cum membranæ unicæ repræsentent: *Fugere Superi.* A. *accipe hos potius libens Diu expetitos: nulla per fratrem est mora:* non dubito, quin hæc ipsa sit auctoris manus, adjuvanda solummodo particula *At* inserta, quam tum personæ vocabulum, tum sequens verbum facile absorpsit. Cum diras sibi & fratri diceret Thyestes, Atreus gavisus ejus dolore, placidi instar & nihil commoti, omitte, inquit, male ominari, & potius illos caros desideratosque tradente fratre libens accipe. Neque τὸ *Fruere*, necessario requirit *Diu expetitis.* Lib. 3. de ira cap. 23. *hoc dumtaxat Pollioni Asinio dixit:* Ἡρωτροφεῖς. *Paranti deinde excusationem obstitit, &, fruere, inquit, mi Pollio, fruere.* Gronovius.

1024. *Hoc fœdus?*] Itane simulasti te odia deposuisse rediisseque in gratiam. *Farnabius.*

1025. *Incolumes*] Quod fieri non posse novi, cum videam ipsorum capita. *Idem.*

1026. *Salvo*] Non sublata vindicta & odio tuo. *Idem.*

1028. *Sepelire*] Redde truncos ad sepulturam. *Idem.*

1029. *Nihil*] Nihil quo fruar, sed quod igne absumam peto. *Idem.*

1030. *Quidquid*] Quod absumptum est habebis: quod assumptum est habes scilicet in ventre. *Hoc autem quid sit nondum intelligit Thyest.* Idem.

1031. *Superest, habebis: quodque*] Flor. *Superest, habes: quodcumque non superest, habes.* Gronovius.

1035. *Deos*]

Thyest. Hoc est deos quod puduit! hoc egit diem
Aversum in ortus! quas miser voces dabo,
Questusque quos? quæ verba sufficient mihi?
Abscissa cerno capita, & avulsas manus,
Et rupta fractis cruribus vestigia.
Hoc est, quod avidus capere non potuit pater.
Volvuntur intus viscera, & clausum nefas
Sine exitu luctatur, & quærit viam.
Da, frater, ensem. sanguinis multum mei
Habet ille. ferro liberis demus fugam.
Negatur ensis? pectora illiso sonent
Contusa planctu. sustine, infelix, manum;
Parcamus umbris. tale quis vidit nefas?
Quis inhospitalis Caucasi rupem asperam
Heniochus habitans? quisve Cecropiis metus
Terris Procrustes? genitor en gnatos premo,
Premorque gnatis. sceleris est aliquis modus?
Atr. Sceleri modus debetur, ubi facias scelus,

Non

1035. *Deos*] Solem & sidera. *Agnoscit jam miser deliquii solarii causam.* Farnabius.

1039. *Vestigia.*] Pedes. *Idem.*

1040. *Hoc est,*] Sup. v. 979. *Idem. Capere non potuit pater.*] Forte, *potuit.* Ipse enim loquitur. *Gronovius.*

1041. *Viscera,*] Carnes natorum. supra 763. *Farnabius. Nefas*] Nefandus cibus. *Idem.*

1042. *Luctatur, & quærit viam.*] Flor. *quærit fugam.* Optime. Nat. quæst. 2, 40. *subtile & flammeum, cui per angustissimum fuga est.* Lib. 6, 12. *ut terræ spiritu luctantes & fugam quærente, moveantur.* Cap. 30. *cum fortasse illo se spiritus, quærens fugam, incluserit.* Adde supra vers. 627. & ad Here. Fur. vers. 285. *Gronovius.*

1043. *Sanguinis*] Meorum liberorum sanguinem hausit. *Farnabius.*

1044. *Liberis demus viam.*] Flor. *detur via.* Gronovius. *Viam.*] Qua exeant. *Farnabius.*

1046. *Concussa planctu.*] Flor. *Contusa.* Troadibus: *Pulsu vasto tundite pectus.* Gronovius. Pugnis & planctu dilaniata dabunt viam. *Farnabius. Sustine,*] Sed planctu & verberibus abstine, ne & natorum ventri tuo ingestorum sepulchro atque animabus vim facias. *Idem.*

1049. *Heniochus*] Popul. ferus juxta Colchos in monte Caucaso ab Amphitro & Telchio Castoris & Pollucis ἡνιόχοις, id est, auriga ortus. *Idem. Cecropiis*] Atticæ regionis (à Cecrope primo rege dictæ) terror Procrustes latro, qui hospites ad lecti sui mensuram vel longiores decurtabat vel breviores extendebat. *Idem.*

1051. *Premorque*] Ventrem quippe meum torquent. *Idem.*

1052. *Sceleri*] Minori enim sceleri major pœna debetur. *Idem.*

Non ubi reponas. hoc quoque exiguum est mihi.
Ex vulnere ipso sanguinem calidum in tua
Diffundere ora debui; ut viventium
Biberes cruorem. verba sunt iræ data;
Dum propero, ferro vulnera impresso dedi.
Cecîdi ad aras, cæde votiva focos
Placavi: & artus, corpore exanimo amputans,
In parva carpsi frusta: & hæc ferventibus
Demersi ahenis. illa lentis ignibus
Stillare jussi. membra, nervosque abscidi
Viventibus: gracilique trajectas veru
Mugire fibras vidi, & aggessi manu
Mea ipse flammas. omnia hæc melius pater
Fecisse potuit. cecidit incassum dolor.
Scidit ore natos impio, sed nesciens,
Sed nescientes. *Thyest.* Cluса littoribus vagis
Audite maria. vos quoque audite hoc scelus,

Quo-

1054. *Sanguinem*] Natorum tuorum. *Farnabius.*

1055. *Diffundere ora debui;*] Est qui annotat nihil hoc elidendum: at nisi id fiat, non stabit versus. *Gruter.*

1056. *Verba sunt iræ data;*] Et hoc Lucio amatum. Epist. 32. *Verba dare non potes: tecum sum.* Epist. 49. *prospiciendа tantum & à limine saluтanda, in hoc unum, ne verba mihi dentur.* Epist. 88. *an Penelopa impudica fuerit, an verba seculo suo dederit.* Gronovius. Dum vindictam nimis festinarem fraus facta est, id est, *non ad plenum satisfeci iræ meæ.* Farnabius.

1058. *Focos*] Deos Lares qui ad focos stant, vel quibus in focis sacra fiunt. *Idem.*

1059. *Artus, corpore exanimo amputans,*] Sic quidem notavit in nonnullis haberi Comelinus: at optimus & multis partibus plures cum priscis editionibus: *corpora exanima amputans.* Videtur enim non tantum recidere, sed & circumcidere esse *amputare:* ut possit *amputari* dici & quod detrahitur, & cui detrahitur aliquid sectione. *Gronovius.* Hæc supra v. 763. *Farnabius.*

1065. *Omnia*] Major fuisset vindicta, si te patrem hæc facere coëgissem. *Idem.*

1066. *Cecidit*] Non est adeptus expetitam ultionem. *Idem.*

1067. *Sed nesciens,*] Cum potuissem te sciente hoc fecisse. *Idem.*

1068. *Nescientes.*] Cum potuissem ex ipso morientium vulnere sanguinem calidum tibi in os infundere. sup. vers. 1051. *Idem.*

1069. *Vos dei audite hoc scelus, Quocumque dissugistis.*] In plerisque libris, *Vosque audite:* in Flor. *Vos quoque audite*, sine mentione deorum, quæ tamen necessaria est, eoque in sequenti versu restituenda: *Vos quoque audite hoc scelus, Quocumque dii fugistis.* Gronovius.

1070. *Dis-*

Quocumque dii fugistis. audite Inferi.
Audite Terræ. Noxque Tartarea gravis
Et atra nube, vocibus nostris vaca.
Tibi sum relictus. sola tu miserum vides,
Tu quoque sine astris. vota non faciam improba,
Pro me nihil precabor. ecquid jam potest
Pro me esse? vobis vota prospicient mea.
Tu summe cœli rector, ætheriæ potens
Dominator aulæ, nubibus totum horridis
Convolve mundum, bella ventorum undique
Committe; & omni parte violentum intona:
Manuque, non qua tecta & immeritas domos
Telo petis minore; sed qua montium
Tergemina moles cecidit, & qui montibus
Stabant pares gigantes; hæc arma expedi,
Igneſque torque. vindica amissum diem.
Jaculare flammas; lumen ereptum polo
Fulminibus exple. causa, ne dubites diu,
Utriusque mala sit: si minus; mala sit mea.
Me pete. trisulco flammeam telo facem
Per pectus hoc transmitte. si gnatos pater
Humare, & igni tradere extremo volo,

Ego

1070. *Diffugistis.*] Sup. vers. 890. ne videretis scelus tantum. *Farnabius.*

1073. *Tibi*] O Nox. *Idem.*

1077. *Rector,*] In rem vestram. ne rerum ordo immutetur, vobis præ horrore fugientibus. *Idem.*

1081. *Qua tecta & immeritas domos Telo petis*] Videtur scripsisse: *non quæ tecta & immeritas domos Telo petit minore:* etsi solent antiqui duos istiusmodi diversos ablativos adhibere: ut in illo, *quo, numine læso.* Mox Gruterus & Scaliger: *hac arma expedi.* Mihi alterum, quod servant omnes codices, satis placet. *Gronovius.*

1082. *Sed qua*] Sed illa fulminea manu qua perfregisti tres montes Pelion, Ossam, & Olympum, quos Gigantes Diis bellum indicentes congestos alios aliis superstruxerant. v. 970. Herc. Fur. & Herc. Oet. 847. *Farnabius.*

1083. *Qui montibus*] *Cœlo capita alta ferentes Abietibus juvenes patriis & montibus æquos. Æneid.* 3. & 9. Idem.

1084. *Hac*] Scil. dextra.

1085. *Vindica*] Compensa. *Idem.*

1089. *Trisulco*] Fulmine quod scindit, comburit, afflat. subtili, urenti, fuliginoso. vid. Herc. Oet. vers. 1993. *Idem.*

1090. *Hoc transmitte.*] In quo filii conduntur. *Idem.*

Ego sum cremandus. si nihil superos movet,
Nullumque telis impios numen petit;
Æterna nox permaneat, & tenebris tegat
Immensa longis scelera. nil Titan queror,
Si perseveras. *Atr.* Nunc meas laudo manus,
Nunc parta vera est palma. perdideram scelus,
Nisi sic doleres. liberos nasci mihi
Nunc credo; castis nunc fidem reddi toris.
Thyest. Quid liberi meruere? *Atr.* Quod fuerant tui.
Thyest. Gnatos parenti? *Atr.* Fateor; & quod me juvat,
Certos. *Thyest.* Piorum præsides testor deos.
Atr. Quid conjugales? *Thyest.* Scelere quis pensat scelus?
Atr. Scio quid queraris. scelere prærepto doles:
Nec, quod nefandas hauseris, tangit, dapes:
Quod non pararis, fuerat hic animus tibi
Instruere similes inscio fratri cibos,
Et adjuvante liberos matre aggredi,
Similique leto sternere. hoc unum obstitit,
Tuos putasti. *Thyest.* Vindices aderunt dei:
His puniendum vota te tradunt mea.
Atr. Te puniendum liberis trado tuis.

1092. *Si nihil*] Deus *nec bene pro meritis capitur nec tangitur ira.* ex Epicur. & Protagoræ mente. *Farnabius.*

1096. *Perseveras.*] Fugere & latere. *Idem.*

1097. *Scelus*] Delectationem meam ex hoc scelere. *Idem.*

1098. *Mihi*] Insultatio confidentiæ plena. *Idem.*

1101. *Gnatos*] *Sup.* edendos apposuisti? *Idem.*

1102. *Certos*] Quos tu non dubitasti tuos esse, sicut ego de meis propter te dubito an mei sint. *Idem. Præsides*] Iovem ἱκετήσιον & Deos præsides vindicesque piorum natorum. *Idem.*

1103. *Quid conjugales?*] Lege omnino cum Nic. Heinsio: *Quin conjugales?* Gronovius. Cur non potius testaris conjugales quos adulterio violasti? *Ironia*; de conjugalibus Diis vid. Medeam vers. 1. *Farnabius.*

1105. *Nec quod*] Nec tam doles quod has dapes absumpseris, quam quod mihi non apposueris. *Idem. Hauseris, tangit, dapes:*] Flor. *Non quod nefandas hauseris, angit, dapes.* Gronov.

1108. *Liberos*] Meos. *Farnabius. Matre*] Aërope uxore mea quam corrupisti. *Idem.*

1109. *Hoc unum*] Et fecisses, nisi putasses illos esse tuos filios. *Idem.*

1112. *Liberis*] Qui nulli jam, *vel* qui à te comesi. vers. 1047.

L. ANNÆI SENECÆ
*PHOENISSÆ,
QUÆ VULGO
†THEBAIS.

DRAMATIS PERSONÆ.

OEDIPUS. ANTIGONE. NUNCIUS.
IOCASTA. POLYNICES.

ARGUMENTUM.

Oedipus, sibi oculis ubi scelus suum (de quo vide argumentum Oedipi) agnovisse erutis, in exilium spontaneum profectus amolitur à se filiam Antigonen, quæ patri vitales auras pertæso ducem se viæ offert, utque mortis cupidinem deponat, multis

*Phœnissæ,] Mira libelli hujus fortuna fuit, & vices sane quam notabiles. Nam ut subito deliciis & gratia summi viri frequentibus punctis in cœlum abiit, ita post paullo non levioribus sententiis pœne ad inferos dejectus est. Iam longinqua vetustas ævi barbariesque superiorum temporum quum hoc omne tragœdiarum corpus miserum habuerit, hanc præcæteris unam prorsus exempla fecit, ut cum Comico loquar: detracti & expuncti chori, quasi fuissent nulli: super hos magna pars intercepta: ne nomen quidem relictum: quod restat, passim fœdis vulneribus ita deformatum, ut etiam, quod aliquando integrum fuit, infame ac minus desideratum reddiderit. Nescio quis poëmatis laceri, instar Deiphobi, nullo titulo, misertus, quum Oedipum & par Thebanum in eo agnosceret, de P. Papinii Statii opere, *Thebaidem* proscripsit. Quem errorem verus auctor, qui tamen hactenus nihil peccarat, magna mercede expiavit. Ipse dixerat *Phœnissas*, Euripidem imitatus. nam hanc solam inscriptionem horum fragmentorum novit aureus ille codex Florentinus, eamque & in fronte voluminis, ubi omnes promittuntur tragœdiæ, & in fronte ac fine hujus ipsius, denique in summis omnibus paginis, quibus continetur, præfert. Vt autem à Troadum choro *Troades*, à Trachiniarum choro Sophoclis *Trachiniæ*, sic à choro Phœnissarum appellavisse nostrum *Phœnissas*, hoc quoque Euripidis imitatione, valde credibile ac mihi penitus persuasum est. *Gronovius.*

† *Thebais.*] Hæc fabula Senecæ, omnium, quæ à magno illo viro & (ausim dicere) Philosopho scriptæ ad nos pervenerunt, longè excellentissima, & cum Oedipo ejusdem quasi gemina: imo cultu & nitore, si principem criticum audimus, Græcas fabulas superat. *Q. Septimius Florens.* Thebaidem tragœdiam olim Latine Attius scripsit. Heroïcis versibus Græcè Thebaides scripserunt Antimachus & Menelaus Ægeus; quorum imitatorem fuisse Statium Papinium suspicor: sane Antimacho non est dissimilis, utriusque enim tumor reprehenditur. Ponticus etiam, testibus Ovidio ac Propertio, hoc argumentum tractavit. hac tragœdia nostet multa ex Euripidis Phœnissis accepit. *Delrius.* Hæc fabula est perpetuum canticum, nullis diverbiis interruptum. Est autem totum scholasticum drama, declamatorio charactere. Multa putida sunt & affectata. *Scal.*

multis precibus orat, tandem exorat. Cujus interea filios Eteoclem & Polynicem, violato regnandi per vices fœdere, impia moventes arma, incassum labentat mater Iocasta in gratiam reducere. Desunt mutilæ huic tragœdiæ cætera.

ACTUS PRIMUS.

OEDIPUS. ANTIGONE.

Oedipum ab instituta morte revocat persuadetque filia Antigone dux patris cæci.

Oedip. Cœci parentis regimen, ac fessi unicum
Patris levamen, gnata, quam tanti est mihi
Genuisse vel sic; desere infaustum patrem.
In recta quid deflectis errantem gradum?
Permitte labi. melius inveniam viam
Quam quæro solus, quæ me ab hac vita extrahat,
Et hoc nefandi capitis aspectu levet
Cœlum atque terras. quantulum hac egi manu?
Non video noxæ conscium nostræ diem:
Sed videor. hinc jam solve inhærentem manum,
Et patere cœcum, qua volet, ferri pedem.
Ibo, ibo, qua prærupta protendit juga
Meus Cithæron: qua peragrato celer
Per saxa monte jacuit Actæon, suis,

Nova

Vers. 1. *Ac fessi unicum Patris levamen,*] Quam pulcre *cæcus parens* & *fessus pater*, quasi diversi essent, in tanta vicinia appellantur? Merito fassus est Florens Christianus hanc repetitionem sibi non placere. Aliis elegans videtur, & impingere in limine, quibus hæc culpata. Fruantur judicio suo. Sed scripsit auctor: *& fessi unicum Lateris levamen.* Sic apud Sophoclem idem Oedipus ἐπὶ Κολωνῷ ad filiam: Ἐφεστὼς δ' ὦ παῖ, πλάτευε, εἰμφιδέξιον. *Gronovius.*

4. *In recta quid deflectis*] Hippol. 136. *Ad recta flecti.* Idem. *Errantem*] Errare malentem. *Farnabius.*

7. *Capitis aspectu*] Herc. Fur. 1240. *Populos ut omnes impio adspectu fugem.* Gronovius.

8. *Quantulum*] Quasi dicat, paululum vel nihil potius profeci me mea solum excæcando manu, & vitæ parcendo: nam quamvis diem sceleris mei conscium non videam, videor tamen. *Farnabius.*

11. *Cæcum,*] Meum cæci. *Idem.*

13. *Cithæron:*] Mons prope Thebas sub meo quondam imperio, *vel*, in quo ego quam primum natus sum expositus eram. inf. vers. 203. *Idem.*

14. *Actæon*] Venator in cervum à Diana, quam nudam viderat, mutatus atque à canibus suis devoratus. *Idem.*

16. *In-*

Nova præda canibus. qua per obscurum nemus,
Silvamque opacæ vallis instinctas deo
Egit sorores mater, & gaudens malo,
Vibrante fixum prætulit thyrso caput.
Vel qua cucurrit corpus invisum trahens
Zethi juvencus, qua per horrentes rubos
Tauri ferocis sanguis ostentat fugas.
Vel qua alta maria vertice immenso premit
Inoa rupes, qua scelus fugiens suum,
Novumque faciens, mater insiluit freto
Mersura gnatum, seque. felices, quibus
Fortuna melior tam bonas matres dedit!
Est alius istis noster in silvis locus,

Qui

16. *Instinctas*] Bacchi furore percitas. *Farnabius.*

17. *Egit*] Agave Penthei mater & Bacchæ filium ejus Pentheum discerpserunt. *Idem. Gaudens*] Furore Bacchico percita vitulum esse putans, qui suus erat filius. *Idem.*

18. *Vibrante*] Caput Penthei præfixum ferebat hastæ pampinis involutæ. *Idem. Thyrso prætulit fixum*] Vt edidimus, transponit voces Florentinus. *Gronovius.*

19. *Vel qua*] Hercul. Fur. vers. 915. & Phœniss. vers. 126. *Farnabius.*

20. *Zethi juventus*,] Apage illam Zethi juventutem, quam dum per helleniſmum defendunt viri docti, ostendunt nihil esse tam insanum & absurdum, ut non aliquo fuco oblitum possit mentiri sanum colorem. Taurus fuit, qui Dircen alligatam traxit. Cur igitur dubitarunt reponere, *Zethi juvencus?* quod ipsis in mentem venerat. Et ita Florentinus. Oedipo v. 610. *Gronovius.*

22. *Vel qua*] Lipsius & Ios. Scalig. hunc versum poni volunt post duodecimum, *Ibo, ibo, &c.* supra. *Farnab. Vertice immenso premit, Inoque præceps*] Delrius suspicabatur priorem versum erroneum esse, & colloçandum superius post illum *Ibo, ibo.* Gruterus non videt, quare versus sit illo reponendus, quum alio loco montis perierit Actæon, alio Ino. Tamen & Scaliger totam sententiam suspendi causatus eodem rejicit. Nimirum vitium subesse intelligebant, sed id initio versus sequentis & simul medicinam ostendunt principes membranæ: habent enim: *premit Minor rupes.* Legendum igitur: *Vel qua alta maria vertice immenso premit Inoa rupes.* Virgilius 1. Georgic. *Inoo Melicertæ.* Statius: *cunabula Bacchi Inoamque fugam.* Nec vero placet: *scelus fugiens suum*: neque enim ob calumniam, qua Phrixon & Hellen Ino perculit, aut quod Orchomenii famem comparasset, immisit ei furias Iuno, sed quod Bacchi nutrix fuisset. Omnino legendum: *scelus fugiens viri.* Nam cum is Learchum per furorem interfecisset, jamque Melicertæ immineret, eripuit eum mater fuga Athamanti. In Vossiano erat: *fugiens sui.* Gronovius.

25. *Mersura*] Mersura Melicertam alium filium seque. *Farnabius.*

26. *Tam bonas*] Quæ filios interficiebant. quod utinam & mihi contigisset, nec vixissem futurus patricida, incestus, &c. *Idem.*

Qui me repoſcit; hunc petam curſu incito:
Non hæſitabit greſſus, huc omni duce
Spoliatus ibo. quid moror ſedes meas?
Mortem Cithæron redde, & hoſpitium mihi
Illud meum reſtitue, ut exſpirem ſenex,
Ubi debui infans. recipe ſupplicium vetus
Semper cruente, ſæve, crudelis, ferox,
Cum occidis, & cum parcis. olim jam tuum
Eſt hoc cadaver. perage mandatum patris,
Jam & matris. animus geſtit antiqua exſequi
Supplicia. quid me, gnata, peſtifero tenes
Amore vinctum? quid tenes? genitor vocat.
Sequor, ſequor. jam parce. ſanguineum gerens
Inſigne regni Laïus rapti furit.
Et ecce inanes manibus infeſtis petit

Fodit-

30. *Sedes*] Inf. verſ. 243. *Farnab.*

31. *Montem Cithæron redde,*] Quid ſi *Mortem* pro *monte* hic admittamus ſecundum votum Oedipodis, dixerat Florens Chriſtianus. At Delrius: Qui *Mortem* reponunt, mere nugantur. Subdubito: ita enim Etruſcus, *mortem*, non *montem*. Nec video, quam belle mons Cithæron hic jubeatur reddere montem. Id parum erat, nec negabat Antigone ſeni. Aliquid amplius Cithæron debebat jam infanti, *mortem* ſcilicet. Ideo enim illic exponebatur, ut periret: nec fuiſſet creditus Cithæroni, niſi quaſi fidem dediſſet ille petiturum. Quam fefellit ſervando expoſitum, donec à paſtore collectus ferretur ad Polybum. Itaque vel nunc ſero *mortem* olim abjuratam ſibi reddi poſtulat. *Gronovius.*

35. *Cum occidis, & cum parcis.*] Medea: *Cum ſævit & cum parcit, ex æquo malam.* Idem. Vt Actæona, Penthea, Dircen alioſque in Orgiis. *Farnabius.* Vt mihi cui tum infanti multo melius mori fuiſſet. *Idem.*

36. *Patris,*] Olim quidem patris de parricidio admoniti oraculo, ſed & jam matris, quæ mihi necem imprecatur propter inceſtum. *Idem.*

38. *Peſtifero tenes*] Qui me invitum in vita manere cogat. *Idem.* Cave quid mutemus. queritur enim ita cuſtoditi tenerique à filiâ, ut ſibi necem inferre nequeat. *Vinctum* ſcimus non eſſe ſui juris. *peſtiferum amorem* gnatæ vocat, quia *Invitum qui ſervat, idem facit occidenti*, ut loquitur alibi Horat. *Grut.*

39. *Vinctum?*] Quid me, noxio & injuſto amore ſic tibi colligas & aſtringis, ut adimas omnem, invitâ te, moriendi poteſtatem? quid me manibus quoque tuis, ut hederæ ſuis quercum brachiis ſolent, vincis; & prohibes manum meam, hanc animam impiam, ex latebris ſuis extrahere? non vult, non amari à gnatâ; ſed vult non ſic amari, ut amor ipſi amaram vitam producat; ut amor illum mori prohibeat, & teneat in vitâ invitum. *Delr. Genitor*] Meus ſc. Lajus à me occiſus, cujus umbram ex phantaſia audire videreque videtur. *Farnabius.*

40. *Sanguinem*] A me per ſanguinem rapt. *Idem.*

42. *Inanes*] Evulſis ſc. oculis. *Id.*

43. *Gna-*

Foditque vultus. gnata, genitorem vides?
Ego video. tandem spiritum inimicum exspue,
Desertor animi, fortis in partem tui:
Omitte pœnas languidas longæ moræ,
Mortemque totam recipe. quid segnis traho?

Quid

43. *Gnata,*] Non tu, inquit, ô filia patrem meum vides? Certe ego. Ille enim ut vers. 39. genitorem videre per phantasiam videtur. Age anime, vita & spiritu tandem te priva, quem pater repetit. *Farnabius.*

44. *Tandem spiritum*] O animæ pusille, qui imperium & institutam mortem detrectas, fortis in partem tui, sc. oculos, mandata exequere & tandem in totum me desere. *Idem. Spiritum inimicum exsue, Desertor animæ,*] Lipsius hæc ita continenter legenda monuerat sublata τελείᾳ ὑποστιγμῇ post *exue.* Deltius contra eam reducit: nam his verbis umbram Laji salutari, ut odium ponat; dein ad ingenium redire Oedipum, seque ipsum castigare. Subscribit Gruterus: priora Laji (non enim Laïdis, ut stultæ operæ fecerunt) umbræ, sequentia sibi loqui Oedipum ipsi: male fecisse, qui repagulo puncti sublato isthmæ continuarint, *exue Desertor animæ:* quod & animadvertisse Deltium, quo nemo Criticorum hunc auctorem melius concoxerit. Fieri potest: sed repagulum illud puncti tolerare hic nullus possum: ut nec umbræ Laji supplicem Oedipum. Non ille patrem sibi visum imaginatur, ut oret, infestare se desinat, sed unum agit, ut se ipse ad moriendum stimulet, etiam visi & poscentis id Laji argumento. Hoc plane ostendit Florentina scriptura: *Spiritum inimicum exspue.* Vt in Thyeste: *Ferro peremptus spiritum inimicum exspuat.* Et in Troadibus: *Vbi hanc animi exspuam leti moram.* Sed aliud etiam vitium subest nemini adhuc animadversum. Scribe: *tandem spiritum inimicum exspue, Desertor animi.* Sic seipse appellat: nam animum non accusat, quippe paratum in omnem pœnam, sed sese, qui animo morem non gesserit, & ejus impetum destituerit. Hinc paullo ante: *animus gestit antiqua exsequi Supplicia.* Et infra: *hæret etiamnum mihi Ille animus hæret, quum recusantem manum Premere vultus.* Hujus animi se desertorem hic appellat, & illic paullo post: *audias verum, Oedipe: Minus eruisti lumina audaciter tua Quam præstitisti.* Præbuisse erat animi, quem se destituisse significat timide eruendo. Agnoscis, unde acceperit Statius lib. 8. Thebaidos: *odi artus fragilemque hunc corporis usum Desertorem animi.* Gronovius.

46. *Pœnas languidas longæ moræ,*] Grotius adscripserat margini: *Omitte pœnæ languidas longæ moras.* Idem.

47. *Mortemque*] Metaph. à gladiatoribus. *Farnabius. Quid segnis traho? Quid vivo?*] Scribe una litera & distinctione mutata: *Quid segnis traho, Quod vivo?* hoc est, quam partem aut illud quatenus vivo. Quid parte mei præmortua, reliquam partem vivam segnis traho? Sic infra: *& in cineres dabo Hoc quicquid in me vivit.* Et infra: *Nec me redemi parte: membratim tibi volui perire.* Eodem sensu placuerat Nic. Heinsio: *Quo vivo.* Cæterum pro *Recipe* hoc versu Lipsius & Comelinus in Mss. notarunt *Admitte.* Florentinus habet utrumque: *Mortemque totam recipe admitte quid segnis traho?* Vnde apparet hanc varietatem esse antiquissimam. Epist. 30. *Accessus mortis quam perturbationem adferat, optime hi dicent, qui secundum illam steterunt, qui venientem & viderunt & receperunt.* Plinius l. 7. c. 45. *destinatio moriendi & quatridui inedia magna pars mortis in corpus recepta.* Gronov.

50. *Vir-*

Quid vivo? nullum facere jam possum scelus.
Possum miser. prædico, discede à patre;
Discede, virgo. timeo post matrem omnia.
Antig. Vis nulla, genitor, à tuo nostram manum
Corpore resolvet. nemo me comitem tibi
Eripiet umquam. Labdaci claram domum,
Opulenta ferro regna germani petant;
Pars summa magni patris regno mea est
Pater ipse. non hunc auferet frater mihi,
Thebana rapto sceptra qui regno tenet;
Non hunc catervas alter Argolicas agens.
Non si revulso Juppiter mundo tonet,
Mediumque nostros fulmen in nexus cadat,
Manum hanc remittam. prohibeas, genitor, licet;
Regam abnuentem, dirigam inviti gradum.

In

50. *Virgo.*] Dum virgo &c. ne & te violem ut matrem. *Farnabius.*

53. *Labdaci*] Regnum Thebanum, Labdacus autem erat pater Laji. *Idem.*

54. *Germani*] Fratres mei Polynices & Eteocles. *Idem.*

55. *Pars magna patris optimę*] Florens Christianus malebat *optima*: Gruterus *optimi*: idem affert ex uno Mſ. *Pars summa*: quod inde receptum. Sed Etruscus: *Pars summa magni patris è*. Scribe igitur: *Pars una magno patris è regno mea est, Pater ipse.* Vtcumque magnum patris regnum raptent ac ferro dividant fratres, unam tamen ex eo partem mihi relinquant, oportet, ipsum nempe patrem. *Gronovius.*

56. *Frater*] Eteocles, qui regnum contra fœdus & pactam fidem occupat.

57. *Thebana rapto*] Hic nonnemo: Eteocles, & videsis, quid sit trihorias notas dare: adeo cæcutiunt, ut putent de Polynice illud dictum. Septimium Florentem Christianum pungit, qui laborem trihorium suas ad hanc fabulam notas in præfatione appellat. Sed homo acer cæcutivit ipse. Nusquam enim Florens, Polynicen dici Thebanum sceptrum rapuisse tradit: sed in contrarium, Antigonam, immo jus bonum plus videri adjuvare Polynicem quam Eteoclem, ut etiam Græcos Tragicos: itaque hunc (quem nisi Eteoclem?) regnum rapuisse, imperium occupasse, fœdus læsisse & fidem; illum (quem nisi Polynicen?) Argivos quidem duxisse, sed fœderis icti testes deos invocare & hic & alibi tradi. *Gronovius.*

58. *Non hunc catervas*] Nic. Heinsius malit: *Non huc.* Idem. *Alter*] Polynices exercitum ducens soceri sui Adrasti regis Argivorum contra fratrem. *Farnabius.*

60. *In nexus*] In dextram meam, quæ te tenet. *Idem.*

62. *Regam abnuentem, dirigam invitum*] Lipsius è suo attulit: *invitum patrem.* Vnde Florens offensus ista quasi πνθολογίαν *regam, dirigam*, tentat: *diligam invitum patrem.* Quod rejicit quidem Delrius: sed Florentinus merito confirmat quod è Mſ. notat Comelinus: *dirigam inviti gradum.* Nec pejus sit à fronte: *Ducam abnuen-*

In plana tendis? vado. prærupta expetis?
Non obsto, sed præcedo. quo vis utere
Duce me: duobus omnis eligitur via.
Perire sine me non potes; mecum potes.
Heic alta rupes arduo surgit jugo,
Spectatque longe spatia subjecti maris.
Vis hanc petamus? nudus heic pendet silex;
Heic scissa tellus faucibus ruptis hiat.
Vis hanc petamus? heic rapax torrens cadit,
Partesque lapsi montis exesas rotat.
In hunc ruamus. dum prior, quo vis, eo;
Non deprecor, non hortor. extingui cupis,
Votumque, genitor, maximum mors est tibi?
Si moreris, antecedo: si vivis, sequor.
Sed flecte mentem; pectus antiquum advoca;
Victasque magno robore ærumnas doma.

Resi-

abnuentem. Statim idem Flor. *prærupta appetis.* non *expetis.* Gronovius.

64. *Quovis utere. Duc è duobus.*] Bene Lipsius: *Duce me. duobus.* Sed non est necesse, *quovis vertere*, quod in scripto apparuit. Itaque sagax amicus ejus, se unius literæ additione & interpunctorum transpositione (quasi non fecisset idem Lipsius) reddere ait hæc clariora: *quovis utere Duce me. Duobus.* At Scaliger: *quovis vertero. Duc è duobus. omnis eligitur via.* Quis non miretur? *Duc è duobus*, explicat, elige è duobus, sive in præceps, sive in plana, omnis via mihi eligitur. Quis ita loquitur? nisi utram in promptu habuit Antigone, ex qua Oedipus planum aut præceps sorte duceret. Recte se habet, quod nunc editur è conjectura Lipsii, totumque exstat in Etrusco: *quovis utere Duce me. duobus, &c. Duobus* autem indefinitum pro nobis aut certis duobus vel ambobus Senecam dicere solere ad Philosophumena ejus notavimus. *Idem.*

70. *Tellus*] Rectius: tellurem, dixit notandæ hiatus profunditati, nam *terra*, proprie ipsa superficies, à terendo: *tellus*, interior & penitior pars, quæ arborum radices sinu suo fovet & amplectitur, juxta quosdam. *Delrius.*

71. *Rapax*] Proprium torrentis epithetum. Lucretius & Virgilius fluvios rapaces dixerunt. *Delrius. Torrens*] Torrens, inquit Festus, significat fluviorum subitis imbribus concitatum, qui alioquin siccitatibus exaresc. Græce, teste I. C. dicitur χειμάρρους I. 1. D. de flumin. *Idem.*

74. *Non deprecor*,] In utrumque parata, non dissuadeo. *Farnabius.*

78. *Victasque magno pectore*] O δεινὰ, ubique iniquus Vindocino Critico, hic tandem appellare hominem sustinet. Displicuit merito Lipsio post *pectus* præcedenti versu nominatum, rursus hic positum *pectore*. in Mss. manifeste fuisse alt aliam vocem, qua erasa subjectum *pectore*. quærit, numquid ea fuerit *robore*? Oppugnat hoc Florens infeliciter Delrio secundo, & non de nihilo repetitum vocabulum putant. Ecce & Gruterus displicere quidem iteritionem fatetur, sed, absit, inquit,

M5

Resiste, tantis in malis vinci mori est.
Oedip. Unde in nefanda specimen egregium domo?
Unde ista generi virgo dissimilis suo?
Fortuna, credis? aliquis est ex me pius?
Non esset unquam (fata bene novi mea)
Nisi ut noceret. ipsa se in leges novas
Natura vertet; regeret in fontem citas
Revolutus undas amnis; & noctem afferet
Phœbea lampas; Hesperus faciet diem.
Ut ad miserias aliquid accedat meas;
Pii quoque erimus. unica Oedipodæ est salus,
Non esse salvum. liceat ulcisci patrem
Adhuc inultum. dextra quid cessas iners
Exigere pœnas? quidquid exactum est adhuc,
Matri dedisti. mitte genitoris manum,
Animosa virgo. funus extendis meum,

Lon-

ut *robore*, merum conjectaneum, admittam: quis enim id præstabit germanum? Præstabit vir optime, codex Etruscus, qui sine ambiguitate: *Victasque magno robore ærumnas doma.* Gron.

79. *Tantis in malis vinci malum est.*] Flor. *Tantis in malis vinci mori est.* Sophocles in Oedipo Coloneo: Ὦ μοι, θάνατος μὲν τάδ' ἀκούειν. *Idem.*

80. *Vnde*] Vnde tantæ pietatis specimen in domo impia? *Farnabius.*

84. *Nisi*] Quod facit illa, mortem meam remorando. *Idem. Ipsa*] Omnia propostera fient; & quod omnium maxime naturæ contrarium est, ego ipse quoque pius ero, ut miserior sim & nocentior. *Idem.*

87. *Phœbea*] Phœbus, Sol. *Idem.*

89. *Vnica Oedipodæ est salus;*] Sic & Florentinus. Mirifice vero hic Florenti satisfecit æmulus. Verba hujus ad versum 81. Florens sic: *Fortuna (credite) aliquis est ex me pius:* non male. Et mox optime: *unica Oedipo est salus*, more Græco producta media, ut postea versu 313. Hoc quum legerem, mirabar illum morem Græcum vocabulum *Oedipus* media producta ponendi. Inspicio Florentem: nihil apud eum tale invenio. Sed ad v. 313. *Hic Oedipus Ægea.* More Græco (annotat) *Oedipus* producit ultimam syllabam, est enim Οἰδίπους. Vide quam diligens fuerit, qui tres horas Vindocino Critico toties exprobrat. Ille vers. 313. vocabulum *Oedipus* ultima producta Græco more posuisse Senecam scribit: hic quasi media producta versu 89. & 313. utroque vitiato poni scriptum ab illo accipit, & utrumque probat. Quin & ad versum 313. Græca terminatione ultimam & penultimam produxisse repetit. Quomodo, ô bone, penultimam? Spondæum igitur pro jambo, si diis placet, posuit. *Gronovius.*

92. *Quidquid*] Erui oculos expiaturus scelus in matrem, quæ oculis placebat meis. *Farnabius.*

94. *Funus*] Qui jam dudum mortuus sum. *Illo enim die nocens moritur quo peccat.* Idem.

97. Ho-

Longasque vivi ducis exequias patris.
Aliquando terra corpus invisum tege.
Peccas honesta mente. pietatem vocas,
Patrem insepultum trahere. qui cogit mori
Nolentem, in æquo est, quique properantem impedit.
Occidere est, vetare cupientem mori.
Nec tamen in æquo est. alterum gravius reor.
Malo imperari, quam eripi mortem mihi.
Desiste cœpto, virgo. jus vitæ ac necis
Meæ penes me est. regna deserui libens,
Regnum mei retineo. si fida es comes,
Ensem parenti trade; sed notum nece
Ensem paterna. tradis? an gnati tenent
Cum regno & illum? faciet, ubicumque est, opus.
Ibi sit. relinquo. gnatus hunc habeat meus,
Sed uterque. flammas potius & vastum aggerem
Compone. in altos ipse me immittam rogos.
Erectam ad ignes funebrem escendam struem,
Pectus-

97. *Honesta*] Dum pia & officiosa esse velis. *Farnabius.*

101. *Nec tamen in æquo est.*] Æque peccat. *Invitum qui servat idem facit occidenti.* Idem. Ascensius & Daniel existimant Senecam dicere, plus peccare eum qui invitum occidit, quam qui nolentem servat: contra Bernardinus, hunc quam illum peccare gravius; cujus sententiam sequor. loquitur enim Oedipus, cui mors erat optatissima. *Delrius.* *Alterum*] Vt nolentem cogat quis vivere. *Farnabius.*

104. *Regna*] Thebana, externa, aliorum. *Idem.*

105. *Regnum mei retineo.*] Animi & voluntatis meæ. *Idem.* Stoicum. nam hæc secta nihil homini proprium censebat, præter animum & voluntatem; membra, corpus, vitam aliena esse prorsus. qua de re & imperio sui, pulcherrima Epictetus apud Arrianum lib. 1. cap. 29. & cap. 22. & lib. 3. cap. ult. *Delrius.*

106. *Notum nece*] Quo pattem Laium occidi. *Farnabius.*

108. *Faciet, ubicumque est, sceler.*] Flor. elegantet: *faciet, ubicumque est, opus.* Etenim *opus* interdum est officium, aut quod cujusque personam vel naturam decet, in utramque partem. Plautus Mostellar. a. 2. sc. 1. *Verum id videndum est, id viri docti est opus.* Pseudolo a. 1. sc. 2. *Bibe, es, fuge: hoc eorum est opus.* Gronovius.

112. *Erectam ad ignes.*] Versus de Gruteri sententia supervacuus: nec meminisse ejus Scholiasten veterem, & quia jam immiserit se in rogos, quomodo nunc dicere, se adscensurum funebrem struem? Florentinus: *Herebo ad ignes funebre escendam struem.* In prima voce aliquid mostri est. An forte, *Erepam.* Certe non dedecet hoc cæcum. Oedipo *incertus viæ, Baculo senili tristia prætentans iter.* Sic videtur: *Erepam ad ignes, funebrem escendam struem.* Immittam

Pectusque solvam durum, & in cineres dabo
Hoc quidquid in me vivit. ubi sævum est mare?
Duc, ubi sit altis prorutum saxis jugum,
Ubi torta rapidus ducat Ismenos vada:
Duc, ubi feræ sint, ubi fretum, ubi præceps locus,
Si dux es. illuc ire morituro placet,
Ubi sedit alta rupe semifero dolos
Sphinx ore nectens. dirige huc gressus pedum,
Heic siste patrem. dira ne sedes vacet,
Monstrum repone majus. hoc saxum insidens
Obscura nostræ verba fortunæ loquar,
Quæ nemo solvat. quisquis Assyrio loca

Pos-

mittam me, inquit, in rogos: si aliter non potero ab cæcitatem, erepam, &c. *Gronovius.*

115. *Prærutum saxis jugum,*] Florent. *prorutum.* Tacitus lib. 2. annal. *alios prorutæ arbores adflixere.* Lib. 12. *prorutæ terræ motibus domus.* Idem.

116. *Ubi torva rapidus*] Lipsius malit *torta.* Sane Mss. *torva.* Quod probare debebant esse sputium, inquit Gruterus, qui contextui inferunt, *torta.* At ille alterius sensum dare: nam aliud est *torvos* facie amnes σκυθρωπιάειν, aliud est *torva* vada fluviorum dicere. Nemo denique sic locutus est: neque potuit: nisi etiam *cornigera vada* vel *cornigeras undas* pugnemus dici posse. Vossianus melior, *corva.* Suspicari possis: *Ubi curva rapidus.* Ovidius: *Fluminaque obliquis cinxit declivia ripis.* Idem.

119. *Semifero dolos Sphinx ore nectens.*] Non sentit auctor partim hominis, partim feræ vultu fuisse Sphingem, secus atque cæteri tradunt totum σῶμα τὸν γυναικὸς habuisse: sed est hypallage & omnibus Poëtis & huic auctori frequentissima, *ἀντὶ τοῦ semifera. Sphinx dolos ore nectens.* Ve centauri quoque & Tritones & monstra ejusmodi *semifera* dicuntur. Hippolyto: *si ille remeet arte Mopsopia potens.* Ubi allinunt, arte Dædali Athenienses. Quis est igitur alius ille, qui struxit labyrinthum, quam Dædalus? Immo *ille arte Mopsopia potens* dicitur, quasi esset, *ille Mopsopius arte potens.* hoc est, ipse Dædalus Athenienses. *Idem.*

120 *Sphinx ore nectens*] Monstrum facie virginis, corpore volucris, pedibus leonis, quod in monte Sphincio prope Thebas residens viatoribus terror erat, nec habiturum finem, priusquam ænigma ab eo propositum quis solvisset. Scilicet quodnam animal mane quadrupes, meridie bipes, vesperi tripes esset. Quod Oedipus tandem de hominis infantia, juventute, senio interpretatus Sphingi perniciem, sibi Iocastam cum imperio Thebano præmium (Iocastæ fratre Creonte proponente) tulit. trifaria autem Sphingis fabula, *vel* monstrum fuisse ex dicta fabula, *vel* maritimam fuisse manum, quæ cum duce efferæ quadam mulicre Bœotiæ montem occupasset, ab Oedipo deleta est: *vel* denique notham fuisse filiam Laji edoctam à patre oraculum de successione filiorum, quod ubi Oedipus solvisset illa ejecta Oedipo regnum debitum tradidum. *Farnabius.*

124. *Assyrio*] Cadmo ex Assyria advenæ, misso quæsitum sororem Europam ab Agenore patre, Phœnicum rege. *Idem.*

125. *Scin-*

Possessa regi scindis, & Cadmi nemus
Serpente notum, sacra quo Dircæ latet,
Supplex adoras, quisquis Eurotam bibis,
Spartenque fratre nobilem gemino colis,
Quicumque Elin & Parnasson, & Bœotios
Colonus agros uberis tondes soli;
Adverte mentem; sæva Thebarum lues
Luctifica cœcis verba committens modis,
Quid simile posuit? quid tam inextricabile?
Avi gener, patrisque rivalis sui,

Frater

125. *Scindis,*] Arando secas. *Farn.*

126. *Serpente notum,*] Allinunt Hercul. Fur. vers. 392. ubi Cadmus in serpentem versus dicitur *Illyria permensus fuga.* Sed nempe *Illyria.* Hic vero intelligitur serpens, quem sociorum suorum interfectorem punivit ipse Cadmus. Ovidius in iii. Metam. *Gronovius. Sacra*] Occulta, vel divina. hoc fontibus Propert. lib. 1. eleg. 18. & alii tribuunt. *Delrius. Dircæ*] Dircen Lycus rex Thebarum Antiopa repudiata duxit, quæ Antiopam à Iove in Satyrum conversa gravidam in vincula conjecit, quibus illa commiseratione exuta in Cithæronem confugit, ubi Amphiona & Zethum peperit, qui adulti Lycum interfecerunt & Dircen taurorum caudis alligatam per sentes raptarunt, quæ tandem in fontem conversa est. *Farnabius.*

127. *Supplex ad aras*] Quod potissimum est in felicissima emendatione Rutgersiana, perspicue in optimo codice visitur: nempe *Supplex adoras, & Quisque Elin & Parnassum.* Itaque sine scrupulo sic restituimus. *Sacra quo Dircæ latet* videtur ferri posse, ut intelligatur in secreta & umbrosa parte aquas ejaculari. Tentabat Rutgersius: *sacra quod Dircæ lavat.* Non male. Posses etiam, *quo scatet.* id est, scatutit. Flor. etiam, *Eurotam.* Gronov. *Eurotan*] Fluv. prope Lacedæmona. *Farnabius.*

128. *Spartenque fratre nobilem*] Castore & Polluce. *Idem.*

129. *Parnasson,*] Montem Phocidos. *Idem.*

130. *Tondes soli;*] Hanc vocem Latini tralatione ad agros traxerunt, sicut apud Virgilium & Ovidium videre est, Græcos secuti; qui κείρω non hominibus modo aut pecotibus, sed & civitatibus, arboribus, fruticibus ac agris accommodarunt. Pindarus etiam longe alia in re: οὐ λεχέων κείρειν μελιγδέα ποίαν. *Delrius.*

131. *Sæva*] An Sphinx ipsa tam obscurum ænigma proposuit quam hoc meum est. *Farnabius.*

134. *Avi gener,*] Hæc Oedipi nuptiis competunt; *durius tamen dicitur patris mortui rivalis.* Farnab. Simile est illud in marmore Italico. HERSILUS HIC JACEO, MECUM MARULLA QUIESCIT, QUÆ SOROR ET GENITRIX, QUÆ MIHI SPONSA FUIT. VERA NEGAS, FRONTEMQUE TRAHIS, ÆNIGMATA SPHYNGIS CREDIS? SUNT PYTHIO VERA MAGIS TRIPODE. ME PATER E' NATA GENUIT, MIHI JUNGITUR ILLA; SIC SOROR ET CONJUX, SIC FUIT ILLA PARENS. *Delrius. Patrisque rivalis sui:*] Καλλιγένεια est haud dispar illi apud Lucanum, ubi Iulia in somnis ad Pompeium lib. 3.

Frater ſuorum liberûm, & fratrum parens;
Uno avia partu liberos peperit viro,
Ac ſibi nepotes. monſtra quis tanta explicet?
Ego ipſe, victæ ſpolia qui Sphingis tuli,
Hærebo, fati tardus interpres mei.
Quid perdis ultra verba? quid pectus ferum
Mollire tentas precibus? hoc animo ſedet,
Effundere hanc cum morte luctantem diu
Animam, & tenebras petere. nam ſceleri hæc meo
Parum alta nox eſt. Tartaro condi juvat,
Et ſi quid ultra Tartarum eſt. tandem libet,
Quod olim oportet. morte prohiberi haud queo.
Ferrum negabis? noxias lapſo vias
Cludes? & arctis colla laqueis inſeri
Prohibebis? herbas, quæ ferunt letum, auferes?
Quid iſta tandem cura perficiet tua?
Ubique mors. optime hoc cavit Deus.
Eripere vitam nemo non homini poteſt;
At nemo mortem: mille ad hanc aditus patent.
Nil quæro. dextra noſter & nuda ſolet

Bene

Innupſit tepido pellex Cornelia buſto. Et ipſa Cornelia ad Iuliam lib. 8. *placataque pellice cæſa Magno parce tuo.* Eodem modo inferius Oedipus: *quid heic Manes meos detineo?* Atqui illi proprie mortuorum, ut rivales vivorum. In declamatorum ſchola, quæ fingitur veneno interemiſſe filiam, ne collocaretur adultero matris, appellatur *generi adultera, filiæ pellex*, apud M. Senecam lib. 6. controv. 6. *Gronovius. Patriſque rivalis ſui:*] Verum quidem eſt, non ſtatim rivalem dicendum, qui defuncti alicujus conjugem ducit. Nam hoc pacto Meſſala Corvinus, qui, defuncto Cicerone, Terentiam duxit, rivalis Ciceronis fuerit. At alia hîc ratio eſt. Oedipus enim non ſimpliciter defuncto, ſed occiſo patre, matrem duxit. Atque eo præcipuè aſpectu eleganter hîc Poëta *rivalem* eum & quaſi ἀντεραστὴν patris appellat. *Pontanus.*

137. *Ac ſibi nepotes.*] Flor. *Sibi & nepotes.* Gronovius.

141. *Animo ſedet,*] Preſſe ſumit. Attius: *Sapimus animo, fruimur animâ, ſine animo, anima eſt debilis.* Nonius: *Animus eſt quo ſapimus, anima qua vivimus.* Delrius.

144. *Nox eſt.*] Oculorum erutorum. *Farnab. Tartaro*] Profundiſſimo inferorum loco. Hipp. v. 841. *Idem.*

146. *Olim*] Infrà verſ. 258. *Idem.*

153. *Mille*] Patent undique ad libertatem à neceſſitate vivendi viæ multæ, breves, faciles, inedia, capitis in parietem illiſio, ſpiritus retentio, &c. Notum eſt illud Martialis epigr. de Bruti Porcia. *Idem.*

157. *Non*

Bene animus uti. dextra nunc toto impetu,
Toto dolore, viribus totis veni.
Non destino unum vulneri nostro locum.
Totus nocens sum. qua voles, mortem exige.
Effringe corpus. corque tot scelerum capax
Evelle. totos viscerum nuda sinus.
Fractum incitatis ictibus guttur sonet;
Laceræve fixis unguibus venæ fluant.
Aut dirige iras, quo soles. hæc vulnera
Rescissa multo sanguine ac tabe irriga.
Hac extrahe animam, duram, inexpugnabilem.
Et tu, parens, ubicumque pœnarum arbiter
Adstas mearum (non ego hoc tantum scelus
Ulla expiari credidi pœna satis
Umquam, nec ista morte contentus fui,
Nec me redemi parte: membratim tibi
Volui perire) debitum tandem exige:
Nunc solvo pœnas; tunc tibi inferias dedi:
Ades, atque inertem dexteram introrsus preme,
Magisque merge. timida tum parvo caput
Libavit hausto, vixque cupientes sequi
Eduxit oculos. hæret etiam nunc mihi
Ille

157. *Non destino*] Vt in oculis eruendis.

165. *Hac extrahe animam,*] Epist. 70. *qui quam ferro non emiserat animam, manu extraxit.* De providentia: *animam indignam, quæ ferro contaminaretur, manu educit.* Gronovius.

169. *Ista morte contentus*] Sane potest explicari, quia passim de se, ut funere, ut vivo cadavere, ut partim mortuo loquitur. Suspicor tamen scripsisse: *nec ista nocte contentus fui.* i. cæcitate. Supra: *nam sceleri hac meo Parum alta nox est.* Idem.

170. *Membratim*] Paulatim per membrorum aliorum post alia amissionem. *Farnabius.*

172. *Inferias*] Oculorum sanguinis libamen, veluti inferias umbræ tuæ. sunt autem *inferiæ* sacra quæ Diis manibus *inferuntur*, unde & nomen iis inditum, ad placandas sc. defunctorum animas tumulis superfusa. infundebant autem lac, mel, aquam, vinum, oleum. *Inferimus tepido spumantia cymbia lacte.* quin & flores spargebant. vide Troad. 374. *Farnabius.*

174. *Caput*] Oculos è capite. *Id.*

175. *Libavit*] Laribus & familiæ diis prima in festis conviviis libamina fiebant, effuso in terram vini pauxillo, ut & dapum parte in focum injecta. Thyest. vers. 981. *Idem.*

176. *Vix eduxit*] Nec fortiter peregit institutum. *Idem.*

Ille animus, hæret; cum recusantem manum
Pressere vultus. audies verum, Oedipe:
Minus eruisti lumina audacter tua,
Quam præstitisti. nunc manum cerebro indue.
Hac parte mortem perage, quæ cœpit mori.
Antig. Pauca, ô parens magnanime, miserandæ precor
Ut verba gnatæ mente placata audias.
Non te ut reducam veteris ad specimen domus,
Habitumque regni flore pollentem inclyto,
Peto; aut ut iras tempore aut ipsa mora
Fractas remisso pectore ac placido feras.
Et hoc decebat roboris tanti virum,
Non esse sub dolore, nec victum malis
Dare terga. non est, ut putas, virtus, pater,
Timere vitam, sed malis ingentibus
Obstare, nec se vertere, ac retro dare.
Qui fata proculcavit, ac vitæ bona

Pro-

177. *Ille*] Qui erat mihi timide oculos eruenti. *Farnabius.*

178. *Audias verum, Oedipe:*] Flor. quoque, ut omnes Gruteri: *audies.* Dicam tibi verum. Eorum, quæ sequuntur, verborum sensum dedimus in Diatribe cap. 49. Non tam fortes fuerunt manus tuæ ad eruendos oculos quam fortis fuit animus ad eos supplicio præstandos & exhibendos. Sæpe hoc evenit, ut consilium sit fortius executione. Ita Leonidas hortatur Spartanos apud Iustinum, *caverent, ne fortius mansisse quam dimicasse viderentur.* Repræsentatur hoc etiam in Oedipo: *Oculique vix se sedibus retinent suis.* Et rursus: *at contra truces Oculi steterunt, & suam intenti manum Vltro insequuntur. vulneri occurrunt suo.* hoc est, audacter se præstant. Sic de Vulteji militibus Lucanus lib. 4. *percussum est pectore ferrum Et jugulis pressere manum.* Vbi & belle posset legi, *juguli. Præstare*, ut epist. 4. *C. Cæsar jussit Lepidum Dextro tribuno præbere cervicem: ipse Chæreæ præstitit.* Epist. 40. *intenta securi subjectum præstantibus caput.* M. Seneca controv. 23. *Est quædam proxima innocentiæ verecundia præbere se legibus.* Gronovius. Quod si verum dicam, animo non satis magno oculos evulsi mihi. *Farnabius.*

181. *Hac parte*] Oculos intellige. *Idem. Qua cœpsti mori.*] Ita nuper receptum de sententia doctorum virorum. Editi antehac & Mss. vel *cœpi* vel *cœpit.* Scribe: *quæ cœpit mori.* Idem visum Grotio fuerat. *Gronov.*

184. *Specimen*] Decus insigne. *Farnabius.*

185. *Flore*] Inclytè florentem. *Id.*

186. *Tempore*] Quod etiam sæpe imbecillis animi est medicina. *Idem.*

190. *Dare*] Metaph. ab ignavis militibus, cedere, fugere. *Idem. Non est,*] *Mori enim fugientem paupertatem vel amorem non est fortitudinis, sed ignavia.* Idem.

193. *Qui fata proculcavit*,] Qui mortem spernit, qui res prosperas abjecit,

Projecit, atque abcidit, & casus suos
Oneravit ipse, cui deo nullo est opus,
Quare ille mortem cupiat, aut quare petat?
Utrumque timidi est. nemo contempsit mori,
Qui

jecit, adversas perferendas suscepit; ille sane mortem & vitam ex æquo habet, & quærenti cur, cum mors à vita nihil differat, non moriatur, respondebit cum Thalete; ob hoc ipsum, quia nihil differt. *Farnabius.*

194. *Projecit atque abcidit*,] Sic Mss. à *cædo* nimirum. Ovidius lib. 12. *nam Crantoris alti Abcidit jugulo pectus.* Martialis 3, 66. *Abcidit vultus ensis uterque sacros.* Quamquam idem verbum cum præpositione *Abs* geminatum cogitare possis, & scribere *Abscidit* media longa. *Gronovius. Et casus suos Oneravit;*] Quid est *casus suos onerare*, inquit Lipsius? Respondeo, facere quale fecit Oedipus. Florentem illum ingenio, viribus corporis, moribus, domo & spe regni (nam Polybi Corinthiorum regis filius credebatur) huc dejecerat fortuna, ut patrem occideret, ex matre liberos procrearet. Satis hic gravis casus, etsi non aliunde aggravaretur. At ille pondus immane & onus ultro addidit, regnum, & cum eo opes, honores, potentiam deponendo, cæcitatem sibi inferendo, exsilium indicendo. Quod sequitur, *ipsi ceu video, nullo est opus*, in eo non labor deseruit homines doctos, deseruit felicitas. Cogitatum, *ipsi, ceu video, nullum est opus*: &c, *ipsi sævitia nulla est opus.* Placuit tandem Florentis & Scaligeri: *ipsi ceu deo.* Sed legendum est, ut habetur Florentiæ: *Oneravit ipse, cui deo nullo est opus; Quare ille mortem cupiat aut quare petat?* Nam hoc bene vidit Scaliger posteriorem versum cum interrogatione esse legendum. Prava erat atque impia obstinatio veterum, putantium in extremis malis atque extra spem positos nec diis nec votis indigere, idque pro ultimo solatio habentium. Sic apud Ovidium lib. 14. Agnon ex sociis Diomedis: *quid habet Cytherea quod ultra (Velle puta) faciat? Nam dum pejora timentur, Est locus in voto: fors autem ubi pessima rerum est, Sub pedibus timor est, securaque summa malorum.* Sic Cassandra in Agamemnone: *Equidem nec ulla cœlites placo prece: Nec si velint sævire, quo noceant, habent.* Sic in Troadibus Andromache respiciens Astyanacta: *cogit hic aliquid deos Adhuc rogare.* Ergo, *cui deo nullo est opus*, est, qui nihil habet, quod roget deos, qui cum spe & votis transegit. Atque huc intenderat etiam Grotius, qui adscripserat margini: *ipse cui Deo nil est opus.* Qui tamen & malebat cum Lipsio, *mortem fugiat.* Sed non videtur monendus fuisse Oedipus, mortem tali homini fugiendam non esse: potius nec optandam aut desiderandam, nec sumendam aut manu faciendam. Hoc etiam Scaliger, hoc H. Comelinus viderunt. *Idem.*

196. *Quare*] Cur ipse *cupiat*. i. optet ut mors ultro veniat, aut *petat*. i. vi illam sibi inferat. *Farnabius.*

197. *Contempsit mori, Qui concupiscit.*] Sic pristinæ editiones. Lipsianus & quidam alii: *Qui non concupiscit.* Quod cum versum impediat, ex mente Antigones fecit Lipsius, *Qui non cupiscit*, in editiones receptum. Delrius: *belle contemsit mori, Qui non cupivit*: parum belle. Manus illustris: *non temnit mori Qui concupiscit.* Sed horum omnium nobis gratiam faciunt nobiles illæ membranæ Ettusc æ, quæ altius ostendunt tolluntque ulcus: *Utrumque timidi est. Nemo comtempsit mori Qui concupivit.* Totidem illæ literis. Nihil ultra desideras, quod addam. Est etiam. Iam magis liquet, bene retineri præcedenti versu *cupiat.*

Qui concupivit. cujus haud ultra mala
Exire possunt, in loco tuto est situs.
Quis jam deorum (velle fac) quidquam potest
Malis tuis adjicere? jam nec tu potes,
Nisi hoc, ut esse te putes dignum nece.
Non es; nec ulla pectus hoc culpa attigit.
Et hoc magis te, genitor, insontem voca,
Quod innocens es, diis quoque invitis. quid est
Quod te efferarit; quod novos suffixerit
Stimulos dolori? quid te ad infernas agit
Sedes? quid ex his pellit? ut careas die?
Cares. ut altis nobilem muris domum,
Patriamque fugias? patria tibi vivo periit.
Gnatos fugis, matremque? ab aspectu omnium
Fortuna te summovit: & quidquid potest
Auferre cuiquam mors, tibi hoc vita abstulit.
Regni tumultus, turba fortunæ prior
Abscessit à te jussa. quem, genitor, fugis?
Oedip. Me fugio; fugio conscium scelerum omnium
Pectus,

nam hoc ad *τὸ velle* relatum, non ita placebat. Vtrumque, scilicet & optare & sumere mortem, timidi est. *Gronov.* *Contempsit*] Non vult mori qui optat. hic mortis fructus est, optare desinere. *Farnabius.*

198. *Cujus*] Deinde cujus miseriæ non possunt majores fieri, non est cur morte illas fugere velit. *Idem.*

205. *Innocens*] Per ignorantiam. neque enim nocens est qui sponte non est nocens. *Idem.*

207. *Quid te ad infernas agit Sedes? &c.*] Divisione utitur, & membratim rogat ac concludit. Cur vis mori? quid te à supetis locis pellit ad inferos? An ut diem non videas? non vides, sponte tua cæcus. uti patriam fugias? jam es in ea nec es, vivum cadaver.

208. *Vt careas*] An ut luce careas? jam cares, à te ipso excæcatus. *Farnab.*

214. *Turba fortunæ prior*] Hoc quoque frequentatum Senecæ monuimus ad 3. de ira 8. Quod sequitur, habent scripti vulgares: *Abscessit ante jussa*, non *justa*, ut Comelinus etiam notat. Lege cum optimo: *Abscessit à te jussa.* Mox, *quæ feci innocens*, idem ille, perinde ut Lipsianus, contra quem frustra disputat Delrius. Sed, inquit, cur se vocat conscium scelerum, si innocentem ipse pronunciat? Respondeo, non se dicit nunc innocentem, sed ea fecisse innocentem, seu venisse ad scelera se innocentem, hoc est, honesta mente, non deliberato, insscium atque imprudentem: quæ tamen scelera esse horrenda, quibus se tamen maculatum & inquinatum faciendo agnoscit. Vide Sophoclis Oedipum Colon. à versu 1015. *Gronovius.*

217. *Ma-*

Pectus, manumque hanc fugio, & hoc cœlum, & deos:
Et dira fugio scelera, quæ feci innocens.
Ego hoc solum, frugifera quo surgit Ceres,
Premo? has ego auras ore pestifero traho?
Ego laticis haustu satior? aut ullo fruor
Almæ parentis munere? ego castam manum
Nefandus, incestificus, execrabilis
Attrecto? ego ullos aure concipio sonos,
Per quos parentis nomen, aut gnati audiam?
Utinam quidem rescindere has quirem vias,
Manibusque adactis omne, qua voces meant,
Aditusque verbis tramite angusto patet,
Eruere possem, gnata: jam sensum tui,
Quæ pars meorum es criminum, infelix pater
Fugissem. inhæret ac recrudescit nefas
Subinde; & aures ingerunt quidquid mihi
Donastis oculi. cur caput tenebris grave
Non mitto ad umbras Ditis æternas? quid heic
Manes meos detineo? quid terram gravo?
Mistusque superis erro? quid restat mali?
Regnum, parentes, liberi, virtus quoque,
Et ingenii solertis eximium decus

Perie-

217. *Manumque*] Quæ patrem occidit. *Farnabius.*

222. *Almæ*] Terræ, quæ fructibus suis omnes alit. *Id. Castam*] Tuam. *Id.*

225. *Parentis*] Vtrumque nomen mihi horrendum; *parentis*, qui liberos susceperim ex matre; *gnati*, qui patrem occiderim. *Idem.*

226. *Vias,*] Sensorii auditus meatus, & organa, sive nervus sit cum tympano, sive myrinx, sive aër innatus. *Idem.*

227. *Omne, quo voces meant,*] Flor. *qua.* Lucretius: *iter qua vox it in auras.* Gronovius.

230. *Pars*] Ex incestu meo nata. *Farnabius.*

232. *Quicquid mihi Negastis oculi,*] Altum dormiunt hic plaustra codicum. At pulcerrime vigil ille Tuscus: *& aures ingerunt, quicquid mihi Donastis oculi.* Nam *Donare* idem interdum est quod gratiam facere, remittere, concedere ne cui quid obveniat, occurrat, accidat, ne quid sustinere ac perferre necesse habeas. Vt *donare metum* Lucio vindicavimus: ut Marco, *Dono quod indicaverim.* Vide & ad versum 456. & lib. 3. Observ. 23. *Gron.*

235. *Manes*] Animam meam jamdudum inferis debitam. *Farnabius.*

237. *Virtus*] Fortitudo mea quæ veteribus sola virtus dicebatur, *ἀνδρεία* ab *ἀνὴρ*, ut virtus à viro. *Idem.*

238. *Ingenii*] Quo Sphyngis ænigma solvi. *Idem.*

Periere. cuncta sors mihi infesta abstulit.
Lachrimæ supererant. has quoque eripuit mihi.
Absiste. nullas animus admittit preces,
Novamque pœnam sceleribus quærit parem.
Et esse par quæ poterit? infanti quoque
Decreta mors est. fata quis tam tristia
Sortitus unquam? videram nondum diem,
Uterique nondum solveram clusi moras;
Et jam timebar. protinus quosdam editos
Nox occupavit, & novæ luci abstulit.
Mors me antecessit. aliquis intra viscera
Materna letum præcoquis fati tulit:
Sed numquid & peccavit? abstrusum, abditum,
Dubiumque an essem, sceleris infandi reum
Deus egit. illo teste damnavit parens,
Calidoque teneros transfuit ferro pedes,

Et

240. *Has quoque eripui mihi.*] Malit Florens, *eripuit mihi.* Non tulit tacitum Delrius: frustra intrudunt, *eripuit*, invitis libris, inquit. Sane libris vulgaribus: sed non unico illo Florentino, qui plane, *eripuit*. Neque adversatur, quod ipse manibus suis effoderat oculos. Nam & ultro regno se abdicarat, & patrem ipse occiderat; eadem tamen etiam infestæ sorti attribuit. *Gronovius.* Etutis oculis. an & cum his lacrymas? *Farnabius.*

243. *Infanti*] Pater meus Lajus ab oraculo prænonitus fore ut manu filii periret, me, ut primum natus sum, feris exponendum servo tradidit. is me perforatis plantis ad arborem suspendit, ubi à pastore Polybi Corinthiorum regis Phorbante inventus servatusque Meropæ reginæ donatus sum, quæ me pro suo habuit. ego autem ubi idem consulto oraculo accepissem, Corintho profugiens, ne falso creditum patrem Polybum aliquando interficerem, Phocidem adveni, ubi in trivio de via contendens patrem inscius interfeci. Oedip. 280, & 782. *Idem.*

247. *Protinus*] Quam primum editi sunt, perimuntur aliqui: ego nondum natus morti addictus sum. *Idem.*

248. *Nox occupavit*,] Vulgo *nex*, non repugnabo, si quis volet ex v. l. reponere *nox*. tum propter sequens *luci*, tum etiam quia Æschylo in Agamemn. & frequenter Catullo, Virg. Horatio & Ovidio, *nox* mortem significat. *Delrius.*

249. *Mors me antecessit.*] Senecæ hoc esse intelligas ex paullulum inverso epist. 61. *Qui latitant & torpent, sic in domo sunt, quomodo in conditivo. Horum licet in limine ipso nomen marmori inscribas, mortem suam anteceserunt.* Gronovius. *Aliquis*] Alii in utero moriuntur, an forte quia peccaturi, ut ego? *Farnabius.*

250. *Præcoci fati*] Florentinus confirmat Mog. & cæterorum *præcoquis*. Gronovius.

252. *Dubiumque*] Embryonem. *Farnabius.*

254. *Transtulit ferro pedes*,] Sic etiam Lipsianus: & adsunt huic lectioni, si diis placet, notando *transfo*

Et in alta nemora pabulum misit feris,
Avibusque sævis, quas Cithæron noxius
Cruore sæpe regio tinctas alit.
Sed quem deus damnavit, abjecit pater,
Mors quoque refugit. præstiti Delphis fidem.
Genitorem adortus impia stravi nece.
Hoc alia pietas redimet? occidi patrem,
Sed matrem amavi. proloqui hymenæum pudet,
Tedasque nostras. has quoque invitum pati
Te coge pœnas. facinus ignotum, efferum,
Inusitatum effare, quod populi horreant,
Quod esse factum nulla non ætas neget,
Quod patricidam pudeat. in patrios toros
Tuli paterno sanguine aspersas manus.

Scele-

fero dictum esse, quasi *transfero*. Lipsius, *transtudit*, vel *transfit*: quorum prius in editiones receptum. In quibusdam editt. *transfuit*: quod posse defendi dubitanter Lipsius ac Delrius adfirmant. At, ô boni, hoc erat, quod unum debebat defendi, procul habitis conjecturis. Sic enim ille primæ bonitatis codex. Ovidius lib. 2. Fastor. *Sacerdotes verubus transfuta sacrificii Exta parant.* Sic enim Mss. ubi vulgo, *transfixa*. Cornelius Celsus lib. 5. cap. 26. *quo sæpius acus corpus transfuit, quoque plura loca injectum vinculum mordet.* Vbi etiam male sollicitarunt. Lib. 7. cap. 25. *tum qua notæ sunt, cutis acu filum ducente transfuitur.* Columella lib. 6. de re rust. cap. 5. *media pars descripti orbiculi eadem subula transfuitur, & facto foramine prædicta radicula inseritur.* Gronovius. Gladio, seu subula. *Farnabius.*

256. *Avibus & avidis*,] Vulgates scripti: *Avibusque avidis.* Et fuere, qui hunc hiatum pati, fuere qui *Avibusque avitis* divinare potuerunt. Conquiescant in posterum & cum omnium antiquissimo legant: *Avibusque sævis, quas.* Idem fiunt in sequenti versu Delriani & Lipsiani *tinctas*, non *attractas*. Gronovius.

257. *Cruore*] Vt Actæonis & Penthei. *Farnabius.*

258. *Deus*] Apollo edito oraculo. *Idem.*

259. *Delphis*] Oraculo Delphico. *Idem.*

261. *Hoc alia*] Ironia. *Idem.*

262. *Hymenæum*] Nuptias ἀπὸ τῆς ὁμῦ νεῖσθαι τὴν νύμφον τῷ νυμφίῳ. *Vel* à membranula illa, quæ virginibus in primo Veneris aditu rumpitur. *alii* ad historiam de Hymenæo quodam Argivo referunt, & ab ejus (quod virginibus Atticis à Pelasgis raptis præstiterat) subsidio institutum ferunt hymnum, qui Hymenæus dicitur, qualis Romanis Thalassio. *Idem.*

263. *Tedasque*] Faces quinque, in nuptiis adhibitas, ut & in sacris, è teda arbore de larium genere, è qua succus pice liquidior. Vide infra v. 507. *Idem. Has quoque invitum pati Te coge pœnas.*] Tale, quale Ovidii in persona Lucretiæ: *Hoc quoque Tarquinio debebimus, eloquar, inquit, Eloquar infelix dedecus ipsa meum.* Gronov.

264. *Pœnas.*] Vt audias quod meminisse horret. *Farnabius.*

Sceleriſque pretium majus accepi ſcelus.
Leve eſt paternum facinus. in thalamos meos
Deducta mater, ne parum ſcelerum foret,
Fecunda. nullum crimen hoc majus poteſt
Natura ferre. ſi quod etiamnum eſt tamen;
Qui facere poſſent, dedimus. abjeci necis
Pretium paternæ ſceptrum, & hoc iterum manus
Armavit alias. optime regni mei
Fatum ipſe novi: nemo ſine ſacro feret
Illud cruore. magna præſagit mala
Paternus animus. jacta jam ſunt ſemina
Cladis futuræ. ſpernitur pacti fides.
Hic occupato cedere imperio negat:
Jus ille, & icti fœderis teſtes deos
Invocat, & Argos exul atque urbes movet
Graias in arma. non levis feſſis venit
Ruina Thebis. tela, flammæ, vulnera
Inſtant, & iſtis ſi quod eſt majus malum;
Ut eſſe genitos nemo non ex me ſciat.
Antig. Si nulla, genitor, cauſa vivendi tibi eſt,

Hæc

271. *Ne parum ſcelerum foret, Fœcunda.*] Flor. *ſceleris.* Ovidius in 2. met. *Scilicet hoc etiam reſtabat adultera, dixit, Vt fœcunda foret.* Gronovius.

272. *Fecunda.*] Quatuor enim Oedipo peperit liberos: maſcul. Eteoclem, Polynicem: fœmin. Antigonem, Iſmenen. *Farnabius.*

274. *Qui facere poſſent,*] Filios, qui ſcientes peccare velint. *Idem.* De Eteocle & Polynice loquitur; quos Euripides, Ovidius, Seneca & Papinius Oedipi & Iocaſtæ filios fuiſſe ſcripſerunt, ſed hoc refellit, in Boœticis Pauſanias, fretus teſtimonio auctoris Oedipodiorum carminum, contenditque illos Oedipi ex Euryganea filios fuiſſe. *Delrius.*

276. *Regni*] Herc. Fur. verſ. 385. *Farnabius.*

277. *Sacro*] Execrando, impie fuſo. *Idem.*

280. *Pacti*] Vt alternis annis regnarent. *Idem.*

281. *Hic occupato*] Eteocles. ſup. verſ. 56. *Idem.*

282. *Ille,*] Polynices verſ. 58. *Id.* *Icti fœderis*] Fœdus icere, ferire, percutere dicitur à cæſo porco, *ut Livio*; porca, *ut Virgilio & Suetonio: ſed & Cic. 2. de leg. Porco femina piaculum dare dixit.* In ſacris vero plus valere fœminas victimas obſervatum eſt. In fœdere itaque Fœcialis ſive ſacerdos porcum ſilice feriens dicebat; Iupiter ſic populum qui fœdus non ſervarit, ferito, ut ego hunc porcum ferio, tantoque magis ferito, quanto magis potens pollenſque eſt, *& à porco fœde & crudeliter cæſo Servius fœdus dici vult.* Idem.

293. Fa-

Hæc una abunde est, ut pater gnatos regas
Graviter furentes. tu impii belli minas
Avertere unus, tuque vecordes potes
Inhibere juvenes, civibus pacem dare,
Patriæ quietem, fœderi læso fidem.
Vitam tibi ipse si negas, multis negas.
Oedip. Illis parentis ullus aut æqui est amor,
Avidis cruoris, imperii, armorum, doli,
Diris, sceleſtis; breviter ut dicam, meis?
Certant in omne facinus, & pensi nihil
Ducunt, ubi illos ira præcipites agat:
Nefasque nullum, per nefas nati, putant.
Non patris illos tangit afflicti pudor,
Non patria. regno pectus attonitum furit.
Scio quo ferantur, quanta moliri parent:
Ideoque leti quæro maturi viam,
Morique propero, dum in domo nemo est mea
Nocentior me. gnata, quid genubus meis
Fles advoluta? quid prece indomitum domas?
Unum hoc habet fortuna, quo possim capi,
Invictus aliis. sola tu affectus potes
Mollire duros, sola pietatem in domo
Docere nostra. nil grave aut miserum est mihi;
Quod te sciam voluisse. tu tantum impera.
Hic Oedipus Ægæa tranabit freta,
Jubente te; flammasque, quas Siculo vomit
De monte tellus igneos volvens globos,
Excipiet ore; seque serpenti offeret,

Quæ

293. *Fœderi*] Modo vers. 280. *Farnabius.*

294. *Multis*] In bello petituris illo, quod tu vivendo inhibere poteris. *Idem.*

297. *Meis?*] Impiis, utpote ex incestu genitis. *Idem.*

308. *Vnum*] Te tuas preces, tuam pietatem. *Idem.*

313. *Oedipus*] Græca terminatione ultimam produxit. *Flor.* *Ægæa*] Mare Europam ab Asia disterminans. ab Ægæo, Thesei patre. *alii*, à scopulo, qui αἰγᾶς, id est, capræ speciem præfert. *Idem.*

314. *Siculo*] Ætna. vers. 80. Herc. Fur. *Idem.*

316. *Serpenti*] Draconi vigili, qui furit

Quæ sæva furto nemoris Herculeo furit;
Jubente te præbebit alitibus jecur,
Jubente te vel vivet. ———

furit sævus propter aurea mala ab Hercule surrepta. vers. 237. Herc. Fur. *Farnabius.*

317. *Furto nemoris*] Quia Hercules aurea mala custodiæ ejus commissa avertit. Lucretius: *Aureaque Hesperidum servans fulgentia mala, Asper, acerba tuens, immani corpore serpens, Arboris amplexus stirpem* — Lucanus: *Abstulit arboribus pretium, nemorique laborem Alcides, passusque inopes sine pondere ramos, Rettulit Argolico fulgentia poma tyranno.* Agrœtas, in Libycis, ait, non poma fuisse, sed oves fulvi coloris: ortam vero fabulam ex ambigua significatione vocis μῆλα. *Delrius.*

318. *Præbebit*] Vt Tityus Herc. Fur. 755. *Farnabius.*

319. *Iubente vivet.*] Flor. cum Lipsiano, & aliis: *Iubente te vel vivet.* Gronovius. Quod omni cruciatu majus. extremum enim malorum illi vita. *Farnabius.*

ACTUS SECUNDUS.

NUNCIUS. OEDIPUS. ANTIGONE.

Nuncius à Thebanis missus Oedipum obsecrat, ut rediens componat filios, abnuit Oedipus, & in sylvas se recipiens filiis diras imprecatur.

Nunc. Exemplum in ingens regia stirpe edite,
Thebæ paventes arma fraterna invocant,
Rogantque tectis arceas patriis faces.
Non sunt minæ, jam propius accessit malum.
Nam regna repetens frater & pactas vices
In bella cunctos Græciæ populos agit;
Septena muros castra Thebanos premunt.
Succurre; prohibe pariter & bellum & nefas.
Oedip. Ego ille sum, qui scelera committi vetem,
Et

320. *Regia stirpe edite,*] Implet versum & Flor. *Exemplum in ingens regia stirpe edite.* Nec potest hic versus cum superiore hemistichio conglutinari, quia medius intervenit Chorus. Iustinus lib. 23. *Admirabilis utriusque rei casus in exemplum fuit.* Gron.

321. *Paventes*] Paventes bella, te tuamque opem invocant. *Farnabius.*

324. *Regna*] Supra vers. 282. & vers. 58. *Idem.*

326. *Septena*] Castra septem ducum, qui Adrastus, Tydeus, Polynices, Capaneus, Hippomedon, Amphiaraus, Parthenopæus. qui singuli singulas portas Thebarum obsedere. *Idem.* Vide Æschylum, in tragœdia, Septem ad Thebas; ex qua nonnulla Seneca in hac tragœdia accepit. *Delr.*

328. *Ego ille sum,*] Imo vero scelestus cum sim Diisque iratis genitus, qui potius jubeam & deceam. Sui itaque detesta-

Et abstinere sanguine à caro manus
Doceam? magister juris & amoris pii
Ego sum? meorum facinorum exempla appetunt.
Me nunc sequuntur. laudo, & agnosco libens.
Exhortor, aliquid ut patre hoc dignum gerant.
Agite ô propago clara, generosam indolem
Probate factis; gloriam ac laudes meas
Superate: & aliquid facite, propter quod patrem
Adhuc juvet vixisse. facietis, scio.
Sic estis orti. scelere defungi haud levi,
Haud usitato, tanta nobilitas potest.
Ferte arma. facibus petite penetrales deos,
Frugemque flamma metite natalis soli.
Miscete cuncta. rapite in exitium omnia.
Dejicite passim mœnia, in planum date.
Templis deos obruite, maculatos lares
Conflate. ab imo tota considat domus.
Urbs concremetur. primus à thalamis meis
Incipiat ignis. *Antig.* Mitte violentum impetum
Doloris, ac te publica exorent mala,

Auctor-

detestatione & stirpis odio diras natis imprecatur. *Farnabius.* Præstat, ut opinor, hæc lectio illi, quam Lipsius ex veteri libro repræsentat. Nam si uterque frater regno potiretur, tunc recte *sceptra committi* dicerentur. Sed solus Eteocles sceptro occupato fratrem exulem tunc habebat neque in pactas vices restitui sinebat. Itaque recte mater infra ad Polynicem — *& nondum imperas, Quid sceptra facient?* Florens.

330. *Magister juris*] Rectè: amoris erga prolem aut fratrem, vel parentes. Non minus tamen elegans existimem, *juris & moris*. Ius ad scriptam legem referas, morem ad natam. *Raphel.*

333. *Patre*] *Emphasis.* me parricida, incesto. *Farnabius.*

334. *Clara,*] Certe mea, vel Ironice, ut & sequentia. *Farnabius.*

339. *Nobilitas*] In malam & in bonam partem sumi potest; hîc in malam sumitur. *Delrius.*

340. *Penetrales*] Penates Deos domesticos, qui propè focum. Penatibus enim cura æterni ignis credita, qui vitæ symbolum. Sunt enim Penates per quos penitus spiramus & animæ rationem habemus, quasi penes nos natos dicas. Thyest. 773. *Farnabius.*

343. *Dejicite passim mœnia,*] Flor. *Dissicite.* Significat: *Dejicite.* Virgilius lib. 8. Æn. *duo præterea disjectis oppida muris.* Ovidius lib. XII. *vel cum Lyrnesia primum Mœnia dejeci.* Vbi etiam quidam codd. *dejeci.* Gronov.

344. *Lares*] Imagines Deorum domesticorum aureas, argenteas, æreasve incendiis conflate. *Farnabius.*

349. *Pla-*

Auctorque placidæ liberis pacis veni.
Oedip. Vides modestæ deditum menti senem?
Placidæque amantem pacis ad partes vocas?
Tumet animus ira, fervet immensum dolor,
Majusque, quam quod casus & juvenum furor
Conatur, aliquid cupio. non satis est adhuc
Civile bellum. frater in fratrem ruat.
Nec hoc sat est. quod debet, ut fiat nefas
De more nostro, quod meos deceat toros;
Date arma patri. nemo me ex his eruat
Silvis: latebo rupis exesæ cavo,
Aut sepe densa corpus abstrusum tegam.
Hinc aucupabor verba rumoris vagi,
Et sæva fratrum bella, quod possum, audiam.

* * * * * *

349. *Placidæque*] Mene invitas ad sedandas partium iras, ac si essem pacificus? Frustra. Tumet enim animus ira. *Idem.*

355. *Frater in fratrem*] Has diras à Sophocle accepit: quibus respondit eventus. nam cum in fraterno duello Eteocles vulneratus corruisset, mortuum ratus Polynices, spolia lecturus ei incubuit; ille assurgens gladio excepit & transfodit. sic in jacentem frater fratrem ruit. vide Statium lib. 11. Thebaid. *Delrius.*

357. *Quod meos*] Immane & inauditum. *Toros;*] Quo probent se ex me genitos. *Farnabius.*

361. *Hinc aucupabor*] Captabo. *Idem.*

ACTUS TERTIUS.

* Ἀγάφαλον *

JOCASTA. ANTIGONE. NUNCIUS.

Iocasta audito in procinctu stare utramque aciem propere fertur, filios (si fieri possit) in gratiam reductura.

Iocasta. Felix Agave, facinus horrendum, manu
Qua fecerat, gestavit; & spolium tulit
Cruen-

* Ἀγάφαλον] Multa desunt in fine præcedentis Actus. Deest etiam hujus Actus tertii principium. *Farnab.*

363. *Agave,*] Penthei mater & Bacchæ filium ejus Pentheum discerpserunt. Sup. vers. 17. *Idem. Facinus*] Thyrso affixum caput Penthei. *Idem.*

365. *Cruen-*

Cruenta nati Mænas in partes dati.
Fecit scelus, sed misera non ultra suum
Scelus hoc cucurrit. hoc leve est, quod sum nocens;
Feci nocentes. hoc quoque etiamnum leve est;
Peperi nocentes. deerat ærumnis meis,
Ut & hostem amarem. Bruma ter posuit nives,
Et tertia jam falce decubuit Ceres,
Ut exul errat gnatus, & patria caret,
Profugusque regum auxilia Graiorum rogat.
Gener est Adrasti, cujus imperio mare,
Quod cingit Isthmon, regitur. hic gentes suas,
Septemque secum regna ad auxilium trahit
Generi. quid optem, quidve decernam, haud scio.
Regnum reposcit. causa repetentis bona est;
Mala, sic petentis. vota quæ faciam parens?
Utrumque natum video. nil possum pie
Pietate salva facere. quodcumque alteri
Optabo nato, fiet alterius malo.
Sed utrumque quamvis diligam affectu pari;
Quo causa melior, sorsque deterior trahit,

Incli-

365. *Cruenta nati*] Persius: *Et raptum vitulo caput ablatura superbo Bassaris, & lyncem Mænas flexura corymbis.* Agaven, ut noster, Mænadem appellat. Vide Apollodor. lib. 3. Bibl. *Delrius.* *Mænas*] Bacchis, à μαίνεσθαι furere. *In partes dati.*] Discerpti. *Farnabius.*

366. *Sed misera*] Sed illa non ulterius progressa in alia incidit scelera, ut ego. *Idem.* *Non ultra suum Scelus hoc cucurrit.*] Flor. *non ultra suo Sceleri occurrit.* Locus desperatus, utcumque Lipsius, *hæc cucurrit.* An *occucurrit?* Vt apud Iustinum lib. 18. *neve amara admonitio oculis ejus occurrat.* Gronovius.

368. *Nocentes.*] Lipsius *nocentem* reponit, quia de Oedipode solo sermo est. sed & alias scelus indignanter adaugens pluralem pro singulari ponit Hercul. Fur. 285. Quin & Sophocl. Πατέρας de unico Oedip. & μητέρας de Iocasta sola dixit; *vel*, feci nocentes me & Oedipum. *Farnabius.*

370. *Hostem*] Polynici enim jus suum armis repetenti faveo. *Idem.*

371. *Tertia*] Hic Euripidem sequutus inducit Iocastam tertio post anno quam incestum agnovit, viventem: cum in Oedipo, agnito facinore statim sibi mortem consciscat. *Idem.*

373. *Profugusque*] Sup. vers. 58. & 326. *Idem.*

375. *Quod cingit Isthmon,*] Livius lib. 5. *Mari supero inferoque quibus Italia insulæ modo cingitur.* In Flor. est *Isthmos.* Forte, *Quodscindit Isthmos.* Vel, *findit.* Hercul. Fur. *Et bina findens Isthmos exilis freta.* Gronovius.

379. *Sic petentis*] Contra patriam atma externa inferentis. *Farnabius.*

385. *Sem-*

Inclinat animus, semper infirmo favens.
Miseros magis fortuna conciliat suis.
Nunc. Regina, dum tu flebiles questus cies,
Terisque tempus, tota nudatis stetit
Acies in armis. æra jam bellum cient,
Aquilaque pugnam signifer mota vocat.
Septena reges bella dispositi parant.
Animo pari Cadmea progenies subit.
Cursu citato miles hinc illinc ruit.
Vide, ut atra nubes pulvere abscondat diem,
Fumoque similes campus in cœlum erigat
Nebulas, equestri fracta quas tellus pede
Submittit: &, si vera metuentes vident,
Infesta fulgent signa: subrectis adest
Frons prima telis: aurea clarum nota
Nomen ducum vexilla præscriptum ferunt.

I, red-

385. *Semper infirmo favens.*] Livius lib. 42. *Fama equestris pugnæ nudavit voluntates hominum: non enim solum, qui partis Macedonum erant, sed plerique ingentibus Romanorum obligati beneficiis lati eam famam excepere; non ob aliam causam, quam pravo studio, quo etiam in certaminibus ludicris vulgus utitur, deteriori atque infirmiori favendi.* Quintil. declam. 5. *Hunc primus nascendi locus,* &c. *quosdam magis severitas probitasque commendat: in quibusdam diliguntur impatientius calamitates: & damna corporum debilitatesque membrorum notabilius miseratione complectimur.* Gronovius. *Infirmo*] Polynici. Sup. vers. 370. *Farnabius.*

388. *Tota nudatis stetit*] Flor. *salva nudatis adest Acies in armis.* Videtur monstrare, *sæva.* Pro Nuncio autem idem codex & in fronte scenæ & per illam ponit, *SATELLES,* & *SAT.* In eadem fronte apponuntur POLYNICES. ETEOCLES. quæ duæ personæ in sequentem scenam trajici debent, ubi vulgo male Eteocles omittitur. *Gronovius.*

389. *Æra*] Tubæ. *Farnabius.*

390. *Aquilaque*] Romano more vexillum Aquilam vocat Poëta. forte & Græci habuerunt. nam & Persæ, à quibus Romani, aquilæ usum sumpsere. *Idem.*

391. *Septena*] Hi septem Reges, Adrastus (teste Tyrtæo, linguâ mellifluâ) Amphiaraus, Parthenopæus, Tydeus, Capaneus, Hippomedon, Polynices: his Thebani totidem opposuêre duces; qui, Creon, Eteocles, Æmon, Hypseus, Eurymedon, Dryas, Menœceus. *Delrius.*

392. *Cadmea*] Thebani à Cadmo orti. *Farnabius.*

394. *Atra*] Pulveris ab equitatu excitati. *Idem.*

399. *Frons*] Acies instructa. *Idem. Aurea*] Aureis characteribus. Non enim solum ducum nomina aureis literis ferebant in vexillis, sed & signo cum minis insertis. *Idem.*

400. *Vexilla*] Paullus ex Festo, vexillum inquit, diminutivum à velo. videntur autem vexilla fuisse proprie vela, seu flammulæ iliæ, quæ etiam-

nunc

I, redde amorem fratribus, pacem omnibus;
Et impia arma mater opposita impedi.
Antig. Perge, ô parens, & concita celerem gradum;
Compesce tela, fratribus ferrum excute.
Nudum inter enses pectus infestos tene.
Aut solve bellum, mater, aut prima excipe.
Joc. Ibo, ibo, & armis obvium opponam caput.
Stabo inter arma. petere qui fratrem volet,
Petat ante matrem. tela, qui fuerit pius,
Rogante ponat matre: qui non est pius,
Incipiat à me. fervidos juvenes anus
Tenebo. nullum teste me fiet nefas.
Aut si aliquod & me teste committi potest,
Non fiet unum. *Antig.* Signa collatis micant
Vicina signis: clamor hostilis fremit:
Scelus in propinquo est: occupa, mater, preces.
Et ecce motos fletibus credas meis;

Sic

num hodie equitibus præferuntur. Sane Vegetius lib. 2. cap. 1. scribit, equitum alas dici vexillationes, ab eo quod velis, id est, flammulis utantur. idem pene ad verbum Modestus in lib. de re milit. qua de re consule B. Brissonium de verb. signific. lib. 19. & P. Pratejum thesauri Iuris Civilis & Canonici l. 20. *Delrius.*

402. *Matris oppositu impedi.*] Mirum hoc potuisse placere Florenti, quum haberet in promptu jam etiam editum, *mater opposita.* Sed, inquit Gruterus, hoc est præscribere auctori modum loquendi. Non est: nam ipsum sic auctorem locutum fidem faciunt Florentinæ & Vossianæ membranæ. *Gronovius.*

403. *Perge.*] Vetetes lib. novam hic constituunt scenam. *Parens.*] Quam, parens cum sis, discordes revereantur filii. Alii tribuunt hæc *Nuncio*, non enim, ut aiunt, verisimile est, ut hæc jam Thebis dicat Antigone, quæ nec prece, nec vi à patre avelli poterat, qui in Cithæronis sylva. Sed minus recte. Sunt enim verba minus decora, magisque pathetica, quam ut conveniant nuncio. Ne autem miremur filiam deseruisse patrem, ut succurreret fratribus: sic requirit pietas. & jam morti renunciarat Oedipus: unde est suprà vers. 319. *Iubente vivet.* Item v. 361. *Hinc auxupabor, &c.* Farnabius.

405. *Nudum*] Quod nutritionis illos admoneat. vers. 447. infrà. *Idem. Pectus*] Aut primum belli ictum excipe. *Idem.*

408. *Petere*] Ferro. *Idem.*

412. *Teste*] Me vidente.

413. *Aut si quod & me teste*] Etruscus: *Aut si aliquod & me.* Gronovius.

414. *Non fiet unum.*] Nam & ipsa una peribo. *Farnabius. Signa.*] Quæ tria. *Muta* ut vexilla; *vocalia*, quæ voce humana: *semivocalia*, quæ classico, tuba, buccina dantur. *Idem.* Et hæc Nuntio adscripsere nuperæ edd. mea sententia minus rectè.

417. *Et ecce motos*] Ista & sequen-

Sic agmen armis ſegne compoſitis venit.
Procedit acies tarda, ſed properant duces.
Joc. Quis me procellæ turbine inſanæ vehens
Volucer per auras ventus ætherias aget?
Quæ Sphinx, vel atra nube ſubtexens diem
Stymphalis, avidis præpetem pennis feret?
Aut quæ per altas aëris rapiet vias
Harpyia, ſævi regis obſervans famem,
Et inter acies projiciet raptam duas?
Nunc. Vadit furenti ſimilis, aut etiam furit,
Sagitta qualis Parthica velox manu
Excuſſa fertur; qualis inſano ratis
Premente vento rapitur; aut qualis cadit
Delapſa cœlo ſtella, cum ſtringens polum
Rectam citatis ignibus rumpit viam;
Attonita curſu fugit, & binas ſtatim
Diduxit acies. victa materna prece

Hæſe-

tia nuperæ edd. attribuunt Iocaſtæ. inepte, inepte. nec tale quid patitur votum ſequens: ex quo patet matrem longius adhuc abfuiſſe ab exercitu. ſcilicet Antigona ab exercitu ad matrem cucurrit, eam è gynæceo produxit in publicum, hæcque appoſitiſſimè loquitur, ſub conſpectum armorum. *Grut.*

422. *Sphinx,*] Monſtrum facit virginis, corpore volucris, pedibus leonis. Vide ſup. verſ. 120. *Farnabius. Atra*] Solem obſcurans alis expaſſis. Hercul. Fur. verſ. 1182. *Idem.*

423. *Stymphalis,*] Aves à Stymphalo Arcadiæ palude ſic dictæ. vide Hercul. Fur. & 243. *Idem.*

425. *Sævi regis*] Phinei. verſ. 153. Thyeſt. *Idem.*

427. *Vadit furenti ſimilis,*] Similes ſenſus apud Ciceronem ad Quintum: *ego vero facile patior Cæſarem exiſtimare, illum quam maximum fuiſſe plauſum: & prorſus ita fuit.* Virgiliumque lib. 6. Æneid. *qui ſurgere menſe Aut videt aut vidiſſe putat per ſidera lunam.* Et Ovidium lib. 6. met. *pennis pendere putares: Pendebant pennis.* Lib. 8. *Aut dedit aut viſus gemitus eſſe ille dediſſe Stipes.* Lib. 9. *modo cura micantia captat Aut captare putes.* Lib. 13. *utinam aut verus furor ille aut creditus eſſet.* Seneca epiſt. 114 *Si furit, aut quod furori ſimile eſt, iraſcitur.* Tacitus lib. 16. annal. *Crederes lætari, & ſortaſſe lætabantur per incuriam publici flagitii.* Silius lib. 16. *Nec fruſtra æquare videtur Aut etiam æquavit jugæ præcedentia.* Gronovius.

428. *Sagitta*] Thyeſt. verſ. 383. *Farnabius.*

430. *Premente*] Vrgente à puppi ſecundo vento. *Idem.*

431. *Delapſa*] *De cœlo lapſa ſereno, Quæſi non cecidit potuit cecidiſſe videri.* Eſt autem exhalatio ſuperius inflammata deorſum decurrens, ut cadere videatur. *Idem. Stringens*] Aëra dividens. *Idem.*

433. *Binas*] Inter utramque acies conſiſtit. *Idem.*

438. *Om-*

Hæsere bella, jamque in alternam necem
Illinc & hinc miscere cupientes manum,
Vibrata dextra tela suspensa tenent.
Paci favetur. omnium ferrum latet
Cessatque tectum, vibrat in fratrum manu.
Laniata canas mater ostendit comas;
Rogat abnuentes: irrigat fletu genas.
Negare matri, qui diu dubitat, potest.

438. *Omnium ferrum latet Cessatque telum*,] Vt legendum & distinguendum olim censuimus, repertum etiam nobis in castissimo librorum: *Cessatque tectum. Vibrat in fratrum manu.* Significat solos fratres adhuc in dextris strictos, habere gladios, cæteros in vaginas eos condidisse. Vide Diatriben cap. 41. *Gronov.* In vaginas reconditi gladii non vibrantur. *Farn.*

ACTUS QUARTUS.

JOCASTA. POLYNICES. ETEOCLES.

Iocasta utrumque filium serio precatur, ut simultate posita in gratiam & amorem redire velint. Polynices impie respondet.

In me arma & ignes vertite. in me omnis ruat
Unam juventus; quæque ab Inachio venit
Animosa muro; quæque Thebana ferox
Descendit arce. civis atque hostis simul
Hunc petite ventrem, qui dedit fratres viro.
Hæc membra passim spargite, ac divellite:
Ego utrumque peperi. ponitis ferrum ocius
An

444. *Ab Inachio*] Ab Argis, Inacho quondam regnatis. *Farnabius.*

447. *Fratres*] Natos eosdem & fratres Oedipo. *Idem.*

448. *Mea membra passim*] Flor. διεσπασμένα. *Hæc membra passim.* Gronovius.

449. *Ponitis ferrum ocius Ac dico & ex æquo mihi*] Sic scribunt fecisse N. cum inveniret in Basileens. *ex quo dexteras lege datis.* Mogunt & Lugd. *ex æquo dextras matri datis.* Sed veteres impressos, Ven. & Herbip. *ex æquo dextras matri date.* retinere se tamen inominati sui lectionem, quia versui consona, non quia meliora aliis. Bene diffidunt. Nos in quibusdam reperimus: *An dico & ex æquo dextras matri datis* vel *date.* Hæc omnia plus aut minus divertunt ab eo, quod habet Etruscus: *Ego utrumque peperi. ponitis ferrum ocius? An dico &, ex quo? dexteras matri date.* An exspectatis donec & vestrum & meum pudorem prodam, & addam, ex quo vos peperetim. nempe, & ipso filio meo. *Idem.* An deponitis arma dicto citius? *Farnabius.*

An dico &, ex quo? dexteras matri date.
Date, dum piæ sunt. error invitos adhuc
Fecit nocentes. omne Fortunæ fuit
Peccantis in nos crimen. hoc primum nefas
Inter scientes geritur. in vestra manu est,
Utrum velitis. sancta si pietas placet,
Donate matrem pace. si placuit scelus,
Majus paratum est. media se opponit parens.
Proinde bellum tollite, aut belli moram.
Sollicita nunc cui mater alterna prece
Verba admovebo? misera quem amplectar prius?
In utramque partem ducor affectu pari.
Hic abfuit. sed pacta si fratrum valent,
Nunc alter aberit. ergo jam numquam duos,

Nisi

451. *Pia sunt.*] Nec fraterna cæde pollutæ. *Farnabius.*

452. *Omne*] Quæ hactenus peccata sunt vel à me vel à patre vestro de origine vestra, fortunæ diræ imputanda sunt, adeoque ignorantia excusanda: vos primum scientes peccatis, an etiam volentes in vestra est potestate. *Idem.*

453. *Peccantis in nos, &c.*] Ita malim: minusque habet invidiæ, si & se & maritum complectatur. Aliis placuit *in vos:* nec repugno, dummodo norint alterum propugnari à plerisque Mss. vix unum esse qui stet pro illo, *vos.* Gruterus.

456. *Donate matrem pace.*] Retinuisse ait hoc Gruterus versus causa, explosa illo, *Donate matri pacem*, quod tamen occupet omnes membranas, injucundiore etiam vocum sonitu. At illud Scaligero ineptum, & hoc postulat sententia & libri Mss. Sed lex carminis repugnat, inquit ipse. Certe repugnat, nec unquam credam, ita impegisse vatem aut dedita opera violasse legem jamborum. Attamen omnes ita scripti, omnes. Quid exspectas? Prodigiose corrupta hæc tragœdia, & in primis ultima pars, quæ ἕλκεσι βρύει. Venit in mentem hic fuisse: *si pietas placet, Donate matri bella:* eodem sensu verbi *donare*, de quo ad vers. 253. monuimus: quem non assequitus corrector, cogitans matrem intervenire pacificatricem, *pacem* ingessit ἀντὶ τοῦ *bella:* ut superius *Negotiis* pro *Donatis.* Nimis quam verisimilis hæc mihi conjectura videtur, utcumque sit audacior. Frustra autem Gruterus laudat in sequenti è quatuor suis: *si placet scelus.* Nam in ea regione semper cavit jambum ponere Seneca, & hoc verbum est ex iis, in quibus præteritum placet interdum pro præsenti. Statim Flor. *Sollicita nunc cui mater.* Gronovius. *Donate*] Legitur &, *Donate matri pacem*, melius; nisi repugnaret lex carminis. *Farnabius. Si placuit*] Si pergitis, & frater in fratrem ruit, non ea meta sceleri: majus supereſt; quia primum interficienda ego mater. Peri neuter vestrûm nisi per me potest, quæ me objicio mediam. *Idem.*

458. *Belli moram.*] Me moram belli mediam. *Idem.*

462. *Hic abfuit.*] Polynices. *Idem. Pacta*] Sup. vers. 280. *Idem.*

463. *Nunc alter*] Eteocles. *Idem. Ergo jam nunquam*] Adposui interrogationem,

Nisi sic, videbo? junge complexus prior
Qui tot labores totque perpessus mala,
Longo parentem fessus exilio vides.
Accede propius, clude vagina impium
Ensem; & trementem jamque cupientem excuti
Hastam solo defige. maternum tuo
Coire pectus pectori clypeus vetat.
Hunc quoque repone. vinculo frontem exue,
Tegimenque capitis triste belligeri leva,
Et ora matri redde. quo vultus refers,
Acieque pavida fratris observas manum?
Affusa totum corpus amplexu tegam.
Tuo cruori per meum fiet via.
Quid dubius hæres? an times matris fidem?
Polyn. Timeo: nihil jam jura naturæ valent.
Post ista fratrum exempla, ne matri quidem
Fides habenda est. *Joc.* Redde jam capulo manum,
Adstringe galeam, læva se clypeo ingerat;
Dum frater exarmatur, armatus mane.
Tu pone ferrum, causa qui es ferri prior.
Si pacis odium est, furere si bello placet,

In-

gationem, quod absque eâ sententia videretur minus nervosa, minus ex voto matris, abominantis potius quam desperantis. *Gruterus.*

464. *Sic,*] Alterum per vices exulantem. *Farnabius.*

465. *Tu tot labores*] Flor. *Qui tot labores.* quod male mutavit Fabricius, & desiderare filum orationis recte animadvertit Gruterus: sed hic fallitur, quum *tot* potius abesse vult, quam *tu.* *Gronovius.* *Tu tot labores, &c.*] Lectio in speciem sana; sed arguunt eam omnes Mss. in quibus: *Tu qui tot labores, totque.* & verò vix mihi dubium fit exterminandam potius voculam *tot*, quam *qui*: quod hanc desideret filum sermonis; illam includat enclitica mox sequens *que*; adposita enim dictioni alicui notat inter alia & hoc, bis ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repetendam. *Gruterus.*

470. *Coire*] Conjungi. *Farnabius.*

471. *Vinculo*] Galeæ. *Idem.*

472. *Tegimenque*] Galeam. *Idem.*

473. *Quo vultus*] Quo respicis aut vultum torques, ac si fratrem timeres? *Idem.*

479. *Fratrum*] Fraternæ perfidiæ, *Idem.*

480. *Redde*] Recipe quæ deposueras à me rogatus arma. *Idem.*

482. *Dum frater exarmatur.*] Interea dum frater ponit arma, inquit, tu retine. *Exarmatur*] Legitur &, *est armatus.* Farnabius.

483. *Tu pone*] O Eteocles, qui violasti fidem pactam. *Idem.*

Inducias te mater exiguas rogat,
Ferat ut reverſo poſt fugam nato oſcula
Vel prima, vel ſuprema. dum pacem peto,
Audite inermes: ille te, tu illum times;
Ego utrumque, ſed pro utroque. quid ſtrictum abnuis
Recondere enſem? qualibet gaude mora.
Id gerere bellum cupitis, in quo eſt optimum
Vinci. vereris fratris infeſti dolos?
Quoties neceſſe eſt fallere, aut falli à ſuis,
Patiare potius ipſe, quam facias, ſcelus.
Sed ne verere: mater inſidias & hinc
Et rurſus illinc abiget. exoro, an patri
Invideo veſtro? veni, ut arcerem nefas,
An ut viderem propius? hic ferrum abdidit
Reclinis haſtæ, & arma defixa incubant.
Ad te preces nunc, nate, maternas feram,
Sed ante lachrimas. teneo longo tempore
Petita votis ora. te, profugum ſolo

Pa-

485. *Inducias*] Exiguam ſaltem belli moram. *Farnabius.*

487. *Prima*,] Poſt multos annos quibus eum non viderim. *vel* prima futuræ pacis pignora. *Idem. Suprema.*] Perituro fortaſſe in hoc bello, ſi bellum gerere perſiſtatis. *Idem.*

491. *In quo*] In quo melius foret occidi, quam injuriæ fratriſque cædi ſupereſſe. *Idem.*

496. *Patri*] Qui abſens & cæcus eſt, ego autem adſum, an ut repellam, an ut videam nefarium hoc bellum? infra vērſ. 552. *Idem.*

498. *Hic ferrum abdidit*] Eteocles precibus meis motus arma depoſuit, & haſtæ ſolo defixæ incubat reclinis. Solet autem miles ſi hoſtis à ſiniſtro latere appareat, in ſcutum ſe inclinare; ſi à dextro, in haſtam. *Idem.*

499. *Haſtæ, & arma defixa incubant.*] Lipſius *incubat.* At amicus ejus, *incubant*, inquit, non arma, ſed ipſe armis infixis incubabat, poëtice dictum. Grutero nec placet, quod addit Scholiaſtes, *gramini*, nec acquieſcere poteſt illi *incubat*, quod alii nupere editioni ſuæ intulerint obſecuti nudæ conjecturæ, nec ſatisfacit interpretatio commentatoris, ut ait, optimi, nec occurrit ferrum Criticum, quod ſpinam iſtam commode extrahat. Scribe: *Reclinis haſtam & arma defixa incubans.* Livius lib. 44. *Scuto præ ſe erecto ſtare galeatos: dein, ubi feſſi ſint, innixos pilo capite ſuper marginem ſcuti poſito ſopitos ſtare. Scuta κοῖλ' ἐξοχὴν* veteribus arma. *Incubat haſtam & arma*, ut Statius lib. 10. *ſoporifero ſtipatos flore tapetas Incubat.* Salluſtius l. 3. hiſtor. *ut ſuſtinere corpora plerique nequeuntes feſſi, arma ſua quiſquis ſtantes incumberent.* Plautus Caſina: *Gladium ſuciam cultitam, eumque incumbam.* Gronovius.

503. *Re-*

Patrio, penates regis externi tegunt:
Te maria tot diversa, tot casus vagum
Egere: non te duxit in thalamos parens
Comitata primos, nec sua festas manu
Ornavit ædes, nec sua lætas faces
Vitta revinxit. dona non auri & graves
Gazas socer, non arva, non urbeis dedit.
Dotale bellum est. hostium es factus gener,
Patria remotus, hospes alieni laris,
Externa consecutus, expulsus tuis,
Sine crimine exul. ne quid è fatis tibi
Deesset paternis, hoc quoque ex illis habes,
Errasse thalamis. nate, post multos mihi
Remisse soles; nate, suspensæ metus
Et

503. *Regis*] Adrasti. *Farnabius.*

505. *Non te*] Ego non conciliavi tibi nuptias, non nuptam in thalamum duxi, nec in lecto collocavi. *quod pronubæ officium est, quæ plerumque mater.* Id.

506. *Festa manu*] In nuptiis januæ festa fronde, ramis & sertis ornari solitæ. *Idem.* Domus ergo ornabatur, maxime postes januarum; testis Iuvenalis Sat. 6. Claudian. de nupt. Hon. & Mariæ: *Hi nostrâ nitidos postes obducere myrto Contendant: pars nectareis aspergere tecta Fontibus & flammâ lucos adolere Sabæos.* Iidem oleo inungebantur, & lanea vitta circumdabantur apud Romanos, teste D. Isidoro lib. 9. Orig. cap. ult. alii non oleum, sed adipem lupinum vel suillum memorant. ut Alexander lib. 2. Genial. cap. 5. *Delrius.*

507. *Latas*] Sponsa primum ad mariti limen veniens postes laneis vittis ornabat eosque adipe suillo ungebat, unde *unxor* dicta. pronuba autem ut plurimum sponsæ mater ademptas nupturæ virginales vittas facibus (quæ quinque, pro numero partus naturali, *vel* in honorem v. deorum, Iovis adulti, Iunonis adultæ, Veneris, Suadelæ, Lucinæ præferebantur à pueris patrimis & matrimis apud Romanos, à sponsæ matre apud Græcos) urendas implicuit sponsamque matronalibus vittis redimibat. *Farnabius.*

513. *Fatis*] Exulare utrumque sine culpa: oraculo uxorem accipere. *Idem.*

514. *Hoc quoque*] Vt Oedipus matris errarit thalamis quos insecuta est pestis, ita tu hostilis uxoris quos comitatur bellum dotale. *Idem.*

515. *Errasse thalamis*] Quomodo, errasse? quia cum civem, vel saltem non hostem ducere debuisset, externi sanguinis & hostilis uxorem duxit. erravit ergo Polynices thalamis, sicut Oedipus: oraculo uxorem accepit, quemadmodum Oedipus; exulavit quoque sine culpa Thebis, ut Corintho Oedipus. *Delrius.* *Post multos*] Post multos mihi reddite dies. *Farnab.*

516. *Nate, sollicitæ metus*] Membranæ principes: *Nate suspensæ metus Et spes parentis.* Bene lib. 4. de benef. 34. *ancipitem rerum ac lubricam sortem suspensus sequitur.* Eidem *pendere* sæpe est anxium sollicitumque esse. Oedipo: *Gravis Senectus sibimet & pendens Metus.* Gronovius.

Et ſpes parentis; cujus aſpectum deos
Semper rogavi; cum tuus reditus mihi
Tantum eſſet erepturus adventu tuo,
Quantum daturus; quando pro te deſinam,
Dixi, timere? dixit irridens Deus,
Ipſum timebis. nempe, niſi bellum foret,
Ego te carerem: nempe, ſi tu non fores,
Bello carerem. triſte conſpectus datur
Pretium tui, durumque: ſed matri placet.
Hinc modò recedant arma, dum nullum nefas
Mars ſævus audet. hoc quoque eſt magnum nefas;
Tam prope fuiſſe. ſtupeo, & exſanguis tremo,
Cum ſtare fratreis hinc & hinc video duos
Sceleris ſub ictu. membra quaſſantur metu.
Quam penè mater majus adſpexi nefas,
Quam quod miſer videre non potuit pater!
Licet timore facinoris tanti vacem,
Videamque jam nil tale, ſum infelix tamen,
Quod pene vidi. per decem menſum graves
Uteri labores, perque pietatem inclitæ
Precor ſororis, & per irati ſibi
Genas parentis; ſcelere quas nullo nocens,
Erroris à ſe dira ſupplicia exigens,
Hauſit; nefandas mœnibus patriis faces
Averte: ſigna bellici retro agminis
Flecte. ut recedas, magna pars ſceleris tamen
Veſtri peracta eſt. vidit hoſtili grege

Cam-

519. *Tantum*] Fratre in exilium alternum receſſuro. *Farnabius.*

535. *Decem*] Quibus te in utero geſtavi. etſi autem de partus tempore variant, alii menſes numerando *Solares* alii *Lunares*, & hos quidem vel Peragrationis vel Conſecutionis v. 838. Thyeſtis, vel denique Apparitionis: commodius tamen ad menſes ſolares xxx. dierum referunt pariendi tempus; cujus communiſſimus, menſis nonus: proximus menſis decimus aut ſeptimus. de ſexti menſis vitalitate diſputant medicorum filii: an menſis undecimi partus ſit legitimus, quærunt ICti. *Idem.*

536. *Perque pietate inclitæ Precor ſorores*,] Etruſcus: *perque pietatem inclitæ Precor ſororis.* nam ſola inter perſonas nominatur Antigone, & verſus 551. ubi altera ſoror Iſmene monſtratur, vitiatus eſt. *Gronovius.*

546. *Ex-*

Campos repleri patria, fulgentes procul
Armis catervas: vidit equitatu levi
Cadmea frangi prata, & excelsos rotis
Volitare proceres; igne flagrantes trabes
Fumare, cineri quæ petunt nostras domos;
Fratresque (facinus quod novum & Thebis fuit)
In se ruentes. totus hoc exercitus,
Hoc utrimque populus omnis, hoc vidit soror,
Genitrixque vidit: nam pater debet sibi,
Quod ista non spectavit. occurrat tibi
Nunc Oedipus: quo judice, erroris quoque
Pœnæ petuntur. ne, precor, ferro erue
Patriam, ac penates; neve, quas regere expetis,
Everte Thebas. quis tenet mentem furor?
Patriam petendo perdis. ut fiat tua,
Vis esse nullam? quin tuæ causæ nocet
Ipsum hoc, quod armis uris infestis solum,

Sege-

546. *Excelsos*] Sublimes in curribus, è quibus pugnare veteribus mos erat.

547. *Igne*] Faces incendia Thebis minitantes. *Farnabius.*

548. *Cineri*] Ad cinerem. *Idem.*

549. *Et Thebis*] Et Thebis, quibus nullum fere scelus novum est. *Idem.*

551. *Et utraque hoc vidit*] Flor. *totus hoc exercitus, Hoc utrimque populus omnis, hoc vidit soror.* etiam nempe sola Antigone. *Gronovius.*

552. *Debet*] Pro beneficio habet erutos à se oculos, ne hæc videat. *Farnabius.*

553. *Occurrat*] Si pater etiam ignorantiæ pœnas exegit, tu vide ne sciens volensque in scelus irruas. *Idem.*

559. *Nullam?*] Nullius itaque erit. *Idem.*

560. *Quod armis vertis infestis*] Obversabatur hic Grutero vera scriptura, quam tamen ipse probare non est ausus: adeo nimia erat cauti hominis superstitio in servando, quod expressum in membranis reperisset. At vel omnium optimæ, & ævo sacrosanctæ, quales Pandectæ Florentini, quales Gallici Livii, & rursum Florentinæ harum tragœdiarum, sæpe non tam exhibent quam sub nube & crepusculo vitiorum intermicantem ostendunt veritatem. Posset quibusdam arridere, *uris*, sed vulgatam probissimam arbitror ait. Immo solum, *uris*, omnibus debet arridere, qui locum salvum cupiunt: est enim expressum in optimo librorum: & quod pars maxima, *vestris*, aut *nostris*, inde factum, quod illud ceu compendium scriptum, cum integrum esset, acceperunt. Livio quoque hoc proprium & frequens. Lib. 27. *Achæos Machanidas tyrannus Lacedæmoniorum finitimo bello urebat.* Eodemque: *Punici belli, quo duodecimum annum Italia urebatur.* Lib. 28. *quum diu Sicilia Punico bello ureretur.* Lib. 32. *tanquam non intestino & hærente in visceribus uramur bello.* Silius Italicus lib. 15. vers. 539.

Segeteſque adultas ſternis, & totos fugam
Edis per agros. nemo ſic vaſtat ſua.
Quæ corripi igne, quæ meti gladio jubes,
Aliena credis? rex ſit è vobis uter,
Manente regno, quærite. hæc telis petes
Flammiſque tecta? poteris has Amphionis
Quaſſare moles? nulla quas ſtruxit manus,
Stridente tardum machina ducens onus;
Sed convocatus vocis & citharæ ſono
Per ſe ipſe turres venit in ſummas lapis.
Hæc ſaxa franges victor? hinc ſpolia auferes,
Vinctoſque duces patris æquales tui?
Matres ab ipſo conjugum raptas ſinu
Sævus catena miles impoſita trahet?
Ut adulta virgo mixta captivo gregi
Thebana nuribus munus Argolicis eat?
An & ipſa palmas vincta poſt tergum datas
Mater triumphi præda fraterni vehar?

Poteſne

Hunc etiam, vaſtis qui nunc ſeſe intulit oris, Perpetiar, miſeræ quærentem exurere belli Relliquias. Ita enim legendum. Vulgo, *Nunc.* Gronov.

561. *Segeteſque aduſtas ſternis,*] Immo *adultas*, ut legitur Florentiæ. Hercule Furente: *Nec adulta leni fluctuat Zephyro ſeges.* Idem.

566. *Poteris has Amphionis*] Fabula veteribus non ingenii tantum luſus ſed deorum hiſtoria & honor erat. Καὶ γὰρ τῶν ποιητῶν οἱ θεολογικοὶ, καὶ τῶν φιλοσόφων οἱ ἀρχαῖοι, οὔτε τὰς τελετὰς καθιδρύσαντες, & ὡς τὰ ὄντα χρησμοῖς οἱ Θεοὶ, μύθοις ἐχρήσαντο, ut inquit Salluſtius de diis & mundo. Ita quoque non Poëtæ modo finxerunt, ſed & τῶν Θεολογουμένων auctores pro vero tradiderunt muros Thebarum Amphionis lyra ſtructos. Apollodor. περὶ θεῶν γ'. τὴν μὲν πολιν ἐτείχησαν ἐπιναυκλήσαντων τῶν Ἀμφίονος λύρᾳ τῶν λίθων. Hæc antiquitatis fata venerabatur & credebat vulgus, ut de religionibus aliquod caput. Vnde & Thebis ex lapidibus, οἱ τῇ ᾠδῇ τοῦ Ἀμφίονος ἠκολούθησαν, circa tumulum monſtrabantur quidam, ἀφ' εἱρασμοῖ τοῦς τὸ ἀκρόασιν, teſte Pauſania in Bœoticis. Quare τὸ ἀπίθανον τῇ ψυχῇ hujus loci, quod nullum eſt, nemini riſum aut contemtum movere debet: utique Thebanorum, quibus hæc ἀληθέστερα τῶν ἐπὶ Σαύγαι, & pro impio habebatur & hoſte publico, ſi quis obtrectaret. Denique videmus hodieque in tanta luce veri pleraſque nationes fabuloſarum de majorum monumentis & locorum miraculis narrationum eſſe tenaciſſimas, ut odio, vi, malò plectant diffidentes. *Idem. Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis Saxa movere ſono teſtudinis.* Vid. Herc. Fur. 260. & 914. *Farnabius.*

572. *Patris*] Coævos patris, id eſt, ſenes. *Idem.*

578. *Fraterni*] De fratre acti. *Idem.*

584. *Quid*

Potesne cives lætus exitio datos
Videre passim? mœnibus caris potes
Hostem admovere? sanguine & flamma potes
Implere Thebas? tam ferum & durum geris
Sævumque in iras pectus, & nondum imperas?
Quid sceptra facient? pone vesanos, precor,
Animi tumores, teque pietati refer.
Polyn. Ut profugus errem semper? ut patria arcear,
Opemque gentis hospes externæ sequar?
Quid paterer aliud, si fefelliſſem fidem,
Si pejerasſem? fraudis alienæ dabo
Pœnas; at ille præmium scelerum feret?
Jubes abire. matris imperio obsequor.
Da, quo revertar. regia frater mea
Habitet superbus; parva me abscondat casa:
Hanc da repulso. liceat exiguo lare
Pensare regnum. conjugi donum datus
Arbitria thalami dura felicis feram,
Humilisque socerum lixa dominantem sequar?
In servitutem cadere de regno, grave est.
Joc. Si regna quæris, nec potest sceptro manus
Vacare sævo; multa, quæ possunt peti
In orbe toto, quælibet tellus dabit.
Hinc nota Baccho Tmolus attollit juga,
Qua lata terris spatia frugiferis jacent,

Et

584. *Quid sceptra*] Quid quæso facies si quando Rex fueris? *Farnabius.*

588. *Si fefelliſſem*] Quod fecit Eteocles. *Idem.*

592. *Regia frater mea Habitet superbus:*] Sane & Flor. *meus Habitet superba.* etsi alterum invidiosius. *Gronovius.*

595. *Conjugi*] In conjugis opulentæ domum receptus pro uxore heram habeam, imò habear & inserviam socero. *Farnabius.*

597. *Lixa*] Nonio, qui ligna vehunt exercitui, *calones*; qui vero aquam subministrant, *lixæ*: ipsæ quoque naviculæ quæ ligna subvehunt, D. Isidoro lib. 19. orig. cap. 1. *Delrius.*

598. *In servitutem*] Quia felicem fuisse miserum. Sed magni animi & fortis est, ubi quis è sublimi rerum statu deciderit patienter adversa tolerare. Vers. 923. Thyest. *Farnabius.*

602. *Tmolus*] Mons Lydiæ à Baccho superatus vitium & croci ferax. *Idem.*

604. *Pacto-*

Et qua trahens opulenta Pactolus vada
Inundat auro rura. nec lætis minus
Mæandros arvis flectit errantes aquas,
Rapiduſque campos fertiles Hebrus ſecat.
Hinc grata Cereri Gargara, & dives ſolum
Quod Xanthus ambit nivibus Idæis tumens:
Hinc, qua relinquit nomen Ionii maris,
Fauces Abydi Seſtos oppoſitæ premit:
Aut, qua latus jam propior Orienti dedit,
Tutamque crebris portubus Lyciam videt:
Hæc regna ferro quære. in hos populos ferat
Socer arma fortis: has paret ſceptro tuo
Tradatque gentes. hoc adhuc regnum puta
Tenere patrem. melius exilium eſt tibi,
Quam reditus iſte. crimine alieno exulas,
Tuo redibis. melius iſtis viribus,

Nova

604. *Pactolus*] Lydiæ fl. aureas trahens arenas. *Farnabius.*

606. *Mæandros*] Mæander celeberrimus Phrygiæ fluvius, multis anfractibus ſinuoſus & flexuoſus. v. 683. Herc. Fur. *Idem.*

607. *Campos fertiles Hebrus ſecat.*] Quum loca, quæ deſcribit omnia, Phrygiæ, Helleſponti, Lydiæ, Lyciæ in Aſia ſint, mirum eſt hic interponi *Hebrum* Thraciæ & Europæ. Fortaſſis, *Hermus.* Hunc enim ex monte Dindymenæ ſacro per Catacaumenen in Sardianam ferri διὰ τοῦ συνεχοῦς πεδίου μέχρι τῆς θαλάττης teſtis Strabo l. 13. *Gronovius.*

608. *Gargara,*] Montis Idæ cacumina frumento fertilia. *Farnabius.*

609. *Xanthus*] Scamander fl. Trojanus. *Idem.*

610. *Relinquit*] Et Helleſpontus dici cœpit; in cujus faucibus Abydus à latere Aſiatico oppoſita eſt Seſto à latere Europæo. *Nomen Ionii maris, Fauces Abydi Seſtos oppoſitæ*] Seſtos non magis urget fauces Abydi, quam Meſſana Siciliæ premit fauces Rhegii Italici, aut Abyla urget fauces Calpes. Delrius è Mogunt. & aliis notat, *Fauces Abydos*, ex Lugd. *Abydos Seſtoſque oppoſitæ premunt.* Comelinus è Pal. *Abydos.* Florentinus: *Fauceſque Abydo Seſtos oppoſita.* Scribe: *qua relinquit nomen Ionii, maris Fauces Abydo Seſtos oppoſitâ premit.* Vtraque enim premunt fauces maris, Seſtos oppoſitam habens Abydon, Abydos Seſton. Thyeſte: *& maris gemini premeus Fauces Corinthos.* Gronovius.

612. *Qua latus jam propior Orienti*] Ridicule ad Xanthum referunt, quaſi non interveneriț Seſtos, & tamen ſenſu nullo. Lege, *propius*, & refer ad *Mare.* Qua illud ſe flexit in latus circa Cnidum Rhodumque jam propius Orienti ſoli, & Lyciam alluit. Forte & mox: *Hic regna ferro quære.* Idem.

618. *Reditus iſte.*] Per vim & nefas. *Farnabius.*

619. *Melius uſus viribus.*] Etruſcus: *melius iſtis viribus.* Gronovius.

627. *Li-*

Nova regna nullo scelere maculata appetes.
Quin ipse frater, arma comitatus tua,
Tibi militabit. vade, & id bellum gere,
In quo pater materque pugnanti tibi
Favere possint. regna cum scelere, omnibus
Sunt exiliis graviora. nunc belli mala
Propone; dubias Martis incerti vices.
Licet omne tecum Græciæ robur trahas;
Licet arma longe miles ac late explicet;
Fortuna belli semper ancipiti in loco est,
Quodcunque Mars decernit. exæquat duos,
Licet impares sint, gladius: & spes & metus
Sors cœca versat. præmium incertum petis,
Certum scelus. Faviſſe fac votis deos
Omnes tuis: cessere, & aversi fugam
Petiere cives. clade funesta jacent.
Obtexit agros miles. Exultes licet,
Victorque fratris spolia dejecti geras;
Frangenda palma est. Quale tu id bellum putas,
In quo exsecrandum victor admittit nefas,
Si gaudet? hunc, quem vincere infelix cupis,
Cum viceris, lugebis. infaustas, age,
Dimitte pugnas. libera patriam metu,
Luctu parentes. *Polyn.* Sceleris & fraudis suæ
Pœnas nefandus frater ut nullas ferat?
Joc. Ne metue; pœnas & quidem solvet graves.

Regna-

627. *Licet*] Exercitu & copiis licet sis numerosior & instructior, imo melior: non tamen numero, non virtuti militum semper respondet fortuna, sed anceps belli alea, & ἀγὼν ἄρης impares æquat & potentioris spem impotentioris sæpe metui subjicit. *Farnabius.*

629. *Fortuna belli semper*] Interpunctio minus apta videtur Gruterο. Tentat igitur: *ac late explicet Fortuna belli: semper ancipiti:* & quia ne sic quidem his acquiescit, detracta litera legit: *Quocumque Mars decernit.* Sed nihil est suspecti. Anceps est, inquit, fortuna belli, quod bellum prælio & acie dijudicatur, non ratione & colloquio componitur. Vt apud Livium: *Primus impetus tem decrevit.* Gronov.

633. *Faviſſe*] Hæc ab Euripide sumsit, sed melius tractavit. *Delrius.*

638. *Frangenda*] Non tamen sincera erit tibi & integra victoria, quia non honesta. *Farnabius.*

647. *Pa-*

Regnabit. *Polyn.* Hæcne est pœna? *Joc.* Si dubitas, avo
Patrique crede. Cadmus hoc dicet tibi,
Cadmique proles. sceptra Thebarum fuit
Impune nulli gerere; nec quisquam fide
Raptâ tenebat illa. jam numeres, licet,
Fratrem inter istos. *Polyn.* Numero: & est tanti mihi
Cum regibus jacere. *Joc.* Te turbæ exulum
Adscribo. regna, dummodo invisus tuis.
Polyn. Regnare non vult, esse qui invisus timet.
Simul ista mundi conditor posuit Deus,
Odium atque regnum. regis hoc magni reor,
Odia ista premere. multa dominantem vetat
Amor suorum. plus in iratos licet.
Qui vult amari, languida regnet manu.
Invisa numquam imperia retinentur diu.
Joc. Præcepta melius imperii reges dabunt;

Exilia

647. *Patrique*] Lajo & Oedipo, quorum ille interfectus, hic, omni ærumnarum genere accumulatus. *Fav. Cadmus*] Regno pulsus & in serpentem mutatus. Herc. Fur. vers. 392. *Idem.*

648. *Sceptra*] Ibi. vers. 385. *Idem.*

649. *Fide*] Quod fecit Eteocles. *Id.*

651. *Et est*] Et ego tanti regnum æstimo; ut vel cum his regibus rex mori velim. *Idem.*

653. *Dummodo*] Quamdiu, si modo. porro pro *regna*, forte legendum, *regnas*. hac mente; quamdiu invisus tuis regnabis, non rex mihi, sed exsul videbere. sane ut mater invisum esse velit filium regem, non convenit, nisi iratæ & convicianti, ut dixi. *Delrius.*

654. *Regnare*] Ars prima regni est, posse te invidiam pati. Vers. 352. Herc. Fur. Oed. 703. *Farnabius.*

656. *Regis & magni reor,*] Delrius non male alicubi legi ait: *regis est magni reor.* Raphelingius, *regit at magni.* Gruteri unus, *regis hoc magni*: nec tamen rejecerit aliorum *at*. Etruscus: *regis hoc magni reor.* Itaque cessent conjecturæ. *Gronovius.*

659. *Qui vult amari,*] Precario regnat & subditorum arbitratu, qui amati vult.

660. *Invisa nunquam*] Hunc versum Iocastæ attribuit Raphelingius, sequentem cum reliquo Polynici. Delrius de duobus consentit: sed, *Exsilia tu dispone*, rursum dat Iocastæ, reliquum Polynici. Gruterus & Scaliger omnia Polynici præter, *Præcepta melius*, cum sequenti hemestichio, ut vulgo editur. Subtilius & commodius Grotius vers. 652. *te turbæ exsulum Adscribo*, tanquam matri minus conveniens, tradit Eteocli: Sensus, (non, si hæc tua sit politice, meliori eris exul, quam rex, ut volunt: sed,) frustra duces tanti: non enim tibi continget cum regibus jacere: exsul es, & manebis. quod sequitur, Polynici, *Regna dummodo invisus tuis*; Mox illud verè tyrannicum, *Regnare non vult*, iterum Eteocli: mitiora, *Qui vult amari*, Polynici: denique Eteocli: *Præcepta melius*, cum reliquo. *Gronovius.*

661. *Præcepta*] Quæcumque, inquit,

Exilia tu dispone. *Polyn.* Pro regno velim
Patriam, penates, conjugem flammis dare.
Imperia pretio quolibet, constant bene.

* * * * * * * * *

Deest, & magna pars hujus Tragœdiæ intercidit.

quit, à te dicta sunt, præcepta sunt regni: sed regum est, non tuum, ista edicere. Reges ergo melius præcepta regnandi dabunt, quam tu, qui exulas. Ipsi viderint quomodo disponant regna sua: tu (ut modo vers. 652.) quomodo in exsilio degas. Tam tibi præcepta exsilii quam illis imperii opus sunt. *Farnabius.*

664. *Imperia*] Euripides: Εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρὴ, τυραννίδος πέρι Κάλλιστον ἀδικεῖν. τἄλλα δ' εὐσεβεῖν χρεών. hos versus auctor est Suetonius lib. 1. sic à Cicerone conversos fuisse: *Si violandum est jus, imperii gratia Violandum est: aliis in rebus pietatem colas.* quæ cum Cæsar Iulius continuo haberet in ore, omnia jura divina & humana, inquit Cicero l. 1. offic. pervertit, propter eum quem sibi opinionis errore finxerat principatum. Merito Ennius scripsit: *Nulla sancta societas, nec fides regni est.* Porro ab hoc versu cetera desiderantur. *Delrius.*

L. AN-

L. ANNÆI SENECÆ *HIPPOLYTUS.

DRAMATIS PERSONÆ.

HIPPOLYTUS. PHÆDRA. THESEUS. CHORUS CIVIUM ATHENIENSIUM. NUNCIUS. NUTRIX. FAMULI.

ARGUMENTUM.

Hippolyti Theſei ex Antiope Amazone filii Dianam virginem ac venatricem colentis, abſente apud inferos Theſeo, noverca Phædra caſtitatem oppugnat, nec expugnat. Repulſa impudica muliere, Theſeo reduci privignum oblati per vim ſtupri inſimulat. Ille credulus, filio, qui jam domum impudicam fugerat, è votis quod reſtabat tertio fretus, abſenti mortem imprecatur: ratum facit votum Neptunus,

HIPPOLYTUS.] Sic tragœdias inſcripſerunt, Euripides, cujus exſtat; & Lycophron, cujus interiit. Sopatri Hippolytum citat Athenæus. Hippolyti hiſtoriæ planè ſimilem Comminii cujuſdam refert Plutarchus in Parellelis, ex Doſithei Italica hiſtoria. *Delrius.* Vet. lib. nonnulli hanc tragœdiam vocant, *Phædram.* atque ita citat Priſcianus lib. 6. ubi ait: Seneca, in Phædra: *Hippolyte me nunc compotem voti facis.* Idem. Etiam Phædra hæc fabula veteri meo libro dicitur. *Lipſius.* Tragœdia divina, & quæ paucis Latinorum cedit. Sane niſi Troadas excipias, nulli eſt ſecunda. Character eſt caſtus. œconomia optima. Nutrix tamen longe inferior Euripidis, cum Hippolytum accedit. Habet enim autor ille τὸ κομψὸν & πανοῦργον. Neque quicquam eſt tam ſceleſtum, quod non ab eo εὐδέξως dicatur. Profecto, aliam illius temporis rhetoricam fuiſſe oportet, quam eſt pædagogulorum hodie, qui ad ſuas neſcio quas præceptiunculas & τεχνυδέλα, puerorum ingenia aſtringunt. Etiam aliam, quam quæ in Thebaide elucet. In qua animam imitationis τὸ ἦθος; ſententiolæ comminuunt & intercludunt. Hæc Dianæ auxilium; illa Veneris implorat. Sane optime. Non enim virgo contra caſtitatem invocati debet. Chorus Græci, cujus eſt initium: Ἔρως Ἔρως ὁ καθ' ὁμμάτων Στάζεις πόθον, eſt inimitabilis. Ei primum ſuum Seneca oppoſuit, non tam bono ſucceſſu. Reliqui quoque fere omnes è Græco ſunt adumbrati. In cæteris ſuperiores ſumus. Ibi Theſeo Hippolytus occurrit: quod hic ſapienter vitatur. Nulla enim verba digna tanto ſcelere excogitari poterant. Et tamen, res leviſſime tranſigitur. Iam de juramento, cujus cauſa factum Phædræ ab Hippolyto celatur, cum ſe uno verbo expedire potuiſſet, ſignum pœnitentis eſt poëtæ, ut qui male œconomiam ſuam orſus eſſet. Accedit τὸ ἄλογον. Ante enim dixerat, cum nullum periculum immineret, Η' γλῶσσ' ὀμώμοχ', ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος. Sed & talis eſt inventio tabellæ, quam cum Phædra jam pendentem Theſeus invenit. Niſi enim hoc excogitaſſet, unde ſcire poterat quid evenisſet? Plane hærebat illi aqua. Quare quod in Comico εὕρεσιν vocari ſolet & laudatur, hoc in Tragico ἀνοικονόμητον dicendum eſt. Quod perpetuum eſſe Euripidis vitium, magnus Ariſtoteles notavit. Ergo ſucceſſum vide. pœnas dat uterque, & poëta & Hippolytus. Hic ditipitur ab equis: ille ut actionem quam tot modis intricaverat abſolvat, it ad machinam, &

Dianam

ptunus, emisso tauro marino, qui equos Hippolyti consternat, unde per vepres & saxa distractus auriga dilaniatur. Quod ubi resciuit malè sibi conscia mulier, scelus suum falsum que crimen apud maritum confessa, gladio se transfigit. Theseus innoxii filii casum lugens, iramque suam detestatus, collectos passim artus componit.

ACTUS PRIMUS.

Hippolytus.

Hippolytus varia loca & munera ministris & venationis comitibus dispertit; Dianamque venationis Deam invocat.

Ite, umbrosas cingite silvas,
Summaque montis juga Cecropii
Celeri planta lustrate vagi.
Quæ saxoso loca Parnethi
Subjecta jacent; & quæ Thriasiis
Vallibus amnis rapida currens

Dianam introducit, quæ rem Theseo exponit. Sic Hippolytus in urbem rursus redit, & quod fieri non poterat, si vel nomen tueretur suum, placide expirat. Noster quia rem præceperat, sine ullo protenus labore ad finem perducit. Duas ὄψεις σκηνικὰς adjunxit: quibus oculorum lenocinium quæsivit. Nam & Phædra coram populo sibi manum infert: & Hippolyti reliquiæ exhibentur. De quibus supra. Sed in singulis hæc persequi Tragœdiis, non est animus. Cum id suo sibi loco melius futurum sit. Et jam properamus. *Heinsius.*

Vers. 1. *Cingite*] Indagine, odora canum vi, retibus. *Farnabius.*

2. *Cecropii;*] Attici à Cecrope qui oppidum Cecropiam condidit, quod postea in arcem Athenarum mutatum est, unde regio & mons vicinus nomen habent. *Idem.*

4. *Quæ saxa solo Carpeneito*] Flor. ut ex Delrianis unus: *saxosa loca Parnetho.* Itaque rectè Scaliger: *quæ saxoso loca Parnethi.* Gronovius. Solus meus codex scriptus: *Quæ saxosa loca Parnetho.* benè, sanè perbenè, si unicam litterulam mutes: *saxoso.* nam Parnes Atticæ mons nobilis, Thucydidi, Aristophani, Luciano, Straboni, Stephano prope Hymettum: laudatus à Pausaniâ in Attic. copiosâ ursorum & aprorum venatione: *vitibus benignum* vocat Statius in Thebaid. *Delr.* Πάρνης mons Atticæ. unde merito saxosum vocat. Aristophanes νεφέλαις extulit feminino genere, βλέπτε νυῦ πρὸς τὴν Πάρνηθα. Sed alibi extulit masculino, ἐς κῆρυκας ἥξω φέρων τε δεῦρο τὸν Πάρνηθ' ὅλον. *Scal.*

5. *Et quæ Thriasiis Vallibus*] Restituit Fr. Raphel. Post quem miror Gruterum crepare constantiam codicum, qui *Thyasis* vel *Tiasis*, vel *Thyasis*, ut videatur gigneudi casus, inquit, applicandumque illi *amnis*. Quis novit amnem Thyasin? Omnes codices corrupti. Ipse etiam Florentinus, qui *trisiu*. Rectè *Thriasiu*. nisi malis *Thriasii*, scilicet campi. Nam Θριάσιον πεδίον appellare solent. *Gronovius. Thriasiis*] Thriasiis vallib. *Thria* enim vicus Atticus in tribu Oenoa. *Farnabius.*

Verberat unda; ſcandite colles
Semper canos nive Riphæa.
Hac hac alii, qua nemus alta
Texitur alno; qua prata jacent,
Quæ rorifera mulcens aura
Zephyrus vernas evocat herbas:
Ubi per glacies lenis Iliſſus
Ubi Mæander ſuper æquales

Labi-

8. *Nive*] Indurata à Borea flante à Riphæis montibus Scythiæ. *Farnab.*

12. *Zephyrus*] Favonius veris comes & pater, genitalis mundi ſpiritus. *Idem.*

13. *Vbi per glacies lenis Iliſſus*,] Convenit inter omnes, hæc non ab auctore ſic exiiſſe, ut vulgo leguntur. Lipſius cum Raphelingio, *per glareas.* Gruterus totum verſum ſuſpectum facit, utpote novem ſcriptis exſulem, magiſque eum ſuo judicio premit Scaliger. Manus illuſtris aliique ſummi viri *par glacie:* & explicant, adeo lenis, ut ſtare veluti glaciatum putes, nullis fluctibus tumidum & inæqualem. Eſt cui vera ſcriptura in mentem venerit, ſed talibus firmata exemplis, ut ludere videatur. Quid enim *gracile vadum*, & *graciles viæ petauri* ad agros Atticos? Tamen legendum eſt *graciles.* nam Flor. *per glaciles lenis Iliſſos Labitur agros.* Hi non uberes, non pingues putreſque & optimi terreni, ſed ſicci & macri & ſteriles. Columella lib. 5, 6. *hoc in ſolo pingui melius, illud in gracili.* Talis erat terra Attica, τραχεῖα καὶ δύσιππος, ut eam vocat Plutarchus in Sulla. Livius lib. 43. *Primi Athenienſes introducti*, &c. *quamquam ſterilem terram ararent, ipſoſque etiam agreſtes peregrino frumento alerent.* Scholia Ariſtophanis ad Plutum: Οἱ τὴν Ἀττικὴν οἰκοῦντες πένητες μὴ εἶχον τὰς ἐκ τῶν σπερμάτων τροφάς· ἀνεπιτήδειος γὰρ ὁ τόπος ἦν εἰς γεωργίαν κατάξηρος ὤν. *Gracilis* ager λεπτόγεως. Thucydides lib. 1. τὴν γὴν Ἀττικὴν ἐκ τοῦ ἐπὶ πλεῖστον διὰ τὸ λεπτόγεων ἀστασίαστον οὖσαν ἄνθρωποι ᾤκουν οἱ αὐτοὶ ἀεί. *Gronovius.*

14. *Vbi Mæander ſuper æquales*] Hunc potius obelis verſum fugere debebant. Quis enim Mæander in Attica? Nec ubi editi, ponit eum optimus codex, ſed ante illum, quem vulgo ſequitur, hoc modo: *lenis Iliſſos Labitur agros piger & ſteriles Vbi Mæander ſuper inæquales Amne.* Vide tamen an poſſit ſervari ſuo loco ita conceptus: *Vti Mæander inter æquales.* Iliſſum confert cum Mæandro, quia præ cæteris fluminibus, ut ait Statius, *amfractu riparum incurvus Iliſſus.* Quid quod & *errantes* ejus *aquas* dicit in Oedipo ut alibi Mæandri? Et videtur ab εἰλίσσειν nomen ejus ductum putaſſe. Inter *æquales* autem agros labi Mæandrum confirmat Strabo lib. 12. τὸν Μαίανδρον, προειληφότα καὶ ἄλλον ποταμὸν Ὀργᾶν, δι' ὁμαλοῦ φερόμενον πρᾶον καὶ μαλακόν. Cogitabam aliquando: *Tibi, Mæander, par & æqualis.* Cicero in Oratore: *nec ſatura jejune, nec grandia minute, nec item contra, ſed erit rebus ipſis par & æqualis.* Lib. 1. de Orat. *qui unam virtutem haberet, omneis habere, eaſque eſſe inter ſe æquales & pares.* Hoc magis placet. Meurſius: *Vti Mæander, ſuper æquales Labitur Agros*, Athen. AH. 2, 5. *Gron. Mæander*] De quo in Hercul. Fur. verſ. 613. *Farnabius.* Seneca: *Qualis incerta vagus Mæander unda ludit, & cedit ſibi.* Ovidius autem: *Ludit, &*

ambi-

Labitur agros piger, & ſteriles
Amne maligno radit arenas.
Vos, qua Marathon tramite lævo
Saltus aperit; qua comitatæ
Gregibus parvis nocturna petunt
Pabula fœtæ. vos, qua tepidis
Subditus Auſtris, frigora mollit
Durus Acharnan. alius rupem
Dulcis Hymetti: parvas alius
Calcet Aphidnas. pars illa diu
Vacat immunis, qua curvati
Littora ponti Sunion urget.
Si quem tangit gloria ſilvæ,
Vocat hunc Phlyeus. hic verſatur

Me-

ambiguo lapſu refluitque, fluitque. Delrius.

16. *Maligno*] Parco, non irriganti terras. *Farnabius.* Quia nullum limum, quo agri fœcundi fiunt, adducit; ſed ſteriles volvit arenas.

17. *Marathon*] Ex urbibus Tetrapoleos Atticæ una, Miltiadis victoria de Perſis inſignis. *Farnabius.*

18. *Comitatæ*] Feræ comitatæ fœtibus noctu paſcuntur. *Idem.*

20. *Quatepidis*] Qua ſtrenui bellatores Acharnenſes meridionalem Atticæ partem incolunt. *Vel* qua mons ſaxoſus prope Acharnas vicum Atticæ frigora mollit. *Idem.*

21. *Frigora mollit Durus Acharnan.*] Acarnanes, inter Ætoliam & Epirum ſiti, hinc remoti. Scribe: *Durus Acharneus.* Αχάρνας, δῆμος τῆς Αττικῆς notiſſimus, unde Αχαρνεῖς. *Durus*, id eſt, laborioſus. Ανθρακεῖς ex illis producit Ariſtophanes & ἀγροίκους vocat. *Mollit frigora*, id eſt, mitiora habet & præbet. *Gronovius.*

23. *Hymetti:*] Montis Atticæ marmore clari; ut & thymo ac melle celebris. *Farnabius.* Dulcis ergo ob mellis copiam.

24. *Aphidnas.*] Vicum Athenienſium, ubi Theſeus Helenam raptam occultavit. *Farnabius.* *Aphidnæ* vicus Athenienſium, in tribu Antiochidà, etiam *Titacides* dictus: nomen accepit à Theſei ſocio Aphidno, de quo Plutarchus in Theſeo. vide Diodorum Siculum lib. 4. Pauſaniam in Attic. & Strabonem libro 9. Stephanus docet *Aphidnam* differre ab Aphidnis. *Delr.*

25. *Immunis*,] A venatione noſtra & præda. *Farnabius.* *Curvati*] Sinuati. *Idem.*

26. *Sunion*] Promontorium Atticæ. *Idem.* Pomponius Mela libro 2. Ægæum ſtatim pelagus vaſtè longum litus impellit, hinc ad promontorium quod *Sunion* vocatur, magno ambitu mollique circumagit. *Delrius.*

28. *Vocat hunc Philipis.*] Ignotum vocabulum. Varie tentavit Delrius: *Pitthis*, *Iapis*, *Pelex*, *Sphettos*: tandem proxime verum, *Phlyeis.* Scaliger, *Phibalis.* Sed Etruſcæ membranæ: *Vocat hunc fluis.* Vrbs Peloponneſi non longe diſtabat Argis *Phlius*, unde ἐθνικὰ *Phliuntius* & *Phliaſius* faciunt: ſed prius reprehenditur à Cicerone ad Atticum lib. 6. epiſt. 2. Ea huc

Metus agricolis, vulnere multo
Jam notus aper. At vos laxas
Canibus tacitis mittite habenas:
Teneant acres lora Molossos.
Et pugnaces tendant Cressæ
Fortia trito vincula collo.
At Spartanos (genus est audax
Avidumque feræ) nodo cautus
Propiore liga. veniet tempus,
Cum latratu cava saxa sonent:
Nunc demissi nare sagaci
Captent auras, lustraque presso
Quærant rostro: dum lux dubia est;
Dum signa pedum roscida tellus

Im-

non pertinet. Legendum: *Vocat hunc Phlyeus.* Is δῆμος ἢ Πτολεμαΐδος φυλῆς, ut Hesychius, ἢ ἢ Κεκροπίδος, ut Harpocration. Vide Meursii Populos Atticæ. *Gronovius.*

29. *Metus agricolis,*] Terror metuendus agricolis, quos multoties vulneravit. *Vel* notus multo venatorum vulnere, quos tamen effugit. *Farnab.* Ovidius lib. 7. metamor. *Protinus Aoniis immittitur altera Thebis Pestis, & exitio multi pecorumque suoque Rurigenæ pavere feram. Metus agricolis* aper, ut Valerio Flacco Pelias: *Iam gravis & longus populis metus.* Gron.

31. *Canibus tacitis*] Non argutis, vocalibus, clamosis-ve. *Farnabius. Habenas:*] Quas copulas vocant. *Vel* lora. *Idem.*

32. *Molossos.*] Epiroticos canes, qui fortitudine laudantur: ut Spartani, seu Lacones velocitate. *Idem.*

33. *Et pugnaces tendant Cressæ*] Membranæ optimæ cum Vossianis, *Cretes.* Ovidio in Actæonis turba: *Gnossius Ichnobates: &, patre Dictæo, sed matre Laconide, Labros:* Lucanus: *Venator tenet ora levis clamosa Molossi, Spartanos Cretasque ligat.* Gronovius. *Cressæ*] Canes Cretenses fœmellæ acres loris extensis indagent. *Farnabius.*

35. *At Spartanos,*] Sed Laconas arctiori nodo coërce. *Idem.* Laconici canes etiam ab Eustathio Odyss. ρ. Aristæneto in epistolis, Xenophonte, Oppiano & Nemesiano in Cynegeticis, Virgilio 3. Georg. demum Sophocle, Nonno & Claudiano commendantur. *Delrius.*

37. *Veniet tempus,*] Feris scil. excitatis. *Farnabius.*

39. *Demissi*] In terram inclinati. Vide Thyest. vers. 497. *Idem. Nare sagaci*] Propter odoratus acumen apti & idoneâ inveniendis ferarum latibulis. Plautus: *Canem esse oportuit, sagax nasum habet.*

40. *Captent auras,*] Ad percipiendum odorem ferarum, qui per aëra multiplicatis speciebus (ut vocant) illis offertur. declarant hoc comti imprimis & politi versus L. Varii. *Sæva canis umbrosam lustrans Gortynia vallem, Si veteris potuit cervæ comprendere lustra; Savit in absentem, &, circum vestigia lustrans Æthera per nitidum tenues sectatur odores.* tenuia odorum simulacra. *Delrius.*

41. *Lux dubia*] Primum diluculum. *Farnabius.*

44. Cer-

Impressa tenet; alius raras
Cervice gravi portare plagas,
Alius teretes properet laqueos.
Picta rubenti linea penna
Vano cludat terrore feras.
Tibi libretur missile telum.
Tu grave dextra lævaque simul
Robur lato dirige ferro.
Tu præcipites clamore feras
Subsessor ages: tu jam victor
Curvo solves viscera cultro.
Ades en comiti Diva virago,
Cujus regno pars terrarum

Secre-

44. *Cervice gravi portare plagas*,] *Rotare*, quod Gruterus in septem codd. me quoque qui in tribus inveneram, commovit, donec alterum bona fide approbavit mihi Florentinus. Tibullus lib. 1. eleg. 4. *Nec, velit insidiis altas si claudere valles, Dum placeat, humeris retia ferre neges.* Plinius 19, 1. *Vidimusque tantæ tenuitatis, ut annulum hominis cum epidromis transirent, uno portante multitudinem, qua saltus cingerentur.* Iustinus lib. 1. *Addita retia, ut sub specie venatoris dolus lateret.* Gronov. *Gravi*] Gravata. *Farnab.*

46. *Linea penna*] *Linea*, seu *Formido*, retis genus est, alterno plumarum versicolorium, maxime rubricatarum, contextu ornatum: quas interdum ustulabant, ut gravi odore amplius feras terrerent: & tunc pennæ odoratæ dicebantur. comparatum id genus retis, ut feræ, maxime cervi, vel in veros casses vano terrore impellerentur, quos vicinis in locis occultabant (ut innuit Lycophron) vel dum latratu canum atroniti, insequentem à tergo hastatum equitem fugiunt, & circum lineam vagantur, ab occultis sagittariis certo ictu sternerentur. quam venationem Seneca his verbis lib. 2. de Clementia significat: *Sic feras lineæ & pinnæ clausas continent. eadem à tergo telis eques incessat; tentabunt fugam, per ipsa quæ fugerant, proculcabuntque formidinem.* Idem lib. 2. de Ira cap. 12. *Nec est mirum, cum maximos ferarum greges linea pennis distincta conterreat & ad insidias agat ab ipso effectu dicta formido.* Formidinis texturam docet Gratius in lib. de venatione; usum, non minus jucunde quam fuse Pierius lib. 7. Hieroglyph. cujus verba prolixitatis vitandæ gratia prætereo. *Delrius.*

48. *Libretur*] Quidam v. l. *Vibretur.*

50. *Lato ferro.*] Venabulo. *Farn.*

52. *Subsessor ages:*] In insidiis latens, unde occasione capta repente exiliens territas feras in laqueos agas. *Id.* In venatione, & in exercitu, *subsessores* dicuntur, qui sunt in insidiis: unde etiam domestici hostes pudicitiæ, *subsessores* nominantur à Val. Maximo, ἐφεδρεύοντες τῇ τῶν δυνάστων ἀκοιλεσθίᾳ, ut Sophocles. Absente Agamemnone, ut canit Virgilius, *domi subsedit adulter*, quia Ægisthus patruelis sui uxorem incestu polluit, & reversum è bello regem per insidias interfecit. *Fabritius.*

54. *Ades*] Fave mihi ô Diana venationis Dea virilis. *Farnabius.*

55. *Pars terrarum*] Inferi. eadem

Secreta vacat: cujus certis
Petitur telis fera, quæ gelidum
Potat Araxen, & quæ ſtanti
Ludit in Iſtro: tua Gætulos
Dextra leones, tua Cretæas
Sequitur cervas: nunc veloces
Figis damas leviore manu.
Tibi dant variæ pectora tigres,
Tibi villoſi terga biſontes,
Latiſque feri cornibus uri.
Quidquid ſolis paſcitur arvis,
Sive illud inops novit Garamas,
Sive illud Arabs divite ſilva,
Sive ferocis juga Pyrenes,

Sive

enim quæ Proſerpina. *vel ad rem præſentem*, nemora, ſylvæ, ferarum luſtra. *Farnabius.*

57. *Quæ gelidum*] *Vbivi terrarum*, & quæ bibit Araxen fl. Armeniæ. *Id.*

58. *Quæ ſtanti*] Et quæ ludibunda percurrit Danubium in Germania ortum fl. congelatum. *Idem.*

58. *Gætulos*] Libycos. Gætuli enim antiquiſſimi incolæ Africæ, *quæ Leonum arida nutrix.* Idem.

60. *Dextra leones*,] At negat Homerus eam leonum venatione delectari: ſcilicet, quia de Taygetis & Erymantho illi ſermo, quæ loca leonibus carent: Vide Pierium lib. 7. Hieroglyph. Nam quod noſter, idem quoque Claudian. in Panegyri de conſulatu Manlii. *Delrius.* *Tua Cretæas Sequitur cervas:*] Res nota de cervis in Creta vel ex dictamno. Et Propertius: *Cretæi faſtus quæ paſſa juvenci.* Cur ergo liber optimus: *Creſſeas.* An voluit *Criſſæas*, à campo Criſſæo? Tutius nihil mutare. *Gronovius.* *Cretæas*] Creta enim cervis nobilis, & dictamno, cujus uſum docuerunt cervæ. *Farnabius.*

63. *Dant pectora*] Reſiſtentes ſiguntur. *Idem.* *Variæ*] Maculoſæ. *Idem.* *Tigres*,] Hercul. Fur. verſ. 1323. *Idem.*

64. *Biſontes*,] Boves ſilveſtres. *Id.* Biſontem lib. 6. Cæſar cervi figurâ eſſe ſcribit; à mediâ fronte inter aures unum cornu exſtare valde excelſum & rectum, & ab ejus ſummo ramos, ſicut palmas, late diffundi: collum jubis villiſque contectum, (unde Plinio lib. 8. cap. 15. jubati) tradunt Strabo lib. 4. & Solin. cap. 29. Agit de iiſdem Wotton. lib. 6. cap. 92. *Delrius.*

65. *Latiſque feri*] Vros fingit δρυμέλωπας, ut loquitur Heſiodus, quod Plautus *patales* reddidit. *Idem.* *Vri.*] Feri boves in Germania vi & velocitate excellentes. *Farnabius.*

66. *Solis arvis*] Deſertis. *Idem.*

67. *Inops Garamas*] Interioris Africæ popul. egenus & vagus. *Idem*

68. *Divite ſylva*,] Aromatum ferraci. *Idem.*

69. *Juga Pyrenes*,] Montes Pyrenæi. à Pyrene filia Bebricis ibi compreſſa ab Hercule, ut volunt fabulæ, vel ἀπὸ τοῦ πυρός, propter incendium, quo flagravit illorum montium ſylva, injecto à paſtoribus igne. *Idem.*

70. *Sive*

Sive Hyrcani celant ſaltus,
Vacuiſque vagus Sarmata campis,
Arcus metuit, Diana, tuos.
Tua ſi gratus numina cultor
Tulit in ſaltus; retia vinctas
Tenuere feras; nulli laqueum
Rupere pedes; fertur plauſtro
Præda gementi. tum roſtra canes
Sanguine multo rubicunda gerunt;
Repetitque caſas ruſtica longo
Turba triumpho.
En, Diva favet. ſignum arguti
Miſere canes. vocor in ſilvas.
Hac, hac pergam, qua via longum
Compenſat iter.

PHÆ-

70. *Sive Hyrcani celant ſaltus*,] Manus illuſtris: *Sive Hercynii*. Credo, quod hi aptius inter Pirenes juga & Sarmaticos campos nominarentur. Foret tamen magis ex perſona Senecæ quam Hippolyti: qualia plura in his tragœdiis. *Gronovius. Hyrcani*] Hyrcania Scythiæ contermina, hod. *Hyrach.* Farnabius.

71. *Vacuiſque*] Incultis, ſolis, ſine opidis. *Delrius. Vagus*] Herc. Fur. verſ. 538. Carens certis ſedibus. Papinius; *Quæ modo Marcomanos poſt horrida bella vagoſque Sauromatas.* & alio loco, — *mutatoreſque domorum Sauromatæ* — Sauromatæ & Sarmatæ iidem ſunt. *Idem.*

73. *Tua*] Si numen tuum invocanti, partem prædæ voventi, venationem rite aggreſſo adfueris prædam largita. *Farnabius.*

77. *Gementi.*] Virgilius: *Nec ceſſant plauſtris vectare gementibus ornos.* Delrius. *Roſtra*] Improprie pro rictibus.

80. *Turba triumpho.*] In morem triumphi à venatione rediens præda onuſta: ſed & venatores Idib. Aug. ſolenniter feriati ſpicatas faces accenſas in nemora Dianæ ſacra ferebant caneſque infulis ornatos cum cæteris inſtrumentis venatoriis Deæ ſiſtebant. *Farnabius.*

81. *Favet.*] Scribendum opinor *favet*, nam faventis ſignum agnoſcit canum vocem. *Delrius. Arguti*] Latratores. ſic loquacem vocat Plautus; *ſine virtute argutum civem mihi habeam pro præſicâ.* & Nonio, Argutari, loquaciter proloqui. *Idem.*

83. *Qua via*] Per iter mage compendioſum. *Farnabius.*

PHÆDRA. NUTRIX.

Phædra amore Hippolyti ardere se fatetur apud nutricem frustra eam à tam nefando amore dehortantem.

Phæd. O magna vasti Creta dominatrix freti,
Cujus per omne littus innumeræ rates
Tenuere pontum, quidquid Assyria tenus
Tellure Nereus pervium rostris secat;
Cur me in penates obsidem invisos datam,
Hostique nuptam, degere ætatem in malis
Lachrimisque cogis? profugus en conjux abest,
Præstatque nuptæ, quam solet, Theseus fidem.
Fortis per altas invii retro lacus
Vadit tenebras miles audacis proci;
Solio ut revulsam regis inferni abstrahat,
Pergit furoris socius. haud illum timor,
Pudorque tenuit. stupra & illicitos toros
Acheronte in imo quærit Hippolyti pater.
Sed major alius incubat mœstæ dolor.
Non me quies nocturna, non altus sopor
Solvere curis: alitur & crescit malum,
Et ardet intus; qualis Ætnæo vapor

Exun-

85. *O magna*] O patria mea Creta insula ad dominatum Græciæ sita. Nam & Minos sibi vicinas insulas & maximam Græciæ partem subdidit. *Farn.*

88. *Nereus pervium rostris secat;*] Flor. *pervius.* Quicquid spatii ab Syria usque ad contrarias partes dividit vel interluit Nereus pervius navibus. *Gronovius.*

89. *Obsidem*] Neque enim filiarum raptum ulciscebatur Minos. infrà versu 244. *Farnabius. Invisos*] Eorum qui fratrem meum Androgeon interfecerunt. *Idem.*

90. *Hostique*] Theseo, qui Atheniensis Minotaurum occidit, sororem deseruit, meque adeo. *Idem.*

92. *Quam*] Helenæ, Hippolytæ seu Antiopæ, Melibœæ, Ariadnæ. *Id.*

93. *Invii*] Stygis irremeabilis. *Id.*

94. *Miles*] Secutus Pirithoum, Hercul. Fur. vers. 805. *Idem. Audacis proci;*] Pirithoi, Proserpinam Ditis thalamo deducere adorti. *Delrius.*

96. *Furoris*] Insani amoris. *Farnab. Illum*] Hinc & sibi illiciti amoris licentiam captat non sedatæ libidinis mulier. *Idem.*

98. *Hippolyti*] Hic primo vocabatur *Demophon*, teste Plutarcho in Theseo; teste verò Pausania, *Tyndarides:* quomodo illum vocavit Plinius lib. 29. hist. nat. cap. 1. postea dictus Virbius. *Delrius.*

102. *Ætnæo*] Herc. Fur. vers. 105. *Farnabius.*

103. *Pal-*

Exundat antro. Palladis telæ vacant,
Et inter ipsas pensa labuntur manus.
Non colere donis templa votivis libet;
Non inter aras, Atthidum mistam choris,
Jactare tacitis conscias sacris faces;
Nec adire castis precibus aut ritu pio
Adjudicatæ præsidem terræ deam.
Juvat excitatas consequi cursu feras,
Et rigida molli gæsa jaculari manu.
Quo tendis, anime? quid furens saltus amas?
Fatale miseræ matris agnosco malum.
Peccare noster novit in silvis amor.
Genitrix, tui me miseret: infando malo
Correpta, pecoris efferi sævum ducem
Audax amasti. torvus, impatiens jugi,

Adul-

103. *Palladis*] A Pallade inventæ artes textoriæ & lanificæ, id est, non nere non texere juvat. πολυδαίδαλον ἱστὸν ὑφαίνειν. *Farnabius.*

105. *Votivis*] Pro mariti reditu. *Id.*

106. *Atthidum mistam choris*,] Fl. *choros.* Voluit, *choro*, opinor, etsi parum interfit. *Gronovius. Atthidum*] Matronarum Articarum. Vid. Hercul. Fur. vers. 300, & 844, & 1163. *Farnabius.*

107. *Conscias sacris faces;*] *Pathos*, facibus sensum dat tanquam mysticis. *Idem.* Loquitur de Eleusiniis sacris quæ ab Atticis virginibus & matronis honestis, Eleusina proficiscentibus in Cereris honorem fieri solebant, quod Thelytus Methymnæus apud Theocriti Scholiast. docet. Dicta sunt *Eleusinia*, quia Eumolpi operâ, Athenienses ea ab Eleusiniis acceperunt: sive illa invenerit Eumolpus; ut vult Androtion lib. 2. de sacrificiis; sive Danai filiæ, ut censet Herodotus in Euterpe. dicta etiam *Thesmophoria.* Fuêre majora & minora. Majora antiquiora, & in Cereris potissimum honorem; minora in Proserpinæ, diu posterius instituta, ut illis Hercules initiaretur. nam majoribus, quod peregrinus esset, non licebat, teste Cælio Rhodigino. Quod si verum, ambo Senecæ loca de minoribus erunt, ut & illud Ciceronis lib. 1. de nat. Deorum: *Omitto Eleusina sanctam illam & augustam, ubi initiantur gentes orarum ultimæ.* & Aristidis in Panathenaicis, quando docet quotannis maximam multitudinem initiatorum albo adscribi consuevisse. *Delrius.*

109. *Præsidem*] Minervam: cui Deorum judicio & populi suffragio adjudicatum præsidium & nomen Athenarum, cum olivam pacis symbolum eduxisset, donum præstantius Neptuni bellatore equo. Vid. Hercul. Fur. vers. 912. *Farnabius.*

110. *Juvat*] Me Hippolyti conscitem. *Idem.*

111. *Gæsa*] Tela Romanis usurpata ab Hispanis, *ut alii*, à Gallis. *Virg.* Gæsa Alpina. *Idem.*

113. *Fatale*] Mater enim Pasiphaë taurum in silvis pascentem, ego Hippolytum venatorem silvis gaudentem amo. *Idem.*

Adulter ille, ductor indomiti gregis.
Sed amabat aliquid: quis meas miseræ deus,
Aut quis juvare Dædalus flammas queat?
Non, si ille remeet arte Mopsopia potens,
Qui nostra cœca monstra concluſit domo,
Promittat ullam casibus nostris opem.
Stirpem perosa Solis invisi Venus,
Per nos catenas vindicat Martis sui,
Suasque. probris omne Phœbeum genus
Onerat nefandis. nulla Minois levi
Defuncta amore est. jungitur semper nefas.
Nutr. Thesea conjux, clara progenies Jovis,
Nefanda casto pectore exturba ocius:
Extingue flammas: neve te diræ spei
Præbe obsequentem. Quisquis in primo obstitit
Pepulitque amorem, tutus ac victor fuit.
Qui blandiendo dulce nutrivit malum,
Sero recusat ferre, quod subiit, jugum.
Nec me fugit, quam durus & veri insolens
Ad recta flecti regius nolit tumor.
Quemcumque dederit exitum casus, feram.

For-

119. *Aliquid:*] *Vaccam, quam in magno sequitur grege*, unde spes aliqua matri fruendi amoris, mihi autem nulla, Hippolytus enim ἀνεκδήτῳ nihil amat. *Farnabius.*

120. *Dædalus*] Ingeniosus artifex, qui amati tauri copiam fecit matri meæ ligneæ vaccæ inclusæ. *Idem.*

121. *Mopsopia*] Attica, à Mopsopo rege, *vel* Mopsopia Oceani filia. hoc est, arte Dædali Athenienſis. *Idem.*

122. *Qui nostra*] Qui concluſit Minotaurum matre mea natum in Labyrintho. *Idem.*

124. *Stirpem*] Venus odio & vindicta nostram prosequitur familiam (Pasiphaë enim filia Solis) cujus adulterium cum Marte detexit Sol detulitque ad Vulcanum, qui ipsos ferreis reticulis irretitos Diis deridendos exhibuit. *Idem.*

127. *Minois*] Patronymicum, fœmina è familia Minois. *Idem.*

129. *Clara*] Filia Minois qui Iove satus. *Idem.*

134. *Qui*] Vitare enim plagas facilius, quam retibus se expedire, aut Validos Veneris perrumpere nodos. *Idem.*

136. *Nec me fugit,*] Novi ego regum & nobilium superbum ingenium, quam non libenter verum audiant aut ad rectum flecti velint. v. 574. Octav. *Idem.*

138. *Quemcunque dederit*] Placet omnino quod Delrius & Gruterus hinc personam Phædræ sustulere. Nutricis sunt, cujus alioqui abruptus & imper-

Fortem facit vicina libertas senem.
Obstare primum est velle, nec labi via:
Pudor est secundus, nosse peccandi modum.
Quo misera pergis? quid domum infamem aggravas,
Superasque matrem? majus est monstro nefas.
Nam monstra fato, moribus scelera imputes.
Si, quod maritus supera non cernit loca,
Tutum esse facinus credis, & vacuum metu;
Erras. teneri crede Lethæo abditum

The-

imperfectus sermo sine ullo operæ pretio hiat. Se non ignorare præfatur, quantum periculi adeat reginæ respondendo & renitendo: sed ita paratam esse, ut dum vera moneat, quemcumcumque casum non extimescat: licere enim sibi, quamvis servæ, forti & intrepidæ esse ætatis beneficio, cui sit *vicina libertas*. Quæ illa? Mors. De ira 3, 15. *Vides illum præcipitem locum? illac ad libertatem descenditur. Vides illud mare, illud flumen, illum puteum? libertas in imo sedet. Vides illam arborem, brevem, retorridam, infelicem? pendet inde libertas. Vides jugulum tuum, guttur tuum, cor tum? effugia servitutis sunt.* Sic Cassandra Agamemnoni, dicenti, *Ne metue dominam famula*, respondet, *libertas adest*. Stupentibus ad sævam dominationem Aristotimi Eliorum tyranni cæteris, Hellanicus, senex & orbus, vindicandam patriam suscepit, *ut qui nec ætatis nec pignoris respectu timeret*, inquit Iustinus lib. 26. *Fortem*, id est, audacter agentem, quamvis ob verba libera mihi verbera & vincula metuenda sint. Fortitudinis togatæ pars est vera invitis auribus imprimere, potentium negligere gratiam & suscipere inimicitias reipublicæ aut amicorum aut juris & æqui causa. Hinc multi apud Ciceronem *fortes* appellantur, qui bellicis factis inclaruere nullis: & *fortes consules*, qui restiterunt male popularibus tribunis. Idque optime convenit in personam nutricis, quæ & serva erat & senex, & dominæ obloquutura: non Phædræ, quæ versu demum 253. de morte aliquid constituit. *Gronovius.*

140. *Obstare primum est velle*,] Transponit hos versus Delrius post 257. *Quod esse temet*, interposito 249. *Pars sanitatis*: dein corrigit, *secundum*, & *nosse*. Nimium hoc. Grutterus mitius, & recte explicat, quid sit *secundus pudor*. Vide nos ad lib. 5. de benefic. cap. 25. Sed legendum cum optimo: *Non ista primum est velle*. Aut ut ex hoc conjicit Nic. Heinsius: *Honesta primum est velle*. nam & infra versu 598. *Honesta quædam scelera*: codex idem, *Non ista quædam*. Modestus est ingressus acris castigationis. Sumpsit ab Euripide: Εἰ τοι δοκεῖ σοι, χρὴν μὲν ὰ σ' ἀμφιλάνειν. Εἰ δ' ὧν, πιθοῦ μοι· δοῦλος γὰρ ἡ χάρις. *Id.*

142. *Quid domum infamem gravas*,] Flor. *aggravas?* quod etiam ex Mog. Delrius monuit, & habet Vossianus. Infra: *quæ sors aggravet quamvis domum?* Idem.

143. *Majus*] Incestus hic amor tuus major est belluino illo matris tuæ, unde Minotaurus. *Farnabius.*

144. *Fato.*] Stoice. nam Peripatetici monstra peccato naturæ tribuunt. *Idem.*

147. *Teneri*] Puta Theseum non rediturum ab inferis; quid Minos pater tuus? *Idem. Lethæo*] Infernis. vide Hercul. Fur. vers. 291. 679. 711.

149. *Pro-*

Theſea profundo & ferre perpetuam Styga.
Quid ille, lato maria qui regno premit,
Populiſque reddit jura centenis pater,
Latere tantum facinus occultum ſinet?
Sagax parentum eſt cura. credamus tamen
Aſtu doloque tegere nos tantum nefas.
Quid ille rebus lumen infundens ſuum
Matris parens? quid ille, qui mundum quatit,
Vibrans coruſca fulmen Ætnæum manu,
Sator deorum? credis hoc poſſe effici,
Inter videntes, omnia ut lateas, avos?
Sed, ut ſecundus numinum abſcondat favor
Coitus nefandos, utque contingat ſtupro
Negata magnis ſceleribus ſemper fides:
Quid pœna præſens, conſciæ mentis pavor;
Animuſque culpa plenus, & ſemet timens?
Scelus aliqua tutum, nulla ſecurum tulit.
Compeſce amoris impii flammas, precor,
Nefaſque, quod non ulla tellus barbara
Commiſit unquam, non vagus campis Geta,
Nec inhoſpitalis Taurus, aut ſparſus Scythes.

Ex-

148. *Profundo; ferre perpetuam Stygem.*] Lege ex Etruſco: *profundo, & ferre perpetuam Styga.* Sic infra, *atram Styga.* Gronovius.

149. *Lato maria*] Suprà v. 15. *Farn.*

150. *Centenis*] Creta c. habens urbes.

154. *Ille rebus*] Sol avus tuus maternus. *Farnabius.*

155. *Ille,*] Iupiter avus paternus. *Id.*

156. *Ætnæum*] Quod in Ætna fabricant Cyclopes Vulcani miniſtri. *Id.*

158. *Videntes*] Phœbum cuncta luſtrantem, Iovem omnia implentem. *Id.*

159. *Sed,*] Verum puta nefas hoc tuum poſſe latere Deos conniventes, &c. quid conſcientia tua? annon illa occulto flagello & ſurdo verbere te excarnificabit? *Idem.*

162. *Conſciæ mentis pavor;*] Florentinus cum illis facit, qui habent *conſcius.* Nec mutandum fuit, multo minus *mentis* in *noctis:* nam *conſcius pavor mentis* eſt trepida & pavens conſcientia. Iuvenalis: *quos diri conſcia facti Mens habet attonitos.* Gronovius.

164. *Aliqua*] Mulier aut Mens. *Farnabius. Tutum*] Ab externa pœna aliqua, nulla abſque interna anxietate. *Nocens habuit aliquando latendi fortunam, nunquam fiduciam.* Idem.

167. *Non vagus campis Geta,*] Parum intereſt, ſed Florent. & Voſſ. *vagi campis Getæ.* Gronovius. *Vagus*] Pop. Scythiæ Europææ. vid. Thyeſt. 369. & Hercul. Fur. 532. *Farnabius.*

168. *Taurus,*] Nec Tauri Aſiæ montis incolæ. *Idem.* Immo Tauricæ Cherſoneſi in Europa. *Gronovius.*

170. *Ma-*

Expelle facinus mente castifica horridum;
Memorque matris, metue concubitus novos.
Miscere thalamos patris & gnati apparas,
Uteroque prolem capere confusam impio?
Perge, & nefandis verte naturam ignibus.
Cur monstra cessant? aula cur fratris vacat?
Prodigia toties orbis insueta audiet,
Natura toties legibus cedet suis,
Quoties amabit Cressa? *Phæd.* Quæ memoras, scio
Vera esse, Nutrix: sed furor cogit sequi
Pejora. vadit animus in præceps sciens,
Remeatque, frustra sana consilia appetens.
Sic cum gravatam navita adversa ratem
Propellit unda, cedit in vanum labor,
Et victa prono puppis aufertur vado.
Quod ratio possit? vicit ac regnat furor,
Potensque tota mente dominatur Deus.
Hic Volucer omni regnat in terra potens,
Ipsumque flammis torret indomitis Jovem.
Gradivus istas belliger sensit faces;

Opi-

170. *Matris*,] Pasiphaës. suprà vers. 112. *Farnabius.*

172. *Prolem*] Qualem mater concepit ex Minoë & tauro. *Idem.*

173. *Perge*,] Epitrope. concessio Ironica. *Idem. Ignibus.*] Amoribus. *Idem.*

174. *Aula*] Ex te alterum monstrum suppleat Labyrinthum, locum Minotauri, tui è matre fratris, quem Theseus sustulit. *Idem.*

175. *Prodigia*] Toties generabuntur monstra, quoties mulier Cretensis (maxime Minois) amabit. *Idem.*

177. *Quæ memoras*] *Video meliora proboque, Deteriora sequor*, affectibus rationi reluctantibus. *Dum premitur ratione animus vincique laborat.* Euripid. Τὰ χρῆς' ἐπιστάμεσθα κ' γιγνώσκομεν, Οὐκ ἐκπονοῦμεν δέ. *Idem.*

178. *Furor*] Insanus amor. *Idem.*

181. *Sic cum gravatam*] *Non aliter quam qui adverso vix flumine lembum Remigiis subigit*, &c. *Idem.*

184. *Quod ratio possit, vincit*] Vividius Flor. *Quid ratio possit? vicit ac regnat furor.* Gronovius.

186. *Volucer*] Cupido, amoris Deus alatus. Regnat & in superos jus habet ille Deos. *Regnat in terra potens, Ipsumque*] Florentinus: *omni pollet in terra potens, Læsumque flammis.* Posteriori mutationi subscribit Vossianus. Utriusque sane verbi, *regnat* dico & *potens*, tam propinqua repetitio insuavis est. An, *pollet in terra nocens.* Cui bene succedit, *Læsumque.* Gron. *Ipsumque*] Vide Chorum sequentem. *Farnabius.*

188. *Gradivus*] Mars. vide Herc. Oet. 1312. *Idem.* Non sine causa addit *belliger*, quia Romani Martem sævica-

Opifex trisulci fulminis sensit deus;
Et, qui furentes semper Ætnæis jugis
Versat caminos, igne tam parvo calet.
Ipsumque Phœbum, tela qui nervo regit,
Figit sagitta certior missa Puer:
Volitatque cœlo pariter & terræ gravis.
Nutr. Deum esse Amorem, turpis & vitio favens
Finxit libido: quoque liberior foret,
Titulum furori numinis falsi addidit.
Natum per omnes scilicet terras vagum
Erycina mittit. ille per cœlum volans
Proterva tenera tela molitur manu;
Regnumque tantum minimus è superis habet.
Vana ista demens animus adscivit sibi,
Veneriscque numen finxit, atque arcus Dei.
Quisquis secundis rebus exultat nimis,
Fluitque luxu, semper insolita appetit.
Tunc illa magnæ dira fortunæ comes

Subit

vientem, & bellum ac cædes spirantem, *Gradivum*; eundem vero tranquillum ac pacificum, *Quirinum* appellabant, ut præter ceteros docet Silvester Aldobrandinus in commentar. lib. 1. Institutionum Iustiniani Imperatoris pag. 16. Vnde vero *Gradivus* dicatur, docet Festus; & Iulianus Aurel. lib. 1. de cognom. deorum cap. 6. & Lilius Syntag. 10. *Delrius.*

189. *Opifex*] Vulcanus suprà versu 155. *Farnabius.* *Trisulci*] Fulminis, quod scindit, comburit, affiat. vide Hercul. Oet. 1993. *Idem.*

191. *Igne tam*] Vna Cupidinis facula. *Idem.*

192. *Ipsumque*] *Emph.* ἐκπόλον. *Idem.*

193. *Certior*] *Nostra tamen una sagitta Certior*, &c. Phœbus apud Ovid. *Idem.*

195. *Turpiter vitio favens*] Delrius è quibusdam probat, *turpi servitio favens.* Quod turpi servitio malis membranis addictus vir præstans in suam editionem recepit. Scriverius, *turpe servitio favens.* Quod in suis Raphelingius & in Cruseriano Pontanus notarunt, *turpis & vitio furens*, totum habet & princeps codicum. *Gronovius.*

199. *Erycina*] Venus ab Eryce Siciliæ monte ubi colitur. *Farnabius.*

201. *Regnumque*] *Regnat & in superos jus habet ille Deos.* Idem. *Minimus in superis*] Florent. *è superis.* quod prolatum antea, & male rejectum. *Gronovius.*

202. *Vana*] In prætextum & defensionem culpæ. vide Octav. v. 548. *Farnabius.*

205. *Semper insolita appetens; Hunc illa*] Melius rotundiusque Florentiæ: *insolita appetit. Tunc illa magnæ.* Monuerunt que ex aliis alii. *Gronovius.* *Insolita*] Non assueta, id est, novitatem dapum & amorum. *Farnabius.*

206. *Hunc illa*] Ex copia & affluentia ad fastidium usque Venus & luxus

Subit libido: non placent ſuetæ dapes,
Non tecta ſani moris, aut vilis cibus.
Cur in penates rarius tenues ſubit
Hæc delicatas eligens peſtis domos?
Cur ſancta parvis habitat in tectis Venus,
Mediumque ſanos vulgus affectus tenet.
Et ſe coërcent modica? contra divites,
Regnoque fulti, plura, quam fas eſt, petunt?
Quod non poteſt, vult poſſe, qui nimium poteſt.
Quid deceat alto præditam ſolio, vides.
Metue ac verere ſceptra remeantis viri.
Phæd. Amoris in me maximum regnum fero,
Reditusque nullos metuo. non umquam amplius
Convexa tetigit ſupera, qui merſus ſemel
Adiit ſilentem nocte perpetua domum.
Nutr. Nec crede Diti. cluſerit regnum licet,
Caniſque diras Stygius obſervet fores:
Solus negatas invenit Theſeus vias.

Phæd.

luxus in cibis ac ædificiis, ἐν πλησμονῇ Κύπρις, ἐν πεινῶντι δ' ἐ. *Caſta pudicitiam ſervat domus.* Farnabius.

207. *Non placent ſuetæ*] Iudice me, latet heîc mendum grandius. nam cui bono iteretur de victu, cum præceſſiſſet? *non placent ſuetæ dapes.* ſequi potius debuiſſet de veſtitu. Cogitent acutiores, excutiantque Mſſ. quibus ii ad manus notæ vetuſtiſſimæ. nam noſtri nihil diſcrepant. *Gruterus.*

208. *Aut vilis cibus.*] Facile adſentior Grutero latere hic mendum. Quid enim neceſſe erat poſt *ſuetas dapes* etiam commemorari *vilem cibum?* Non mutant tamen ſcripti, niſi quod optimus *ullus.* An, *aut humilis* vel *vilis torus.* Gronovius.

213. *Modica?*] Mediocria, mediæ ſortis homines. *Farnabius.*

216. *Quid deceat*] Eſt qui verſum unum concedendum putat Phædræ, ut cum enumeraſſet nutrix quam nullâ lege viverent divites potenteſque, ſuggerat: Ergo quid mirum me quoque abripi à viâ rectæ rationis, quæ regina? Acute quidem, ſed an non nimis acute? an non obſtat vox *deceat?* ita puto. *Gruterus.*

218. *Maximum regnum fero,*] Flor. *puto.* Gronovius.

219. *Non unquam*] Non patet reditus ad ſuperas auras ei qui ad inferos deſcenderit. *Farnabius.*

222. *Ne crede. Ditis cluſerit*] Rectius elegantiuſque multo Etruſcus: *Ne crede Diti. cluſerit regnum.* Orcus ſive Dis pater aviditate ſua perpetua atque diligentia veluti fidem dabat faciebatque, Theſea ab ipſo dimiſſum non iri. At tu, inquit, ne credas illi, ne fidem habeas, fallet. Livius lib. 26. *Neque opere munitus erat, ut ubi ipſius loci ac ſtagni præſidio ſatis creditum foret.* Gronovius.

223. *Caniſque*] Cerberus. *Farnab.*

224. *Invenit Theſeus vias.*] Sic non optimi

Phæd. Veniam ille amori forsitan nostro dabit.
Nutr. Immitis etiam conjugi castæ fuit.
Experta sævam est barbara Antiope manum.
Sed posse flecti conjugem iratum puta:
Quis hujus animum flectet intractabilem?
Exosus omne feminæ nomen fugit.
Immitis annos cælibi vitæ dicat.
Connubia vitat. genus Amazonium scias.
Phæd. Hunc in nivosi collis hærentem jugis,
Et aspera agili saxa calcantem pede,
Sequi per alta nemora, per montes, placet.
Nutr. Resistet ille, seque mulcendum dabit,
Castosque ritus Venere non casta exuet?
Tibi ponet odium, cujus odio forsitan
Persequitur omnes? *Phæd.* Precibus haud vinci potest?
Nutr. Ferus est. *Phæd.* Amore didicimus vinci feros.
Nutr. Fugiet. *Phæd.* Per ipsa maria, si fugiat, sequar.
Nutr. Patris memento. *Phæd.* Meminimus matris simul.

Nutr.

optimi tantum, sed & longe numero plures librorum. Pauculi, nec valde boni, *inveniet:* & si forsan etiam in bono reperiretur, erratum librarii foret putandum. Cave detrimento sensus legi censeas *invenit.* Immo elegantius pro futuro sic præsens tempus ponitur eodem, nisi quod efficaciore, sensu. Sic Medea: *Fugimus, Iason, fugimus: hoc non est novum.* Vult dicere, *Fugiemusne?* Phænissis: *Si moreris, antecedo: si vivis, sequor.* Gronovius

227. *Antiope*] Antiopæ Amazoni (*ut alii* Hippolytæ) matri Hippolyti propter jurgium mortem intulit, multo minus tibi impudicæ parcet. infrà vers. 396. *Farnabius.* Idem Ovidius & Hygynus tradunt. Sed Pausanias: Ἀθηναῖοι δὲ φασὶν ἐπεί τε ἦλθον Ἀμάζονες Ἀντιόπην μὲν ὑπὸ Μολπαδίας τοξευθῆναι. Ceterum Clydimus historiæ scriptor credidit Amazona, quæ fuit Thesei uxor, Hippolytam vocatam fuisse; sed Plutarchus id referens, in Theseo, perpetuo Antiopen vocat. *Delrius.*

229. *Hujus*] Hippolyti. *Farnab.*

231. *Cælibi*] Conjugii experti à κοίλιψ ex κοίτη & λείπεσθαι. *Idem.*

232. *Genus*] Vt enim Amazones viros aversantur, ita hic fœminas. *Id.*

233. *Hærentem*] Venandi studio. *Idem.*

238. *Tibi ponet*] Lege per interrogationem. In tuam gratiam deponet odium, cujus superinductæ novercæ veluti matris suæ necis causæ ratione fortassis & alias omnes execratur mulieres? *Idem.*

242. *Patris memento.*] Maris domini, suprà vers. 48. si per maria sequaris, & justi scelerum vindicis, ut in Scylla Nisi filia. *Idem. Patris*] Qui Scyllam per mare crinibus tractam male multavit. Virgilius in Ciri. alii aliter, ego sic intelligo. *Delrius. Matris*] Quæ nefario amore peccavit. *Farnabius.*

243. *Ge-*

Nutr. Genus omne profugit. *Phæd.* Pellicis careo metu.
Nutr. Aderit maritus. *Phæd.* nempe Pirithoi comes.
Nutr. Aderitq; genitor. *Phæd.* mitis Ariadnæ pater.
Nutr. Per has senectæ splendidas supplex comas,
Fessumque curis pectus, & cara ubera,
Precor, furorem siste, teque ipsam adjuva.
Pars sanitatis, velle sanari, fuit.
Phæd. Non omnis animo cessit ingenuo pudor.
Paremus, altrix. qui regi non vult, amor
Vincatur. haud te, fama, maculari sinam.
Hæc sola ratio est, unicum effugium mali.
Virum sequamur. morte prævertam nefas.
Nutr. Moderare, alumna, mentis effrenæ impetus.
Animos coërce, dignam ob hoc vita reor,
Quod esse temet autumas dignam nece.
Phæd. Decreta mors est. quæritur fati genus.
Laqueone vitam finiam, an ferro incubem?
An missa præceps arce Palladia cadam?
Prô, castitatis vindicem armemus manum.
Nutr. Sic te senectus nostra præcipiti sinat
Perire leto? siste furibundum impetum.
[Haud facile quisquam ad vitam revocari potest.]
Phæd.

243. *Genus*] Fœminas omnes aversatur. *Farnabius. Pellicis*] Non itaque de pellice solicita ero. *Idem.*

244. *Nempe*] Adulteri, atque hîc in me facilior futurus est. *Idem.*

245. *Mitis*] Filiam amatorem insecutam non ultus. *Idem.*

246. *Splendidas*] Canas. *Instat anus canasque suas & inania nudans Vbera, per cunas, alimentaque prima precatur.* Capilli enim cani splendorem argenti æmulantur. Vnde Martialis: *Et facies multo spendeat alba pilo.* Hercul. Oet. vers. 925. *Idem.*

250. *Pudor.*] Emendari volens. *Idem.*

251. *Qui regi*] Qui flecti non vult amor, frangatur. *Idem.*

253. *Vnicum*] Primum enim amoris remedium fames, secundum tempus, tertium restis, inquit Crates. *Idem.*

254. *Virum*] Qui apud inferos est, mortem scil. mihi inferendo. *Idem.*

260. *Arce*] Acropoli arce Athenienſi quæ Palladi arcium præsidi sacra. *Idem.*

261. *Prô, castitatis vindicem*] Lipsius, *Pro castitate:* Scaliger, *Procacitatis:* Gruterus, *Proh castitatis vindicem!* Membranæ Flor. *Proin castitatis.* Sed ne hoc quidem huic loco convenit. Fortasse post 267. versum non male collocaretur servata optimi codicis scriptura. *Gronovius.*

264. *Haud facile quisquam*] Hunc

Phæd. Prohibere ratio nulla periturum poteſt, 265
Ubi qui mori conſtituit, & debet mori.
Nutr. Solamen annis unicum feſſis, hera,
Si tam protervus incubat menti furor,
Contemne famam. fama vix vero favet,
Pejus merenti melior, & pejor bono. 270

Ten-

verſum, tanquam πονηρῶ κόμματος, Scaliger ὀθελίζει. neque ad ſententiam quicquam facere, neque à bono Poëta eſſe. Sane in metro peccatum agnoſco. Senſu autem & phraſi, modo ut oportet Phædræ detur, adeo aptus eſt & ſcitus, ut propemodum ſequentem ei ſubjectum putem. Nam illud, *revocare ad vitam*, non eſt hominis Latine imperiti. quippe inter præcipua veterum officia. Suetonius Octavio cap. 53. *Gallum Terrinium ſenatorem, minus ſibi familiarem, ſed captum repente oculis, & ob id inedia mori deſtinantem, præſens conſolando revocavit ad vitam.* Vbi miratus quidam, quomodo lumine tantummodo captum, nondum mortuum, ad vitam revocarit, *vivere* hic eſt ait ſine ulla animi aut corporis læſione vivere. Immo *vita* ſimpliciter hic eſt aura veſci: & hoc officium præſtitit Auguſti humanitas, quod ſolebant amiciſſimis: ut inter alios Tiberius Coecejo Nervæ apud Tacitum annal. 6, 26. Cicero lib. 3. ad Attic. epiſt. 6. *Quod me ad vitam vocas, unum efficis, ut à me manus abſtineam.* Idem lib. 1. ad Quintum ep. 3. *Teſtor omnes deos, me hac una voce à morte revocatum, quod omnes in mea vita partem aliquam tuæ vitæ repoſitam eſſe dicebant.* Nempe detertitum, ne me occiderem. Lib. 1. Tuſcul. *Hegeſia liber eſt Ἀποκαρτερῶν, quod à vita quidam per inediam diſcedens, revocatur ab amicis.* Plinius lib. 1. epiſt. 12. *deſtinaſſe Corellium mori: nec aut ſuis aut filiæ precibus flecti: ſolum ſupereſſe me, à quo revocari poſſet ad vitam.* Currius lib 8. de Calliſthene & Alexandro: *à quo revocatus ad vitam erat, quum interfecto Clito mori perſeveraret.* His omnibus inducor, ut verſum illum ab homine vulgari factum negem. Et ſane exſtat integer in Florentino, non minus quam alter, nonnihil tamen vocibus tranſpoſitis ut & in Voſſiano: *Haud quiſquam ad vitam facile revocari poteſt.* Seneca nihilominus haud ſic in metrum peccavit. An fuit: *Haud facile quiſquam à morte revocari poteſt?* An, *Haud facile cuiquam vita rev.* Diſpiciendum. Verſu 267. liber optimus: *Vbi qui mori.* quod & ſuo exemplari adſcripſerat Grotius. Nolo me eſſe temerarium, aut mea ſenſa pro ſenſis Senecæ legi: ſed ſi quis haberet liber vetus, valde probarem: PH. *Ad vitam honeſta facile revocari poteſt. Prohibere ratio nulla moriturum valet, Vbi, qui mori conſtituit, & debet mori. Proin caſtitatis vindicem armemus manum.* Matrona, inquit, cui conſtat ſuus pudor, ſi incidat cauſa, cur mori velit, facile admittit blandimenta vitæ. Exemplo ſunt Plancina Piſonis, & melior Senecæ Paullina apud Tacitum. At ſi ille, vel ſi vit ſit, qui conſtituit mori, ob ſuſceptum facinus etiam dignus eſt morte, quæ ratio poſſit eum retinere in vita? Sequitur commodiſſime: *Proin caſtitatis.* Talis quum ego ſim meo ipſius judicio, quid reſtat, niſi ut manum adverſus me armem? *Gronovius. Haud facile quiſquam*] Et hic verſus ægre admitti poteſt. *Farnabius.*

268. *Si tam*] Victa anus ſe adlenoniam convertit, ut alumnæ vitæ parcat. *Idem.*

269. *Fama*] Sæpius enim *ficti pravique tenax.* Idem.

274. *Di-*

Tentemus animum triſtem & intractabilem.
Meus iſte labor eſt, aggredi juvenem ferum,
Mentemque ſævam flectere immitis viri.

CHORUS.

Omnia amori cedere, homines omnis loci, ætatis, conditionis, ipſos Deos ſuperos ac inferos, quin & bruta animalia terreſtria, aquatilia, aërea.

Diva, non miti generata ponto,
Quam vocat matrem geminus Cupido,
Impotens flammis ſimul & ſagittis,
Iſte laſcivus Puer ac renidens
Tela quam certo moderatur arcu!
Labitur totas furor in medullas,
Igne furtivo populante venas.
Non habet latam data plaga frontem,
Sed vorat tectas penitus medullas.
Nulla pax iſti Puero. per orbem
Spargit effuſas agilis ſagittas.
Quæque naſcentem videt ora Solem,
Quæque ad Heſperias jacet ora metas,
Si qua ferventi ſubiëcta Cancro eſt,

Si

274. *Diva non miti*] Venus nata è ſpuma maris, orta ex teſticulis Cœli à Saturno exectis & in mare projectis: unde ἀφροδίτη ab ἄφρος ob ſimilitudinem ſeminis, *vel*, propter humoris ſalſi vim animalem & fœcundam. *Farnabius.* Muſæus: ἀγνώσεις ὅτι Κύπρις ἀπόσπορος ἐστι θαλάσσης. Ovidius: — *quia mater amorum Nuda Cytheriacis edita fertur aquis.* idem affirmant præter Solinum in Ponticis, Tibullus, Auſonius, aliique. cur vero è mari nata fingatur, ex Porphyrii & Iubæ auctoritate ſcribit Planciades Mytholog. lib. 2. Vide Euſebium lib. 3. Præparat. Euangel. cap. 3. Clementem Ægyptium lib. 1. Pædag. Ariſtotelem lib. 2. Rhet. ad Theodect. & Heraclidem Ponticum, in allegoriis Homericis. *Delrius.*

275. *Geminus*] Ἔρως & ἀντέρως. hic divinus, ille vulgaris mortaliſque amor. *Farnabius.*

276. *Impotens*] Valde potens, *vel* non temperans. *Idem.*

277. *Puer ac renitens*] Flor. quoque & Voſſ. *& renidens*: & verſ. 285. *Quæque ad Heſperias jacet ora metas*: & verſ. 288. *Si qua Parrhaſiæ glacialis Vrſæ.* Gronovius. Laſcivo ac fallaci quodam riſu, Cupido.

280. *Populante*] Conſumente. *Farn.*

283. *Per orbem*] Qui ad ortum, occaſum, meridiem, ſeptentrionem, vide Hercul. Fur. verſ. 37, 129, 884, & 532. *Idem.*

Si qua Parrhasiæ glacialis Ursæ
Semper errantes patitur colonos,
Novit hos æstus. juvenum feroces
Concitat flammas: senibusque fessis
Rursus extinctos revocat calores:
Virginum ignoto ferit igne pectus:
Et jubet cœlo Superos relicto
Vultibus falsis habitare terras.
Thessali Phœbus pecoris magister
Egit armentum, positoque plectro
Impari tauros calamo vocavit.
Induit formas quoties minores,
Ipse qui cœlum nebulasque ducit?
Candidas ales modo movit alas,
Dulcior vocem moriente cygno.
Fronte nunc torva petulans juvencus
Virginum stravit sua terga ludo,
Perque fraternos nova regna fluctus,

Un-

293. *Ignoto ferit*] Novo; quem prius non senserunt. *Farnabius.*

295. *Vultibus*] Assumptis aliis imaginibus. *Idem.*

296. *Phœbus*] Apollo divinitate à Iove exutus, propter interfectos Cyclopas, *vel* quod alii ferunt & hic innuit Poëta, ut filia regis frui posset, per novem annos Admeti regis Thessaliæ armenta pavit. *Idem.*

298. *Impari*] Disparibus compacta calamis fistula. *Idem.*

299. *Minores*,] Etiam vilium animalium. *Idem.*

301. *Candidas*] Iupiter specie Cygni adivit Ledam uxorem Tyndari regis Laconiæ. *Idem.*

302. *Dulcior vocem*] Cygnos tamen cum voluptate & cantu mori negant sanioris judicii authores. *Idem.* Callimachus, Æschylus, Theoctitus, Aristophanes, Antipater, Euripides, Plato, Aristoteles, Ægyptii sacerdotes, Philostratus, Oppianus, Tzetzes, Lucretius, Ovidius, Seneca, Martialis, nec non Cicero Tuscul. quæst. 5. Wottonus lib. 7. cap. 148. & Hieron. Cardanus de subtilit. lib. 10. testantur cygnos cum cantu & voluptate mori. Athenæus vero, Ælianus, Plinius, & ex recentioribus Iul. Scaliger exercitat. ad Cardanum libro 15. nec non Brodeus comment. in Epigr. Græca, & Pierius lib. 23. Hieroglyph. totum illud fabulosum esse contendunt. quorum sententiam, quia veritati consentaneam comperio, lubens amplector. *Delrius.*

303. *Fronte*] Iupiter in taurum mutatus Europam filiam Agenoris è Phœnicia in Cretam transfretavit. *Farnab.*

304. *Stravit*] Tangenda & ascendenda præbuit. *Idem.*

305. *Perque fraternos, mala regna*] Sic sequiores, è quibus octo Gruteri cum Scholiaste illo, qui *propter tempe-*

states.

Ungula lentos imitante remos,
Pectore adverso domuit profundum;
Pro sua vector timidus rapina.
Arsit obscuri Dea clara mundi
Nocte deserta, nitidosque fratri
Tradidit currus aliter regendos.
Ille nocturnas agitare bigas
Discit, & gyro breviore flecti.
Nec suum tempus tenuere noctes,
Et dies tardo remeavit ortu,
Dum tremunt axes graviore curru.
Natus Alcmena posuit pharetram,
Et minax vasti spolium leonis;
Passus aptari digitis smaragdos,
Et dari legem rudibus capillis:
Crura distincto religavit auro,
Luteo plantas cohibente socco.

Et

frater. Flor. Lips. Mog. inter lineas & primæ ed. *nova regna.* quod etsi aliis arrideat, mihi tamen coactius videtur, inquit Gruterus: neque enim tunc Iupiter mari dominabatur, cum id tauri forma tranabat, aut si dominabatur, plusquam precario. At mihi nihil obsequentius, mollius, suavius videtur. Primum Iupiter, ubicumque est, regnat, & sive frater, sive quis alius deorum hospitem expertus est, dominum in regna recepit. Dein annon regnabat, cui sternebantur & procumbebant undæ, adspirabant venti, Nuptunus tridentem & fractum gurgitem Ægon submittebant, Nereides & Tritones venerabundi adsultantes comitantesque hymenæum canebant, denique serviebant omnia *domito*, ut mox ait, *profundo?* Gronov. *Fraternos*] Neptuno imperatum mare. *Farnabius.*

308. *Rapina.*] Europa quam rapuit, ne mergeretur. *Idem.*

309. *Obscuri*] Luna nocti præfecta, dum amasio suo Endymioni in montibus Aselenis Latmiisque saxis in Caria consopito vacat, Soli currus suos regendos tradit, *& hoc propter Lunæ coitum fingitur.* Idem.

312. *Bigas*] Lunæ, ipse Sol quadrigis assuetus. *Idem.*

313. *Gyro*] Circulo terræ propiori. Celerius, scil. 27. diebus, 8. horis cursum suum peraget, quam Sol. Thyest. vers. 838. *Idem.* Gyrus metæ flexus est. Ausonius δρόμους gœrum *vocavit.* Delrius.

316. *Tremunt*] Mutato auriga Solle scil. majori lumine. *Farnabius.*

317. *Natus*] Vide Hercul. Furent. vers. 465. *Idem.*

319. *Smaragdos,*] Annulos in quibus smaragdi. *Idem.*

320. *Et dari*] Incomptos capillos concinnari & reticulo implicari. *Id.*

321. *Crura*] Suras alte vincit cothurnis auro distinctis. *Idem.*

222. *Luteo plantas*] Objicit hunc locum Sigonius Robortello, tanquam ejus interpretationem è Guerrino descripse-

Et manu, clavam modo qua gerebat,
Fila deduxit properante fuso.
Vidit Persis, ditisque ferax
Lydia regni, dejecta feri
Terga leonis; humerisque, quibus
Sederat alti regia cœli,
Tenuem Tyrio stamine pallam.
Sacer est ignis, (credite læsis)
Nimiumque potens, qua terra salo
Cingitur alto, quaque ætherio
Candida mundo sidera currunt;
Hæc regna tenet Puer immitis:
Spicula cujus sentit in imis
Cærulus undis grex Nereidum,
Flammamque nequit relevare mari.
Ignes sentit genus aligerum.
Venere instincti quam magna gerunt

Gre-

scripserit. Vsas luteis flammeis sponsas, auctor est Lucanus 1 L. Pharsal. *Lutea demisso velarunt flammea vultu.* Soccos luteos etiam in usu fuisse, hic locus ostendit: Vestes quinimo luteas, ille in Oedipo, *Crine flaventi simulata virgo Luteam vestem retinente zonâ.* Vnde omnem sponsarum ornatum primo nuptiarum die fuisse colore luteum, materiâ byssinum colligimus. *Fabritius.*

324. *Properante*] Celeriter agitato. *Farnabius.*

325. *Vidit Persis, ditisque ferax*] Florentinus: *Persis ditique ferax Lydia regno.* Codici olim Grotiano adscriptum erat: *ditisque ferax Lydia arenæ.* Gronovius.

327. *Quibus*] Hercul. Fur. vers. 68. *Farnabius.*

330. *Sacer*] Ignis amoris est sacer. *Vel* execrandus. *Idem.* *Credite læsis*] Ejus vim expertis. *Idem.*

332. *Quæque ætherio Candida mundo*] Etruscus, ut Lipsianus: *quæque per ipsum Candida mundum.* Gronov.

333. *Mundo*] In mari, terra, cœlo. *Farnabius.*

336. *Grex Nereidum*,] Nympharum maris quæ Nerei & Doridis filiæ. *Idem.* Nerei & Doridis filiæ, marinæ nymphæ quinquaginta, apud Orpheum in Hymn. Pindarum in Isthm. Hesiodum in Theogon. qui & nominat. eædem *Nerinæ.* Aliæ, *Oceaninæ*, seu *Oceanitides*, Oceani & Thetyos natæ, quas ter mille tradit Hesiodus, ducentas Virgil. 4. Georg. *Delrius.*

338. *Ignes*] *Omne adeo genus in terris hominumque, ferarumque Et genus æquoreum, pecudes, pictæque volucres, In furias Veneremque ruunt, Amor omnibus idem.* Farnabius.

339. *Instincti quam magna gerunt*] Raphelingianus, tres Delrii, unus Gruteri, melior Vossianus, denique castus ille Florentinus: *Venere instinctus suscipit audax Grege pro toto bella juvencus.* At hoc viro docto spurium est, eritque, inquit, una omnibus, quibus auris

Grege pro toto bella juvenci!
Si conjugio timuere suo,
Poscunt timidi prælia cervi;
Et mugitu dant concepti
Signa furoris. tunc virgatas
India tigres decolor horret.
Tunc vulnificos acuit dentes
Aper, & toto est spumeus ore.
Pœni quatiunt colla leones,
Cum movit amor. tum silva gemit
Murmure sævo.
Amat insani bellua ponti,
Lucæque boves. vindicat omnes
Natura sibi. nihil immune est.
Odiumque perit, cum jussit amor:
Veteres cedunt ignibus iræ.
Quid plura canam? vincit sævas
Cura novercas.

ACTUS

auris non omnino agrestis. Ne terreamur. Fallunt nos, non tantum oculi, sed etiam sæpius aures, & harum quoque vagi sensus oppressa ratione mentiuntur, ut cantat ille. *Gronovius.*

341. *Conjugio*] Cervæ consorti fœminæ suæ. *Farnabius.*

342. *Timidi*] Alias timidi, hic feroces. *Idem.*

344. *Virgatas*] Variegatas, maculosas. *Idem.*

345. *India*] Indi nigri, fusci, nigredinem coloris privationem ponunt Poëtæ. vide Herc. Fur. 861. *Idem.*

347. *Spumeus*] Apri à Lucretio spumigeri, à Virgilio spumantes dicuntur. *Delrius.*

348. *Pœni*] Libyci, supr. vers. 59. Pœni proprie sunt Carthaginienses Phœnicibus oriundi, qui Didone duce Africam è Phœnicia advenerunt. *Farn.*

350. *Murmure*] Ferarum in silva degentium. *Idem.*

351. *Bellua*] Cetus, balæna. *Idem.*

352. *Lucæque boves.*] Suaves sunt hoc loco interpretes nostri, reponentes, *Lucique boves*; & ne patellæ dignum desit operculum, idipsum interpretantes, *boves luci*, id est, in silva incædua versari solitos. At Ennius inquit; *Prius pariet locusta Lucam bovem.* & Lucretius lib 5. *Inde boves Lucas turrito corpore tetros Anguimanos belli docuerunt volnera Pœni Sufferre* —— Plinius Hist. natural. lib. 8. Elephantos Italia primum vidit Pyrrhi regis bello, & boves Lucas appellavit. *Delr. Bos Lucans* primo dictus est, id est, Lucanus, quia in Lucania Romanis primum visus: deinde *Lucas* & *Luca*: ut *prægnans* & *prægnas*, *Picens* & *Picenus*: *Campas* & *Campanus*. Salmasius.

ACTUS SECUNDUS.

CHORUS. NUTRIX. PHÆDRA.

Amoris morbum, impatientiam & æstum conqueritur nutrix, mox ipsa prodit Phædra mutatis vestibus in cinctum Amazonis seu venatricis, ut Hippolyto placeat.

Chor. Altrix, profare, quid feras? quonam in loco est
Regina? sævis ecquis est flammis modus?
Nutr. Spes nulla tantum posse leniri malum;
Finisque flammis nullus insanis erit:
Torretur æstu tacito, & incluſus quoque,
Quamvis tegatur, proditur vultu furor.
Erumpit oculis ignis, & lapsæ genæ
Lucem recusant. nil idem dubiæ placet;
Artuſ-

358. CH. *Altrix profare,*] Hunc versum in vulgatis Phædræ pessime attribui vidit Lipsius: itaque eum reposuit post vers. 584. *Quo se dabit.* Non illo tamen congruere vidit Deltius, sed inani argumento Phædræ eum retinet. Vere Gruterus & Scaliger, qui Choro dederunt. Sed hic præterea eximius ille Etruscus pulcherrimum facinus inceptat. Vers. enim 403. qui commutaverat coloniam & loco non suo positus Lipsium & Deltium amicos, utrumque frustra, inter se commiserat, huc restituit, & pariter eidem Choro aptissime tribuit: CH. *Altrix profare, quid feras? quonam in loco est Regina? sævis ecquis est flammis modus?* Respondet nutrix: *Spes nulla tantum.* Hoc qui justum, verum, necessarium esse negabit, illum ego non quamvis agrestibus atque hispidis, sed ipsius Midæ aut potius cujus ad animalis instar illæ factæ fuerunt, auribus præditum liquido jurabo. *Gronovius.*

363. *Quamvis tegatur,*] Ovid. 2. metam. *Heu quam difficile est crimen non prodere vultu.* Oct. 2. 2. *Deltius.*

364. *Ignis,*] Ardentis concupiscentiæ scintillæ quæ & in iratis elucent. *Farnabius. Et lapsæ genæ Lucem recusant.*] Scaliger sententiam ait postulare *lassæ;* & sane ita Florentinus. Gruterus & *laxæ* & *lapsæ* queat ferre. Ego quid sint *lapsæ genæ*, didici: illa ut explicent alii, exspecto. Marcus Seneca contr. 12. ex Papirio Fabiano: *Ut intravi, cadentes jam oculos ad nomen meum erexit, fugientemque animam retinuit.* Lucanus lib. 2. *Vultusque exanimes oculosque in morte jacentes.* Statius ad Claudiam: *tenuique oculos jam morte cadentes.* In Abascanti Pietate: *Iamque cadunt vultus oculisque novissimus error.* Suetonius de Augusto: *Supremo die petito speculo capillum sibi comi ac malas labentes corrigi præcepit.* Claudianus de bello Gildonico: *Vox tenuis, tardique gradus, oculique jacentes, Interius fugere genæ.* Gronovius.

365. *Nil idem dubiæ*] Propria amantium perturbatio. Ovidius 10. *furiosaque vota retractat, Et modo desperat, modo vult tentare, pudetque, Et cupit & quid agat, non invenit.* Delrius.

366. *De-*

Artusque varie jactat incertus dolor.
Nunc ut soluto labitur moriens gradu,
Et vix labante sustinet collo caput.
Nunc se quieti reddit; & somni immemor
Noctem querelis ducit; attolli jubet,
Iterumque poni corpus; & solvi comas;
Rursusque fingi. semper impatiens sui
Mutatur habitus. nulla jam Cereris subit
Cura, aut salutis. vadit incerto pede,
Jam viribus defecta. non idem vigor,
Non ora tingens nitida purpureus rubor.
Populatur artus cura. jam gressus tremunt;
Tenerque nitidi corporis cecidit decor.
Et, qui ferebant signa Phœbeæ facis,
Oculi nihil gentile nec patrium micant.
Lachrimæ cadunt per ora, & assiduo genæ
Rore irrigantur: qualiter Tauri jugis
Tepido madescunt imbre percussæ nives.
Sed, en, patescunt regiæ fastigia:

Recli-

366. *Dolor.*] Amor, quem & supra furorem, curam, insaniam dixit. *Farnabius.* Sic amor ab Ovidio etiam epist. 13. vocatur; *Tu mihi luce dolor, tu mihi nocte venis.* Delrius.

367. *Nunc*] Dat quidem se quieti, sed illa non admittit.

370. *Attolli*] In lecto. *Farnabius.*

372. *Fingi.*] Componi. *Idem.*

373. *Cereris*] Cibi; solent enim amantes cibos aspernari. Ovid. Epist. *Fugerat ore color, macieque adduxerat artus, Sumebant minimos ora coacta cibos.* Idem.

375. *Jam viribus defecta.*] Optime in veter. libris continetur, *viribus defecta.* Sic Ovidius lib. 5. Metam. *Sanguine defectos cecidit collapsus in artus.* & Metam. 9. — *qua vires defecto reddat amori.* Sic Martialis; *Dulcia defecta moderatur carmina lingua Cantator cygnus funeris ipse sui.* Delrius.

376. *Populatur artus cura.*] Consumit, destruit. *Farnabius.* Omnem vim ac virtutem destruit ac depræda-tur. hæc vis verbi. *Delrius.*

379. *Et, qui tenebant*] Quod ex impressis quibusdam adfert Gruterus, confirmat Flor. *Et qui ferebant.* i. præ-ferebant. Virgilius: *Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat.* Gronovius. Qui fulgore & radiis eam sole ortam indicabant, amiserunt jam generis sui proprium splendorem. *Farna-bius.*

383. *Imbre perfusæ nives.*] Etruscus: *percussæ.* Horatius: *Non verbera-tæ grandine vineæ.* Tibullus lib. 1. eleg. 2. *Ianua difficilis domina, te ver-beret imber.* Virgil. *Piniferum caput & vento pulsatur & imbri.* Gronov. Sic Ovidius eleg. 8. *Suspensaque diu lacrymæ fluxêre per ora, Qualiter ad-jectâ de nive manat aqua.* Delrius.

Reclinis ipsa sedis auratæ toro,
Solitos amictus mente non sana abnuit.
Phæd. Removete, famulæ, purpura atque auro illitas
Vestes. procul sit muricis Tyrii rubor,
Quæ fila ramis ultimi Seres legunt:
Brevis expeditos zona constringat sinus.
Cervix monili vacua; nec niveus lapis
Deducat aures, Indici donum maris.
Odore crinis sparsus Assyrio vacet:
Sic temere jactæ colla perfundant comæ
Humerosque summos; cursibus motæ citis
Ventos sequantur. læva se pharetræ dabit;
Hastile vibret dextra Thessalicum manus.
Talis severi mater Hippolyti fuit.

Qua-

388. *Muricis*] Purpura è muricis succo. vide Thyest. 344. *Farnabius.* *Tyrii*] Tyrus, metropolis Phœnices; quondam septingentis passibus à continente divisa mari profundissimo, sed Alexandri Magni jussu, aggeribus congestis continenti juncta. nobilis tinctura purpuræ. Hebræis מצר Zor. *Delrius.*

389. *Quæ*] Thyest. 378. *Farnabius.* *Seres*] De serico multa Tiraquellus in legib. connubial. leg. 3. num. 18. de eodem & bombycino Baisius lib. de re vestiariâ, cap. 5. & 6. & Brodeus lib. 2. miscellan. cap. 22. de iisdem & byssо Volaterranus lib. 28. Comment. Urban. & Pet. Faber lib. 1. Semestr. c. 16. Inde discant juvenes: sericum arboribus depecti; byssum instar lini terrâ edi; bombycinum à vermiculis gigni. priora duo, volunt quidam penitus interisse. falsum id nam sericum illud antiquorum, in Taprobanâ, Tartariâ, Chinaque, quin & Calabriâ hodie depecti arboribus, confirmat Iul. Scalig. exercit. 158. cap. 9. de arborum lanugine docent Plinius lib. 6. cap. 17. Dion. lib. μγ'. Strabo lib. ιέ. Arrianus in Periplo maris rubri, Virgilius, Claudianus, & alii plurimi. Byssum Hebræorum commendat Pausanias, & in totâ Græciâ non nisi in Elide nasci Eliac. lib. 1. Hodie etiam apud Belgas existimo byssum nasci. quid enim aliud tenuissimum illud & pellucidum Cameracensium linum? *Delrius.*

390. *Expeditos*] Breves, succinctos & à latere apertos, quo ad cursum expeditior sim. *Farnabius.*

392. *Deducat*] Pondere scil. suo. *Aures*] Nec aures onerent elenchi, & appensæ margaritæ, quæ nascuntur conchiliis in mari Indico. *Farnabius.* *Donum maris,*] Nam in conchyliis marinis innascitur. norunt id Lusitani mercatores, quibus illa margaritarum piscatio curæ in Indico mari. *Delrius.*

393. *Odore*] Nardo seu amomo, Catullus: *Assyrio venit odore donum.* Farnabius.

396. *Ventos*] Ventis diffluant. *Id.*

397. *Hastile*] Sarissam, venabulum. *Idem.*

398. *Mater*] Antiope, *ut alii*, Hippolyte Amazonum Regina Bosporum Thracium gelu constrictum trajecit, copiisque suis Græciam aggressa in Attica tandem devicta est à Theseo, cui

Qualis, relictis frigidi Ponti plagis,
Egit catervas, Atticum pulsans solum,
Tanaitis, aut Mæotis, & nodo comas
Coëgit emisitque, lunata latus
Protecta pelta; talis in silvas ferar.
Nutr. Sepone questus. non levat miseros dolor,
Agreste placa virginis numen Deæ.

Regi-

cui nupta Hippolytum peperit. *Farnabius.*

399. *Qualis, relictis frigidi*] Conjeceram : *Talis relictis.* Video idem placuisse Grotio. *Gronovius.*

400. *Catervas,*] Amazonum, quæ ad Tanaim fluvium Scythiæ & Mœotim paludem accolunt. *Farnab.* *Atticum pulsans solum,*] Lysias orator prodidit Amazonas primas mortalium equo usas fuisse, & gratiâ roboris periclitandi, cum alia percurrisse loca, tum Atticam etiam; in qua ægre tandem vinci potuerint. Hellanicus Lesbius scripsit illas, ut in Atticam pervenirent, Thracium Bosporum gelu constrictum (qua de re vide Plutarchum, in Theseo) equis plaustrisque trajecisse. quo tempore Antiope capta, postea Theseo Hippolytum peperit; auctore, post Heraclidem Ponticum, Isacio in Lycophronem. *Delrius.*

401. *Aut Tanais, aut Mæotis,*] Quomodo pulsavit solum Tanais? Hoc non potuit, nisi fuerit submersa. nam Latine *solum Tanais* est ipse fundus, non regio Tanai circumjecta. An ergo significat vado transiisse Tanaim & Mæotim. Vossianus codex : *Tanaitis aut Mæotis.* Vt quemadmodum in universum se jactabant Martis filias, ita hæc prædicetur quasi Nympha & filia Tanais aut Mæotidos. Aut certe, ex urbe Tanai vel populis Μαιώταις oriunda. Strabo lib. 11. Ἐπὶ δὲ τῷ ποταμῷ καὶ τῇ λίμνῃ, πόλις ὁμώνυμος κεῖται Τάναις, τῶν τὸν Βόσπορον ἐχόντων Ἑλλήνων. νεωστὶ μὲν οὖν ἐξεπόρθησεν αὐτὴν Πολέμων ὁ βασιλεὺς ἀπειθοῦσαν. Hoc teneamus. Sic *Memphitides puellæ.* Florentinus non juvat : habet enim : *Tanais alti aut Mæotis.* Alius Flor. & Germanicus. *Tanatois aut Mæotis.* Meus, *Tanais aut Mæotis.* Quæ nihil aliud quam Vossianum illud significant. *Gronov.* *Et nodo*] In nodum collegit, & à tergo demisit. *Farnabius.*

402. *Lunata*] Scuto brevi mediam Lunam referente, vid. Med. vers. 114. Virgilius : *Amazonidum lunatis agmina peltis.* Idem.

404. *Sepone questus. non levat*] Post hunc versum libri vulgares & gregales Mss. inculcant illum : *Regina sævis ecquis est flammis modus?* Sed quem hoc loco Magni Ducis liber optimus agnoscit nullum : posuit autem superius, uti debuit. Post versum *Sepone questus,* sequitur nullo alio interposito : *Agreste numen:* & finitur hæc scena: ac majusculis literis præponuntur personæ : *NVTRIX. HIPPOLYTVS.* Neque aliter in alio Florent. & nostro membranaceo. *Gronovius.*

405. *Agreste*] Ἀγροτέραν Ἄρτεμιν venationum Deam. sibi itaque patrium numen, ut cui Creta propter copiosum venatum sacra. *Vel* ab Agre loco trans Ilissum, ubi Dianæ venatricis ædes. *Vel* in gratiam Hippolyti ejus comitis placandum, ne obstet, non, ut faveat. Quid enim Deæ semper virgini cum nuptiis & amoribus? amantes tamen fœminæ Lunæ vota concipiebant, ut Soli viri. ita Simætha apud Theocr. ἀλλὰ σελάνα Φαῖνε καλόν. *Farnabius.*

406. Re-

Regina nemorum, ſola quæ monteis colis,
Et una ſolis montibus coleris Dea,
Converte triſtes ominum in melius minas.
O magna ſilvas inter & lucos Dea,
Clarumque cœli ſidus, & noctis decus,
Cujus relucet mundus alterna face,
Hecate triformis; en ades cœptis favens.
Animum rigentem triſtis Hippolyti doma.
Amare diſcat, mutuos ignes ferat.
Det facilis aures. mitiga pectus ferum.
Innecte mentem. torvus, averſus, ferox,
In jura Veneris redeat. huc vires tuas
Intende. ſic te lucidi vultus ferant,
Et nube rupta cornibus puris eas.

Sic

406. *Regina nemorum*,] *Vota hæc concipit nutrix Phædræ nomine aram tangens.* Farn. Viri amantes, ſolem, feminæ lunam precabantur. teſtes Seneca hoc loco, Euripides in Hippolyto, & Theocritus εἰδυλ. β'. cujus Scholiaſtes hujus conſuetudinis varias rationes reddit: unam, quod cum luna Endymionem amarit, non ſit veriſimile, fœminis eam eodem morbo laborantibus, non opitulaturam: aliam quia amori exercendo non longe quam dies ſit accommodatior, noctique luna ſeu Diana præſit. Multa etiam Cælius lib. 5. cap. 6. *Delrius.* *Quæ montes colis*,] Horatius: *Montium cuſtos, nemorumque virgo.*

407. *Solis*] Deſertis. *Farnabius.*

408. *Omnium*] Exitii quod Phædræ imminere ominor. *Idem.*

411. *Mundus alterna face*,] Non male. Flor. tamen: *alterna vice.* Medea: *Nitiduſque certus mundus evolvet vices.* Gronovius. *Alterna*] Cum ſole altern. *Farnabius.*

412. *Hecate*] Quod centum victimis placaretur ex inſtituto Menelai. *Vel* quod inhumatos c. annos errare faciat. *Aliis* à centuplicato frugum fœnore quod à matre acceptum docuit, aut propter plurimas virtutes. *Idem.* *Triformis:*] Eſt enim in cœlo Luna, in terris Diana, apud infectos Proſerpina. *Vel* τρίμορος & τρικέφαλος, à trina facie, cum ſurgit aut deſinit in cornua, cum dividua eſt, cum plena. *Vel* Trivia à triplici curſu ſub Zodiaco ſecundum longitudinem, latitudinem, & altitudinem: Triviis etiam præeſſe fertur. referunt alii ad tres decades menſis ἱσταμένου, μεσοῦντος, φθινομένου. *Farnabius.*

416. *Innecte mentem.*] Alii leg. *Inverte.* Moguntinenſ. Herbipolenſ. & tres Veneti; *Innecte.* quod in tanto manuſc. conſenſu, miror cur Baſileenſ. ni fallor, primi, mutarint. vult Hippolyti animum in amoris retia pertrahi. aptum vocabulum venatrici ac venatori. *Delrius.*

418. *Sic te*] Sic, lucida fulgeas precor, nullam patiaris Eclipſim. Lunam enim deficientem è cœlo carminibus devocari vulgo creditum. infr. v. 788. *Farnabius.*

419. *Cornibus*] Taurino vultu Lunam vocat Syneſius: Σοὶ δὲ ταυρῶπις μήνα. *Tibi taurina fronte Luna.*

vel

Sic te, regentem frena nocturni ætheris,
Detrahere nunquam Thessali cantus queant;
Nullusque de te gloriam pastor ferat.
Ades invocata. jam faves votis, Dea.
Ipsum intuor solenne venerantem sacrum,
Nullo latus comitante. quid dubitas? dedit
Tempus locumque casus. utendum artibus.
Trepidamus? haud est facile mandatum scelus
Audere. verum justa, qui reges timet,
Deponat. omne pellat ex animo decus.
Malus est minister regii imperii pudor.

vel quia quando alinoides est, apparet cornuta; vel quia bos ei apud Ægyptios sacra, teste Eusebio libro 1. præparat. Euang. cap. 6. *Delrius*

421. *Thessali*] Thessalia incantamentis famosa. *Farnabius.*

422. *Nullusque*] Quemadmodum Endymion. suprà vers. 308. *Idem.*

423. *Iam*] *Hæc enim dicenti supervenit Hippolytus agresti Dianæ operaturus.* Idem.

428. *Qui reges*] Qui principibus morem gerere vult, uti ego Phædræ. *Idem.*

429. *Decus.*] Honesti rationem. *Idem.*

HIPPOLYTUS. NUTRIX.

Nutrix Hippolyti animum mollire & ad nuptias & delicias urbanas flectere callide tentat. Ille vitæ cœlibis & rusticæ (quam urbanæ collatam præfert) institutum immotus tenet.

Hipp. Quid huc seniles fessa moliris gradus,
O fida Nutrix, turbidam frontem gerens,
Et mœsta vultus? sospes est certe parens,
Sospesque Phædra, stirpis & geminæ jugum.
Nutr. Metus remitte. prospero regnum in statu est,
Domusque florens sorte felici viget.
Sed tu beatis mitior rebus veni:
Namque anxiam me cura sollicitat tui,
Quod te ipse pœnis gravibus infestus domas.

Quem

434. *Stirpis*] Demophoon & Antigonus germani mei, quos peperit Theseo Phædra. *Vel* ego & illi utriusque matrimonii liberi. *Farnabius.*

439. *Te ipse*] Sponte tua, ultro. *Id.*

Pœnis gravibus infestus gravas.] Rejiciebat hunc versum magnus Scaliger, quod absurdum putaret *pœnam* pro labore improbo ac misero dici. Atqui hoc Latinum esse docuimus in Observatio-

Quem fata cogunt, ille cum venia eſt miſer.
At ſi quis ultro ſe malis offert volens,
Seque ipſe torquet, perdere eſt dignus bona
Queis neſcit uti. potius annorum memor
Mentem relaxa. noctibus feſtis facem
Attolle. curas Bacchus exoneret graves.
Ætate fruere. mobili curſu fugit.
Nunc facile pectus, grata nunc juveni Venus,
Exultet animus. cur toro viduo jaces?
Triſtem juventam ſolve. nunc luxus rape.
Effunde habenas. optimos vitæ dies

Efflue-

vationibus. Plinius lib. 9. cap. 6. *pondere ſuo oneratæ, tunc quidem & utero graves, pariendive pœnis invalidæ.* Sed aliquid vitii ſubeſſe iſtis, *gravibus gravas*, non dubitandum. Virum autem doctiſſimum, qui ſecundum Scaligerum pronuntiavit, & verſum pro ſpurio virgulis incluſit, miror non obſervaſſe in Voſſiano: *infeſtus domas:* quo admiſſo verſus fit egregius. Et ſic etiam antiquiſſimæ membranæ. Ovid. lib. 1. *quibus unda pepercit, Illos longa domant inopi jejunia victo.* Oedipo: *Audita fare, vel malo domitus gravi, Quid arma poſſint regis irati, ſcies.* Et, *Ait, hoc ſceleſtum pectus aut ferro petat, Aut fervido aliquis igne vel ſaxo domet.* Omnia ex Homeri, Εἰ δὴ ὁμῶ πόλεμόν τε δαμᾷ καὶ λοιμὸς Ἀχαιοὺς. Nic. Heinſius mallet: *cura ſollicitat tui. Quo te ipſe pœnis gravibus infeſtus domas?* Gronovius.

440. *Quem*] Qui ad miſerias natus eſt neque ex iis emergere valet. *Farnabius.*

444. *Motibus feſtis facem*] *Motus* illi *feſti* non ſunt ab auctore. Liber optimus cum Lipſiano: *noctibus feſtis.* Et ſunt non Triviæ, non Eleuſiniæ matri, ſed Como, Baccho, Veneri, & hujuſmodi lepidis diis ſacratæ. Comiſſantes adhibuiſſe pueros, qui funali prælucerent, notiſſimum eſt. Itaque pro re nova miratur in Curculione Plauti Palinurus, quod Phœdromus ipſe facem ferret: *Tute tibi puer es: lautus luces cereum.* Fingit adoleſcentem è balneo paullo ante egreſſum. *Tute*, inquit, *tibi puer es:* hoc eſt, ipſe tibi miniſtras, te ipſe, ut puero vel ſervulo, uteris. Vt ille in Mercatore: *Egomet mihi comes, calator, eques, agaſo, armiger.* Et Martialis lib. 14. *Defuerit ſi forte puer, ſoleaſque libebit Sumere, pro puero pes erit ipſe tibi.* Dein *lautus* (id eſt, nitidus, ut erat à balneo, quod de Narciſſo Seneca in Ludo) *luces cereum*, ipſe tibi loto faculam præfers. Senecæ quoque verba recte cepit Petitus lib. 1. Obſerv. 2. non item Plauti: ut nec Salmaſius, nec ille alter, qui Petitum reprehendit. *Gronovius.*

445. *Curas*] *Diſſipet curas Evius edaces.* Farnabius.

448. *Cur toro*] *Solus perpetua mœrens carpere juventa?* Idem.

449. *Solve.*] Deliciis, & voluptatibus. *Idem. Nunc luxus rape.*] Immo *luſus:* quod vitium etiam in Livio animadvertimus. Flor. *curſus. Rape*, ut Trogus in oratione Mithridatis: *rapienda incrementa virium.* Gronov.

450. *Optimos*] Auroram, ver, florem ætatis: ut enim matutinum tempus, diei pars potior: ſic juventus vitæ pars melior exiſtimanda eſt. *Farnab.*

452. *Du-*

Effluere prohibe. propria descripsit Deus
Officia, & ævum per suos ducit gradus.
Lætitia juvenem, frons decet tristis senem.
Quid te coërces, & necas rectam indolem?
Seges illa magnum fœnus agricolæ dabit,
Quæcunque lætis tenera luxuriat satis.
Arborque celso vertice evincet nemus,
Quam non maligna cædit aut resecat manus.
Ingenia melius recta se in laudes ferunt,
Si nobilem animum vegeta libertas alit.
Truculentus, & silvester, & vitæ insçius,
Tristem juventam Venere deserta colis.
Hoc esse munus credis indictum viris,
Ut dura tolerent? cursibus domitent equos,
Et sæva bella Marte sanguineo gerant?
Providit ille maximus mundi parens,
Cum tam rapaces cerneret fati manus,
Ut damna semper sobole repararet nova.
Excedat, agedum, rebus humanis Venus,
Quæ supplet ac restituit exhaustum genus,
Orbis jacebit squallido turpis situ;
Vacuum sine ullis classibus stabit mare;
Aleseque cœlo deerit, & silvis fera;
Solis & aër pervius ventis erit.
Quam varia leti genera mortalem trahunt

Car-

452. *Ducit*] M. s. *duxit*, quemadmodum *descripsit*. Delrius.

457. *Celso vertice evincit nemus*,] Flor. *evincet*. Vt ante: *fœnus agricolæ dabit*. Gronovius.

459. *Recta*] Non coacta, non depressa: quemadmodum tu indolem rectam coërces & enecas. modo v. 453. *Farnabius*.

461. *Vitæ*] Vita frui nescius. *Id*.

466. *Providit*] Hinc incipit elegans matrimonii commendatio, cui adjunge Augusti oration. contra cœlibes, apud Dionem. *Delrius*. *Mundi parens*,] Deus, fatetur ergo cœpisse & creatum esse mundum. *Idem*.

467. *Rapaces cerneret fati minas*,] Florent. *fati manus*. Statius in epicedio Glauciæ: *subitas inimica levavit Parca manus. quo, diva, feros, gravis, exseris ungues?* Et in Philetum Vrsi: *carpsitque immitis adunca Ora manu*. Gron.

469. *Venus*,] Alma omnium genitrix. *Farnabius*.

474. *Solis*] Vbi defecerit alitum genus in aëre volitantium. *Idem*.

477. *Sed*

Carpuntque turbam; pontus, & ferrum, & doli!
Sed fata credas deesse; sic atram Styga
Jam petimus ultro. cœlibem vitam probet
Sterilis juventus, hoc erit, quidquid vides,
Unius ævi turba, & in semet ruet.
Proinde vitæ sequere naturam ducem:
Urbem frequenta, civium cœtus cole.
Hipp. Non alia magis est libera, & vitio carens,
Rituque melius vita quæ priscos colat,
Quam quæ relictis mœnibus silvas amat.
Non illum avaræ mentis inflammat furor,
Qui se dicavit montium insontem jugis:
Non aura populi, & vulgus infidum bonis,
Non pestilens invidia, non fragilis favor.
Non ille regno servit; aut regno imminens,
Vanos honores sequitur, aut fluxas opes;
Spei metusque liber. haud illum niger
Edaxque livor dente degeneri petit.
Nec scelera populos inter atque urbes sita
Novit; nec omnes conscius strepitus pavet,
Haud verba fingit. mille non quærit tegi
Dives columnis; nec trabes multo insolens

Suf-

477. *Sed fata*] Dicit auctor, nos, quasi per fata non moreremur, ultro arcessere mortem. Vt Propertius: *Terra parum fuerat fatis, adjecimus undas.* Herc. Fur. vers. 183. *Gruterus.*

480. *Vnius ævi turba,*] Vnius ætatis humanæ. *Farnab.* Sic αἰὼν Græcis *ævum*, Latini non raro. Lucretius (ut advertit Turnebus lib. 20. cap. 22.) *Perdit enim, quod non proprium fuit hujus in ævo.* &: *Multaque præterea perdit, cum expellitur ævo.* ait ergo Seneca: si à nullo liberi procreentur; iis qui nunc vivunt defunctis, genus humanum interibit. Sic *ævum*, *seculum*, *tempus*, *ætas*, *dies*, à poëtis confundi solent. *Delrius.*

483. *Non alia magis*] Campestris & rusticæ vitæ laudes persequitur. de quo plura habes apud Xenophontem in Oeconom. Arist. lib. 6. Politic. Varronem lib. 1. de re rustica; Columellam initio rusticani operis: Virgilium lib. 1. Georg. & Horatium in Od. & alios. *Idem. Et vitio*] Non inserviens curis, avaritiæ, ambitioni, invidiæ, &c. ut in sequentibus. *Farnab.*

484. *Priscos*] Sanctos primorum hominum mores, & Heroum vitam. *Idem.*

488. *Infidum*] Non meritis præmiis & honore remunerans bonos. *Idem.*

492. *Niger*] Malus: Hercul. Fur. vers. 860. *Idem.*

497. *Columnis;*] *Non trabes Hymettia*

Suffigit auro. non cruor largus pias
Inundat aras; fruge nec ſparſi ſacra
Centena nivei colla ſubmittunt boves:
Sed rure vacuo potitur, & aperto æthere
Innocuus errat. callidas tantum feris
Struxiſſe fraudes novit; & feſſus gravi
Labore, niveo corpus Iliſſo fovet.
Nunc ille ripam celeris Alphei legit:
Nunc nemoris alti denſa metatur loca,
Ubi Lerna puro gelida pellucet vado;
Sedemque mutat. heic aves querulæ fremunt,
Ramique ventis lene percuſſi tremunt,
Vetereſque fagi. juvit aut amnis vagi
Preſſiſſe ripas, cæſpite aut nudo leves

Du-

tia Premunt columnas ultima reciſas Africa. Farnabius.

498. *Auro.*] *Non aureum renidet in domo lacunar.* vide Thyeſt. verſ. 455. *Idem.*

499. *Fruge*] Mola ex hordeo & ſale confecta: qua frontem victimæ, focum, & cultros aſpergere moris erat. hinc *Immolare.* Idem.

500. *Centena*] Hecatombe, centum boum ſacrificium. *Idem.*

504. *Niveo Iliſſo*] Iliſſum hîc *niveum*, & infra Araxem nominat, quaſi ἀργυροδίνας; vel *niveos* dicit, propter aquarum perſpicuitatem. *Fabritius.*

505. *Alphei*] Fluvii Elidis in Arcadia Piſas alluentis. Vid. Thyeſt. verſ. 116. *Farnabius.*

506. *Denſa*] Ad retia ponenda. *Idem.*

507. *Lerna*] Fons prope Corinthum gelidus & limpidus. non palus illa in agro Argivo. *Idem.*

510. *Iuvit aut amnis vagi*] Mſſ. fere, *juvat*: quidam, *juvat hic.* quare non integrum locum judicat Gruterus. Immo quia ſic ſcripti, non aliter fuit reſtituendus. Et eſt hæc Enallage temporum non inſolens. Troadibus: *Non ille duos vidit Atridas, Nec fallacem cernit Vlyſſem.* Debuerat, *videt.* Rurſus: *Nondum ruentis Ilii fatum ſtetit.* Agamemnone: *ipſa ſe claſſis premit, Et prora proræ nocuit, & lateri latus.* Thyeſte verſ. 505. *præda cum propior fuit, Cervice tota pugnat.* Vbi pari errore Gruterus: Legerim vel *fluit*, vel *fugit*, vel aliud quidvis quam *fuit*, prorſus meis oculis ſpurium. Phœniſſis verſ. 456. *ſi placuit ſcelus.* Vbi idem: Cohæſerit magis præcedentibus, ſi reponatur, *placet.* quod jam rejecimus. Sic Martialis, *ſapiſti*, pro *ſapis*, lib. 3. epiſt. 2. & lib. 9. epiſt. 6. & lib. 11. epig. 107. Tale eſt Claudiani lib. 2. de laudibus Stiliconis: *Principio magni cuſtos Clementia mundi, Quæ Iovis incoluit Zonam.* Hoc eſt, incolit, vel habitat, habitandam & incolendam ſumſit. Neque alio ingenio opus. Adde quæ ad epiſtol. 114. notavimus. *Gronovius.*

511. *Nudo*] Nullo ſtragulo aut pulvinari ſuppoſito. *Farnabius.* *Leves*] Molles, faciles, quos *ſuadet inire ſuſurrus* foliorum vento agitatorum *vel murmur lene fluentis aquæ.* Idem.

Duxisse somnos, sive fons largus citas
Defundit undas; sive per flores novos
Fugiente dulcis murmurat rivo sonus.
Excussa silvis poma compescunt famem:
Et fraga parvis vulsa dumetis, cibos
Faciles ministrant. regios luxus procul
Est impetus fugisse. sollicito bibant
Auro superbi: quam juvat nuda manu
Captasse fontem! certior somnus premit
Secura duro membra versantem toro.
Non in recessu furta & obscuro improbus
Quærit cubili, seque multiplici timens
Domo recondit: æthera ac lucem petit,
Et teste cœlo vivit. hoc equidem reor
Vixisse ritu, prima quos mixtos deis
Profudit ætas. nullus his auri fuit
Cœcus cupido. nullus in campo sacer

Di-

512. *Fons largus citas Diffundit undas,*] Flor. cum Lipsiano: *Defundit.* Rectius. nam ex editioribus fere locis aquam desiciunt fontes. *Gronovius.*

518. *Est impetus fugisse.*] Libenter fugio. *Farnabius.* Hanc phrasim apud Nasonem lib. 2. 5. 6. 8. & 9. Metam. & passim in epist. & alibi, plus decies observavi. *Delrius. Solicito*] Ipsi soliciti. vid. Thyest. vers. 451. *Farnab.* Sollicitum vero aurum accipe, quemadmodum apud Tibullum; *Somnus sollicitas deficit ante fores.* Delrius.

519. *Superbi.*] Divites, potentes, reges. *Farn. Nuda*] Cotyla. *Idem.*

520. *Captasse fontem!*] Potius quam fluvium, quia melior fontana; quia post pluviam levissima, deinde amnica, post ex nive vel glacie liquata; gravior hausta ex lacu, gravissima ex palude. vide Corn. Celsum l. 2. *Delri.*

522. *Obscuro*] Multa habenti conclavia & recessus. *Farnabius.*

525. *Teste cœlo*] In aperto, sub dio. *Idem. Hoc equidem reor*] Fuse hanc aureæ ætatis innocentiam & felicitatem describit Seneca epistol. 91. post medium, adi & confer cum hoc loco. *Delrius.*

526. *Quos mistos*] Heroas. *Farn.*

528. *Cupido.*] Ab effectu, officii enim ignaros & immemores abducit avaritia. *Idem. Nullus in campo*] Iuvenalis; *Aut sacrum effodit medio de limite saxum.* Sed quare *sacrum?* an quia Numa Terminum pro Deo coli, eique hostias inanimas cædi voluit, atque illi templum constituit, ut Plutarchus in Numa & in Romaicis. Ovid. 2. Fastorum docent? postmodum tamen etiam agnam illi immolari consuevisse videtur colligi ex illo Horatii; *Et agna festis cæsa Terminalibus.* Prudentius quoque (ni fallor) in libris contra Symmachum auctor est, extis gallinæ, Termino fieri solitum. Porrò ea sacra sub dio fiebant. nam ut Paulus Festi abbreviator scribit; Terminus quo loco colebatur, super eum foramen patebat in tecto, quod nefas esse putarent Ter-

Divisit agros arbiter populis lapis.
Nondum secabant credulæ pontum rates:
Sua quisque norat maria. non vasto aggere
Crebraque turre cinxerant urbes latus.
Non arma sæva miles aptabat manu.
Nec torta clusas fregerat saxo gravi
Balista portas. jussa nec dominum pati
Juncto ferebat terra servitium bove:
Sed arva per se fœta poscentes nihil
Pavere gentes. silva nativas opes,

Et

Terminum intra tectum consistere. Idem Paullus; Termino, inquit, sacrificabant, quod in ejus tutela fines agrorum esse putabant. denique Numa Pompilius statuit eum qui Terminum exarasset, & ipsum, & boves sacros esse. *Delrius.*

529. *Divisit agros arbiter populis lapis.*] Tibullus: — *non fixus in agris,*
Qui regeret certis finibus arva lapis.
potuit etiam noster hoc ab Ovidio l. 3. Amor. eleg. 7. aut lib. 2. Fastor. desumere. De finib. & terminis fratres Arvales cognovisse docet Cujacius lib. 11. Observ. cap. 5. *Idem. Lapis.*] Terminus. *Farnabius.*

532. *Turre*] Turritis mœnibus. *Idem. Latus*,] Vrbes enim sibi latus cingunt & claudunt aggeribus murorum & turribus. *Lipsius.*

535. *Balista*] Machina lapidum libratoria muros urbium concutiens. *Farnabius.* Balistæ, machinæ lapidum libratoriæ, descriptionem habes apud Ammian. lib. 23. qui docet quid discrepet à scorpione; & apud Vitruvium lib. ult. cap. 15. & seqq. cujus verba recenset Turnebus lib. 2. adverss. cap. 5. de eadem Vegetius, Vulturius, & lib. Notitiæ Orient. & Occident. *Delrius. Jussa*] Terra adhuc immunis & libera. *Farnabius.*

536. *Juncto bove.*] Plerisque in regionibus bobus olim arabatur, ut & nunc; in aliis, equis. frequens etiam mulorum aratio, quam reliquis anteponit Homerus 10. Iliade. ex professo tamen illam singulari opusculo reprehendit, & bubulam cunctis præfert Arietha Hispanus. *Delrius.*

538. *Silva nativas opes*;] Herbas, fraga, glandes, poma, &c. *Farnabius.* Glandes, & poma & herbæ nondum invento frumento, esui fuêre, testibus Virgil. lib. 1. Georg. Tibullo lib. 1. eleg. 3. Ovidio Fast. 4. Iuven. Sat. 6. & Plutarcho in Coriol. Multa in hanc rem Bened. Curtius lib. 1. hortor. à cap. 4. Ceterum videtur significare, ætatis auteæ homines carnibus abstinuisse, quod voluit Porphyr. in lib. de abstinent. animat. & Pythagoras apud Laërtium, & Ovidium lib. 15. Metam. Et ante diluvium id verum, contendunt ex cap. 9. Genes. nonnulli post Tertull. lib. de cibis Iudaic. & D. Hieronym. lib. 2. in Iovinian. imo non abstinuisse illos modo, sed etiam prohibitum tunc carnium usum, insinuat Alph. Tostatus vulgo Abulensis dictus, in 1. cap. Gen. Verum hoc aliis non probatur. Nam D. Iustinus Martyr ad Orthod. q. 119. etiam ante cataclysmum carnibus homines victitasse censuit. idque ut probabile admodum, receperunt aliquot ætatis nostræ eruditissimi theologi, Victoria, Sotus, Vielmius. Thomas autem à Vio Cajetanus, in cap. 9. Genes. usum carnium eo tempore voluit nec prohibitum

Et opaca dederant antra nativas domos.
Rupere fœdus impius lucri furor,
Et ira præceps: quæque succensas agit
Libido mentes. venit imperii sitis
Cruenta. factus præda majori minor.
Pro jure vires esse. tum primum manu
Bellare nuda: saxaque & ramos rudes
Vertêre in arma. non erat gracili levis
Armata ferro cornus; aut longo latus
Mucrone cingens ensis; aut crista procul
Galeæ comantes. tela faciebat dolor.
Invenit artes bellicus Mavors novas,
Et mille formas mortis. hinc terras cruor
Infecit omnes fusus, & rubuit mare.
Tum scelera demto fine per cunctas domos
Iëre. nullum caruit exemplo nefas.
A fratre frater, dexterâ nati parens
Cecidit, maritus conjugis ferro jacet,
Perimuntque fœtus impiæ matres suos.
Taceo novercas. mitius nil est feris.

Sed

fuisse, nec tamen usurpatum, eo quod à Deo nondum illis diserte concessus. *Delrius.*

540. *Rupere*] Simplicem hanc vitam violavere avaritia, ira, libido, dominandi cupido, violentia, &c. *Farn.*

544. *Pro jure*] Ius erat in armis. *Idem.*

545. *Nuda:*] Inermi. *Id. Ramos*] Sudes, nec eas præustas. *Idem.*

547. *Cornus;*] *Bona bello Cornus*, hastis scil. & jaculis utilis. *Idem.*

548. *Aut crista caput Galeæ comantes.*] Flor. *aut crista procul Galeæ comantes.* Significat adeo eminentem, ut è longinquo conspiciatur. Statius 2. Thebaidos: *Scuta virum galeasque videt rutilare comantes.* Virgilius lib. 2. *tum deinde comantem Androgei galeam.* Gronovius. *Crista*] Pinna, juba, cauda equina solebant cassides coronare, similitudine ducta à gallorum gallinaceorum (qui Martis alites) cristis: nec non cornibus, ut Pyrrhus Epirotarum rex in hostium terrorem: *alii* à forma capitis canini, vulpini, lupini, felini, unde κυνέαι, ἀλωπεκέαι, λυκέαι, γαλέαι. Quæ tamen aliis dicuntur quod ex hisce pellibus confici solitæ galeæ. *Farnabius.*

551. *Et mille formas*] Tibullus: *Nunc Iove sub domino cædes & vulnera semper, Nunc mare, nunc leti mille repente viæ.* Deltrius.

552. *Rubuit*] Præliis navalibus. *Farnabius.*

555. *A fratre*] Hæc ut alia multa ab Ovidio post Hesiodum. *Idem.*

558. *Taceo novercas. mitius nil est feris.*] Petitus ita distinguit: *Taceo novercas (mitius nil est) feras.* Sed nihil mutandum. Taceo, inquit, novercas,

Sed dux malorum femina. hæc scelerum artifex
Obsedit animos, cujus incestæ stupris
Fumant tot urbes, bella tot gentes gerunt,
Et versa ab imo regna tot populos premunt.
Sileantur aliæ: sola conjux Ægei
Medea reddit feminas dirum genus.
Nutr. Cur omnium sit culpa, paucarum scelus?
Hipp. Detestor omnes, horreo, fugio, exsecror.
Sit ratio, sit natura, sit dirus furor:
Odisse placuit. ignibus junges aquas;
Et amica ratibus ante promittet vada
Incerta Syrtis; ante ab extremo sinu
Hesperia Tethys lucidum attollet diem;
Et ora damis blanda præbebunt lupi;
Quam victus animum feminæ mitem geram.
Nutr. Sæpe obstinatis induit frenos amor,

Et

cas, quarum comparatione etiam feræ non sunt feræ: quas si respicias, mites dicas feras, immo nihil mitius. Hæc tota clausula solum ad præcedens hemistichion refertur. *Gronovius.*

559. *Sed dux malorum fœmina, & scelerum*] Hoc jam refertur ad omnia illa mala, quibus dixerat vexari cæpisse vitam, ex quo homines deserto rure maluerunt urbes colere. Legendum autem cum optimo: *Sed dux malorum fœmina. hæc scelerum artifex Obsedit animos.* Idem.

561. *Bella tot gentes gerunt,*] Notum decennale bellum, & Ilium propter Helenam eversum. Duris lib. 2. historiæ prodidit propter Thenno à quodam Phocensi raptam, decennium solidum Thebanos cum Phocensibus lento duello collisos, & tandem Phocensium urbem excisam. Belli quod Cambyses Ægyptiis intulit, Nicetis Apriæ filia causa fuit, auctore Ctesia. Cum Cyrrhæi Megisthonem rapuissent, exarsit decennale bellum aliud Crissæum, nec nisi eversâ Cyrrhâ finitum, ut ex Callisthene Athen. lib. 13. cap. 4. ubi plura narrat. Vide etiam Parthenii Erotica. *Delrius.*

563. *Conjux*] Quæ patrem Æetam prodidit, fratrem Absyrtum discerpsit, Peliam à suis filiabus jugulari fecit, Creontem cum filia Glauca, *ut alii, Creusa,* medicatis ignibus absumpsit, liberos suos Mormorum, ac Pheretem in odium Iasonis coram patre occidit; Fugiens autem Athenas Ægeo nupta Medum peperit, in cujus gratiam Theseo insidiata est. *Farnabius.*

565. *Cur omnium*] *Parcito paucarum crimen diffundere in omnes.* Idem.

566. *Detestor omnes, &c.*] Auxesis pathetica. *Idem.*

570. *Syrtis;*] Hercul. Fur. v. 321. *Ante*] Orietur prius Sol è mari Hispan. vid. Hercul. Fur. vers. 373. & Oet. vers. 335.

571. *Tethys*] Vxor Oceani pro mari. Hercul Fur. 886. *Farnabius.*

574. *Obstinatis*] Calcitrones sæpe ulciscitur amor non secus ac matrem tuam, quam connubium aversatam Thesei tamen imperio subjecit, unde tu natus. *Idem.*

Et odia mutat. regna materna aspice.
Illæ feroces sentiunt Veneris jugum,
Testaris istud unicus gentis puer.
Hipp. Solamen unum matris amissæ fero,
Odisse quod jam feminas omnes licet.
Nutr. Ut dura cautes undique intractabilis
Resistit undis, & lacessentes aquas
Longe remittit, verba sic spernit mea.
Sed Phædra præceps graditur, impatiens moræ.
Quo se dabit fortuna? quo verget furor?
Terræ repente corpus exanimum accidit;
Et ora morti similis obduxit color.
Attolle vultus, dimove vocis moras:
Tuus en, alumna, tenet Hippolytus tenet.

PHÆ-

575. *Regna*] Amazonas, quæ utut connubia aspernentur, quotannis tamen ad sobolem propagandam viros admittunt. *Farnabius.*

577. *Vnicus genitus puer.*] Non solus hic fuerat natus Amazone, sed solus ex filiis Amazonum credebatur superstes: saltem ex sententia illorum, qui, quum concubitum finitimorum iniissent, si qui mares nascerentur, interfeciste tradunt, ut Iustinus. Lege igitur cum Etrusco: *unicus genitus puer.* Nam *Vnicus* interpretari præclarum & eximium, hic neque præclarum neque eximium est. *Gronovius.*

578. *Matru*] Quam amavi unicam, nunc omnes odio habeo. *Farnabius.*

580. *Vt dura*] *Nec magis incepto vultus sermone movetur, Quam si dura silex aut stet Marpesia cautes.* Idem.

583. *Impatiens*] Me non expectans. *Idem.*

583. *Repente terræ*] Sic Gruterus ex omnibus, ut ait, suis, cum antea legeretur: *Terra repente:* tanquam simplex verbum non ferret eundem casum quem compositum. Tollit omne dubium Florentinus: *Terræ repente corpus exanimum accidit.* Quo & versus fit numerosior, & res magis exprimitur. *Gronovius.*

587. *Dimove vocis moras:*] Linguam illi præpeditam significat: quod vehementissimi amoris signum. Theocrit. in Pharm. hoc, & quod præcessit, posuit: Πᾶσα μὲν ἐψύχθη χρὼς ὡς πάλεον, ὁμὴ ὑ μελίσσατο ἱδρὼς μέλιτι κύεσκεν ἴσον νοτίοισιν ἐέρσαις. Οὐδέ τι φωνάσαι δυνάμαν. εἰδὴ ὅσσον οὐ ὕπνῳ Κυζώντεσσι φωνοῦσα ποτὶ μητέρα τέκνα. *Tota quidem obrigui plus nive: ex fronte verò Meâ, sudor abunde defluebat, similis australibus pruinis: Neque quicquam eloqui poteram, ne tantum quidem quantum in somnis Murmurant clamantes caram ad matrem pueri.* Delrius.

588. *Tuus en,*] *In terram exanimata cadit Phædra, allevant eam nutrix & Hippolytus.* Farnabius.

579. *Me*

PHÆDRA. HIPPOLYTUS. NUTRIX. FAMULI.

Iuvenis pudicitiam omni arte oppugnant nec expugnant: ad fraudem itaque confugiunt & calumnias.

Phæd. Quis me dolori reddit, atque æstus graves
Reponit animo? quam bene excideram mi-
Cur dulce munus redditæ lucis fugis? (hi?
Aude anime. tenta. perage mandatum tuum.
Intrepida constent verba. qui timide rogat,
Docet negare. magna pars sceleris mei
Olim peracta est. serus est nobis pudor.
Amavimus nefanda. si cœpta exsequor,
Forsan jugali crimen abscondam face.
Honesta quædam scelera successus facit.
En incipe anime. commodes paulum, precor,
Secretus aures. si quis est, abeat, comes.
Hipp. En, locus ab omni liber arbitrio vacat.
Phæd. Sed ora cœptis transitum verbis negant.
Vis magna vocem emittit, at major tenet.
Vos testor omnes cœlites, hoc, quod volo,
Me nolle.
Hipp. Animusne cupiens aliquid, effari nequit?
Phæd. Curæ leves loquuntur, ingentes stupent.

Hipp.

589. *Me dolori*] Revocatam ad vitam. *Farnabius.*

590. *Bene*] *Placide*, si amorem: *honeste*, si castitatem respicias. *Idem.*

591. *Cur dulce*] Viso tamen prope Hippolyto, vivere vult. *Idem.*

592. *Mandatum*] Quod nutrici mandasti ipsa perage. *Idem.*

595. *Olim*] Vbi primum nefarie amare cœpi. *Idem.*

596. *Si cœpta*] Si amori meo responderit, forsan erit ut, non redeunte ab inferis Theseo, Hippolyto nubam. *Gruterus.*

599. *Age incipe anime.*] Florent. ut editum olim: *En incipe anime.* Mutavit G. Fabricius. *Gronovius.*

604. *Hoc, quod volo,*] Sane liber optimus æque ut Lipsianus adjicit: *Me nolle.* Scaliger recidit τὸ *Animusne*, & integrum versum facit: *Me nolle.* HIPP. *cupiens aliquid effari nequit?* Melius forte foret, *nequis.* Credibile est enim retrocessisse nutricem, ut soli essent Hippolytus & Phædra. Quamquam & potest videri voluisse Seneca, ut acciperemus interfari Hippolytum Phædræ, antequam illa totum sensum explicuisset. Quem cum ad marginem supplevisset aliquis istis *Me nolle*, librarios ea in contextum retulisse. *Idem.*

607. *Ingentes stupent.*] Hominem ita stupere faciunt, ut nec verbis nec lacrymis exitus ullus pateat. exem-

Hipp. Committe curas auribus, mater, meis.
Phæd. Matris superbum est nomen, & nimium potens.
Nostros humilius nomen affectus decet.
Me vel sororem, Hyppolyte, vel famulam voca:
Famulamque potius. Omne servitium feram.
Non me, per altas ire si jubeas nives,
Pigeat gelatis ingredi Pindi jugis:
Non, si per ignes ire & infesta agmina,
Cuncter paratis ensibus pectus dare.
Mandata recipe sceptra. me famulam accipe.
Te imperia regere, me decet jussa exequi.
Muliebre non est regna tutari urbium.
Tu, qui juventæ flore primævo viges,
Cives paterno fortis imperio rege.
Sinu receptam, supplicem, ac servam tege.
Miserere viduæ. *Hipp.* Summus hoc omen deus
Avertat. aderit sospes actutum parens.

Phæd.

plum illustre Psammenitus rex apud Herodotum in Thaliâ. *Delrius.*

611. *Sororem,*] Sororis autem nomine amicæ quandoque vocabantur; ut & amatores, fratris. *Farnabius.*

614. *Pindi*] Herc. Fur. vers. 1285. *Idem.*

617. *Mandata*] Mihi à patre tuo. *Idem.*

619. *Regna tutari patrii.*] Et hic cum Delriano & Lipsiano Vossianoque & Cruseriano Florentinus: *regna tutari urbium.* Multo prægnantius. Ea tempestate singularum fere potentium Græciæ urbium regna erant. Iustinus lib. 16. *multisque annis per gradus successionis Heraclienses regnum tyrannorum fuere.* Livius lib. 1. *Sextus Gabios, tanquam in regnum suum profectus.* Et contra Lucanus: *vel sceptra vel urbes Libertate sua validas.* Quod nullus codicum Gruteri hanc scripturam habuit, indicio est non nimium bonos fuisse. Nam ratiuncula, qua eam oppugnat, sophistica est. Vir doctus adscripserat codic. Vossiano: *tutari virum.* Gronovius.

620. *Iuventæ flore*] Claudian. 1. in Rufin. *frustraque juventæ Consumis florem patriis inglorius arvis.* Quod enim optimum putissimumque in unaquaque re est, id veteres *florem* appellasse ex multis scriptoribus constat. *Delrius.*

622. *Sinu*] *Ambigue.* ille de causa & protectione, hæc de amore intelligit. *Farnabius.*

623. *Viduæ*] *Et hoc ambigue:* Phædra enim viduam se absente marito dicit. vid. Hercul. Fur. vers. 245. & Agamemn. 254. ille patris tanquam mortui omen deprecatur. *Idem.*

624. *Avertat.*] Ominosum erat vocabulum viduæ: quia significare videbatur Theseum vixisse. ideo deprecatur. variæ autem deprecationis hujusmodi olim formulæ. Octav. act. 1. — *quod utinam numen avertat Deum.* Oedipo: *Procul sit omen.* adi Brissonium lib. 1. de formulis pag. 103. *Delrius.*

625. *Te-*

Phæd. Regni tenacis dominus, & tacitæ Stygis,
Nullam relictos fecit ad superos viam.
Thalami remittet ille raptorem sui?
Nisi forte amori placidus & Pluton sedet.
Hipp. Illum quidem æqui cœlites reducem dabunt.
Sed, dum tenebit vota in incerto deus,
Pietate caros debita fratres colam,
Et te merebor; esse ne viduam putes:
Ac tibi parentis ipse supplebo locum.
Phæd. O spes amantum credula! ô fallax amor!
Satisne dixit? precibus admotis agam.
Miserere. tacitæ mentis exaudi preces.
Libet loqui, pigetque. *H.* Quodnam istud malum est?
Phæd. Quod in novercam cadere vix credas malum.
Hipp. Ambigua voce verba perplexâ jacis;
Effare aperte. *Phæd.* Pectus insanum vapor
Amorque torret. intimas sævus vorat
Penitus medullas, atque per venas meat

Visce-

625. *Tenacis*] Hercul. Fur. v. 678. *Farnabius. Tacitæ*] Tacite fluentis ut Hercul. Fur. vers. 712. vel propter silentes umbras. *Idem.*

626. *Ad superos*] Ad nos. *Idem.*

627. *Thalami*] Conjugis suæ raptores dimittet Pluto? suprà vers. 93. & Hercul. vers. 805. *Idem.*

629. *Æqui*] Fidæ illius erga Pirithoum amicitiæ faventes. *Idem.*

632. *Et te tuebor;*] Elegantissime Florentiæ: *Et te merebor.* Hoc est, pietate & obsequio ita te demerebor, ut me censeas dignum, quem pro filio, non pro privigno, ducas. Sic Hercule Oetæo: *Merui parentem: contuli cœlo decus.* Etsi hoc aliud meritorum genus. Sic *mereri* quoque pro demereri, Virgilio 6. Æneid. *Quique sui memores alios fecere merendo.* Et Statio l. 2. Thebaid. *si mens accepta meretur Thure deos.* Gronovius.

633. *Supplebo locum*] De pietate sentiebat Hippolytus: noverca dubium sermonem aliter accipiebat, quod satis ostendit sequens, *Satisne dixit?* Delrius.

635. *Satisne*] Pie ille & simpliciter dixerat, *parentis supplebo locum;* illa accipit ac si amori suo cessisset. *Farnabius.*

638. *Quod*] Sc. ut privignum amet. *Idem.*

640. *Pectus insanum vapor Amorque torret.*] Ἓν Δὰ δυοῖν, *Vapor amorque,* id est, incendium amoris. Dein princeps liber: *torret. intimis ferit ferus Visceribus ignis mersus.* Medius versus, *Penitus medullas,* prorsus abest. Τὸ *ferit* autem punctis subnotatum, & in margine, *vorat.* Sane non belle ista, *per venas meat,* & *venis latens,* in tanta vicinitate. Ideo Grotius adscripserat, *membris latens.* Quid si expuncto versu isto sequamur Florentinum, legamusque: *intimis sævit ferus Visceribus ignis mersus, & venis latens.* Gronovius.

Viſceribus ignis merſus & venis latens,
Ut agilis altas flamma percurrit trabes.
Hipp. Amore nempe Theſei caſto furis.
Phæd. Hippolyte, ſic eſt: Theſei vultus amo
Illos priores, quos tulit quondam puer;
Cum prima puras barba ſignaret genas,
Monſtrique cœcam Gnoſſii vidit domum,
Et longa curvâ fila collegit viâ.
Quis tum ille fulſit! preſſerant vittæ comam,
Et ora flavus tenera tingebat pudor.
Inerant lacertis mollibus fortes tori:
Tuæve Phœbes vultus, aut Phœbi mei;
Tuuſque potius: talis, en, talis fuit
Cum placuit hoſti. ſic tulit celſum caput.
In te magis refulget incomptus decor,

Et

643. *Et venis*] Quæ à jecore amotis ſede. *vulnus alit venis, & cæco carpitur igni.* Farnabius.

645. *Amore*] *Simpliciter ille hac, vel ſimulanter.* Idem.

646. *Theſei vultus amo*] Sic apud Apuleium lib. 10. aſini, noverca privignum, quem amabat, alloquitur: *Nec te religio patris omnino deterreat, cui morituram prorſus ſervabis uxorem. illius enim recognoſcens imaginem, mutua facie te merito diligo.* Deltius.

648. *Cum prima*] Pacuvius: *primum opacat flore lanugo genas.* Virgil. *prima genas veſtibat flore juventa.* Et addit *puras*: nam ut *pura lanx* cælatæ, *argentum purum* cælato, *purus locus* inædificato, ſic *genæ puræ* barbatis opponuntur. *Idem.*

649. *Monſtrique*] Minotauri. ſuprà v. 121. *Farnab. Gnoſſii*] Cretenſis à Gnoſſo Cretæ urbe. *Id. Domum*,] Labyrinthum. *Idem.*

650 *Et longa*] Athenienſes cum per invidiam interfeciſſent Androgeum fil. Minois, quod palæſtra omnes viciſſet, à Minoë devicti cogebantur quotannis pendere ſeptena natorum corpora Minotauro voranda. Huc forte miſſus Theſeus ab Ariadne adamatus accepit filum quo ſe Labyrintho explicaret, interfecto monſtro. *Idem.*

652. *Tenera tingebat rubor*,] Hor. cum illis facit, qui *pudor*. Claudianus in ſexto Conſulatu Honorii: *Cui ſimplex calet ore pudor.* In Lævio obſervavit Gellius pro rubente aurora *pudoricolorem.* lib. 19. 7. *Gronovius.*

654. *Tuæve*] Quam tu colis Hippolyte. *Farnabius. Mei;*] Avi mei, qui ſemper juvenis, pulcher, intonſus, infrà verſ. 751. *Idem.*

655. *Tuuſque*] Aut potius vultus inſtar tui ô Hippolyte. *Idem.*

656. *Cum placuit hoſti.*] Ariadnæ, vel Antiopæ. ſuprà verſ. 396. *Idem.* Sic vulgus interpretum. male, ut notavit Patrhaſius. Ariadne enim Theſei formâ ſemel capta, nihil in eum hoſtile cogitavit. de Minoë potius dictum, quem inimicitias adverſus Athenienſes depoſuiſſe Theſei amore inductum, teſtis eſt Athenæus. *Commelinus.*

657. *Incomptus*] Nativus non fucatus. *Farnabius.*

660. *Grajo*]

Et genitor in te totus: & torvæ tamen
Pars aliqua matris miscet ex æquo decus.
In ore Grajo Scythicus apparet rigor.
Si cum parente Creticum intrasses fretum,
Tibi fila potius nostra nevisset soror.
Te, te, soror, quacunque siderei poli
In parte fulges, invoco ad causam parem.
Domus sorores una corripuit duas;
Te genitor, at me natus. en, supplex jacet
Allapsa genubus regiæ proles domus.
Respersa labe nullâ, & intacta, innocens;
Tibi mutor uni. certa descendi ad preces.
Finem hic dolori faciet, aut vitæ dies.
Miserere amantis. *Hipp.* Magne regnator Deûm,
Tam lentus audis scelera? tam lentus vides?
Ecquando sæva fulmen emittes manu,
Si nunc serenum est? omnis impulsus ruat
Æther, & atris nubibus condat diem;
Ac versa retro sidera obliquos agant
Retorta cursus. tuque sidereum caput
Radiate, tantum ne nefas stirpis tuæ
Speculere, lucem merge, & in tenebras fuge.

Cur

660. *Grajo*] A Græco patre. *Farnabius. Scythicus*] A matre Amazone, quæ è Scythia. *Idem.*

662. *Soror.*] Ariadne à Baccho in cœlum relata. *Idem.*

665. *Domus*] *Placuit domus una duabus, Me tua forma capit, capta parente soror, Theseides Theseusque duas rapuere sorores.* Idem.

667. *Allapsa genubus*] Prædra apud Ovid. in epist. Heroid. *Victa precor, genubusque tuis regalia tendo Brachia: quid deceat non videt omnis amans.* Delr.

669. *Tibi*] Hactenus casta, intacta aliis, tua primum causa impudica facta sum. *Farnabius.*

674. *Si*] Si non nunc fulminas. *Id.*

677. *Tuque sidereum capit, Radiate Titan*] Alia, quam vulgo erat, interpunctione reddidisse auctori decus suum putat Gruterus. Sane tolerabiliorem fecit sententiam. Sed totum decus reddit auctori Florentinus: *tuque sidereum caput Radiate, tantum ne nefas stirpi tuæ Speculere, lucem merge.* Res ipsa loquitur. *Gronovius.*

679. *Lucem merge,*] Ne videas scelus neptis tuæ Phædræ. *Farnabius.* Hoc ait, quia Solis obscuratio & obtenebratio Dei iram, futurasque miserias prætendere credebatur: idque confirmatur exemplo mensæ Thyesteæ, supra Thyeste, & pluribus, quæ congessit Arias Montanus lib. Ieremiæ cap. 24. idonea hæc caussa. sed ad mentem Hippolyti vicinior; quia nefas

Cur dextra, Divûm rector atque hominum, vacat
Tua, nec trisulcâ mundus ardescit face?
In me tona. me fige. me velox cremet
Transactus ignis. sum nocens. merui mori.
Placui novercæ. dignus en stupris ego
Scelereque tanto visus? ego solus tibi
Materia facilis? hoc meus meruit rigor?
O scelere vincens omne femineum genus!
O majus ausa matre monstrifera malum,
Genitrice pejor! illa se tantum stupro
Contaminavit, & tamen tacitum diu
Crimen biformi partus exhibuit nota,
Sceluisque matris arguit vultu truci
Ambiguus infans. ille te venter tulit.
O ter quaterque prospero fato dati,
Quos hausit, & peremit, & leto dedit
Odium, doluisque! genitor, invideo tibi.
Colchide noverca majus hoc, majus malum est.
Phæd. Et ipsa nostræ fata cognosco domus:
Fugienda petimus. sed mei non sum potens.
Te vel per ignes, per mare insanum sequar,
Rupesque, & amnes unda quos torrens rapit,
Quacumque gressus tuleris, hac amens agar.

Ite-

fas stirpis suæ videre Phœbum & intueri turpe. decebat potius præ pudore faciem obvelare, & oculos avertere à tanta fœditate atque dedecore. *Delr.*

680. *Cur dextra,*] *Cur agunt superi tanta otia cœlo? Fulmina cur cessant?* Farnabius.

682. *In me*] Si non in illam? *Idem.*

684. *Dignus an stupris ego*] Etruscus: *dignus en stupris ego.* Gronov.

686. *Rigor?*] Austeritas mea & asperitas. *Farnabius.*

688. *Matre*] Pasiphaë, quæ ex promiscuo concubitu Minois & tauri peperit Minotaurum. *Idem.*

692. *Truci*] Taurino. *Idem.*

693. *Ille te*] Qui Minotaurum. incestus scil. & monstrosus. *Idem.*

694. *O ter*] Perfecte. septenarius enim numerus perfectus, τελειόγονος καὶ τελεσφόρος. *O terque quaterque beati*, quos peremerunt odia & doli novercarum. *Idem.*

696. *Genitor,*] Tibi enim Medea Colchis nupta patri tuo (ut sup. v. 562.) vitæ insidias misto veneno struxit; mihi noverca mea amorem incestum. *Idem.*

699. *Fugienda*] Mater, taurum: soror, hostem: ego, privignum. *Idem.*

702. *Hac amens ferar.*] Florentinus: *hac amens agar.* Gronovius.

707. *Im-*

Iterum, superbe, genubus advolvor tuis.
Hipp. Procul impudicos corpore à casto amove
Tactus. quid hoc est? etiam in amplexus ruit?
Stringatur ensis. merita supplicia exigat.
En, impudicum crine contorto caput
Lævâ reflexi. justior nunquam focis
Datus tuis est sanguis, arcitenens Dea.
Phæd. Hippolyte, nunc me compotem voti facis.
Sanas furentem. majus hoc voto meo est,
Salvo ut pudore manibus immoriar tuis.
Hipp. Abscede. vive. nequid exores: & hic
Contactus ensis deferat castum latus.
Quis eluet me Tanais? aut quæ barbaris
Mæotis undis Pontico incumbens mari?
Non ipse toto magnus Oceano pater

Tan-

707. *Impudicum*] Novercæ impudicæ. *Farnabius.*

708. *Focis*] Stabant enim ad aram Dianæ. sup. vers. 404; & 423. *Idem.*

709. *Arcitenens*] Ἰοχέαιρα. *Id.*

713. *Ne quid*] Ne quid tibi gratum faciam. *Idem. Et hic*] Gladium veluti Phædræ contactu pollutum à se casto adjicit inf. v. 726. *Idem.*

715. *Tanais?*] Vid. Hercul. Fur. vers. 1322. *Idem.*

716. *Mæotis*] Palus influens in Pontum. *Idem.*

717. *Non ipse toto*] Non ipse Neptunus, universo mari suo. Herc. Fur. vers. 1327. *Idem.* Scienter Seneca non nisi naturalis & juge fluentis aquæ meminit; quæ *viva* dicebatur. sola hæc ad expiandum idonea. Maxime maris fit mentio, quia, juxta Euripidem & Tullium pro Roscio Amerino, omnia nostra mare mala abluit, cunctas maculas detergit: item quia nihil in se sordidum patitur, sed confestim ejicit atque expuit, quicquid immunditiæ, vel casus, vel flumina, vel homines in illud devolverint. Purgaturi se, sæpius caput aquæ vivæ immergebant. Persius Satyr. 2. — *Tiberino in gurgite mergis Mane caput, bis, terque, & noctem flumine purgas.* aliquando bis tantum. Ovidius 4. Fastor. *Bis caput intonsum fontanâ spargitur undâ.* sæpius ter. Ovidius 3. Fastorum. & Iuvenalis Sat. 6. Virgil. 6. Æneid. quandoque septies. Apuleius lib. 11. Hoc faciebant Superis facturi, idque dicebant *abluere*, ut docet Macrobius lib. 3. Saturn. cap. 1. Virgilius: — *donec me flumine vivo Abluero* — abluebant autem manus, pedes, caput, totumque corpus. de manibus, Aurel. Victor lib. de viris Illustribus. idem testatur Scholiastes Sophoclis in Ajace Lorario, à Brissonio relatus. de pedibus vetus Horatii interpres ad Satyr. 3. lib. 2. probatur adagione, *illotis pedibus*, & altero, *illotis manibus.* de toto corpore accipio, quando quis dicitur ἀπλῶς lautus, vel purus. Arnob. lib. 7. *quorum templa cum adire dispositis, ab omni vos labe puros, lautos, castissimosque præstatis.* idque etiam Servius in 4. Æneid. notavit. Interdum se tantum adspergebant, scilicet Diis inferis operaturi; testibus Macrobio & Servio, seu pura aqua

Tantum expiarit sceleris. ô silvæ! ô feræ!
Nutr. Deprensa culpa est. anime, quid segnis stupes?
Regeramus ipsi crimen, atque ultro impiam
Venerem arguamus. scelere velandum est scelus.
Tutissimum est inferre, cum timeas, gradum.
Ausæ priores simus, an passæ nefas,
Secreta cum sit culpa, quis testis sciet?
Adeste Athenæ. fida famulorum manus,
Fer opem. nefandi raptor Hippolytus stupri
Instat, premitque. mortis intentat metum.
Ferro pudicam terret. en, præceps abiit,
Ensemque trepida liquit attonitus fuga.
Pignus tenemus sceleris. Hanc mœstam prius
Recreate. crinis tractus, & laceræ comæ,
Ut sunt, remaneant, facinoris tanti notæ.
Referte in urbem. Recipe jam sensus, hera.
Quid te ipsa lacerans omnium aspectum fugis?
Mens impudicam facere, non casus, solet.

CHO.

aqua circumferebant, ut Maro loquitur, utentes aspergillo ex oleæ vel lauri ramusculo. Iuvenalis Sat. 7. v. 158. *Delrius.*

718. *O sylvæ!*] Ad vos propero. *atque hoc dicto excedit.* Farnabius.

719. *Deprehensa*] Deprehendit jam Hippolytus culpam alumnæ meæ, quam ad patrem, si quando reversus fuerit, deferet. Excogita itaque ô anime aliquam technam qua prœveniamus eum, atque hæc est. *Idem.*

720. *Regeramus*] Prius arguamus eum novercæ stuprum inferre voluisse. *Idem.*

725. *Athenæ.*] O Athenienses, *invocatque quasi in auxilium cives & famulos nutrix, lena, proditrix.* Farnabius.

727. *Mortis intentans metum.*] Flor. *intentat.* Gronovius.

731. *Crinis*] Suprà vers. 704. *Farnabius.*

735. *Facinoris tanti notas Referte*] Aliter legit ac distinguit codex optimus: *crinis tractus & laceræ comæ, Ut sunt, remaneant, facinoris tanti notæ. Perferte in urbem.* Nempe ipsam reginam, jacentem & attonitam pudore & metu. *Gronovius.*

736. *Fu-*

CHORUS.

Precatur Chorus ut bene cedat Hippolyto forma, quæ plerisque fuit exitio. Thesei reditum prospicit.

Fugit insanæ similis procellæ,
Ocior nubes glomerante Coro,
Ocior cursum rapiente flamma,
Stella cum ventis agitata longos
Porrigit ignes.
Conferat tecum decus omne priscum
Fama miratrix senioris ævi:
Pulchrior tanto tua formâ lucet,
Clarior quanto micat orbe pleno,
Cum suos ignes coëunte cornu
Junxit, & curru properante pernox
Exerit vultus rubicunda Phœbe:

Nec

736. *Fugit*] Hippolytus fugit in silvas non segnior pluvia è nube soluta erumpente. *Farnabius.*

737. *Coro,*] Thyest. v. 576. *Idem.*

439. *Stella cum ventis*] Theb. versu 431. *Idem.* Ex physica disciplina dictum, ut docet Aristoteles libro 1. Meteor. cap. 4. & 5. has trajectiones, Plinius lib. 2. cap. 36. vocat *stellarum discursus*: quid portendant, petendum ex Ptolomæo in Centiloquio. Virg. 2. Georg. ex Arato: *Sæpe etiam stellas, vento impendente, videbis Præcipites cœlo labi, noctisque per umbram Flammarum longos à tergo albescere tractus.* Delrius. *Longos*] Diffusos per longum tractum. *Farnabius.*

740. *Corripit ignes.*] Et hic in pejus conjurant codices Gruteri. Nam, *porrigit*, Delrio editum, Etruscus confirmat, non minus quam Raphelingianus, Cruserianus, Vossianus. Hoc est, quod ex Virgilio dicit ipse in Natur. Quæst. *crinemque volantia sidera ducunt.* Troadibus: *Et stella longa semitam flamma trahens.* Quod frustra negat huc facere Gruterus: tam enim bene comera dicitur *porrigere ignes*, quam hæc stella *semitam trahere.* Gronovius.

742. *Senioris*] Prisci, veteris. *Farn.*

743. *Pulchrior*] *Ignes plena nitet quantum inter Luna minores; tantum formosis formosior omnibus hic est.* Idem.

744. *Orbe*] Pleno jam orbe & Soli opposita, per totam lucet noctem; *cum stellis acies obtusa videtur.* Idem.

745. *Suos ignes*] *Sui* vox proprietatem & dominium quoddam in re significat. at lunam dictam volunt, quod luce luceat aliena. qua in sententia apud Plutarchum, in lib. contra Colotem Epicureum, est Parmenides. Catullus: *notho est dicta lumine luna.* Erravitne ergo Seneca? nequaquam, quia Epicuro, ut in ejus vita scribit Laërtius, placuit fieri posse, ut Luna & à seipsa, & à Sole lumen habeat. Chaldæi vero lunam proprii & perpetui luminis compotem esse voluerunt, si Apuleio in lib. de Deo Socratis credimus. *Delrius.* Medea vers. 97. expresse ponit *Phœben lumine non suo.* Ergo *suus* hic simpliciter ponitur, ut alias sæpe sine nota proprietatis aut dominii. *Grut.*

748. *Nec*

Nec tenent ſtellæ faciem minores.
Qualis eſt primas referens tenebras
Nuncius noctis, modo lotus undis
Heſperus, pulſis iterum tenebris
Lucifer idem.
Et tu thyrſigera Liber ab India,
Intonſa juvenis perpetuum coma,
Tigres pampinea cuſpide territans,
Ac mitra cohibens cornigerum caput,
Non vinces rigidas Hippolyti comas.
Nec vultus nimium ſuſpicias tuos.

Omnes

748. *Nec tenent ſtellæ*] Omnis, pleno lumine fulgente lunâ, ſtellarum nitor, omne decus evaneſcit. *Delrius.*

750. *Modo lotus undis*] Pletique veterum crediderunt ſtellas & ſidera humecto quodam alimento nutriri, eiſque ſplendorem & pulcritudinem illis augeri. ſic Empedocles, Plato, Stoici, Plinius lib. 2. Homerus Iliad. χ'. & noſtri poëtæ: *Flumina ſuppeditant, unde æther ſidera paſcit.* Virgil. *Convexa poli dum ſidera paſcet.* Lucanus: *Nec non Oceano paſci Phœbumque polumque.* Ideo Seneca dicit: *modo lotus undis*, quaſi reſtauratus, & ſumto alimento plenior formoſiorque. Sed contra hanc opinionem diſputat Ariſtoteles lib. 2. Meteor. & diſerte errorem vocat Marius Victor Commentat. in Geneſim. *Idem.*

751. *Heſperus,*] Idem autem Lucifer & Heſperus. *Farnabius.*

753. *Thyrſigera*] A Baccho thyrſigero devicta. *Idem.*

754. *Intonſa*] Idem enim cum ſole. uterque itaque intonſus & juvenis fingitur propter radios. Oed. 405. *Id.*

755. *Tigres*] Currum Bacchi trahentes. *Idem. Pampinea*] Vitium frondibus involuto thyrſo. *Idem. Territans*] Herc. Fur. v. 470. *Idem.*

756. *Cornigerum*] An à truculentia ebriorum? An quod cornua veteribus in uſum poculorum? An quod boves primus junxit Bacchus, unde & Oſyris eſt Ægyptiis? An à robore? qua de cauſa Seleuci faciem in ſtatuis cornigeram fuiſſe ſcribit Appianus in Syriacis, quod taurum ferocem, ſacrificante Alexandro, vinculis ruptis profugum ſolus cornibus arreptum detinuerit. An κεραυνοφόρος dictus ob galeam capitis arietini forma (quali Pyrrhum Epirotarum regem uſum fuiſſe refert Plutarchus, nec non Turno *rubræ cornua criſtæ* tribuit Virgilius) inſignem, in honorem patris ſui Iovis Ammonis, cui & ipſe aram & templum ſub arietis ſpecie erexit? An denique à cincinnis ſeu erobylis crinium utrinque in cornuum formam acuminatis atque retortis? cujuſmodi comis ſpectabiles incedebant ſacerdotes Lydii & Armenii. Neque alia creduntur Moſis fuiſſe cornua; quæ tamen alii de facie ejus intelligunt quæ קרן id eſt, radiabat, ſplendorem emittebat radiorum qui cornua referrent à קרם incurvare, vel קרן cornu. *Idem.*

757. *Rigidas*] Incomptas. *Idem.*

758. *Nec vultus nimium*] Tranſpoſitio quidem verſuum, quam molitur hic Delrius, merito reprehenſa eſt à Grutero. Sed Flor. quoque & Voſſian. *Ne vultus.* Scribe: *Neu vultus nimium.* Ipſum autem Bacchum, non Theſea, alloquitur. Nec tu nimis glorieris pulcritudine tua, Bacche: norunt enim omnes,

Omnes per populos fabula distulit,
Phædræ quem Bromio prætulerit soror.
Anceps forma bonum mortalibus,
Exigui donum breve temporis;
Ut velox celeri pede laberis!
Non sic prata novo vere decentia
Æstatis calidæ despoliat vapor:
Sævit solstitio cum medius dies,
Et noctem brevibus præcipitat rotis;
Languescunt folio lilia pallido,
Et gratæ capiti deficiunt rosæ:
Ut fulgor teneris qui radiat genis
Momento rapitur! nullaque non dies
Formosi spolium corporis abstulit.
Res est forma fugax. quis sapiens bono
Confidat fragili? dum licet, utere.
Tempus te tacitum subruet, horaque
Semper præterita deterior subit.
Quid deserta petis? tutior aviis
Non est forma locis. te nemore abdito,
Cum Titan medium constituit diem,

Cin-

omnes, quem Ariadne, quam te maluerit maritum, si retinere potuisset. Ipsum nempe Thesea, qui in Dia insula eam deseruit. *Gronovius.*

765. *Æstatis calidæ dispoliat vapor:*] Florent. *despoliat.* Et statim: *Et noctes.* Sed etiam: *Languescunt folio ut lilia candido:* ut Lipsianus. Sed tamen incommodum hic τὸ *ut.* Continuatur enim sensibus cum proximis & subauditur ex altero præcedente versu τὸ *Cum.* Forte: *Languescunt folio & lilia.* Quum solstitio meridies est ferventissimus, & contrahuntur noctes, & lilia languescunt. Forte etiam: *Et noctes brevibus præcipitant rotis.* παθητικῶς pro præcipitantur. *Idem.*

768. *Languescunt*] *Ellipsis*, cum languescunt. *Farnabius.*

769. *Gratæ capiti*] Cujus dolori à calore proficiscenti medentur. Thyest. vers. 944. *Idem.*

772. *Formosi*] Aliquid de forma demit, minuit. *Idem.*

775. *Tempus sed tacitum subruit;*] Frustra Gruterus *se.* Illi alii, qui editioni suæ intulere *te*, fecerunt, quod ratum habent Florentinus & Vossianus. Est autem Florentiæ: *Tempus te tacitum subruet.* Gronov. *Horaque*] *Optima quæque dies miseris mortalibus ævi Prima fugit.* Farnabius.

778. *Te nemore abditum,*] Florent. *abdito.* Et mox: *Naides improbæ.* Ut semper scribendum, quoties trisyllabon est, non *Najades.* Gronovius. Meridianos æstus umbra levantem nemoris. *Farnabius.*

Cinget turba licens, Naides improbæ,
Formosos solitæ claudere fontibus:
Et somnis facient insidias tuis
Lascivæ nemorum deæ,
Montivagique Panes.
Aut te stellifero despiciens polo
Sidus, post veteres Arcadas editum,
Currus non poterit flectere candidos.
Et nuper rubuit; nullaque lucidis
Nubes sordidior vultibus obstitit.
At nos solliciti lumine turbido,

Tra-

780. *Naides*] Fontium Nymphæ, à ναίεσθαι fluere. *Farnabius.*

781. *Formosos*] Vt Hylam. Med. vers. 649. & Narcissum umbram suam in fonte conspectam amplexatum. *Id.*

782. *Et somnis*] Et te dormientem rapient Dryades, Fauni, Satyri. *Idem.*

783. *Nemorum deæ, Montivagique Panes.*] Etruscus: *nemorum deæ, Panas quæ Dryades montivagos petunt*, prorsus ut voluit Lipsius, & Mogunt. Delrii, qui suspicatur: *Montivagique Panes, Panes qui Dryadas montivagas petunt.* Sed non placet repetitum, *montivagus.* Forte: *Lascivæ nemorum deæ, Panes quas Dryades montivagi petunt.* Lascivæ deæ nemorum Dryades, quas petunt montivagi Panes: illæ vero his fastiditis insidiabuntur ultro potius Hippolyto. Statius in Arbore Atedii: *Nympharum teneræ fugiebant Pana catervæ. Ille quidem it, cunctas tanquam velit; it tamen unam In Pholoën. Silvis hæc fluminibusque sequentis Nunc hirtos gressus, nunc improba cornua vitat.* Gron.

785. *Aut te stellifero*] Aut Luna vacabit tua forma capta, ut quondam Endymionis. suprà vers. 308. *Farnabius.*

786. *Sidus, post veteres*] Προσέλληνοι dicuntur Arcades, sive quod idem semper incoluerint solum, αὐτόχθονες uti Athenienses; *vel* quod Lunæ cursum Endymion Arcas primus invenerit. unde & fabulæ locus. *Idem.* Aristophanis Scholiastes refert Arcades ante Lunam natos fuisse: ideo à Lycophronte προσέλληνοι dicuntur. Apollonius Argonaut. δ'. Ἄρκαδες, οἳ καὶ πρόσθε σελήναιης ὑδέονται. Ovidius 1. 2. & 5. Fast. & Sen. Herc. Oet. vers. 1883. *Delrius.*

788. *Nuper rubuit;*] Existimabant Lunam magico carmine sollicitatam rubore suffundi, vel ob magarum impudentiam & scelera; vel laborantem, vi carminis. Horatius: — *Lunamque rubentem Ne foret his testis post magna latere sepulcra.* In defectu, idem illi à veneficiis evenire putabant. qua in re tam superstitiosi Athenienses, ut eos qui veram Eclipsis causam adferebant, tanquam impios, vivos exusserint, teste Plutarcho in Pericle, ubi hac de re fusè disserit. Romanos in Macedoniâ belligerantes tinnitum dedisse, tuendæ Lunæ gratiâ, refert idem in Æmilio. Commment. Iuvenalis, Satyr. 6. *Sonitus fieri assolet, quando Luna deficit.* Alicubi legi Indos hoc Lunæ vitium copioso fletu prosequi solitos, quod arbitrarentur eam à Sole ad sanguinis usque effusionem flagellatam. Ovid. *Quale rosæ fulgent inter sua lilia mistæ, Aut ubi cantatis Luna laborat equis.* Papinius: — *qualis per nubila Phœbes Atraciâ rubet arte labor.* Idem.

790. *Nos*] Nos ruboris Lunæ causam magicis carminibus imputantes, illi

Tractam Thessalicis carminibus rati,
Tinnitus dedimus. tu fueras labor,
Et tu causa moræ. te dea noctium
Dum spectat, celeres sustinuit vias.
Vexent hanc faciem frigora parcius,
Hæc solem facies rarius appetat,
Lucebit Pario marmore clarius.
Quam grata est facies torva viriliter,
Et pondus veteris triste supercilii!
Phœbo colla licet splendida compares:
Illum cæsaries, nescia colligi
Perfundens humeros, ornat & integit:
Te frons hirta decet, te brevior coma
Nulla lege jacens. tu licet asperos
Pugnacesque deos viribus arceas

illi laboranti pelvium tinnitu succurrere voluimus (sic enim & tubarum clangore Lunæ Eclipsim patienti auxiliari se credebat vulgi superstitio) Tu autem ô Hippolyte causa illi eras ruboris & moræ, vid. sup. vers. 420. & Med. 749. *Farnabius.*

797. *Pario marmore*] Pure candido marmore ex inf. Paro Cycladum una. *Idem.* Quicquid dicat Cardanus in lib. de subtilit. candidum marmor Parium; candidum fuit. Vnde Sidonius in Burgi descriptione, *Paron candentem* vocavit vers. 140. & in epithal. Ruricii: *Hic lapis est de quinque locis, dans quinque colores, Æthiopus, Phrygius, Parius, Pœnus, Lacedæmon, Purpureus, viridis, maculosus, eburnus, & albus.* Plinius lib. 36. cap. 5. *Candido marmore usi sunt è Paro insulâ; quem lapidem cæpere lychnitim appellare, quoniam ad lucernas in cuniculis cæderetur. auctor est Varro.* Horatius 1. carminum: *Vrit me Glyceræ nitor Splendentis Pario marmore pulcrius.* Ovidius lib. 1. amorum: *Astitit illa gemens albo & sine sanguine vultu, Caduntur Patriis qualia saxa jugis.* Delrius.

799. *Et pondus veteris*] Gravitas & majestas quæ in superciliis. *Farnabius.*

801. *Nescia colligi*] Inornata & incompta. *Idem.* Sic crines *in nodum colligi* ab Ovidio, *in sinum* vestes à Marone dicuntur. *Delrius.*

805. *Viribus arceas Et vasti*] Sane & optimus *audeas.* Non nutem tamen. *Arceas vincere* est prohibeas victoria, & ipse eam occupes aut ambiguam facias. Ovidius lib. 15. *primusque animalia mensis Arcuit imponi.* Silius lib. 5. *fraude arctati remeare foraminis arcet.* Lib. 13. *solem refervescere fronti Arcet.* Statius: *nec ego lugere severus Arceo.* Troadibus: *ruere & aquari solo Etiam arcuissem.* Cepit & Gruterus. Et Barthius lib. 11. Adv. 26. sed in vero consistere non potuit. alioqui arcuisset conjicere: *Est vasti spatio.* Vir doctus appinxerat margini membranarum Vossianarum: *Evasti spatio vindice:* aut, deest forte versus: durum *spatium corporis.* Sic ille festinans, opinor. Neque enim ignorabat apud Ovidium de serpente per Cadmum occiso: *spatiosi corporis hostem.* Et de Actæone: *Dat spatium collo.* Et

Et vasti spatio vincere corporis.
Æquas Herculeos jam juvenis toros,
Martis belligeri pectore latior.
Si dorso libeat cornipedis vehi;
Frenis Castorea mobilior manu
Spartanum poteris flectere Cyllaron.
Amentum digitis tende prioribus,
Et totis jaculum dirige viribus;
Tam longe, dociles spicula figere,
Non mittent gracilem Cretes arundinem.
Aut si tela modo spargere Parthico
In cœlum placeat; nulla sine alite
Descendent, tepido viscere condita.
Prædam de mediis nubibus afferes.
Raris forma viris (secula prospice)
Impunita fuit. te melior deus
Tutum prætereat, formaque nobilis
Deformis senii monstret imaginem.

Quid

Iuvenalis: *spatium admirabile rhombi.* Accepi & Scaligerum aliquando conjecisse: *te licet asperos Pugnacesque deos viribus acribus Et vasti spatio vincere corporis.* Gronovius.

809. *Si dorso*] Si equitare libeat, superas Castorem, qui bonus equis & peritus equorum domitor. *Farnabius.*

811. *Cyllarum.*] Equum Castori à Junone datum, quem à Neptuno acceperat. hunc Pollucis fuisse refert Virg. 3. Georg. sed fratrem pro fratre poni, exponit Servius. *Idem.*

812. *Amentum*] Sex. Pompeius, Amentum, inquit, quibus ut mitti possint vinciunrur jacula sive solearum lora. ex Græco, quod est ἀμεντὸς, sic appellata; vel quia aptantes ea ad mentum trahunt. utitur Prudent. in Psychomach. *Delrius.*

815. *Non mittent*] Nec Cretes peritissimi sagittarii longius emittent sagittam quam tu jaculum. *Farnabius.*

817. *Nulla sine alite Descendent,*] Fortasse scripsit: *nulla nisi alitis Descendent tepido viscere condita.* Sic foret utique rotundius. Florent. *sine alite.* At non spernendum ejus: *Prædam de mediis nubibus afferent.* non *afferes.* Forte & *auferent;* Vt Martialis: *Stymphalidas astris Abstulit.* Vt & paullo ante, *Cyllaron.* non *Cyllarum.* Gronov. *Nulla*] Quemadmodum ab Eurytione fixa. 5. Æn. *Sub nube columba Decidit exanimis vitamque reliquit in astris Aereis, fixamque refert delapsa sagittam.* Farnabius.

820. *Raris forma*] Formosis ut plurimum nocuit sua forma. τὸ γὰρ πολὺ κάλλος ἐς ψόγον πολλῶν γέμει. *Id.*

823. *Deformis senii limina transiit*] Primus hujus loci veram lectionem prodidit Lipsius, non tamen penetratam sibi: quippe qui & vulgatum pro apto & vero laudet. Itaque homines graves, æque ac G. Fabricium & cæteros sub N. latentes, infandam censuere. Tentavit explicare Scaliger, & cupressum

Quid ſinat inauſum feminæ præceps furor?
Nefanda juveni crimina inſonti parat.
En ſcelera! quærit crine lacerato fidem.
Decus omne turbat capitis. humectat genas.
Inſtruitur omnis fraude feminea dolus.
Sed iſte quiſnam eſt regium in vultu decus
Gerens, & alto vertice attollens caput?
Ut ora juveni paria Pirithoo gerit!
Ni languido candore pallerent genæ,
Staretque recta ſqualor incultus coma.
En, ipſe Theſeus redditus terris adeſt.

ACTUS

preſſum adpinxit Iſacius. Nos vere, ut puto, cap. 21. Diatribes. Exſtat prorſus & in ſanctiſſimis membranis, Voſſiano, Cruſeriano: *Deformis ſenii monſtret imaginem.* Votum eſt, more poëtarum tam in votis quam in imprecationibus uſitato, deſumptum ex illis, quæ poſtea accidiſſe narrantur. Nempe, ut invidæ deæ Rhamnuſiæ, cui omne magnum moleſtum, forma illa non videatur invidenda, ſed ſpeciem potius deformis ſenii exhibeat. Fingitur autem Diana Hippolyto in Virbium mutato addidiſſe canos & ætatem, ne rurſus improbos oculos forma ejus irritaret. *Gronovius.*

826. *Et ſcelere quærit*] Sic Delrius, vel etiam *ſceleri*, plorante verſu. Antea erat, *In ſcelere*, quod reduxit volentibus ſuis Gruterus. Lipſianus à manu priore, *In ſcelera*; à ſecunda, *En ſecla.* Circumeunt verum, quod eſt in Florentino: *En ſcelera! quærit crine.* Plautus Rudente 4, 4. *Ecce Grypi ſcelera. Cum iſthac res male evenit tibi, Grypo, gratulor.* Terentius Andria: *Audiſtin' obſecro hem ſcelera! hanc jam oportet in cruciatum hinc abripi.* Idem.

828. *Omnis ante fœminea*] Florent. *Omni fraude.* Forte: *Inſtruitur omni fraude fœmineus dolus.* Idem.

829. *Regium vultu decus Gerens,*] Florent. *in vultu.* quod Gruterus duorum codd. auctoritate mutavit. *Idem.*

831. *Ut ora juveni paria Pirithoo*] Audiamus hic Gruterum: Non vane ſuſpicatur Delrius legendum *Hippolyto*, cujus rationes petantur è commentariis. Ego potius odorer vitium in voce *juveni*, non heic modo, ſed & Medea v. 107. Videtur enim ſub illo *juveni* latere vox, quæ notet ſocium, contubernalem, amicum, vel aliquid adhuc conjunctius. Sic ille, non deceptus, quod ad hunc quidem locum attinet: præſertim quum omnes fere Mſſ. *Pirithoi*, non *Pirithoo*: hoc & ipſe & Delrius quoque in ſuis notarunt. Scribendum eſt enim: *Ut ora comiti paria Pirithoi gerit.* Hoc eſt, ipſi Theſeo, militi audacis proci. Et ſupra legimus: *Aderit maritus.* PH. *nempe Pirithoi comes.* Dubiam ejus reddebat formam luridus color & horrens capillus. Sed hæ notæ erant Theſei ab inferis reverſi, ubi mirum non eſt inter tantos terrores & pallorem eum contraxiſſe & ſqualorem rigidæ comæ. *Idem.*

832. *Candore pallerent*] Optimus: *pallore canderent.* Sequenti verſu jam certo agnoſcitur, qui ante dubia ſuſpicione fuerat intellectus. Si adjutarent libri, mallem: *Eſt ipſe. Theſeus redditus terris adeſt.* Idem.

834. *En, ipſe*] Agnoſcit tandem ipſum eſſe Theſeum. *Earnabius.*

ACTUS TERTIUS.

THESEUS. NUTRIX.

Reversus ab inferis Theseus domestici luctus causam à nutrice obvia sciscitatur, illa se hoc tantum scire respondet, Phædram necis consilium iniisse.

Thes. Tandem profugi noctis æternæ plagam,
Vastoque manes carcere umbrantem polum.
Ut vix cupitum sufferunt oculi diem!
Jam quarta Eleusin dona Triptolemi secat,
Paremque toties Libra composuit diem;
Ambiguus ut me sortis ignotæ labor
Detinuit inter mortis & vitæ mala.
Pars una vitæ mansit extincto mihi
Sensus malorum. finis Alcides fuit.
Qui cum revulsum Tartaro extraheret canem,
Me quoque supernas pariter ad sedes tulit.
Sed fessa virtus robore antiquo caret,

Tre-

836. *Vmbrantem*] Nigrantem, deteriorem, Antarcticum. vid. Hercul. Fur. 606. & 1103. Ag. 750. *Farnabius.*

838. *Iam quarta Eleusis*] Hic quoque clare optimus: *Eleusin.* Vt *Salamis*, *Salamin*; Δελφις, *Delphin.* Pomponius Mela 2, 3. *In Atthide Eleusin Cereri consecrata.* Gronovius. Vrbs illa Attica (cujus regis filium Triptolemum Ceres agri colendi rationem docuit aliisque tradere jussit) quarto jam messem collegit. *Farnab.*

839. *Paremque*] Et libra signum æquinoctiale quater æquavit diem nocti, hoc est, *quatuor jam annos apud inferos fui.* Idem.

843. *Sensus. malorum finis*] Vide quid possit distinctio. In re minima ingentes hic tumultus. Ediderunt: *Mersus malorum.* Delrius: *exstincto mihi. Sensus malorum finis Alcides fuit.* hac sententia, malorum sensum Alcides mihi ademit. Scaliger: *mansit exstincto mihi Sensus. malorum finis Alc.* Vt etiam Grutero & nuper omnibus editum. Ipse tandem Gruterus verum videtur sensisse: sed male in notis ejus expressum est. Etenim voluit, opinor: *mansit exstincto mihi Sensus malorum; finis Alcides fuit.* Accipiendum τὸ *malorum*, quasi bis positum esset: quod frequens bonis auctoribus. Vna re intellexi me vivere, videlicet malorum ac pœnarum sensu: eorum malorum earumque pœnarum finem mihi fecit Hercules. *Gronovius.*

844. *Qui cum revulsum Tartaro extraheret*] Florent. *revulso Tartaro abstraheret.* Lucanus lib. 3. *ingenti Saturnia templa revelli Mola.* Idem. Hercul. Fur. vers. 805. *Farnabius.* *Tartaro*] Profundissimo inferorum loco. Διὰ τὸ τεταράχθαι ἐκεῖ τὴν ἀέρα. proinde Homero dicitur Ἡερόεις & βάθιστον ὑπὸ χθονὸς βάραθρον. *Idem.*

848. *Phle-*

Trepidantque greſſus. heu, labor quantus fuit
Phlegethonte ab imo petere longinquum æthera,
Pariterque mortem fugere, & Alciden ſequi!
Quis fremitus aures flebilis pepulit meas?
Expromat aliquis. luctus, & lachrimæ, & dolor,
In limine ipſo mœſta lamentatio,
Hoſpitia digna prorſus inferno hoſpite.
Nutr. Tenet obſtinatum Phædra conſilium necis,
Fletuſque noſtros ſpernit, ac morti imminet.
Theſ. Quæ cauſa leti? reduce cur moritur viro?
Nutr. Hæc ipſa letum cauſa maturum attulit.
Theſ. Perplexa magnum verba neſcio quid tegunt.
Effare aperte, quis gravet mentem dolor.
Nutr. Haud pandit ulli. mœſta ſecretum occulit,
Statuitque ſecum ferre, quo moritur, malum.
Jam perge quæſo, perge. properato eſt opus.
Theſ. Reſerate cluſos regii poſtes laris.

THE-

848. *Phlegethonte*] Thyeſt. v. 73. *Farnabius.*

849. *Et Alcidem ſequi!*] Florent. *Alciden.* Gronovius. *Alcidem*] Magnis paſſibus incedentem, quod ex ratiocinatione Pythagoræ liquet de Herculis ſtatura. vid. Thyeſt. verſ. 130. *Farnabius.*

850. *Quis fremitus*] *Exaudit Phædræ ejulatus.* Idem.

852. *Et limine ipſo mœſta*] Delrius ex omnibus ſuis profert: *Et limine in ipſo mœſta*: N. edidiſſe: *Et limine in ipſo vaſta*: Lugdun. *Limineque in ipſo vaſta*: Baſil. *Et limine ipſo vaſta*: denique nonnullos: *In limine ipſo mœſta.* Hoc poſtremum poſthac nobis antiquiſſimum erit, quippe Florentino probatum. *Gronovius.*

853. *Hoſpitia digna prorſus*] Emendaveram, *Auſpicia.* Omina merito excipientia illum, qui apud inferos in hoſpitio fuit. Petronius: *Ego, inquit Eumolpus, hoc juſſi: nec non eodem futurus navigio auſpicium mihi feci.* Troadibus: *fingit an quiſquam hoc parens, Nec abominandæ mortis auſpicium pavet?* Nunc video id quoque adſcripſiſſe Grotium. *Idem. Inferno*] Ab inferis veniente. *Farnabius.*

854. *Tenet obſtinatum*] Nimis abruptum. videtur aliquid deeſſe.

857. *Hæc ipſa*] Ne tibi reverſo detegat factum. *Farnabius.*

862. *Iam perge quæſo,*] Hic verſus in membranis etiamnum Nutrici, ſequens vero Theſeo tribuitur. *Delrius.*

THESEUS. PHÆDRA. FAMULI.

Primum simulat Phædra mori se malle, quam vim sibi illatam revelare Theseo, cui deinde nutrici cruciatum minitanti ostendit gladium, quem Hippolytus abjectum reliquisset.

Thes. O Socia thalami, siccine adventum viri,
Et expetiti conjugis vultum excipis?
Quin ense viduas dexteram? atque animum mihi
Restituis? & te quidquid è vita fugat
Expromis? *Phæd.* Eheu, per tui sceptrum imperii,
Magnanime Theseu, perque natorum indolem,
Tuosque reditus, perque jam cineres meos,
Permitte mortem. *Thes.* Causa quæ cogit mori?
Phæd. Si causa leti dicitur, fructus perit.
Thes. Nemo istud alius, me quidem excepto, audiet.
Phæd. Aures pudica conjugis solas timet.
Thes. Effare. fido pectore arcana occulam.
Phæd. Alium silere quod voles, primus sile.
Thes. Leti facultas nulla continget tibi.
Phæd. Mori volenti deesse mors numquam potest.
Thes. Quod sit luendum morte delictum, indica.

P. Quod

864. *O socia thalami,*] Personis hic addit Flor. *NVTRIX TACITA.* Gron.

865. *Expetiti*] Expetendi certe. *Farn.*

870. *Jam cineres*] Me morti jam destinatam. *Idem.*

872. *Si causa*] Mori se velle fingit, ne Hippolytum, tanquam dedecoris sui reum apud patrem agat: neve quis sciat. *Idem.*

874. *Pudicas conjugis solas times?*] Hunc versum Phædræ dat Etruscus, & leviter immutat: PH. *Aures pudica conjugis solas timet.* Quod valde placet. Intellige, quoniam aut raro aut numquam cum alieno viro sermonem sociat. Vnde Cato apud Liv. l. 34. *Quis hic mos est in publicum procurrendi & obsidendi vias, & viros alienos appellandi? Timet*, est, reveretur, tanquam judicis, & in cujus potestate est, & cui uni quærit placere. Vel *solas*, id est, maxime, ante omnes alias. Virg. 1. Georg. *An deus immensi venias maris, ac tua nautæ Numina sola colant.* Ejusdem: *Sola viri molles aditus & tempora noras.* Agamemnone: *Tu sollicitum supplexque tui Numinis Argos sola tueris.* Oedipo: *Ambigua soli noscere Oedipoda datur.* Sic Nero, *solos scire audire Græcos.* Nec aliter religiosissimus rex: *Tibi soli peccavi*: quicquid adulentur, confitentis ac prostrati terramque verentis rei superbissimas, ne dicam mendaces, preces fingendo. Qui sequitur versus, à Thesei persona rectè pronunciatur: TH. *Effare. fido pectore.* Gron.

876. *Alium silere*] Quod tacitum esse velis, nemini dixeris. *Farnabius.*

878. *Mori*] Theb. v. 151. *Idem. Deesse nunquam mors potest.*] Concinnius Florentiæ: *deesse mors nunquam potest.* Gronovius.

881. *Mors*

P. Quod vivo. T. Lacrimę nonne te noſtrę movent?
Phæd. Mors optima eſt perire lacrimandum ſuis.
Theſ. Silere pergit. verbere ac vinclis anus
Altrixque prodet quidquid hæc fari abnuit.
Vincîte ferro. verberum vis extrahat
Secreta mentis. *Phæd.* Ipſa jam fabor, mane.
Theſ. Quidnam ora mœſta avertis, & lachrimas genis
Subito coortas veſte prætenta obtegis?
Phæd. Te, te, creator cœlitum, teſtem invoco,
Et te coruſcum lucis ætheriæ jubar,
Ex cujus ortu noſtra dependet domus,
Tentata precibus reſtiti. ferro ac minis
Non ceſſit animus: vim tamen corpus tulit.
Labem hanc pudoris eluet noſter cruor.
Theſ. Quis, ede, noſtri decoris everſor fuit?
P. Quem rere minime. T. Quis ſit, audire expeto.
Phæd. Hic dicet enſis, quem tumultu territus
Liquit ſtuprator, civium accurſum timens.
Theſ. Quod facinus, heu me, cerno? quod monſtrum in-
Regale parvis aſperum ſignis ebur, (tuor?
Capulo refulget gentis Actææ decus.

Sed

881. *Mors optima*] Hoc enim charitatis argumentum: Sicci autem oculi in funere odium arguunt. *Farnabius.* *Perire, dum lacrymant ſui.*] Quod habent duo Delrii, *lacrimandum ſuis*, quod plures Gruteri, & ipſi non ita fatuum videtur; idem in Cruſeriano, Voſſiano, meo, duobus Germanicis, optimoque tandem Etruſco comparet. Itaque reſtituere non dubitavi. *Giron.*

889. *Et te*] Et te ô Phœbe domus noſtræ auctor, matris meæ ex Crete Nympha genitor. *Farnabius.*

891. *Ferro*] Stupratoris. *Idem.*

899. *Parvis aſperum ſignis*] Circumſcribere videtur, quæ propria voce *Sigilla* dicebant. Cicero lib. 4. in Verrem: *Iubet me ſcyphos ſigillatos ad pratorem ſtatim afferre.* Et, *patella grandi cum ſigillis & ſimulacris deorum.* Iterumque: *appoſuit patellam, in qua ſigilla erant egregia.* Alioqui non inepte vir ſummus, *patriis.* Virgilius 9. Æneid. *argenta perfecta atque aſpera ſignis Pocula.* Gronov. *Ebur*,] Manubrium enſis ex ebore cælato, cui inſculpta cicada. *Farnabius.*

900. *Gentis Actææ decus.*] Ὁ δεῦρα edidit *Atthæa*, & alios *Actæa*, ſed parum referre ait. Tantum tamen opinor, ut *Atthæus* nec Græcum nec Latinum ſit; *Actæus* & Græcum & Latinum. Eſt enim ab ἀκτὴ quæ κατ' ἐξοχὴν tribuitur Athenienſibus. Statius lib. 12. *Actææ ſi quid clementia gentis.* Cum his autem verbis proprie jungendum τὸ *Regale* per hypallagen ablatum: ſignificat enim ſigilla ex ebore,

Sed ipse quonam evasit? *Phæd.* Hi trepidum fuga
Videre famuli concitum celeri pede.

ornamentum peculiare regiæ familiæ Athenienſium, in capulo gladii refulgere. Itaque vereor, ut cicada hic ſufficiat, omnibus Athenienſibus communis. Florent. etiam *generis.* quaſi velit: *generu Actæi decus.* Vtrum velis, non aliter quam dixi accipiendum eſt, nempe pro familia, non pro natione. Ovidius de Ægeo & Theſeo: *Cum pater in capulo gladii conſpexit eburno Signa ſui generis.* Adde ad Medeam verſ. 573. *Gronovius.* Aurea cicada, quo inſigni ac ſymbolo ſe αὐτόχθονας eſſe volebant Athenienſes oſtendere, vertice vel fronte aureas cicadas geſtantes. *Farnabius.* Significat auream cicadam enſis capulo inſculptam vel infixam: hæc enim Athenienſium regum nota. Quiſquis ille eſt, in Citi, de Niſo Pandionis Athenienſium Regis filio: *Ergo omnis caro reſidebat cura capillo. Aurea ſollemni comtum quem fibula ritu, Mopſopiæ tereti nectebat dente cicadæ.* Idem teſtatur Nonnus Dionyſ. 17. Ariſtophan. Thucydid. Ælian. Philoſtratus, D. Greg. Nazianzenus, & Clemens Alexandrinus, & alii. *Delrius.* Herc. Fur. v. 1163. *Farn.*

THESEUS.

Agnito enſe deceptus pater & iratus filio immerito exitium imprecatur.

Prò, ſancta pietas! prò, gubernator poli,
Et qui ſecundum fluctibus regnum moves,
Unde iſta venit generis infandi lues?
Hunc Graja tellus aluit, an Taurus Scythes,
Colchuſve Phaſis? redit ad auctores genus;
Stirpemque primam degener ſanguis refert.
Eſt prorſus iſte gentis armiferæ furor,
Odiſſe Veneris fœdera, & caſtum diu
Vulgare populis corpus. ô tetrum genus,
Nullaque victum lege melioris ſoli!

Feræ

904. *Qui ſecundum in fluctibus regnum tenes,*] Florent. *Et qui ſecundum fluctibus regnum moves.* Non videtur eſſe temere poſitum, ſed ob perpetuam undarum jactationem: nunquam enim mare tam tranquillum, ut, etiamſi ſtratum & ſtare cum videatur tum dicatur, non trepidet ac feratur. Quaſi diceret: qui ſecundæ ſortis imperio fluctus moves & agitas. *Gronov.* Herc. Fur. v. 598. *Farnabius.*

906. *Hunc*] Græcamne educationem ſapiunt iſti, an Barbaram? *Idem, Taurus*] Sup. v. 167. *Idem.*

907. *Phaſis?*] Max. Colchorum fluvius. *Idem. Auctores*] *Hoc imputat matri Antiopæ Hippolyta.* Idem.

909. *Gentis armigeræ furor,*] Flor. *armiferæ:* ut & Delriani Voſſianuſque. *Gronov.* Amazonum: ſup. v. 574. *Farn.*

910. *Veneris*] Connubia. *Idem.*

912. *Nullaque*] Metaph. quod in melius ſolum tranſlatum non miteſcit, feritatem non amittit. *Idem.*

913. *Ve-*

Feræ quoque ipſæ Veneris evitant nefas,
Generiſque leges inſcius ſervat pudor.
Ubi vultus ille, & ficta majeſtas viri,
Atque habitus horrens, priſca & antiqua appetens,
Morumque ſenium triſte, & aſpectu grave?
O vita fallax! abditos ſenſus geris,
Animiſque pulchram turpibus faciem induis.
Pudor impudentem celat, audacem quies,
Pietas nefandum. vera fallaces probant.
Simulantque molles dura. ſilvarum incola
Ille efferatus, caſtus, intactus, rudis,
Mihi te reſervas? à meo primum toro
Et ſcelere tanto placuit ordiri virum?
Jam jam ſuperno numini grates ago,
Quod icta noſtrâ cecidit Antiope manu:
Quod non ad antra Stygia deſcendens tibi
Matrem reliqui. profugus ignotas procul
Percurre gentes. te licet terra ultimo
Summota mundo dirimat Oceani plagis,
Orbemque noſtris pedibus obverſum colas:
Licet in receſſu penitus extremo abditus

Hor-

913. *Veneris*] Illicitam Venerem, inceſtum matrum coitum. *Farnabius.*

914. *Inſcius*] In feris etiam vel barbaris. *Idem.*

915. *Majeſtas*] Gravitas, triſtitia. *Idem.*

917. *Morumque ſenium triſte,*] Senes graves ſunt ut plurimum & tetrici. hinc *morum ſenium*, pro triſtitia & gravitate ponitur: & quia hoc hominum genus cunctis moleſtum eſt, *ſenium* pro moleſtia accipitur. *Delrius. Et aſpectu grave?*] Flor. *& affectus graves.* Vtrum, *adſpectus graves*: ſic Attius Aſtyanaſte: *Abducite intro, nam mihi miſeritudine commovit animum excelſa adſpecti dignitas*: an *effatus graves?* Gronovius.

918. *O vita*] O quam fronti nulla fides: omnes ſimulant ac diſſimulant, alii videri volunt quam ſunt. *Farnab.*

924. *Mihi*] An in patris tui ſolius dedecus? *Idem.*

925. *Ordiri*] Virilitatis tuæ primum ſpecimen edere. *Idem.*

927. *Icta*] Suprà verſ. 225. *Idem. Antiope*] Sic omnes lib. ad normam tamen Cariſii lib. 1. dicendum foret; *Antiopa.* ſic autem vocat etiam Philochorus; ſed Trogus & Clydimus Hippolyten. *Delrius.*

928. *Tibi*] Ne & propriam matrem violaſſes. *Farnabius.*

930. *Te licet*] Fugias licet ad nobis oppoſitos Antipodas. *Idem.*

932. *Orbemque noſtris*] Hîc de loco in quo degunt Antipodes, non de ipſis Antipodibus agitur. *Delrius.*

934. *Celſi*]

Horrifera celsi regna transieris poli;
Hiemesque supra positus & canas nives,
Gelidi frementes liqueris Boreæ minas
Post te furentes, sceleribus pœnas dabis.
Profugum per omnes pertinax latebras premam.
Longinqua, clausa, abstrusa, diversa, invia
Emetiemur. nullus obstabit locus.
Scis, unde redeam. tela quo mitti haud queunt,
Huc vota mittam. genitor æquoreus dedit,
Ut vota prono trina concipiam deo,
Et invocata munus hoc sanxit Styge.
En perage donum triste, regnator freti,
Non cernat ultra lucidum Hippolytus diem,
Adeatque Manes juvenis iratos patri.
Fer abominandam nunc opem nato parens.
Numquam supremum numinis munus tui

Con-

934. *Celsi*] Arctici, *qui nobis semper sublimis*. Farnabius.

935. *Hyemesque*] Ulterius quam unde ad nos veniunt hyemes. *Idem*.

940. *Obstabit locus. Huc vota mittam.*] Transpositione hic peccatum ostendit & corrigit Florentinus: *nullus obstabit locus. Scis unde redeam. tela quo mitti haud queunt, Huc vota mittam. Genitor æquoreus.* Nemo non videt, hæc sic aptius digesta. Post minas, nullum fore locum, qui profugo sit tutus, utique commodius subjicitur: *Scis unde redeam.* nempe ab inferis: & satis credibile est, quem inferi tenere non potuerint, ei omnia loca patere. Sic etiam post τὸ, *vota mittam*, rectius statim continuatur narratio de munere Neptuni: prorsus vero inepte interjicitur: *Scis unde redeam.* nihil enim ad optiones illas hoc pertinet, nec inter profunda Tartara & ditem horridum, ut mox ait, illis usus erat. *Gronovius*.

941. *Vnde*] Ab inferno scilicet, quo descensu ac reditu erit facilius te persequi, *vel* ut infrà vers. 949. *Farnabius*.

942. *Huc vota mittam.*] Putabant diris & votis quem interfici posse. Oedipus Sophoclis; votis suis, alteri mortem properatam suspicatur. & apud Petronium alius, *votis absentem interfecit hostem*. Delrius. *Genitor*] Neptunus dedit mihi optionem 3. votorum infr. vers. 950. *Farnabius*.

943. *Prono*] Favente, exaudiente. *Idem*.

944. *Invocata*] Herc. Fur. v. 711. *Id*.

945. *Triste*,] Cum pater filii necem exoptet. *Idem*.

947. *Irato patre.*] Multo suavius Florent. *iratos patri*. Intelligit Theseus iratos Manes sibi, quod eos effugerat. nam nec *livida tabes Invidiæ, functi quamquam & jam lumine casso*, (ut canit Statius) deest erga illos, qui emittuntur ex inferis, ad quamvis breve tempus. Ne de ipso Plutone dicam, regnum imminui suum indignato. Sic Hercule Furente: *ite, iratos Visite reges*. Gronovius.

949. *Supremum*] Nam primum fecerat in latrones dum Athenas proficiscerctur à Trœzene ubi natus est: secundum

Consumeremus, magna ni premerent mala.
Inter profunda Tartara, & Ditem horridum,
Et imminentes regis inferni minas,
Voto peperci. redde nunc pactam fidem,
Genitor. moraris? cur adhuc undæ silent?
Nunc atra ventis nubila impellentibus
Subtexe noctem; sidera & cœlum eripe,
Effunde pontum. vulgus æquoreum cie,
Fluctusque ab ipso tumidus Oceano voca.

cundum ut è Labyrintho redire posset. *Farnabius.* Cicero de offic. lib. 1. ait; *Nam si, ut in fabulis est, Neptunus quod Theseo promiserat, non fecisset; Theseus Hippolyto filio non esset orbatus. ex tribus enim optatu, ut dicitur, hoc erat ultimum, quod de Hippolyti interitu iratus optavit: quo impetrato, in maximos luctus incidit.* Delrius.

953. *Voto*] Non consumpsi votum hoc tertium. *Farnabius.*

956. *Noctem;*] Tenebras, caliginem. *Idem.*

957. *Vulgus æquoreum*] Monstra marina. *Idem.*

959. *Voca.*] In tertam. inf. v. 1030. *Id.*

CHORUS.

Queritur Chorus, cum cœli ceterarumque rerum cursus certo regantur consilio, non tamen res humanas juste ac recte cedere, cum bonis male sit, malis bene.

O magna parens Natura deûm,
Tuque igniferi rector Olympi,
Qui sparsa cito sidera mundo
Cursusque vagos rapis astrorum,
Celerique polos cardine versas;
Cur tibi tanta est cura, perennes
Agitare vias ætheris alti?
Ut nunc canæ frigora Brumæ
Nudent silvas; nunc arbustis Re-

959. *O magna parens Natura deûm,*] Non pejus sonet, *rerum.* Cicero in Paradoxis: *Cum tibi sive Deus, sive mater (ut ita dicam) rerum omnium natura dederit animum.* Sed *deûm* est siderum. *Gronovius. Cur bonis viris accidant mala,* Sen. Phil. *Farnab.* Hunc chorum ferme totum imitatur Boëtius, de Consolat. Philos. Metro 1. cujus initium: *O stelliferi conditor poli.* Delrius.

963. *Celerique*] Moventur enim poli cum universo, utcumque Mathematicis dicantur immoti. *Farnabius.*

966. *Nunc*] Hyeme, spolientur foliis silvæ. *Idem.*

967. *Nunc*] Vere, redeant arboribus comæ umbrosæ. *Idem.*

969. *Colla*]

Redeant umbræ; nunc æstivi
Colla Leonis Cererem magno
Fervore coquant; vireſque ſuas
Temperet annus? ſed cur idem,
Qui tanta regis, ſub quo vaſti
Pondera mundi librata ſuos
Ducunt orbes, hominum nimium
Securus abes; non ſollicitus
Prodeſſe bonis, nocuiſſe malis?
Res humanas ordine nullo
Fortuna regit, ſpargitque manu
Munera cœca, pejora fovens.
Vincit ſanctos dira libido.
Fraus ſublimi regnat in aula.
Tradere turpi faſces populus

Gau-

969. *Colla*] Æſtate, Sol in Leone fruges torreat. *Farnabius.*

970. *Vireſque*] Autumnus calorem frigore temperans fructus maturet. *Idem.*

972. *Vaſti*] Adeo vaſti, ut infinitum cenſuerint Seleucus Erythræus, & Heraclides Ponticus, propter difficilem partium ejus enumerationem commenſurationemque: Vere tamen in ſe finitus eſt juxta Ocellum Lucanum, Platonem in Timæo, Ciceron. & Apuleium in lib. de Vniverſitate. Stobæum lib. 1. eleg. Phyſic. cap. 25. *Delrius.*

974. *Hominum nimium Securus abes;*] Sic Virgilius de Pygmalione: *ſecurus amorum Germanæ.* Silius l. 16. *fertur ſecurus equorum.* Illud *abes* merito diſplicuit Lipſio: præſentes enim dii contrarium volunt: ille ſubjicit *audis.* Id fieri contra legem verſus arguit mitificus ejus amicus, idque monendi, non mordendi ait dictum gratia; immemor quoties ipſe paſſim hanc legem in hoc opere migret. Rectius tamen Florent. *Securus abes.* Vt enim *adeſſe* eſt juvare, auxilio præſentem eſſe, ſic *abeſſe* & *longe eſſe* dicitur, qui utcumque præſens vel propinquus nihil tamen juvat. Sic Turnus apud Virgilium: *Longè illi dea mater erit.* Et Floro: *Longe illis nauticæ artes.* quæ quidem erant præſentiſſimæ, ſed inefficaces & impeditæ Romanorum audacia & conſilio. Cæſar l. 1. Gall. 36. *ſi id non feciſſent, longe ab his fraternum nomen populi Romani abfuturum.* Crederem & ego ſcribendum: *longe iis futurum:* ni Ovidius dixiſſet in perſona Atlantis ad Perſea lib. 4. *ne longe gloria rerum, Quas mentiris, ait, longe tibi Iupiter abſit.* Gronovius.

975. *Securus abes;*] *Non curans, negligens.* Farnabius.

977. *Res humanas*] Vitam regit Fortuna, non Sapientia. *ex Epicuri Schola.* Idem.

980. *Vincit*] Violenti & libidinoſi opprimunt innocentes & caſtos. *Idem*

982. *Faſces*] Honores, honorum inſignia. à Romanis tractum, quorum magiſtratibus præferebantur à lictoribus ſecures faſcibus virgarum inſertæ; conſulibus 12. Dictatori 24. Prætori 6. &c. *Idem.*

983. *Eſ-*

Gaudet; eosdem colit, atque odit.
Tristis virtus perversa tulit
Præmia recti. castos sequitur
Mala paupertas! vitioque potens
Regnat adulter.
O vane pudor, falsumque decus!
Sed quid citato nuncius portat gradu,
Rigatque mœstis lugubrem vultum genis?

983. *Eosdem*] Fluctuans, mobilis, inconstans populus. *Farnabius.*

984. *Tristis virtus perversa tulit*] Sollicitant hæc viri docti, & alii *dolet*, alii *rectu*. Mihi sedet nihil convellere. Sensus, Boni, adflicti ac mœrentes, (nam pro his dicit *tristem virtutem*) malam mercedem, malam gratiam (hæc *perversa præmia*) rectorum propositorum & operum reportant. *Tulit*, pro fert, (ut supra *Iuvit* pro *Iuvat*) adipiscitur, accipit. Thyeste: *Stupet genitrix prima Roscida lucis perversa sui lumina regni.* Gronovius. Boni pœnas ferunt ini quam virtuti suæ mercedem. *Farnabius.*

988. *O vane pudor, falsumque decus!*] Aposiopesin esse aiunt ex interventu nuntii. At nihil hic siletur, nihil præcisum est. Sentit idem quod Brutus moribundus, quum exclamaret: Ὦ τλῆμον ἀρετή, λόγον ἄρ' ἦσθα. Hoc enim vult: O pudor, tu nil nisi nomen es, res vana, sine veritate & specie: nec quæ ex te oritur gloria, solida est & propria, sed inanis & fucata, non juvans neque servans possessorem suum, qui plerumque cum illa perit aut miser est. O quam vanus es pudor, & quam falsum tuum decus! *Gronovius.*

989. *Sed quid*] Aposiopesis ex interventu nuncii. *Farnabius.*

990. *Restatque mœstus lugubrem vultum gerens?*] Flor. & Vossianus: *Rigatque mœstis lugubrem vultum genis* Quam lectionem quum res clamet esse veriorem, & repererint in suis Delrius & Gruterus, turbæ tamen adhuc & numero pravorum codicum datum, ut exsularet. Nos vero lubentes eam recepimus. *Gronovius.*

ACTUS QUARTUS.

NUNCIUS. THESEUS.

Narrat Theseo nuncius, ut perierit Hippolytus discerptus ab equis suis quos terruerat taurus marinus à Neptuno ex Thesei voto immissus.

Nunc. O Sors acerba & dura famulatus gravis,
Cur me ad nefandos nuncium casus vocas?
Thes.

991. *O sors acerba*] Servitutis, quæ adigis servos ad triltia non raro ministeria. *Farnabius.* Fugerat impudicos amplexus Hippolytus, & in fuga perierat. obitus historiam patri nunc Nuncius narrat. describitur etiam Thesei, eo audito, sensus medius inter patrem & iram. sumptus hic Actus ex Euripide in Hippolyto Coronato, cum quo utile sit conferre, & cum Philostrato lib. 2. de imagine Hippolyti. *Delrius.*

992. *Ad nefandos nuntium casus vocas?*] Non male Eguian. *nefandi*, ait Delrius: eoque promior Gruterus ad reci-

Thes. Ne metue clades fortiter fari asperas;
Non imparatum pectus ærumnis gero.
Nunc. Vocem dolori lingua luctificam negat.
Thes. Proloquere, quæ sors aggravet quassam domum.
Nunc. Hippolytus (heu me) flebili leto occubat.
Thes. Gnatum parens obiisse jam pridem scio.
Nunc raptor obiit. mortis effare ordinem.
Nunc. Ut profugus urbem liquit infesto gradu,
Celerem citatis passibus cursum explicans,
Celsos sonipedes ocius subigit jugo,
Et ora frenis domita substrictis ligat.
Tum multa secum effatus, & patrium solum
Abominatus, sæpe genitorem ciet,
Acerque habenis lora permissis quatit:
Cum subitò vastum tumuit ex alto mare,
Crevitque in astra. nullus inspirat salo
Ventus. quieti nulla pars cœli strepit,
Placidumque pelagus propria tempestas agit.
Non tantus Auster Sicula disturbat freta,
Nec tam furenti pontus exsurgit sinu
Regnante Coro, saxa cum fluctu tremunt,

Et

recipiendum in contextum, quod se quoque invenisse testatur in novem suis. Hoc si non male, nec male Flor. *Cur me ad nefandum nuntium casus?* Neutrum tamen melius putem vulgata. Durum videtur loquendi genus, *vocari ad nuntium*, pro vocari ad nuntiandum, vel ad nuntium perferendum. At illud expeditum: Sors dum servitutis me vocat vel jubet esse nuntium ad casus nefandos. *Gronovius.*

994. *Non*] Assuetum ærumnis & præparatum: ut qui *Omnia præcepi atque animo mecum ante peregi.* Farnab. *Pectus ærumnis gero.*] Florent. ut Mogunt. *fero.* Et sequenti versu *luctificam*, non *luctifico.* Item, *flebili leto occubat;* non *voto* Gronovius.

997. *Flebili leto occubat.*] Non abhorrent alii ab, *flebili voto.* Sed quo minus id heic locum habeat, obstat tota fabula. Aderat nuncius Hippolyto, ideoque nihil ei constare poterat de voto paterno. Præterea, dubito an dicatur Latine *occumbere flebili voto.* Grut.

998. *Gnatum parens*] Iamdudum periit mihi filius, ubi primum officii & pietatis immemor uxori patris stuprum inferre conatus est. Illo enim die nocens moritur, quo peccat: jam tandem raptorem periisse audio. *Farnab.* Vel ex voto sciebam eum periisse.

1004. *Multa secum*] Apud Euripidem enim, unde totus hic desumptus est actus, ait: Ζεῦ μηκέτ' εἴην, εἰ κακὸς πέφυκ' ἀνήρ. Αἰσθοῖτο δ' ἡμᾶς ὡς ἀτιμάζει, πατήρ, &c. *Farnabius.*

1013. *Coro,*] Thyest. v. 576. *Idem.*

1014. *Leu-*

Et cana ſummum ſpuma Leucatem ferit.
Conſurgit ingens pontus in vaſtum aggerem,
Tumidumque monſtro pelagus in terram ruit.
Nec iſta ratibus tanta conſtruitur lues:
Terris minatur. fluctus haud curſu levi
Provolvitur. neſcio quid onerato ſinu
Gravis unda portat. quæ novum tellus caput
Oſtendit aſtris? Cyclas exoritur nova.
Latuere rupes, numen Epidaurii Dei,
Et ſcelere petræ nobiles Scironides,
Et quæ duobus terra comprimitur fretis.
Hæc dum ſtupentes querimur, en totum mare
Immugit. omnes undique ſcopuli adſtrepunt.
Summum cacumen rorat expulſo ſale.
Spumat, vomitque vicibus alternis aquas.

Qua-

1014. *Leucatem ferit.*] Flor. *Leucaten*: & mox, *in terras ruit.* Gronov. Promontorium Acarnaniæ. *Leucatæ nimboſa cacumina montis.* Farnabius.

1017. *Nec iſta*] Nec tamen navigantibus exitium ab hoc monſtro paratur, ſed terris. *Idem.*

1019. *Neſcio*] Non ſine ſtupore expectabamus, ſi qua nova inſula è mari exurgens augeret numerum Cycladum. *Idem.*

1022. *Latuere nube numen*] Lipſius è ſuo: *Latuere rupes.* Amicus ejus nil videt mutandum, conſentientibus codd. Sed non vidit Florentinum, & qui ſunt melioris notæ, aut neſcio quis caſus etiam bonos ejus hic vitiavit. Omnes enim *rupes*, non *nube*. Alii ſummi viri: *Latuere nube nomen*. vel, *Lat. rupes nomine*: vel, *nudæ numine Epidaurii dei.* Sed veterum librorum lectio tantummodo explicationem deſiderat. Nam per epexegeſin (vulgo appoſitionem vocant) *rupes* illæ dicuntur *numen Epidaurii dei*, quæ ſunt ſacræ Æſculapio, in quibus Epidaurius deus colitur & numen habet: eſt enim *Epidauri* contractum pro *Epidaurii.* Mela lib. 2. cap. 3. *Epidaurii Æſculapii templo inclyti.* Vbi prorſus ſimile loquendi genus: *In Achaia atque Elide quondam Piſa Oenomai, Elis & numen delubrumque Olympii Iovis.* Plinius lib. 8. epiſt. 8. *Sparſa ſunt circa ſacella complura, totidemque dei ſimulacra: ſua cuique veneratio, ſuum numen.* Ergo ait: *rupes*, quæ ſunt *numen Epidaurii dei*, latuere: Epidaurus, ubi colitur Æſculapius, apparere deſiit. *Gronovius.*

1027. *Rorat expulſo ſale. Spumat, vomitque*] Nec hoc placet, nec *rorare ſpumas*: etſi ſcio Ovidii: *Roratis luſtravit aquis.* Sed & Flor. *ſale.* Lege: *rorat expulſo ſale Spumans.* Duplici imagine illuſtrat ſpumeum verticem, quem habet interdum illa moles. Summum cacumen modo caneſcit ſpumis, perinde ut herbæ matutino rore vel pruina albicantes, & ut littus ab æſtu undas candidas inſtar ſalis ſuſtinens: modo excitat velut vi ſpiritus interioris expellente aliam aquarum copiam. Virgilius lib. 1. Æn. *ſpumæ ſalis æra ruebant.* Idem.

1028. *Spumat, vomitque*] Qui hæc

Qualis per alta vehitur Oceani freta
Fluctus refundens ore physeter capax.
Inhorruit concussus undarum globus,
Solvitque sese, & litori invexit malum
Majus timore. pontus in terras ruit,
Suumque monstrum sequitur. os quassat tremor.
Thes. Quis habitus ille corporis vasti fuit?
Nunc. Cærulea taurus colla sublimis gerens,
Erexit altam fronte viridanti jubam.
Stant hispidæ aures. cornibus varius color:

Et

versus trajiciunt, efficiunt ut auctor haud satis exprimat quod voluit; nempe mare non secus spumasse & alternis vicibus evomuisse undas, quam solet physeter. *Gruterus.*

1030. *Physeter capax.*] Bellua marina prægrandis, ex balænarum genere, ore maximo, dentibus serratis, columnæ modo se attollens, & ex alto velis navium diluviem quandam infundens, earumque alveos quandoque deprimens. eructat, non ore, sed fistulis quibusdam in vertice prope oculos positis. quare versus Senecæ sic interpungi debet; *Fluctus refundens, ore Phys. cap.* Nec enim credendum, errasse Senecam hominem Turdetanum, cum in eo mari frequens sit piscis, teste Strabone lib. 3. ubi eum describit, & à flando vult denominatum, quia cum fluctus efflat, speciem quandam nubis in columnæ formam effigiatæ spectantibus præbet. Ab Orcâ distinguitur, quia longior Physeter, & dorsuali spinâ caret. Oppianus lib. 1. Halieut. φύσαλον nuncupat. vide Arrianum lib. rerum Indicarum, qui de Physetere est intelligendus cum scribit: ὅτι κήτεα ταῦτα φερόμενα κατὰ τὸν πόντον ἀναφυσᾷ ἐς τὸ ἄνω τὸ ὕδωρ. *cete esse quæ in mari volutantia aquam sursum efflent.* vide Ælian. lib. 9. de hist. Animal. Plinium lib. 9. cap. 4. Solinum in Polyh. Wottonum lib. 8. de Differ. animal. & Rondeletium lib. 16. de Piscibus. *Delrius.*

1038. *Cornibus varius color:*] Quare *cornibus?* Plinius lib. 11. cap. 37. varios lusus naturæ in his animalium armis notans colorum nullam differentiam facit. Columella in bubus & vaccis cornua requirit *nigrantia*, lib. 6. cap. 1. & 21. Itaque etsi in tam accurata descriptione aliquid de cornibus dici velles, dubites tamen, an hoc sit satis aptum. Et alio vocant optimæ membranæ, in quibus: *orbibus varius color.* Quasi hic jam oculos describere incipiat, fingatque in illis & torvum illud, quam *majestatem boum* Varro vocat, & glaucum vel cæruleum, quod proprie est deorum & monstrorum maritimorum. Hoc si esset, vix appellandi mox videntur fuisse *Oculi.* An igitur ea vox ex margine irrepsit, deleta, quam ibi Seneca posuerat? Refert lib. 9. cap. 5. Tiberio principe ad littus Gallicum belluas miræ varietatis & magnitudinis ab Oceano destitutas, interque reliquas elephantos & arietes, candore tantum cornibus adsimulatis. An igitur ex hac recenti & nota tum historia sumpsit Seneca de colore, quo sub undis natorum insignia cornua? & retinendum τὸ *cornibus?* Sed pro *candore* quidam codices habent *tumore.* Gronovius.

1039. Et

Et quem feri dominator habuisset gregis,
Et quem sub undis natus. hinc flammam vomit;
Oculi hinc relucent. cærula insignis nota
Opima cervix arduos tollit toros:
Naresque hiulcis haustibus patulæ fremunt.
Musco tenaci pectus ac palear viret.
Longum rubenti spargitur fuco latus.
Tum pone tergus ultima in monstrum coit
Facies, & ingens bellua immensam trahit
Squammosa partem. talis extremo mari
Pistrix citatas sorbet aut reddit rates.
Tremuere terræ. fugit attonitum pecus
Passim per agros; nec suos pastor sequi
Meminit juvencos. omnis è saltu fera
Diffugit: omnis frigido exanguis metu
Venator horret. solus immunis metu

Hip-

1039. *Et quem feri*] Mixtus illi color terrestris tauri, & vituli marini. *Delrius. Dominator*] Taurus. *Farnabius.*

1040. *Sub undis*] Vitulus marinus. *Idem. Hinc flammam vomit;*] Ad oculos refert Etruscus, & habet, *vomunt*. Videtur scribendum: *hinc flammam vomunt Oculi, hinc relucent cærula insignes nota.* Gronovius.

1044. *Palear*] Pellis ex gutture boum dependens.

1045. *Rubenti spargitur succo latus.*] Recte Lipsius *fuco*, contra centum millia pejorum librorum. Sic & Florentinus. *Succo* & fatuum est & perpetuum pro *fuco* plebejorum codicum mendum. *Sulco*, quod Grutero perplacuit, arcet verbum *spargitur*, de quo infra. Vide Nic. Heinsium ad Claudianum. *Gronovius.*

1045. *Vltima*] Vltima forma, id est posterior pars desinit in piscem. sic Virg. de Scylla, *pectore virgo Pube tenus postrema immani corpore pistrix.* & de Tritone: *Frons hominem præfert, in pistrin desinit alvus.* nam & Pistris dicitur. *Farnabius.*

1049. *Pistrix*] Monstrum marinum tantæ magnitudinis ut absorbeat naves. Plin. 26. *Idem.* Et *Pristis* legitur. Ingens in Indico mari bellua, pilosa, parit animal. Plinius, lib. 9. cap. 4. & 13. Secundum quosdam etiam *serra* Latine, vulgò *Nivella* vel *Caldero*, vel *Malthe*: quod ultimum nomen Suidas novit: πρήστις εἶδος κήτους θαλασσίου· ἡ λεγομένη μάλθη, ὃ καὶ δυσαντάγωνιστόν ἐστι. *Pristen genus esse ceti marini, inexpugnabile, quod Malthe dicitur.* Quæri solet, quomodo scribendum. Nam in Sidonii libris modo *pristis*, modo *pistrix*. de Tritone: *Iamque suam parcenti pistre flagellat.* at alibi: *Pristigeno quæ concha vehit Tritone Cytheron.* Delrius. *Sorbet aut reddit rates.*] Delrius vetat dubitari an sincerum sit. Florentinus tamen confirmat, quod ille in Mog. invenit: *sorbet aut frangit rates.* Gron.

1050. *Tremuere*] Vide Virbium hæc de se narrantem, 15. Met. Ovid. *Farn.*

Hippolytus arctis continet frenis equos,
Pavidosque notæ vocis hortatu ciet.
Est alta ad Argos collibus ruptis via,
Vicina tangens spatia suppositi maris:
Heic se illa moles acuit, atque iras parat.
Ut cepit animos, seque prætentans satis
Prolusit iræ, præpeti cursu evolat,
Summam citato vix gradu tangens humum,
Et torva currus ante trepidantes stetit.
Contra feroci gnatus insurgens minax
Vultu, nec ora mutat, & magnum intonat;
Haud frangit animum vanus hic terror meum,
Nam mihi paternus vincere est tauros labor.
Inobsequentes protinus frenis equi
Rapuere currum: jamque deerrantes via,
Quacumque pavidos rapidus evexit furor,
Hac ire pergunt, seque per scopulos agunt.
At ille, qualis turbido rector mari
Ratem retentat, ne det obliquum latus,
Et arte fluctus fallit; haud aliter citos
Currus gubernat: ora nunc pressis trahit

Con-

1057. *Est alta ad agros*] Omnino *Argos*, etsi servet illud Etruscus. Vtebatur ea via, qua Athenis in Peloponnesum ad mare itur: Trœzena petisse ait Ovidius: eam urbem paruisse olim Argivis, testis Pausanias. *Gronovius.* Omnes membranæ, *est arta.* Delrius.

1058. *Vicina*] Prope litus. *Farnab.*

1059. *Illa moles*] Monstrum marinum. *Idem.*

1064. *Gnatus*] Tuus ô Theseu. *Id.*

1067. *Nam mihi*] Hereditario jure mihi debetur hic labor, nam & pater taurum Marathonium superavit, Minotaurum interfecit. *Idem.*

1070. *Pavidos rapidus evexit*] Florentinus: *rabidos pavidus evexit furor.* An *rapidos?* nam *furor pavidus* bene se habet, quum pro affectibus nimiis, qui furoris sunt causæ, alius tristis, alius hilaris, alius audax, alius timidus fit furor. *Gronovius.*

1072. *At ille, qualis*] Ait Euripides in Hippolyto: Καὶ δεσπότης μὲν ἱππικοῖς ἐν ἤθεσι Πολὺς ξυνοικῶν, ἥρπασ' ἡνίας χεροῖν. Ἕλκει δ', κώπην ὥστε ναυβάτης ἀνὴρ, Ἱμᾶσιν εἰς τὸ ὄπισθεν ἀρτήσας δέμας. Sane totum hunc de morte Hippolyti locum ab Euripide accepit. *Delrius.*

1075. *Currus*] Euripides quadrigam fuisse tradit. quomodo ergo Philostrato credemus? qui, in Amphiarai imagine, negat Heroum tempore quadrigam in usu fuisse, præterquam soli Hectori. quomodo Dionysio? qui lib. 7. scribit Heroibus semper bigam vel trigam placuisse. Scio Homerum Achilli

tres

Constricta frenis, terga nunc torto frequens
Verbere coërcet. sequitur assiduus comes
Nunc æqua carpens spatia, nunc contra obvius
Oberrat, omni parte terrorem movens.
Non licuit ultra fugere. nam torvo obvius
Incurrit ore corniger ponti horridus.
Tum verò pavida sonipedes mente exciti
Imperia solvunt, seque luctantur jugo
Eripere, rectique in pedes jactant onus.
Præceps in ora fusus implicuit cadens
Laqueo tenaci corpus: & quanto magis
Pugnat, sequaces hoc magis nodos ligat.
Sensêre pecudes facinus, & curru levi,
Dominante nullo, qua timor jussit, ruunt.
Talis per auras non suum agnoscens onus,
Solique falso creditum indignans diem,
Phaëthonta currus devio excussit polo.
Latè cruentat arva, & illisum caput
Scopulis resultat. auferunt dumi comas:
Et ora durus pulchra populatur lapis:
Peritque multo vulnere infelix decor.

Mo-

tres equos tribuere Iliad. XVI. sed alium poëtam quattuor; qui vidit: *Hectorem curru quadrijugo raptarier.* Delr.

1077. *Sequitur*] Equos. *Farnabius.* *Assiduus*] Taurus maximis. *Idem.*

1082. *Sonipedes*] Hinc Ἱππόλυτος dictus, qui prius *Demoph.* sed à Diana, seu Æsculapio vitæ redditus, *Virbius.* Idem.

1085. *Præceps in ora gnatus,*] Sic magna pars codicum. Alii: *In lora præceps fusus.* At optimus: *Præceps in ora fusus.* Quod verum esse adseverare audeo. Nam *gnatus* interpositum fuerunt, qui metuebant, ne de alio verba intelligerentur. At quum de illo inter nuncium Theseaque constaret, id addere opus non fuit. Observavimus ejusmodi plura ad Livium. Cujus etiam planus, *effundi equo.* Lib. 10. *ab rapido cursu circumagendo equo effusus.* Lib. 22. *equus repente corruit, consulemque lapsum super caput effudit.* Lib. 27. *equus pilo trajectus, quum prolapsum per caput regem effudisset.* Virgilius lib. 7. *Et juvenem monstris pavidi effudere marinis.* Gronovius.

1086. *Laqueo*] Loris equorum. *Farn.*

1088. *Curru*] *Sed leve pondus erat nec quod cognoscere possent Solis equi, solitaque jugum gravitate carebat.* Idem.

1091. *Solique*] Phaëthonti Solis currum occupanti. *Idem.*

1092. *Devio*] Quo ipse Phaëthon devius erravit. *Idem.*

1093. *Cruentat*] Hippolytus. *Id.*

1095. *Populatur*] Lacerat, diripit. *Idem.*

Moribunda celeres membra provolvunt rotæ.
Tandemque raptum truncus ambusta sude
Medium per inguen stipite erecto tenet;
Paulumque domino currus affixo stetit.
Hæsere bijuges vulnere, & pariter moram
Dominumque rumpunt. inde semianimem secant
Virgulta. acutis asperi vepres rubis,
Omnisque truncus corporis partem tulit.
Errant per agros funebris, famuli, manus,
Per illa, qua distractus Hippolytus, loca
Longum cruenta tramitem signat nota:
Mœstæque domini membra vestigant canes.
Necdum dolentum sedulus potuit labor
Explere corpus. hoccine est formæ decus?
Qui modò paterni clarus imperii comes,
Et certus hæres, siderum fulsit modo;
Passim ad supremos ille colligitur rogos,
Et funeri confertur! *Thes.* O nimium potens,
Quanto parentes sanguinis vinclo tenes!
Natura! quam te colimus inviti quoque!
Occidere volui noxium: amissum fleo.
Nunc. Haud quisquam honeste flere, quod voluit, potest.
Th. Equidem malorum maximum hunc cumulum reor,
Si abominanda casus optata efficit.
Nunc. Et si odia servas, cur madent fletu genæ?
Thes. Quod interemi, non quod amisi, fleo.

CHO-

1098. *Truncus*] Corpus palo vel stipite hærens paulum morabatur equos; disrupto mox corpore cursum peragunt equi. *Farnabius.*

1099. *Ejecto tenet;*] Dubitavi aliquando an non scripserit, *erecto.* At Lugdunensis editio non omnino male *injecto* substituit. *Raphel.*

1105. *Famuli,*] Multitudo famulorum. *Farnabius.*

1113. *Passim*] Sparsim, undecunque collig. *Idem.*

1115. *Quanto*] Cedit ita naturæ legibus nec ipse Theseus à lacrymis se continet. *Farnabius.*

1118. *Haud quisquam*] Non satis honeste flere licet, quod ipse voluisti. *Idem.*

1120. *Si abominanda*] Si quod accidens fecerit pœnitere ejus rei quam quis prius optarit. *Idem.*

1122. *Quod interemi,*] Quod ego pater causa fuerim necis filio, non quod ille perierit. *Idem.*

CHORUS.

Sublimis fortunæ instabilitatem & pericula, humilis securitatem canit, Hippolyti mortem deflet.

Quanti casus humana rotant!
Minor in parvis Fortuna furit,
Leviusque ferit leviora Deus.
Servat placidos obscura quies.
Præbetque senes casa securos.
Admota ætheriis culmina sedibus
Euros excipiunt, excipiunt Notos,
In-

1123. *Rotant!*] Alludit ad Fortunæ, quæ vulgo fingitur, rotam. *Farnabius.*

1124. *Minus in parvis*] Florent. *Minor.* Cicero lib. 1. de finibus: *Optime vero Epicurus, quod exiguam dicit fortunam intervenire sapienti.* Lib. 5. Tuscul. *Quid melius quam fortunam exiguam intervenire sapienti?* Et, quod mirum est, sic omnes Gruteri Sed primum Fabricium immutasse video. *Gronovius.*

1127. *Præbetque somnos casa securos.*] Quod quasi aliud agens è Mog. protulit Deltius, & postea nemo mentione dignum judicavit: *Præbetque senes;* nobis in duobus Germanicis, Vossiano, & denique Florentino obvium fuit. Nempe in tugurio vel casa homines senescunt, quippe quorum vita nullis insidiis obnoxia est, ut eorum, qui in magnis domibus agunt. Alexander moriens agnoscere se ajebat fatum domus majorum suorum: nam plerosque Æacidarum intra trigesimum annum defunctos. *Idem.*

1128. *Culmina*] Altarum ædium fastigia. *Farnabius.*

1129. *Duros excipiunt Notos*] Lipsius suppleri versum è libro jusserat: *Euros excipiunt, excipiunt Notos.* Amicus ejus, ne id amico deberet, per se quoque: Recte Mogunt. auctior: *Eurus excipiunt, excip. Not.* Ergo Grute-rus unum alterumque Mss. sic habere ait, quod expulsa priore scriptura pro legitimo auctoris editores nuperi acceperint: accedere quidem illis Pal. unum: se tamen revocasse in lucem *duros* illos *notos*, quod iis patrocinarentur sui codices, & non videret valde magnum discrimen inter *Eurum* & *Boream*, cujus versu proximo mentio fiat. Tribus scriptis addo membranaceos duos, Vossianum & Florentinum; alterum nullo adversariorum pejorem, alterum omnibus etiam optimis meliorem. Ipsam verborum formulam non placuisse hanc, tæ illa homini eleganti mitor: sed ita fascinaverat illum numerus vilissimorum codicum. Nam argumentum, quo uti vult videri, merum sophisma est. Inter Boream & Eurum non videt magnum discrimen: nempe qui ambo venti orientales. Fero, quum octo numerantur venti: ut ab oriente verno Eurus, æstivo Aquilo vel Boreas, hiberno Vulturnus; ab occidente hiberno Caurus, verno Favonius, æstivo Africus; à meridie Auster, à septemtrionibus Aparctias. At alii, & in primis Poëtæ, quatuor detrahunt ventos Homero auctore, & norunt solos quatuor sic ab illo expressos: Σὺν δ' Εὖρός τ' ἔπεσε, Ζέφυρός τε, Νότος τε δυσαὴς, Καὶ Βορέης. Vides tantum discrimen inter Eurum & Borean, quantum inter Orientem & Septentrionem.

Insani Boreæ minas,
Imbriferumque Corum.
Humida vallis raros patitur
Fulminis ictus. tremuit telo
Jovis altisoni Caucasus ingens,
Phrygiumque nemus matris Cybeles.
Metuens cœlo Juppiter alto
Vicina petit. non capit umquam
Magnos motus humilis tecti
Plebeia domus.
Circa regna tonat.
Volat ambiguis
Mobilis alis hora. nec ulli
Præstat velox Fortuna fidem.
Qui clara videt sidera mundi,
Nitidumque diem nocte relicta,
Luget mœstos tristis reditus;
Ipsoque magis flebile Averno
Sedis patriæ videt hospitium.
Pallas Actææ veneranda genti,
Quod tuus cœlum superosque Theseus
Spectat, & fugit Stygias paludes,
Casta nil debes patruo rapaci:
Constat inferno numerus tyranno.

Quæ

nem. Gellius, qui hoc plumbeum telum Gutero præbuerat, idem retundit lib. 2. cap. 22. *Gronovius.*

1132. *Humida*] In vallibus enim colliguntur aquæ. *Farnabius.*

1133. *Tremuit*] Ipsa enim altitudo attonat summa: Caucasum, Acroceraunia, Idam, injectum Pelion Ossæ, Gigantes. *Idem.*

1140. *Circa regna tonat.*] Epist. 19. *Volo tibi hoc loco referre dictum Mæcenatis, vera in ipso eculeo eloquti: Ipsa enim altitudo attonat summa. Hoc voluit dicere, attonita habet summa.* Gron.

1144. *Qui clara*] Theseo ab inferis reverso luctuosus contigit reditus, & nescio an inferna sede flebilius patriæ hospitium. *Farnabius.*

1149. *Pallas*] Vide suprà vers. 108. & Hercul. Fur. vers. 912. *Idem.*

1150. *Tuus Theseus*] Athenarum rex, quæ sub tuo præsidio. *Idem.*

1152. *Casta*] O Pallas ven. &c. suprà vers. 1144. *Patruo tyranno*] Plutoni. *Idem.*

1153. *Constat inferno, &c.*] Loco Thesei inde reversi cessit illi Hippolytus. *Idem.*

1158. Cer-

Quæ vox ab altis flebilis tectis sonat?
Strictoque vecors Phædra quid ferro parat? 1155

ACTUS QUINTUS.

THESEUS. PHÆDRA.

Phædra Hippolyti innocentiam, suas calumnias revelat: ipsaque sua se manu occidit, pater non sine luctu filio justa persolvit, novercæ negat.

Thes. Quis te dolore percitam instigat furor?
Quid ensis iste? quidve vociferatio,
Planctusque supra corpus invisum volunt?
Phæd. Me, me, profundi sæve dominator freti,
Invade, & in me monstra cærulei maris 1160
Emitte; quidquid intimo Tethys sinu
Extrema gestat, quidquid Oceanus vagis
Complexus undis ultimo fluctu tegit.
O dire Theseu semper, ô numquam ad tuos
Tutò reverse! gnatus & genitor nece 1165
Reditus tuos luêre. pervertis domum,
Amore semper conjugum aut odio nocens.
Hippolyte, tales intuor vultus tuos?
Talesque feci? membra quis sævus Sinis,
Aut quis Procrustes sparsit? aut quis Cressius 1170

Dæ-

1158. *Corpus*] Artus passim collectos Hippolyti, quem modò oderas. *Vel* mihi invisi. *Farnabius.*

1160. *Monstra*] Quæ modo in Hippolytum misisti jamque justius in me. *Idem.*

1165. *Gnatus*] Filius nunc: pater Ægeus olim, qui ex editissima turre navis tuæ vela nigra prospiciens ac te periisse inde conjiciens, quia in mandatis dederat ut victor auri incolumis albis redires velis, se in mare dejecit. *Idem.*

1167. *Amore*] Mei, criminationi meæ nimis credule. *Idem.* *Odio nocens.*] Antiopes. sup. v. 225. *Idem.*

1168. *Tales*] Laceros, fœdatos *Idem.*

1169. *Feci?*] Falso insimulando te. *Idem.* *Sinis.*] Latro Corinthius, qui pinubus intortis alligatos homines discerpebat. vide quæ ad v. 226. Hercul. Fur. & inf. v. 1218. *Idem.* Jungi solent, Sinis & Procrustes & Minotaurus. Ovidius in Epist. Phyllidis: *Cum fuerit lectus Sciron, torvusque Procrustes Et Sinis, & tauri mistaque forma viri.* de his latronibus, vide Plutarch. in Theseo, & Notas in Claudianum. *Delrius.*

1170. *Procrustes*] Thyest. v. 1047. *Farnabius.* *Cressius*] Minotaurus. sup.

Dædalea vasto claustra mugitu replens,
Taurus biformis, ore cornigero ferox,
Divulsit? heu me! quo tuus fugit decor,
Oculique, nostrum sidus? exanimis jaces?
Ades parumper, verbaque exaudi mea.
Nil turpe loquimur. hac manu pœnas tibi
Solvam, & nefando pectori ferrum inferam,
Animaque Phædram pariter ac scelere exuam;
Et te per undas, perque Tartareos lacus,
Per Styga, per amnes igneos amens sequar.
Placemus umbras. capitis exuvias cape,
Laceræque frontis accipe abscissam comam.
Non licuit animos jungere. at certe licet
Junxisse fata. morere, si casta es, viro;
Si incesta, amori. conjugis thalamos petam
Tanto impiatos facinore? hoc deerat nefas,
Ut vindicato sancta fruereris toro?
O mors amoris una sedamen mali;
O mors pudoris maximum læsi decus:
Confugimus ad te. pande placatos sinus.
Audite Athenæ. tuque funestâ pater
Pejor novercâ. falsa memoravi; & nefas,
Quod ipsa demens pectore insano hauseram,

Men-

vers. 646 qui humana carne vescebatur. *Farnabius.*

1171. *Dædalea*] Labyrinthum à Dædalo factum. Ibid. *Idem.*

1174. *Nostrum*] Quos instar gemini sideris suspiciebam. *Idem.*

1176. *Nil turpe*] Vt nuper. *Idem.*

1178. *Phædram*] Al. *memet*. *Id.*

1180. *Amnes*] Phlegethonta, Thyest. vers. 73. *Idem.*

1181. *Capitis exuvias*] Crines, moris enim fuit in funeribus amicorum testari luctum, nec non funera honorare, defunctorumque faciem tegere coma abscissa & avulsa, in squallorem sc. spoliata natura superfluo hoc ornatu. *Id.*

1184. *Morere*,] Si non stuprata ficti criminis reum Hippolytum egisti, morere, ut viro satisfacias; si non casta sed incesta fuisti, morere, ut sequatis amatorem. *Idem.*

1187. *Vt vindicato*] Vt illæsa fruereris Thesco iniquæ tuæ criminationis vindice. *Idem.* Quomodo enim Phædra sancta? aliquid latere video, quod quid sit non video: nisi *sancta* per ἀντίφρασιν. *Delrius.*

1192. *Pejor novercâ.*] Nimis facilis & credule querelæ novercali. *Farnabius.*

1193. *Quod ipsa*] Quod ipsa conceperam. *Idem.*

1194 *Fal-*

Mentita finxi. vana punisti pater;
Juvenisque castus crimine incestæ jacet,
Pudicus, insons. recipe jam mores tuos,
Mucrone pectus impium justo patet,
Cruorque sancto solvit inferias viro.
Quid facere rapto debeas nato parens,
Disce ex noverca: condere Acherontis plagis.

THE-

1194. *Falsa punisti pater;*] Florent. ut Delriani: *vana punisti.* Sufficit paullo ante dictum: *falsa memoravi.* Gronovius.

1195. *Incestæ*] Mei incestæ. *Farn.*

1196. *Pudicus, insons.*] Potest fieri, ut pluribus titulis innocentiam Hippolyti testationem reddi per Phædram poëta voluerit. Nec mutant quidquam codices. Potuisset alioqui: *castus crimine incestæ jacet, Sontis pudicus.* Et forte ita scripsit. *Gronovius. Recipe*] Recipe ô Hippolyte justam castitatis tuæ famam. *Farnabius.*

1197. *Mucrone pectus*] Lipsius notat posse videri illi simile: *Esuriente leone ex ore exsculpere prædam*, & quæ talia: sed se vereri ut (ne, volebat dicere) verius sit, *justo pete.* Amicus ejus apperit, quod ille omittit, *mucrone* pro *mucroni*, more veterum, Latinum casum, ut loquitur, pro dandi casu ponentium. Grutero quoque τὸ *justo patet* præponderat illi *justo pete*: indicare enim Phædram, præbere se pectus, nec refugere ferrum: qui propius attenderit, facile ipsi adsensurum: utique si fingat totum versum circumamictum parenthesi. Ecce & ultimus omnium ad vers. 1195. *Mori disce ex me*: quo dicto gladio incumbit. Immo ô boni, cum versu 1192. expedit telum; cum ultimo verbo ejus versus jam se percusserat. Apage illum parentheseos amictum: non præbet tantum pectus, aut non refugit ferrum, sed ipsa pectori ferrum immergit. Itaque ait, *pectus patet mucrone*, nempe scissum & reclusum. Nec excusandum quidquam in τῷ *mucrone*, quod suæ naturæ est, & instrumenti casui ponitur. Quoque res sit præsentior, Flor. *solvit.* Vir magnus conjecerat: *Mucrone pectus impium justo patens, Cruore, sancto solvat inferias viro.* Gronov. Ita nostræ membranæ. & præponderat illi, *justo pete*, quod substituerunt alii. Quid enim horretur Theseum ad cædes, cum asseveret consuetudine homicidam? Imo indicat Phædra, præbere se pectus, nec refugere ferrum. Qui propius attenderit, mecum facile sentiet: utique si fingat totum versum circumcinctum parenthesi. *Gruterus. Justo patet,*] Probe, *patet.* i. apertum est. sic in Oedipo, vers. 1036. —*utrumne pectori infigam meo Telum? an patenti conditum jugulo imprimam?* Commelinus.

1198. *Inferias*] Vid. Theb. v. 172. *Farnabius.*

1199. *Quid facere*] Mori disce ex me, *quo dicto, gladio incumbit.* Idem.

1200. *Disce ex noverca:*] Florent. *à noverca.* Non tantum dixit Virgilius: *Virtutem ex me disce puer:* sed etiam: *crimine ab uno Disce omnes.* Gronov.

1201. *Aver-*

THESEUS. CHORUS.

Phæd. Pallidi fauces Averni, vosque Tænarei specus,
Unda miseris grata Lethes, vosque torpentes lacus,
Impium rapite, atque mersum premite perpetuis malis.
Nunc adeste sæva ponti monstra, nunc vastum more,
Ultimo quodcunq; Proteus æquorũ abscõdit sinu,
Meque ovantem scelere tanto rapite in altos gurgites.
Tuque semper, genitor, iræ facilis assensor meæ,
Morte facili dignus haud sum, qui novâ natum nece

Se-

1201. *Averni,*] Pallidum ab effectu vocat. Nam lacus est Campaniæ propter tetrum odorem creditum limen inferorum. dictum tradit Lucret. lib. 6. quia sit contrarius volucribus. quod & Isacius in Lycophron. probat; nam Græcis ἄορνος. præter cycnos nullæ in eo audent lavari, quod omnes emoriantur, vel tantum supervolantes: tantâ est graveolentiâ, auctore Aristotele de admirand. audition. num. 89. Virgilio, Strabone lib. 6. & aliis. Plinius similem esse scribit in Epiro: sed noster hic nobilior, Bajis contiguus intra Lucrinum sinum. quondam Styga vocatum recte colligitur ex Silio l. 12. *Ille, olim populis dictum Styga, nomine verso, Stagna inter celebrem nunc mitia monstrat Avernum.* plura pete ab Eustathio, in Odyss. κ'. locum illum ἔνθαμεν εἰς Ἀχέρωντα. *Delrius.* *Tænarei specus,*] Hercul. Fur. vers. 586. *Farnabius.* Apollonii Schol. lib. 1. ex Pherecyde ἐν τῇ θ'. scribit Elatum Icari filium duxisse Erimedam Damasilei filiam, & ex eâ genuisse Tænarum, à quo dicatur Tænarus, urbs, promontorium & palus: sed postea addit Ταίναρον promontorium Laconiæ à Tænaro Neptuni filio nuncupatum. Valer. Argon. lib. 1. Tænarum vocat *semper patentem*, scilicet umbris descendentibus situm, ceteraque eo spectantia fusius reliquis describit Papinius lib. 2. Thebaid. Et describitur etiam eleganter à Senecâ in Herc. Fur. à vers. 661. *Delrius.*

1202. *Miseris grata*] Quæ ærumnarum oblivionis artem docet. Herc. Fur. vers. 679. *Farnabius.* *Lethes,*] Lethe fluvius inferorum, cujus potus umbris præteritarum rerum oblivionem inducere putabatur. ideo miseris grata. Est & Lethes seu Lethe fluvius Hispaniæ Straboni ac aliis, à quibus etiam Limius & Limæa videtur dici: Sallustius, & Mela, & Plinius, *fluvium Oblivionis* vocant. Epitoma Livii, *Oblivionem.* de eo Silius lib. 1. — *lucentes volvit arenas Infernæ populis referens oblivia Lethes.* Delrius. *Torpentes*] Cocytus. Herc. Fur. v. 685. & Styx. Ibid. vers. 712. *Farnabius.*

1204. *Nunc adeste*] Iustius in me quam nuper in Hippolytum. *Idem.*

1205. *Proteus*] Oceani & Tethyos filius, phocarum pastor & custos. *Id.*

1205. *Ovantem*] Modo lætantem. *Idem.*

1207. *Iræ facilis*] Exaudiendo vota. *Idem.*

1208. *Morte dignum facinus ausus,*] Nimis hoc leve: pluris sibi litem Theseus æstimat. Scribe igitur cum Etrusco: *Morte facili dignus haud sum.* Quid volunt autem sibi, qui *Segregem sparsi per agros*, interpretantur, separatum, solum? Quasi non sit discerptum

& di-

Segregem sparsi per agros: quique dum falsum nefas
Exsequor vindex severus, incidi in verum scelus.
Sidera & Manes, & undas scelere complevi meo.
Amplius fors nulla restat; regna me norunt tria.
In hoc redimus? patuit ad cœlum via,
Bina ut viderem funera, & geminam necem?
Cœlebs & orbus, funebres una face
Ut concremarem prolis ac thalami rogos?
Donator atræ lucis, Alcide, tuum
Diti remitte munus, ereptos mihi
Restitue Manes. impius frustra invocó
Mortem relictam. crudus, & leti artifex,
Exitia machinatus insolita, effera,
Nunc tibimet ipse justa supplicia irroga.
Pinus coacto vertice attingens humum
Cœlo

& dilaniatum. *Gronovius. Nova natum*] Nam filius absens patris votis, in solo sali monstro, auriga propriis equis periit. *Farnabius.*

1209. *Segregem*] Separatum, solum. *Idem.* Hac voce Seneca Philosophus utitur, item Asconius, Prudentius, Sidonius, alii. *Delrius.*

1210. *Scelestus incidi in verum nefas.*] Indignatur Gruterus esse, qui pro egregio habeant, quod in suis codd. invenere, *verum scelus.* vocem enim illam hic ferri non debere, nisi auferamus omnem item loci hujus elegantiam. Flor. tamen: *quique dum falsum nefas Exsequor vindex severus, incidi in verum scelus.* Gronov. *Nefas.*] Omnes vet. libri, præter Moguntinum, *Scelus.*

1211. *Sidera & Manes, & undas*] Propter temeritatem meam pater dejecit se in mare. suprà vers. 1160. ad inferos descendi comes Pirithoi adulteri, jamque terram pollui nefaria filii innocentis cæde. *Farnabius.*

1213. *In hoc redimus? patuit ad cœlum*] Deltio placet Venet. & Herpib. lectio, *in cœlum.* si tamen initio versus *Ad* pro *In* scribatur: *Ad hoc redimus? patuit in cœlum via.* Non nobis. De ita lib. 2. 26. *Alius non in hoc, ut te offenderet, fecit.* Ad Marciam cap. 16. *quos in hoc mihi videtur interim violare fortuna, ut sic quoque humano generi prosint.* Gronovius.

1214. *Bina*] Filii & uxoris? *Farn.*

1215. *Cœlebs*] Filio & conjuge privatus. *Idem.*

1217. *Donator*] Hercul. Fur. 805. suprà vers. 840. *Idem. Atræ*] Funestæ & miseræ. *Idem. Alcide,*] Dederat Herculi petenti Theseum reducendum Pluto, ut narrat Theseus Hercul. Fur. act. 3. de quo intelligendum quod Aristides scripsit, Orat. in Minervam, Minervæ auxilio quendam ab Hercule ex inferis reductum. *Delrius. Tuum*] Tristior enim mihi superest vita quam mors & inferi. *Farnabius.*

1220. *Crudus,*] *Hæc ad se.* Idem.

1221. *Exitia*] Quæ filio injuste machinatus es. *Vel*, quæ tyrannis latronibusque inflixisti ut in sequentibus. & vide quæ ad vers. 226. Herc Fur. *Idem.*

1223. *Pinus*] Suprà vers. 1164. *Id.*

1225. *Mis-*

Cœlo remissum findat in geminas trabes,
Mittarve præceps saxa per Scironia.
Graviora vidi, quæ pati clusos jubet
Phlegethon, nocentes igneo cingens vado.
Quæ pœna maneat memet & sedes, scio.
Umbræ nocentes cedite; & cervicibus
His his repositum degravet fessas manus
Saxum, seni perennis Æolio labor.
Me ludat amnis ora vicina alluens.
Vultur relicto transvolet Tityo ferus,
Meumque pœnæ semper accrescat jecur.
Et tu mei requiesce Pirithoi pater.
Hæc incitatis membra turbinibus ferat
Nusquam resistens orbe revoluto rota.
Dehisce tellus; recipe me dirum chaos,
Recipe: hæc ad umbras justior nobis via est.
Gnatum sequor: ne metue, qui Manes regis;
Casti venimus. recipe me æterna domo

Non

1225. *Mittarque præceps*] Florent. *Mittarve.* Est enim aliud genus pœnæ, quam quod præcedens designat versus. *Gronovius. Scironia.*] Sup. v. 1020. *Farnabius.*

1226. *Graviora*] Et tamen his graviora apud inferos vidi supplicia quæ metui, & quæ me manent. *Idem.*

1227. *Phlegethon,*] Thyest. vers. 73. *Idem.*

1231. *Senis perennis Æolii labor:*] Melius Flor. *seni perennis Æolio labor.* præsertim quum aures radat repetitus sonus. *Gronovius. Senis*] Sisyphi fil. Æoli. hic apud inferos hac pœna damnatus, ut saxum ingens ad summi montis verticem volvat, quod repente dilabitur. *Aut petis aut urges rediturum Sisyphe saxum.* Farnabius.

1232. *Amnis*] Eridanus, infernalis fluvius, in quo Tantalus. Hercul. Fur. vers. 751. *Idem.*

1233. *Tityo ferus,*] Qui, cum Latonæ stuprum inferre conaretur, Apollinis telis confixus ad inferos demissus est, ubi humi per novem jugera exporrectus, jecur immortale, utpote cum Luna ad pœnas renascens, vulturi depascendum præbet. *Idem.*

1235. *Mei*] *Emphasin habet*, mihi chari Pirithoi pater, id est, Ixion. *Idem.*

1236. *Hæc incitatis*] Vt Ixionis. vid. Herc. Fur. v. 749. *Idem.*

1237. *Nunquam resistens*] Florent. *Nusquam resistens.* Gronovius.

1238. *Chaos,*] Herc. Fur. vers. 609. & Thyest. vers. 820. *Farnabius.*

1239. *Hæc ad umbras justior nobis via est.*] Quam quæ Hippolyto, inquiunt. Immo, quam cum eo profectus sum miles audacis proci. *Gronovius.* Quam quæ Hippolyto. *Farnabius.*

1241. *Casti venimus.*] Non ut olim rapturi Proserpinam cum Pirithoo. *Idem.*

1242. *Non*

Non exiturum. non movent Divos preces:
At si rogarem scelera, quam proni forent!
Chor. Theseu, querelis tempus æternum manet.
Nunc justa gnato solve, & absconde ocius
Dispersa fœde membra laniatu effero.
Thes. Huc, huc reliquias vehite cari corporis,
Ponduſque, & artus temere congestos date.
Hippolytus hic est? crimen agnosco meum.
Ego te peremi. neu nocens tantum semel
Solusve fierem, facinus ausurus parens;
Patrem advocavi. munere en patrio fruor.
O triste fractis orbitas annis malum!
Complectere artus, quodque de gnato est super,
Miserande mœsto pectore incumbens fove.
Disjecta genitor membra laceri corporis
In ordinem dispone, & errantes loco
Restitue partes. fortis heic dextræ locus;
Heic læva frenis docta moderandis manus
Ponenda. lævi lateris agnosco notas.
Quam magna lachrimis pars adhuc nostris abest?
Durate trepidæ lugubri officio manus,
Fletusque largos sistite arentes genæ,

Dum

1242. *Non exiturum.*] Vt nuper cum Hercule. *Idem.*

1243. *Scelera,*] Quod feci in tertio voto contra filium. sup. 910. quam faciles exauditent? *Idem.*

1245. *Iusta*] Exequias debitas. *Id.*

1248. *Ponduſque,*] Neque enim formam habent. *Idem.*

1249. *Facinus agnosco meum.*] Flor. *crimen agnosco meum.* Perinde esse ostendit Martialis lib. 2. epig. 94. *O magnum facinus crimenque deorum.* Sed posterius hic haud dubie gratius, quia proxime sequitur alterum. *Gronovius.* Meum crimen.

1252. *Patrem*] Neptunum à quo compressa Æthra, cum ex Ægeo non conciperet, Theseum peperit. Plutarch. in Theseo. *Farnabius.*

1253. *Fractis*] Ætate & ærumnis. *Idem.*

1254 *Est super*] Supereſt, restat. *Anastrophe.* Idem.

1258. *Fortis heic dextræ locus; Heic læva frenis*] Sane rariores sic, sed & emendatiores, ut Etruscus & Vossianorum optimus, quo solo utimur. Itaque Pall. ad unum omnes cum suo, *fortis hic humeri locus, Hic dextra,* nihil nos exorant. *Gronovius.*

1261. *Quam magna*] Multi enim artus, multæ corporis particulæ absunt, quæ si posthac inventæ fuerint, cum lacrymis mihi componendæ sunt, sic infrà v. 1269. *sæpe efferendus.* Farnabius.

1265. *Fin-*

Dum membra gnato genitor annumerat suo,
Corpusque fingit. hoc quid est forma carens,
Et turpe multo vulnere abruptum undique?
Quæ pars tui sit dubito, sed pars est tui.
Heic heic repone; non suo, at vacuo loco.
Hæcne illa facies igne sidereo nitens,
Inimica flectens lumina? huc cecidit decor?
O dira fata! numinum ô sævus favor!
Sic ad parentem gnatus ex voto redit?
En hæc suprema dona genitoris cape,
Sæpe efferendus. interim hæc ignes ferant.
Patefacite acerba cæde funestam domum,
Mopso-

1265. *Fingit.*] Componit. Et hoc vere est mortuum componere. *Farn.* *Hoc quidem est forma carens,*] Florent. *hoc quid est forma carens*, per interrogationem. Dein dubitat Delrius, num melius antiqui codd. *abruptum* habeant. Gruterus, qui codices istos vix exstare credidit, quum omnes suos conjurasse in illud *ambesum* videret, respondet: mea opinione pejus. Verbum sane videtur hoc elegantius: tamen *abruptum* & Vossianus princeps codicum. Possis & argutari, *ambesum* proprie, quod sensim & paullatim circumrosum est: ut apud Virgilium *ambesæ mensæ*, & *ambesa flammis robora:* non quod uno & violento impetu ablatum abstractumque est, ut hoc, quicquid est, fingitur, artuum. *Gron.* *Hoc quidem*] Membrum. *Farnabius.*

1268. *Non suo*,] Deest enim pars, quæ proprium locum suppleat. *Idem.*

1269. *Hæc illa facies, &c.*] Facies sideribus similis, tribuitur Heroibus, ut hoc loco Hippolyto, apud Apollonium Polluci, de quo dicitur ἀφαίνειν ἐπιλαυγῆ ἀστέρι. *Fabritius.*

1270. *Inimica*] Etiam novercæ. *Farnabius.*

1271. *Numinum! O sævus furor!*] Longe melius Flor. *O dira fata! numinum ô sævus favor!* Intelligit sua vota diis exaudita malignis, ut loquitur Iuvenalis. *Gronovius.* *Furor!*] Novercæ amor, ira mea. *Farnabius.*

1272. *Sic ad parentem*] Tam fœde lacer, tam crudeliter laniatus? *Idem.*

1273. *En hæc suprema vota*] Lipsianus & Mogunt. *dona.* Obstrepunt rursus Pall. in quorum gratiam Gutero non libuit tantum majestatis tribuere testi unico. nam, ut dixi, Moguntinum illum exstare vix credidit. At sic Flor. quoque & Vossianus. Et mortuo non conferebantur *vota* (nemo enim tam male ominata concipiet, utique pater filio) sed *dona.* Explicant: Hæc funeri tuo soluta exsequiarum justa: seu potius, En quali dono complevit mihi votum supremum Neptunus, ut sæpe sit efferendus mihi filius. Immo cum his verbis Theseus aliquid ornatus sui imponit dilacerato cadaveri, ut solebant cara & pretiosa munera conjicere in rogos amicorum. Statius l. 6. Theb. de Lycurgo in funere Archemori: *cuncta ignibus atris Damnat atrox, suaque ipse parens gestamina ferri, Si damnis rabidum queat exsaturare dolorem.* Suetonius Iulio cap. 84. *Gronovius.*

1274. *Hæc ignes*] Hæc crementur, comburantur, *pro more sepeliendi apud veteres.* Thyest. 745. *Farnabius.*

1276. *Mopso-*

Mopsopia claris tota lamentis sonet.
Vos apparate regii flammam rogi:
At vos per agros corporis partes vagas
Anquirite. istam terra defossam premat,
Gravisque tellus impio capiti incubet. 1280

1276. *Mopsopia*] Athen. suprà versu 120. *Idem.*

1279. *Anquirite.*] Vulgò *acquirite.* Suspicor expulsum à sciolis vocabulum vetus, probum, laudatum, *anquirite;* quod significat diligenter, & omnibus excussis quærere. est quidem ut plurimum judiciale verbum Livio, & ceteris historicis, oratoribus, legislatoribus, sed tamen ad alia etiam utuntur Lucretius, Sallustius, Cicero. Vide Gifanii Collectanea Lucretiana. *Delrius.*

Istam] Phædram. *Farnabius. Terra defossam premat,*] Meminit olim hujus moris Britannicis in Iuven. Sat. 10. Et fortassis propterea non lapidibus, lignis, aut cespitibus, quos repererant insepultos, contegebant, sed Græci quidem ter pulverem injiciebant, teste Eustathio; Romani verò, Varrone auctore, levem terræ glebam. Vide Muretum l. 10. var. lect. c. 19. Lambinum ad Horatii l. 2. Od. 28. Lud. Guicciardinum lib. 1. & 2. de Funerib. *Delrius.*

1280. *Gravisque*] Cui male volebant, terram gravem & tumulum onerosum precabantur veteres, quò anima, quam sepulchro una cum corpore condi credebant, depressa ad beatorum sedes tarde aut ægre devolaret, atque ægre ultro citroque ad sepulchra commearet in solemnibus funeris. ut contra, cui bene volebant *tenuem & sine pondere terram precabantur, levem cespitem aut cippum, ut molliter ossa cubarent.* Farnabius.

L. ANNÆI SENECÆ

*OEDIPUS.

DRAMATIS PERSONÆ.

OEDIPUS. JOCASTA. CREON. CHORUS THEBANORUM. TIRESIAS. MANTO. SENEX. PHORBAS. NUNCIUS.

ARGUMENTUM.

Grassante Thebis dira pestilitate mittitur Delphos Creon consulturus Apollinem. refert expiandam Laii necem interfectoris exilio. qui cum ignoraretur, Tiresias fustra extispicia aggressus, per Necromantiam Laii umbra evocata intelligit ipsum esse regem Oedipum. Negat primum ille, sed postea disquirens, invenit se filium

* *Oedipus.*] Invenio Oedipum tragœdiam composuisse apud Græcos Æschylum, Sophoclem, Euripidem, Lycophronem, Philoclem Atheniensem, Xenoclem (qui ea fabula, teste Æliano, vicit Euripidem) & Diogenem Cynicum: Suidas verò illam Diogeni Oenomao ascribit. Asconius tradit Iulium Cæsarem Latinam quandam tragœdiam Oedipi nomine inscripsisse. Athenæus lib. 6. Eubulum ἐν Οἰδίποδι citat, quæ comœdia fuit. Porrò hac fabula multa noster ex Sophoclis Oedipo tyranno accepit, nonnulla etiam fortassis ex Silanionis Iocasta. etenim in ea tragœdia Iocastæ mors, quemadmodum & in hac, repræsentabatur, teste Plutarcho. *Delr.* Tragœdia præclara. minor quam inventoris tamen. Notent studiosi, solam hanc inter Romanas περιπετειγράφου extare. Qualem constitutionem absolutam Aristoteles censet. Quippe & subitam in contrarium mutationem, quam *peripetiam* vocant, & agnitionem habet. Manifesta peripetia est, ubi senex Polybum decessisse nunciat, & Oedipodem ad Corinthiorum regnum invitat. Isto enim fine cum venisset, & jam in tranquillo constitutus videretur Oedipus, præter expectationem, contrarium efficitur. Quippe parentem suum non fuisse Polybum, docetur. Vnde totius rei sequitur mutatio, & tota fit palam. Hinc agnitio, pars altera, dependet. Ita Iocastam agnoscit. Noster Episodia quæ addidit, cum tam accurate ignem & viscera describit, ut è sacris hausisse ea libris videatur, tum prolixa illa νεκυίας ex Homero delineatio, ita pulchra sunt, ut quamvis habeant vernile & ambitiosum aliquid, potius in hoc laudanda tamen, quam in isto requirenda videantur. Iocasta apud Græcum simul factum suum agnoscit, & conspectum hominum nunquam reditura fugit. Nam quis matrem introducere post ista audeat? Hic & postea occurrit filio, & solari eum audet. Tantum ut acumina aliquot faciat compendii. Chorus primus qui de peste est, idem fere est utrobique. Etiam pulchetrimus noster. In isto tamen multa, ad quæ sanus ne aspiret quidem. *Heinsius.*

Vers. 1.

filium esse Laii, quem interfecerat, & Iocastæ, quam uxorem duxerat. Effossis itaque præ pudore atque ira oculis in exilium abit. & Iocasta se gladio confodit.

ACTUS PRIMUS.

Oedipus. Jocasta.

Oedipus de pestilentiæ sævitia conqueritur.

Iam nocte Titan dubius expulsa redit,
Et nube mœstum squallida exoritur jubar,
Lumenque flamma triste luctifica gerens
Prospiciet avida peste solatas domos,

Stra-

Vers. 1. *Pulsa dubius effulsit dies,*] Quidni purius sit germaniusque: *Iam nocte Titan dubius expulsa redit?* quum sic quoque ἀμύμων ille Etruscus. Sed, inquit vir egregius, ambigo, an possit dici *dubius Titan*, pro eo, qui non videtur. Faciat: at non ambigimus nos *dubium* hac mente dici omne, quod incertam, dubiam & vix noscendam sui speciem faciemque præbet. Sic *dubii montes*, qui jam vix oculis apparent, Lucano lib. 3. *& dubios cernit vanescere montes.* Hercule Furente: *Tenuis relicta lucis à tergo nitor, Fulgorque dubius solis afflicti cadit.* Sed, ait, aliud *lux*, aliud *Titan.* Scimus: sed non propterea si quid potest dici de luce, id omne disconvenit soli. *Sol dubius* est nubibus prætentus itaque interpolatus, ut dubium relinquat intuentibus, an hic sol sit. Virgilius 3. Æneid. *incertos cæca caligine soles.* Ovidius 2. metam. *ut glacies incerto saucia sole.* Iuvenalis Sat. 5. *Sideribus dubiis, aut illo tempore, quo se Frigida circumagunt pigri sarraca Bootæ.* Ovidius de pestilentia Æginam vastante: *Principio cœlum spissa caligine terras Texit, & ignavos inclusit nubibus æstus.* Pergit: Mox, fateor, non parum inamœne repetitur vox *dies*; verum eodem sensu repetitur *nox*, quæ & hic una comparet. Diversa ratio est: nam utrum bella sit vocis repetitio, an insuavis, ex sensu est judicandum. Si verum patimur, scribendum & secundo versu, *mœstus*: ut æque Titan dicatur *mœstus jubar*, quam *dubius*, quam *triste lumen gerens.* Sic in Hippolyto: *turbidam frontem gerens Et mœsta vultus.* Ille Titan, inquit, peracta nocte sic effulgens, ita exortus & comparatus, jam prospiciet (nam ita quoque Flor. & Voss.) orbatas lue pestifera domos: & dies palam faciet stragem, quam proxima nocte passi sumus. Frustra quoque tendunt novem isti pro suo *jam cernet.* Gronovius.

3. *Triste luctifera gerens*] Non tantum Delrianus N. (hoc est, si licet dicere, meritus, ut nomen ejus vivat, G. Fabricius) edidit, *luctifica*: sed & sic optimi codicum, sic agnoscit scriptum Bernardinus Marmites in Notis. Hercule Furente Megæra dicitur *luctifica manu*, Hippolyto *vox luctifica.* Et amant sic terminata hæ tragœdiæ. Sic rursus in Hercule Furente: *superbifica manu, & monstri colla terrifici.* In Phœnissis Oedipus *incestificus, exsecrabilis.* In Hippolyto Phædræ mentem jubet esse *castificam.* In Medea *sacrificæ preces & nidificum ver.* Infrà hac fabula, *tabifica cœli vitia & luctificus auster.* Id.

4. *Solatas*] Viduatas, destitutas incolis. *Farn.* Vide Gronovii 4. Obs. 21.

Stragemque, quam nox fecit, ostendet dies.
Quisquamne regno gaudet? ô fallax bonum,
Quantum malorum fronte quam blanda tegis!
Ut alta ventos semper excipiunt juga;
Rupemque saxis vasta dirimentem freta,
Quamvis quieti, verberant fluctus maris:
Imperia sic excelsa Fortunæ objacent.
Quam bene parentis sceptra Polybi fugeram,
Curis solutus, exul, intrepidus, vagans!
Cœlum deosque testor, in regnum incidi.
Infanda timeo; ne mea genitor manu
Perimatur. hoc me Delphicæ laurus monent,
Aliudque nobis majus indicunt scelus.

Est

5. *Stragemque*,] Cadaverum eorum qui perierunt hac nocte. *Farnab.*

8. *Ut alta*] *Perflant altissima venti.* vid. vers. 1125. Hippolyt. *Idem.*

12. *Parentis*] Sic enim putabat. Oraculo itaque accepto, fore ut patris à se necati thalamos conscendens fœdaret, Corintho in exilium profugit, cætera vid. v. 243. Thebaid. *Idem.*

14. *In regnum*] Præter spem & votum in regnum hoc Thebanum deveni. *Idem.*

16. *Delphicæ laurus*] Oraculum Apollinis Delphici, Laurus autem Apollini sacra: *Clarii laurus.* μαντικὴν φυλὸν *venturi præscia Laurus*, in igne crepitans faustum portendere, tacita, inauspicatum credebatur: nec non folia pulvillo subjecta credebantur vera conciliare somnia, ut & manducata εὐθασιάζειν, unde vaticinantes dicti sunt δαφνηφάγοι qua & coronati præcinebant vates, & circa templum Delphicum Lauri copiosè crescebant. infrà vers. 228. *Idem.* Duo fuere oracula Delphica, sine quibus hæc fabula nequit intelligi. prius Laio de liberis sciscitanti, redditum in hanc sententiam; *Poscere Laium liberos eique filium nasciturum, à quo ipsum necari fata sanxissent. Id enim illi Pelopem imprecatum, ob occisum à Laio filium.* posterius accepit Oedipus; hujusmodi: *Procul à templo Dii invisa proles abscede; qui necati à te patris thalamum conscendes, & tibi ex matre fratres procreabis.* priore territus Laius natum Oedipum, pedibus ferro ignito foratis, feris objici mandavit: posteriorris metu Oedipus Corintho in exilium profugit, & nolens, oraculo fidem fecit. *Delrius.*

17. *Indicant majus scelus.*] Vix unus sibi Comelinus putavit notandum Mss. magnam partem & vetustam editionem habere: *majus indicant scelus.* Quia enim Seneca in ea regione jambum fugit, rectè transpositum putarunt. At nunc discas licet non temere fuisse: nam optimus ille, *majus indicunt scelus.* Verbo quo amat elegantet uti Seneca. De ira 3, 3. *cum aliquis sit de illustribus philosophis, qui iræ indicat operas.* De benef. 2, 17. *Indixisti pecuniæ odium.* Epist. 51. *Indicendum est ulli loco odium?* Epist. 55. *Debilitatem nobis indixere deliciæ.* Est propriè denuntiare aliquid faciendum vel præstandum. Quintilianus Instit. Or. 7, 4. *Quod item accidit, si orbæ nuptias indicant pares gradu, & si inter propinquos de idoneo quæratur.* Sed prorsus, ut hîc,

Lucanus

Est majus aliquod patre mactato nefas?
Prò, misera pietas! eloqui fatum pudet.
Thalamos parentis Phœbus & diros toros
Gnato minatur, impia incestos face.
Hic me paternis expulit regnis timor.
Non ego penates profugus excessi meos.
Parum ipse fidens mihimet in tuto tua,
Natura, posui jura. cum magna horreas,
Quæ posse fieri non putes, metuas tamen.
Cuncta expaveſco, meque non credo mihi.
Jamjam aliquid in nos Fata moliri parant.
Nam quid rear, quod ista Cadmeæ lues
Infesta genti, strage tam late edita
Mihi parcit uni? cui reservamur malo?
Inter ruinas urbis, & semper novis
Deflenda lachrimis funera, ac populi struem,
Incolumis adsto. scilicet Phœbi reus

Spe-

Lucanus lib. 2. *manifestaque belli Signa dedit mundus*, &c. *Indixitque nefas.* Gronovius.

18. *Est majus aliud*] Flor. *aliquod.* Cæterum neque laudo qui ex cantico hic diverbium faciunt & Iocastam Oedipo interfantem ponunt, neque detraxerim notam interrogatoriam, quasi hoc sit magis stupentis & horrentis quam quærentis, ut loquuntur. Etenim ipsum, quod quærit, est stupentis & horrentis, mirantisque sua ipsius dicta, quæ sciebat quemvis sic audientem in primo miraturum, eoque obloquentis sibi, quod quivis alius ignarus rei dicturus erat vel cogitaturus. Censeo autem magnam partem hujus principii Senecam à persona Oedipi sola pronuntiari voluisse, antequam Iocasta in proscenio compareret. *Idem.*

20. *Thalamos*] Modo vers. 12. *Farnabius.*

21. *Face.*] Vid. Thebaid. 263. & 507. *Idem.*

23. *Non ego*] Non mutabam solum propter scelus aliquod admissum aut pusillanimitatem; sed ne quando (ut prædictum erat) naturæ jura violarem per parricidium aut incestum. *Idem.*

28. *Iamjam*] Etiam in hac peste videntur fata magnum aliquod malum mihi machinari, cum mihi uni parcatur. *Idem.*

29. *Cadmeæ*] Thebanæ à Cadmo conditore. *Idem.*

32. *Semper*] Propter continua funera. *Idem.*

34. *Incolumis adsto. scilicet*] Sic non è Melissio illo optimo, sed ex Orleliano Lipsii (notatum ad marginem editionis Andwerpianæ, quod postea omiserunt) introductum est, quicum faciunt duo Pall. cæteri, *Incolumis ergo scilicet*, ut edebatur. aut, *Incolumis ovo scilicet.* Mogumtinus: *Incolumis ego tu scilicet.* Hæc omnia provenerunt ab hominibus temere atque indocte supplentibus, quod deerat. Delrius

Sperare poteras sceleribus tantis dari
Regnum salubre? fecimus cœlum nocens.
Non aura gelido lenis afflatu fovet
Anhela flammis corda: non Zephyri leves
Spirant: sed ignes auget æstiferi Canis
Titan,

conjicit: *Incolumis ergo tu licet.* Gruterus *Incolumis erro.* Melior natio & vetustatis reverentior relegant *tò scilicet*, versumque habent curtum: *Incolumis ergo tu Phœbi reus.* Defectus in libris etiam antiquissimis sinceriss imisque frequens. Nimirum secundam vocem hauserunt ultimæ literæ vocis primæ, & scribendum: *Populi struem Incolumis unus?* Dictum admirando & interrogando per ellipsin verbi substantivi. Dein: *ergo tu Phœbi reus Sperare poteras.* Gronovius. *Ergo tu*] Quasi vero Phœbi oraculo in tanta scelera damnatus salubre regnum sperare audeam: imo scelere meo corruptus est aër. *Farnabius.*

36. *Fecimus*] Scelere infrà v. 631. & Octav. vers. 231. *Idem. Cœlum nocens.*] Aër autem corrumpitur à terrenis & inferioribus expirationibus Endemiis. *Idem.* Sequitur pestis descriptio, quales habentur apud Sophoclem in Oedipo tyranno, Thucydidem lib. 2. Lucretium lib. 6. Virg. 3. Georg. Manilium lib. 1. Ovidium 7. Metam. Lucanum lib. 6. Silium lib. 14. Capitolinum in M. Antonino Philosopho, Herodianum lib. 1. Ammian. Marcellinum libro 19. denique Homerum Iliad. α.

37. *Non aura*] Pestis orta à maligna qualitate ex certa siderum configuratione, vel à vehementi temporum tempestatumque mutatione, unde qualitatum exuperantiæ & inæqualitates Epidemiæ, quæ omnia cum hic concurrant, gravis est pestilentia. *Farnab.*

38. *Anhela*] Aura non refrigerat corda æstuantia, sed & pestifera aura pariter cum spiritu in pulmones hausta in cor penetrat, quod affectioni præparatum propter plethoram, cacochymiam, vel obstructionem labefactat arteriarum spiritum. *Idem.*

39. *Sed ignes auget æstiferi Canis Titan,*] Liber primarius: *igne friget.* Subest aliquid, sive id sit, *igne fervet*, sive *igne sævit.* Gronov. *Ignes*] Quin & Sol primam Leonis partem ingressus Canis sidus ardentissimum, quod exoritur 29. Gr. Cancri, æstum & calorem adauget. *Farnabius. Æstiferi Canis*] Orto ergo Cane seu Sirio hæc pestis viguit. nam ait, solem tunc in Leonem primum ingressum. Plinius: *Ardentissimo æstatis tempore exoritur Caniculæ sidus, sole primam partem Leonis ingrediente*, lib. 2. cap. 47. mens ergo nostri; Sed vectus Leone, auget æstum & calorem canis, flammâ suâ nos adurentis. verum id est. nam Calpurnius Bassus tradit, cum Sol ad Sirium accesserit, Sirii calorem duplicari, & languore affici corpora. *Sirium* Græce propter flammæ candorem, *caniculam* Latine vocari. inde *dies caniculares* dici. Germanicus, de canicula: *Cum radios Solis tetigit, accenditur æstu.* Plinius, effectus miros hujus sideris recensetlib. 2. cap. 40. & lib. 9. cap. 16. multa etiam ex Timosthene & aliis, Scholiastes Apollonii in lib. 2. v. 518. De nomine non convenit, nam sæpe *canis* cum *caniculâ* confunditur. cum vere differant. nam duo sidera canum. Unum canis major: alterum canis minor. *Minor*, vocatur Græco nomine *Procyon* à Manilio libro 5. Firmico lib. 8. cap. 9. Plinio lib. 18. cap. 28. & Avieno in Arati versione, à Cicerone Latine *Anticanis*, prior enim oritur & majorem prævenit, hic proprie dicitur *Canicula. Major*, proprie loquendo appellatur ὁ τοῦ Κύων Canis, idem est Sirius, de quo noster, etsi fortassis utrum-

Titan, Leonis terga Nemeæi premens.
Deseruit amnes humor, atque herbas color.
Aretque Dirce. tenuis Ismenos fluit,
Et tingit inopi nuda vix undâ vada.
Obscura cœlo labitur Phœbi soror;
Tristisque mundus nubilo pallet novo.
Nullum serenis noctibus sidus micat:
Sed gravis & ater incubat terris vapor.
Obtexit arces cœlitum ac summas domos
Inferna facies. denegat fructum Ceres
Adulta: & altis flava cum spicis tremat,
Arente

utrumque sidus uno nomine complexus sit. *Delrius.*

40. *Leonis*] Hercul. Fur. vers. 225. *Farnabius.*

41. *Deseruit*] Vnde & stella fulgida in Canis sidere Sirius dicitur nonnullis, à Σειρᾶν, id est, siccare, arefacere, quod aliis διὰ τὸ σειρίευ. quod canes præ siti hiscere faciat. *Id.*

42. *Dirce.*] Hercul. Fur. vers. 915. Theb. v. 20. & v. 126. *Idem. Ismenos*] Ismenos de quo in Hercul. Fur. v. 333. fluit tenuis. *Idem.*

44. *Phœbi soror;*] Luna. *Idem.*

45. *Tristisque mundus*] Cœlum. ut Hercul. Fur. vers. 18. & alibi non raro. *Id. Mundus nubilo pallet novo.*] Mog. *vano.* Lipsianus & Flor. *pallet die.* quod rejicit Gruterus, quia versu & qui præcedit & qui sequitur fit mentio noctis, non diei. Vix me contineo, quin recipiam conjecturam Dan. Heinsii: *nubilo pallet Iove.* id est, aëre. Ovidius lib. 13. *Cretam tenuere locique Ferre diu nequiere Iovem.* Horatio: *manet sub Iove frigido Venator.* Id interpretatus est aliquis aut evanidis quibusdam ductibus librarius antiquissimus esse credidit *die.* Gronovius.

47. *Sed gravis, &c.*] Tenebræ infernales. vide Hercul. Fur. vers. 703. *Farnabius.*

49. *Denegat*] Segetes jam spicatæ ardore exarescunt & rubigine torrentur. *Idem. Ceres, Adulta & altis flava cum spicis cremat*] Hac distinctione putant viri docti se rem factam habere. Ipsa Ceres, inquit ὁ δεῖνα, jam adultum & altum & flavum culmum cum ipsis spicis succendit & adurit. Cereri ut video exedundum est, quod Phœbus intrivit. Gruterus cautius, ut minus appareat vitium & scripturæ hujus & interpretationis: Ceres omisit curam segetum, atque ea, quæ jam adolevere, suffocantur ab æstu: atque istud quia jam placuerit uni, ait se tanto magis amplecti tali suffultum tibicine. At quis pati potest, *adulta & flava cum spicis*, sic dici, ut frumenta intelligantur? Nihil sani. Scribe: *denegat fructum Ceres Adulta: & altis flava quum spicis tremat, Arente culmo tristis emoritur seges. Ceres adulta* (quod inepte dictum putabat Gruterus) est eadem quæ *flava seges*, ipsæ fruges jam fœnus promittentes agricolis. Eæ etsi adoleverint, & jam flaventes pondere atque aura tremulos vibrent culmos, nimio vapore sideris æstivi culmis arescentibus senescunt & emoriuntur. Naturaliter evenit, ut quum spicea messis inhorruit, verbo Virgilii, licet vix ulla spirante aura leniter agitetur & se motitet, gravidas spicas sustinentibus longis & gracilibus culmis. Homerus: Ιλ. β. Ὡς δ' ὅτε κινήσῃ Ζεφυρος βαθὺ λήϊον ἐλθὼν Λάβρος ἐπαι-

Arente culmo ſterilis emoritur ſeges.
Nec ulla pars immunis exitio vacat:
Sed omnis ætas pariter & ſexus ruit,
Juveneſque ſenibus jungit, & gnatis patres
Funeſta peſtis. una fax thalamos cremat:
Fletuque acerbo funera & queſtu carent.
Quin ipſa tanti pervicax clades mali
Siccavit oculos: quodque in extremis ſolet,
Periere lachrimæ. portat hunc æger parens
Supremum ad ignem: mater hunc amens gerit;
Properatque, ut alium repetat in eundem rogum.
Quin luctu in ipſo luctus exoritur novus,
Suæque circa funus exequiæ cadunt.
Tum propria flammis corpora alienis cremant.
Diripitur ignis. nullus eſt miſeris pudor.
Non oſſa tumuli ſancta diſcreti tegunt.
Arſiſſe ſatis eſt. pars quota in cineres abit?
Deeſt terra tumulis. jam rogos ſilvæ negant.

Non

ἐπαιγίζων. Et, Ιλ. ψ. ὡσεί τε περὶ σταχύεσσιν ἐέρσει Λήϊα ἀλδήσκοντος, ὅτε φρίσσουσιν ἀρούραι. Herc. Fur. *adulta leni fluctuat Zephyro ſeges.* Gronovius

54. *Iuveneſque ſenibus*] Lucretius, *Exanimis pueri ſuper exanimata parentum Corpora nonnunquam poſſes, retroque videre Matribus aut patribus natos ſuper edere vitam.* Delrius.

55. *Vna*] Eodem rogo cremantur maritus & uxor. *Farnabius.*

56. *Fletuque*] Nemo ſupereſt qui defleat funera. *qui lacryment deſunt* Idem.

58. *Siccavit*] A vehementi morbi incendio; ſive quod jam malis obdurati, cum lacrymas inter ſymptomata & notas peſtis ponant medicorum filii. *Idem.*

59. *Parens*] Pater & ipſe æger. *Idem.*

60. *Supremum*] Rogum. *Idem.*

61. *Vt alium regerat in eundem*] Et hic cum Lipſiano optimus codex: *ut alium repetat in eundem rogum.* Sic Hercule Furente Charon: *onere vacuam littori puppem applicans Repetebat Vmbras.* nempe in ſuam cymbam. Suetonius Octavio: *Trajecto in Siciliam exercitu, cum partem reliquam copiarum continenti repeteret.* Gronov.

63. *Suæque circa*] Qui funus curabant, ſequebanturque, in ipſo officio effetendi moriuntur. *Farnabius.*

64. *Alienis*] Alteri cadaveri incenſis. *Et jam reverentia nulla eſt, Deque rogis pugnant, alieniſque ignibus ardent.* Idem.

66. *Non oſſa*] Singulis tumulis urniſve non conduntur ſancto ritu ſinguli. *Idem.*

67. *Arſiſſe*] Vſtulata tantum ſunt corpora non cinefacta. *Idem.*

68. *Deeſt*] *Nec locus in tumulos, nec ſufficit arbor in ignes.* Idem.

70. Ca-

Non vota, non ars ulla correptos levant.
Cadunt medentes. morbus auxilium trahit.
Affusus aris supplices tendo manus,
Matura poscens fata, præcurram ut prior
Patriam ruentem: neve post omnes cadam;
Fiamque regni funus extremum mei.
O sæva nimium numina! ô fatum grave!
Negatur uni nempe in hoc populo mihi
Mors tam parata? sperne letali manu
Contacta regna. linque lachrimas, funera,
Tabifica cœli vitia; quæ tecum invehis
Infaustus hospes: profuge jamdudum ocius
Vel ad parentes. *Joc.* Quid juvat, conjux, mala
Gravare questu? regium hoc ipsum reor,
Adversa capere: quoque sit dubius magis
Status, & cadentis imperii moles labat;
Hoc stare certo pressius fortem gradu.
Haud est virile, terga Fortunæ dare.
Oed. Abest pavoris crimen ac probrum procul,
Virtusque nostra nescit ignavos metus.
Si tela contra stricta, si vis horrida
Mavortis in me rueret; adversus feros
Audax gigantes obvias ferrem manus.
Nec Sphinga cœcis verba nectentem modis

Fugi.

70. *Cadunt*] *Inque ipsos sæva medentes Erumpit clades, obsuntque autoribus artes.* Farnabius. *Auxilium*] Auxiliatorem, medicum. *Idem.*

71. *Affusus*] Ego itaque (inquit) advolutus ad aras supplex. *Idem.*

77. *Tam parata?*] Tam ad manum cæteris. *Idem.*

79 *Tabifica*] Suprà vers. 36 *Id.*

81. *Vel ad parentes*] *Emphasis* Si non aliò patet misero profugium, vel ad Polybum & Meropem profuge, *quos suos esse putabat parentes.* suprà vers. 12. & Theb. vers. 245. *Idem.*

82. *Regium*] Virtutem ego maxime regiam puto æquanimitatem & ad res adversas bene præparatum pectus. *Idem.*

83. *Quoque sit dubius magis*] Manus illustris: Forte, *sit.* Vix putem necesse. *Gronovius.*

85. *Stare certo*] Metaph. à militibus, quibus loco in acie occupato cedere est inglorium. *Farnabius.*

91. *Gigantes*] Fuerint gigantes necne, disputant Hieronymus Magius in Miscellaneis, & Ioannes Goropius in Originibus. *Delrius.*

92. *Cæcis*] Ποικιλῳδὸν Σφίγγα. Theb. vers. 120. *Farnabius.*

Fugi. cruentos vatis infandæ tuli
Rictus, & albens ossibus sparsis solum.
Cumque è superna rupe, jam prædæ imminens,
Aptaret alas verbere, & caudam movens,
Sævi leonis more, conciperet minas,
Carmen poposci. sonuit horrendum. insuper
Crepuere malæ: saxaque impatiens moræ
Revulsit unguis, viscera expectans mea.
Nodosa sortis verba, & implexos dolos,
Ac triste carmen alitis solvi feræ.

Joc.

93. *Cruentos pestis infandæ tuli*] Lipsianus & Florent. recte *vatis*. Ovidius lib. 7. *& præcipitata jacebat Immemor ambagum vates obscura suarum.* Sophocles Oedipo Tyranno: Ὅς γ' ἐξέλυσας ἄστυ Καδμείων μολὼν Σκληρᾶς ἀοιδοῦ δασμὸν ὃν παρείχομεν. *Gronovius.*

94. *Albens*] Interfectorum, qui ænigma non solvissent. *Farnabius.*

95. *Cumque è superba rupe,*] Quod ex quibusdam notat Delrius *superna*, præfert optimus librorum. Et profecto nihili vulgatum est, utcumque fuerint, qui interpretarentur. *Gronov. Prædæ*] Mihi quem sperabat prædam. *Farnab.*

96. *Aptaret ales verbera, & caudam*] Lipsius de conjectura: *Aptaret alas, verbera & caudæ movens.* Scriverius: *Aptaret alas, verbera & caudam.* Vtrumque editum, cum exstaret indubitatum Scaligeri: *Aptaret alas verbere, & caudam movens.* Silius lib. 2. *nova tegmina latus Aptat concutiens humeris.* Gronovius.

97. *Sævi leonis more,*] *Qui viso cominus hoste Subsedit dubius, totam dum colligit iram: Mox ubi se sæva stimulavit verbere caudæ, &c.* Farnabius. *Concuteret minas;*] Florent. ut olim editum, & Delriani, *conciperet minas*, ut *concipere verba, concipere preces, concipere jusjurandum, conceptis verbis jurare* dicimus. Notaverat Delrius, se non mutare, etsi Venet. & Herb. *concuteret*, & notum leones seipsos cauda flagellare, ut iram stimulent: cum subito agmen infidorum codicum per Gruterum interpolavit impressos, cum egregia nota. Concursu caudæ minas sibi ipsi excitabat Sphinx, jam quasi sopitas, ut in silice flammæ. Sic necesse habent illudere ingenio suo, qui omnes nugas volunt interpretari. *Gron.*

99. *Crepuere*] Frendebat. *Farnab.*

102. *Ac triste carmen*] Scilicet: Ἔστι δίπουν ἐπὶ γῆς καὶ τέτραπον, οὗ μία φωνή. Καὶ τρίπον, ἀλλάσσει δὲ βοὴν μόνον ὅσσ' ἐπὶ γαῖαν Ἑρπετὰ κινεῖται, ἀνάτ' αἰθέρα, καὶ κατὰ πόντον· Ἀλλ' ὁπόταν πλείστοισιν ἐπειγόμενον ποσὶ βαίνῃ, Ἔνθα τάχος γυίοισιν ἀφαυρότατον πέλει αὐτοῦ. id est: *Est bipes, est quadrupes in terris (solaque vox huic) Atque tripes: mutat vocem solum, omnia campis Inter quæ serpunt, quæ cœlo & fluctibus errant. Ast ubi contendit pedibus jam pluribus; illi Deficiunt vires, & lentis robora nervis.* Delrius. *Alitis*] Sphingem Echidnæ & Typhonis filiam fabulantur, corpus canis, vultum puellæ, vocem humanam, alas avium, pedes leoninos habuisse; &, obsesso monte Sphincio, Thebanis ænigmata proposuisse, quæ qui explicare non poterant, occidere solitam. cum vero suum solvisset Oedipus; adeo ægre id monstrum tulisse, ut se de saxo præceps jecerit. copiosè ista narrant Apollodorus lib. 3.

Bi-

Joc. Quid sera mortis vota nunc demens facis?
Licuit perire. laudis hoc pretium tibi
Sceptrũ, & peremptæ Sphingis hæc merces datur.
Oed. Ille ille dirus callidi monstri cinis
In nos rebellat. illa nunc Thebas lues
Peremptа perdit una. jam supereſt salus,
Si quam salutis Phœbus ostendit viam.

Biblioth. Higynus in Fab. cap. 151. & Palæphatus, qui docet ex historiâ natam fabulam, ut & Strabo lib. 9. Sphingem facetè Anaxilas, in Iuvencâ, apud Athenæum, lenæ typum esse contendit, alludens ad ænigma paullo ante asscriptum. *Delrius.* *Solvi*] Docui de homine intelligendum, qui *infans*, quadrupes; *vir* bipes; *decrepitus*, assumto scipione tripes. *Farnabius.*

103. *Quid sera*] Si ita vitæ pertæsum esset, expeditam tamen mortem tunc effugere voluisti; cur nunc regno hoc meque ipsa potius præmiis, mortem optas? *Farnabius.*

104. *Licuit perire.*] Amisisti occasionem fortiter occumbendi, cum ænigma Sphingis solvisti. nunc incassum optas mortem. capillatâ fronte, occasio: prætetire fivisti, occipitium calvum non potes prehendere. *Delrius.*

105. *Hæc merces*] Se ostendit. nam Iocasta, & cum illâ regnum, merces interemtæ feræ. *Idem.*

106. *Ille*] Peste hac pœnas reposcit quod tum non petierim. *Farnab.*

107. *Lues*] Sphinx. *Idem.*

109. *Phœbus*] Solam sedandæ pestilitatis spem (si qua sit) expectamus ab Apolline, cujus oracula sciscitatum missus est Creon. sed & ipse Apollo λοίμιος, ἰήϊος, ἀκήσιος. Sol enim aëra rarefacit & expurgat. *Idem.*

CHORUS.

Luis gravitatem deplorat Chorus è Thebanis.

Sapphici, & Anapæstici, & in fine Jambici.

Occidis Cadmi generosa proles
Urbe cum tota. viduas colonis
Respicis terras, miseranda Thebe.
Carpitur leto tuus ille Bacchi
Miles, extremos comes usque ad Indos,
Ausus Eois equitare campis,
Figere & mundo tua signa primo.
Cinnami silvis Arabes beatos
Vi-

110. *Cadmi*] Thebani. Hercul. Fur. vers. 914. & vers. 259. *Farnabius.*

112. *Thebe.*] *Visitatior pluralis*, *Thebæ.* Sed & nomen sumpsisse à veteri illa Thebe Ægyptia, unde Cadmum oriundum asserunt nonnulli, potius crediderim, quam à Theba, Promethei vel Asopi filia. *Idem.*

116. *Primo.*] Orienti. *Idem.*

117. *Cinnamis sylvas Arabum beatas*] Melius Florentiæ: *Cinnami silvis Arabes beatos.* Vt Horatio: *parvoque beati,*

Vidit, & verſas equitis ſagittas,
Terga fallacis metuenda Parthi.
Littus intravit pelagi rubentis.
Promit hîc ortus, aperitque lucem
Phœbus, & flamma propiore nudos
Inficit Indos.
Stirpis invictæ genus interimus.
Labimur ſævo rapiente fato.
Ducitur ſemper nova pompa Morti.
Longus ad Manes properatur ordo
Agminis mœſti, ſerieſque triſtis
Hæret; & turbæ tumulos petenti
Non ſatis ſeptem patuere portæ.
Stat gravis ſtrages, premiturque juncto
Funere funus.
Prima vis tardas tetigit bidentes;
Laniger pingues male carpſit herbas.

Colla

ti, & Statio: *Parvi beatus ruris honoribus.* Mox ſcripti illi ad unum omnes, qui habent, *Terga converſi*, ad unum omnes hic certe ineptiunt: neque ex ea ſcriptura conjectandum. *Fallacis* in optimo eſt & Voſſiano. Ita autem explico: *& verſas ſagittas equitis Parthi, terga metuenda fallacis.* qui fallit decipitque homines dato tergo, ſic vincere putantes, quum ea ipſa terga ſeu fugæ Parthorum maxime ſint metuendæ. *Gronovius. Cinnamis*] Aliiſque aromatum ſpeciebus. *Farnabius. Silvas beatas*] Felicis Arabiæ. *Idem.*

119. *Terga fallacis*] Thyeſt. v. 383. *Id.*

120. *Rubentis.*] Herc. Fur. v. 902. & Thyeſt. v. 370. unde Bacchus vitem in Græciam tranſtulit. *Idem.*

122. *Propiore*] Vide quæ ad verſum 600. Thyeſt. *Idem.*

124. *Stirpis*] Milites Bacchi Indiæ victoris. vel pubes Martia ab Harmonia Martis filia Cadmi uxore. vel Spartis oriundi, quos ſocios in urbe condenda Cadmus ſumpſit. *Idem.*

130. *Septem*] Extra urbem enim efferebantur, urebantur, ſepeliebantur. *Idem.* Quarum apud Pauſaniam in Boëot. hæc nomina: Electrides, Prœtides, Netides, Creneæ, Ogygiæ, Homoloides. *Delrius.*

131. *Stat*] Longe lateque patet ſtrages. plenus eſt ſtratis cadaveribus locus. *Farnabius.*

132. *Funere funus.*] Lucret. *Idque vel in primis cumulabat funere funus.* Delrius.

133. *Prima*] Pecudes prius inficiuntur peſte quam homines, quia dejectæ ad paſtum & in terram pronæ τοὺς νοσώδεις ἐκεῖθεν ἀτμοὺς trahant. & ex his primum quibus odorandi præſtantia, ut canes & muli: οὐρῆας καὶ πρῶτον ἐπῴχετο καὶ κύνας ἀργούς. *vel etiam* quod iis cerebri major caliditas, quam homini. Ovid. 7. metam. *Strage canum primo volucrumque aviſque boumque, Inque feris ſubiti deprenſa potentia morbi.* Farnabius.

134. *Male*] In ſuam perniciem. *Id.*

135. *Col-*

Colla tacturus steterat sacerdos;
Dum manus certum parat alta vulnus,
Aureo taurus rutilante cornu
Labitur segnis. patuit sub ictu
Ponderis vasti resoluta cervix:
Nec cruor ferrum maculavit. atra
Turpis è plaga sanies profusa est.
Segnior cursu sonipes in ipso
Concidit gyro, dominumque prono
Prodidit armo.
Incubant pratis pecudes relictæ.
Taurus armento pereunte marcet.
Deficit pastor grege diminuto,
Tabidos inter moriens juvencos.
Non lupos cervi metuunt rapaces.
Cessat irati fremitus leonis.
Nulla villosis feritas in ursis.
Perdidit pestem latebrosa serpens;

135. *Colla*] *Stans hostia ad aram Inter cunctantes cecidit moribunda ministros, &c.* Ovid. met. 7. *Farnabius.*

137. *Aureo*] Diis superis immolabantur victimæ coronatæ, vittatæ, cornibus auratis & frontem bracteis aureis ornatæ. *Idem.* Virgilius: *Et statuam ante aras aurata fronte juvencum.* Tibullus: *Semper in aurato taurus cadit hostia cornu.* Iuvenalis: *& auratam Iunoni cæde juvencam.* Delr.

138. *Patuit sub ictu*] Intelligenda hic à fronte particula *Si:* dein scribendum: *Non cruor:* & hæc ejusdem periodi sunt. Sin autem, inquit, non est lapsus taurus, antequam cæderetur, & sterit, donec collum ei secaret secutis, non sanguis emicuit ex vulnere: sed sanies. Vel, Alii steterunt, & ictum exceperunt: sed tum non prosiluit cruor, sanies effusa est. *Gronovius.*

142. *In ipso*] *Tremulo medios abrumpit poplite gyros, &c.* Lucan. 6. & Ovid. *Acer equus quondam, magnæque in pulvere famæ Degenerat.* Farn.

145. *Incubant pratis pecudes*] Flor. *agris.* Gronovius.

149. *Non lupos*] *Non lupus insidias explorat ovilia circum, Nec gregibus nocturnus obambulat: acrior illum Cura domat, timidi damæ cervique fugaces Nunc interque canes & circum tecta vagantur.* Virg. Georg. 3. *Farnabius.*

151. *Nulla villosis*] Vrsis densitatem cutis & tergoris, ut propriam tribuit Seneca lib. 2. de benefic. *Quærunt quod non magnitudine corporis æquamus elephantos, velocitate cervos, levitate aves, impetu tauros: quod solidior sit cutis belluis, densior ursis, mollior fibris: quod sagacitate narium nos canes vincant; quod acie luminum aquilæ, spatio ætatis corvi, multa animalia nan di felicitate.* Delrius.

152. *Perbibit pestem*] Frustra tentat explicare Gruterus. *Perdidit* Delrii non est supervacua conjectura, sed manus inculpatarum membranarum, quibus

Aret,

Aret, & ſicco moritur veneno.
Non ſilva ſua decorata coma
Fundit opacis montibus umbras.
Non rura virent ubere glebæ.
Non plena ſuo vitis Iaccho
Brachia curvat.
Omnia noſtrum ſenſere malum.
Rupere Erebi clauſtra profundi
Turba ſororum face Tartarea:
Phlegethonque ſua motam ripa
Miſcuit undis Styga Sidoniis.
Mors alta avidos oris hiatus
Pandit; & omnes explicat alas.
Quique capaci turbida cymba

Flu-

quibus accedunt Voſſianæ: & præcedentes verſus clamant verum eſſe. Imitatus Prudentius Cathem. 9. de alio angue: *& fellis perusti mox venenum perdidit.* Gronovius. *Latebroſa*] Sic Maro: *Interit, & curvis fruſtra defenſa latebris Vipera, & attoniti ſquamis adſtantibus hydri.*

156. *Non rura virent ubere glebæ.*] Si qua me ſubornaret antiqua manus, facile admitterem, *nitent.* Virgilius 1. Georg. *interque nitentia culta Infelix lolium.* Cicero 3. in Verrem: *quos ego campos antea colleſque nitidiſſimos viridiſſimoſque vidiſſem.* Petronius: *ubi domefacta aratro tellus nitet.* Gronovius.

160. *Rupere*] *Sævit & in lucem Stygiis emiſſa tenebris Pallida Tiſiphone morbos agit ante.* 3. Georg. *Farnabius.*

161. *Turba*] Futiarum agmina. Hercul. Fur. verſ. 87. *Idem.*

162. *Plegethonque*] Fluv. ardens; Thyeſt. verſ. 73. atque hujus, propter ardorem peſtilentiæ, meminit. *Idem.*

163. *Miſcuit*] Miſcet terras infernales aquis Thebanis, Cadmus autem è Sidone venit. Herc. Fur. v. 916. *Idem. Styga*] Venenatis aquis Stygiæ paludis, amnes, fontes, puteos infecit. ſic alii poëtæ: Claudianus in Ruſin. lib. 1. *Ac velut infecto morbus crudeſcere cœlo Incipiens, primo pecudum depaſcitur artus, Mox populos, urbeſque rapit; ventiſque peruſtis, Corruptos Stygiam peſtem diffundit in amnes.* Silius: *Et patulam Cyanem, lateque paluſtribus undis Stagnantem Stygio Cocyti implevit odore.* Styx, fons Arcadiæ pone Nonacrim, aquam habet, nimio frigore, letalem; adeo corroſivam, ut omne metalli genus perfringat, ſolâque muli vel aſini ungulâ queat contineri. teſtibus Plutarcho in Alexandro, Arriano lib. 7. de geſt. Alex. Plinio lib. 30. cap. 16. & Iuſtino lib. 12. *Stygiam* ergo *aquam* pro ipsâ morte videtur, vel quovis deleterio ſumere: & fingit factam hujuſmodi commixtionem; quia docet experientia, aquarum corruptione peſtilentiæ vim latiſſime proſerpere. *Delrius.*

165. *Explicat*] Metaph. *vel quod* Mors, ut & ſomnus frater ejus, alata fingitur, ut quæ celeriter & inopinato veniat. *Farnabius.*

166. *Quique*] Charon Stygius portitor. *Idem.*

167. *Du-*

Flumina servat durus senio
Navita crudo, vix assiduo
Brachia conto lassata refert,
Fessus turbam vectare novam.
Quin Tænarii vincula ferri
Rupisse canem fama, & nostris
Errasse locis: mugisse solum:
Vaga per lucos simulacra virûm
Majora viris; bis Cadmeum

Nive

167. *Durus senior, Navita crudus,*] Nescire Delrius ait, unde N. illud *crudus*, quum ipse retineat, *Navita Charon.* Sed hoc fœde vitiat versum: illud passim occurrit in codd. minus vitiatis. Gruterus inde speciose: *Navita Porthmeus.* Reperi in Germanico, *crudo:* unde facile conjectu: *durus senio Navita crudo:* vel ob Virgilii, *sed cruda deo viridisque senectus*, & Taciti, *quibus cruda ac viridis senectus:* quæ Delrius adduxit. Inveni postea totidem literis in Florentino. Lucianus in meretr. φαρμακὶς, Σύρα τὸ γῆρος ὠμὴ ἔτι καὶ συμπεπηγυῖα. *Gronov.*

171. *Quin*] Fama est Cerberum rupisse ferream catenam qua ligatus est ad Tænarum, de quo in Hercul. Fur. vers. 589. cui fabulæ occasionem ferunt dedisse serpentem quendam in Tænaro, quem quod morsu è vestigio enecaret ἄδου κύνα nominarunt, atque hunc ab Hercule ad Eurystheum productum. *Farnabius.*

173. *Errasse locis:*] Nec male Flor. *Errare locis.* ut etiamnum fieri intelligatur. *Gronovius.* Hoc tempore pestis, multi credebant contingere, & in Loimographiâ dabimus exempla ex Procopio, Cedreno, Sigisberto. *Delr. Mugisse solum:*] De Mugitus terræ omine, testis etiam Dion, in Tito, in Trajano, & in Severo, & Sarisberiensis lib. 1. Polycratici in fine: Sane ut plurimum luem hanc terræmotus præcedit. Effici autem sub terrâ sonitus, qui mugitus imitantur, quod pro portento quidam arripiunt, id naturale esse, & ab inclusis exhalationibus, percussis vel percutientibus, provenire docet Aristoteles lib. 2. Meteor. c. 8. *Idem.*

174. *Simulacra virûm*] Vel quod ita se res habeat, vel quod in cladibus publicis metus ipse faciat hujusmodi apparere. Dion, in Tito, auctor est, exundante incendia Vesuvio, homines giganteæ magnitudinis interdiu, noctuque per urbes oberrasse. idem confirmat in Trajano. Pro prodigio hoc habuerunt etiam alii. Petronius Arbiter: *Ecce, inter tumulos atque ossa arentia bustis, Vmbrarum facies diro stridore minantur.* Lucanus, libro 1. —— *venientes cominus umbras.* Item: *Tollentemque caput gelidas Anienis ad undas, Agricolæ fracto Marium videre sepulcro.* Dionys. Halicarnass. lib. 8. sub finem, scribit, Romæ observata multa prodigia, Deorum iram nuntiantia; exauditas ominosas voces incerto auctore, observatas oculis novas spectrorum facies, & hæc oculis atque auribus hominum sæpè oblata. & l. 10. cœlum arsisse, terram cum mugitu tremuisse, varias spectrorum facies horrendasque voces auribus atque oculis hominum frequenter exceptas. *Idem.*

175. *Majora*] Thyest. 671. & quæ seq. à versu 666. *Farnab. Cadmeum*] Thebanum, in quo Cadmus serpentem interfecit, terræ motu tremuisse. *Idem.*

177. *Dir-*

Nive discussa tremuisse nemus,
Bis turbatam sanguine Dircen:
Nocte silenti
Amphionios ululasse canes.
O dira novi facies leti,
Gravior leto! piger ignavos
Alligat artus languor; & ægro
Rubor in vultu, maculæque caput
Sparsere leves: tum vapor ipsam
Corporis arcem flammeus urit;
Multoque genas sanguine tendit.
Oculique rigent, & sacer ignis
Pascitur artus. resonant aures
Stillatque niger naris aduncæ
Cruor, & venas rumpit hiantes.

Inti-

177. *Dircen:*] Theb. 20. & 126. manasse fontes sanguine. *Farnabius.*

179. *Amphionios*] Thebanos, ab Amphione. Hercul. Fur. vers. 260. & 914. *Idem.*

180. *O dira*] *Describit pestis notas & symptomata.*

181. *Piger*] Infecto corde, vires omnes præcipuè vitales infringuntur & spiritus languent. *Farnabius.*

183. *Rubor*] *Flammaque latentis* (id est, vehementis caloris morbi) *Indicium rubor est, & ductus anhelitus igni.* Idem. *Maculæque* | Pustulæ, & exanthemata purpurea, nigra, viridia. *Idem.*

184. *Vapor*] Tetri vapores & calidi sublati cerebrum incendunt, gravantque caput, in quo tanquam in arce & specula locavit Deus sensuum organa, mentisque & rationis sedem. *Id.*

186. *Multoque*] *Tument distentæ sanguine genæ.* Idem. *Genas sanguine tingit.*] Cum Lipsiano optimus, *tendit*: & verum est. Statius 1. Theb. *Tenditur ac sanie glisci cutis.* Mox idem: *jamque amplexu*, ut Fabricius. *Gronovius.*

187. *Oculique*] *Oculos stupor urget inertes.* Farnabius. *Sacer ignis*] Erysipelas, Herpes, quem, cum tumor sit è ferventi sanguine ortus, pro peste ponit vel pestis comite. *Idem.* Virgilius: — *contactos artus sacer ignis edebat.* Quo loco male Servius putavit, *sacrum ignem* esse; quem Græcis ἱερὰν νόσον vocant. cum ἱερὸς νόσος, teste Hieronymo Mercuriali in variis lection. nihil sit aliud, quam epilepsia: *ignis* vero *sacer* apud Latinos idem sit, quod apud Arabes *formica*, apud Plinium ζωστὴρ & *circinus*, apud Scribonium ζώνη; de quo Plato egit 2. de legibus. Græcis ἕρπης vocatur; cujus quot sint genera, ex Gorræo petas. Porrò sacri ignis, seu herpetis vim optime declaravit Lucretius libro 6. *Exurit sacer ignis & urit corpora serpens Quamcumque arripuit partem, repitque per artus.* Delrius. *Sacer ignis*] Execranda pestis.

188. *Resonant*] *Solicitæ porro plenæque sonoribus aures.* Lucret. *Farnab.*

189. *Stillatque*] *It naribus ater Sanguis*, propter corruptionem & humorum adustionem. *Idem.*

191. *Inti-*

Intima creber viscera quassat
Gemitus stridens. tunc amplexu
Frigida presso saxa fatigant:
Quos liberior domus elato
Custode sinit, petitis fontes,
Aliturque sitis latice ingesto.
Prostrata jacet turba per aras,
Oratque mori. solum hoc facilès
Tribuere Dei. Delubra petunt:
Haud ut voto numina placent,
Sed juvat ipsos satiare Deos.
Quisnam ille propero regiam gressu petit?

Ad-

191. *Intima creber*] *Imaque longo Ilia singultu tendunt*, ob ventriculi convulsionem. *Farnab.* ait Virgilius: *Tum verò ardentes oculi, atque attractus ab alto Spiritus interdum gemitu gravis, imaque longo Ilia singultu tendunt* —— *Creber*] Quia teste Hippocrate, πνεῦμα πυκνὸν μᾶλλον τοῦ πόνου σημαίνει, ἢ βλεγμονὴν ἐν τοῖσι ὑπὲρ τῶν φρενῶν χωρίοισι. confirmat hoc Thucydides. *Delrius.*

192. *Tunc*] Interius æstuantes refrigerium petunt, marmora amplexantes, & humi strati. *Non stratum non ulla pati, &c.* Ovid. 7. metam. *Nec fit corpus humo gelidum, sed humus de corpore fervet.* Farnabius.

194. *Quos liberior*] Ægri assumpta libertate ex morte moderatorum, qui eos curabant, *Fontibus & fluviis puteisque capacibus hærent, Nec sitis est extincta prius quam vita bibendo.* Id.

196. *Custode sinit. petit is fontes,*] Dupliciter hic peccat Scaliger, & distinctione mutata & vocibus. Hæc enim, *Quos liberior*, ad sequens membrum pertinent, non ad prius. Quid an domi saxa non erant, quæ possent amplecti? an id prohiberet custos? Quam bellum vero, *petit is fontes?* Immo, qui morte custodum liberi possunt evadere ex ædibus, eos ad aquas publicas properasse dicit. *Petitis fontes*, ut Agam. *Cum Dardana tecta Dorici raperetis ignes.* Et in Oetæo Nutrix magicam artem promittens: *Habuere motum saxa, discussi fores, Umbræ stetistis.* Iterumque: *qui Pindum feriunt, Aut te, Ossa.* Sic, *petitis fontes*, est, petunt fontes. *Gronovius.* Ovidius: *Fontibus & fluviis puteisque capacibus hærent; Nec sitis est exstincta prius, quam vita, bibendo.* idem Thucydides & Procopius lib. 2. de bello Persico. *Farnabius.*

198. *Hoc faciles*] Mori. *Idem.*

199. *Delubra petunt;*] Sophocles ait infinitos antè aras & delubra se prostravisse: & Lucretius, *Omnia denique sancta deûm delubra replerat Corporibus mors exanimis, onerataq; passim Cuncta cadaveribus cœlestum templa manebant Hospitibus, loca quæ complerant ædituentes.* Delrius.

200. *Haud*] Deplorata quidem salutis suæ spe, sed ut Diis exprobrarent crudelitatem. *Farnabius.*

202. *Quisnam ille propero*] Hic novam orditur scenam liber optimus præfigitque personas: *OEDIPVS. CHORVS. CREO.* tresque primos versus Oedipo assignat, quartum *Adest petitus*, Choro. Eidem tribuit vers. 212. *Responsa*, & 214. *Ambage.* Gronovius.

Adeſtne clarus ſanguine ac factis Creo?
An æger animus falſa pro veris videt?
Adeſt petitus omnibus votis Creo.

203. *Clarus*] Iocaſtæ frater. *Farn.* | 205. *Petitus*] Suprà verſ. 109. *Id.*

ACTUS SECUNDUS.

OEDIPUS. CREON.

Reverſus Delphis Creon nunciat jubere Deum ut mors Laji expurgetur, nec prius ceſſaturam peſtem, quam in exilium mittatur interfector ejus; de quo, quia non nominatur, ambigitur.

Trimetri Jambici, & Tetrametri Trochaïci, & quidam heroïci hexametri.

Oed. Horrore quatior, fata quo vergant timens,
Trepidumque gemino pectus eventu labat.
Ubi læta duris miſta in ambiguo jacent,
Incertus animus ſcire cum cupiat, timet.
Germane noſtræ conjugis, feſſis opem
Si quam reportas, voce properata edoce.
Creon. Reſponſa dubia ſorte perplexâ latent.
Oed. Dubiam ſalutem qui dat afflictis, negat.
Creon. Ambage nexa Delphico mos eſt Deo
Arcana tegere. *Oed.* Fare; ſit dubium licet:
Ambigua ſoli noſcere Oedipodæ datur.
Creon. Cædem expiari regiam exilio deus,
Et interemtum Laïum ulciſci jubet.

Non

206. *Fata*] Reſponſum Apollinis fatidicum. *Farnabius.*

207. *Gemino pectus eventu labat.*] Codex optimus: *gemino pectus afflictu.* Hinc & inde medium pectus affligitur. ac tantum non effligitur. *Gronovius.* *Gemino*] Felici an infelici. *Farnabius.*

212. *Perplexa*] Namque obſcuro vera involvens ambages canit Apollo, ab obſcuritate & ἀμφιβολίᾳ reſponſorum Λοξίας cognominatus: quem tamen alii ita dictum autumant ab obliquo ſolis curſu vel transverſis radiis. *Idem.*

214. *Ambage nexa*] Statius 1. Thebaid. *quos nexis ambagibus augur Apollo Ediderat.* Et lib. 11. *iterumque meet oracula nectit In gemitus.* Sed Florent. quoque *flexa.* Cicero lib. 2. de Divin. *Oraculis partim falſis, partim flexiloquis & obſcuris.* Statius 4. Thebaid. *Hæc ubi fatur, Labitur & flexa dubios ambage reliquit.* Gronovius.

216. *Ambigua*] Quod dudum in Sphingis ænigmate feci. *Farnabius.*

219. Ca-

Non ante cœlo lucidus curret dies,
Hauſtuſque tutos Ætheris puri dabit.
Oed. Ecquis peremptor inclyti regis fuit?
Quem memoret, ede, Phœbus; ut pœnas luat.
Creon. Sit, precor, dixiſſe tutum viſu & auditu horrida.
Torpor inſedit per artus, frigidus ſanguis coit.
Ut ſacrata templa Phœbi ſupplici intravi pede,
Et pias, numen precatus, rite ſummiſi manus:
Gemina Parnaſſi nivalis arx trucem ſonitum dedit,
Imminens Phœbea laurus tremuit & movit domum,
Ac repente ſancta fontis lympha Caſtalii ſtetit.
Incipit Lethæa vates ſpargere horrentes comas,
Et pati commota Phœbum. contigit nondum ſpecum,
Emi-

219. *Cœlo*] Vid. ſup. v. 36. & 109. *Farnabius.*

223. *Tutum; viſu & auditu horridum.*] Vóſſianus, Heinſianus, Germanicus & meus *hortido.* Quod cum in Venet. reperiſſet Delrius, confecit, *horreo.* Melius Flor. *tutum viſu & auditu horrida.* Gronovius.

227. *Gemina*] Duo vertices Tithoreus & Hyampeus, *qui Phœbo Bromioque ſacri.* Farnabius. *Parnaſſi nivalis*] Montis Phocidos, dicti à Parnaſſo Neptuni filio; vel potius à Deucalionis arca, quam λαρνακα vocant, huc primum à diluvio delata. *Idem.* Proprium hujus montis epithetum. Sophocles νιφόεντα vocat: & Panyaſis, Παρνησσὸν νιφόεντα θεοῖς ἀλέα πᾶσι πεφῆσας, Ἴκεο Καστάλιης Ἀγελαὸς ἀμβρόσιον ὕδωρ. Dionyſius Afer ἐν τῇ οἰκεμ. φάραγγι. Παρνησσὸ νιφόεντι ἐπὶ πτυχὶ. *Delr. Arx trucem ſonitum dedit,*] Flor. *truem fremitum.* Gronovius.

228. *Laurus*] Suprà vers. 16. *Farn.*

229. *Sancta fontis*] Fontis ad radicem Parnaſſi Muſis ſacri. *Idem.*

230. *Incipit Lethea vates*] Quid monſtri *Lethea?* Dira, aiunt, vel lui & decoris oblita. Alii, quia poſt reſponſum omnia oblivifcebantur. Hoc ſenſu ipſi potius ſunt Lethei, & minime quid ipſos deceat, conſiderant. Quis unquam ita locutus? Vitium quidem manifeſtarium. *Phœbeia* non habent niſi mali codices. Etruſcus: *Incipit loeta vates.* Nihil habeo melius, quam quod Nic. Heinſius conjecit: *Incipit repleta vates.* Quæ aliis ſolet dici *Plena deo.* Lucanus lib. 5. *non unquam plenior artus Phœbados irrupit Pæan mentemque priorem Expulit, atque hominem toto ſibi cedere juſſit Pectore.* Gronov. *Spargere*] *Non compta manſere comæ, ſed pectus anhelum, Et rabie fera corda tument, majorque videri, Nec mortale ſonans afflata eſt numine quando Iam propiore Dei.* Farnabius.

231. *Commota*] Temulenta ſpiritu, quem ἔνθεμα δαιμόνιον vocant, exhalante è ſpecu Delphico, quo cum paſcentes non procul ab ipſo ſpecu capras ſuas correptas laſcivire animadvertiſſet paſtor quidam Coretas nomine, & ipſe periculum rei facturus acceſſit, ingreſſuſque affiari & futura præcinere cœpit. atque hinc extructum eſt inibi adytum, in quo & pegma, quo inſcenſo vaticinarentur Phœbades. Innitebatur id triplici baſi, propterea illi tripodis nomen eſt inditum, hinc &

Emicat vasto fragore major humano sonus:
Mitia Cadmeis remeabunt sidera Thebis,
Si profugus Dircen Ismenida liqueris hospes,
Regis cæde nocens, Phœbo jam notus & infans.
Nec tibi longa manent sceleratæ gaudia cædis,
Tecum bella geres; gnatis quoque bella relinques;
Turpis maternos iterum revolutus in ortus.
Oed. Quod facere monitu cœlitum jussus paro,
Functi cineribus regis hoc decuit dari,
Ne sancta quisquam sceptra violaret dolo.
Regi tuenda maxime regum est salus.
Queritur peremptum nemo, quem incolumem timet.

Creon.

Pythius dictus, à πύθονος, id est, afflatu ex putredine terræ orto. *Farnab.* Oecumenius in cap. 16. Act. *Pythia dicitur mulier quæpiam, quæ insidere solet tripodi Apollinis divaricatis cruribus; deinde hoc modo spiritus pravus inferne ascendens, & per loca mulieris transiens, eam insaniâ replebat; & hanc solutis crinibus sub hæc bacchari, spumamque ore cogebat emittere, & ita in debacchatione constitutam, insaniæ verba proferre.* Delrius.

233. *Mitia*] Rite autem hoc carminis genere refert Creon responsum. nam Hexametrum Pythio Apollini debetur. *hæc dictæ per carmina sortes,* & ἔπος dictum quod hoc carminis genere ἔπονται τὰ πράγματα τοῖς χρησμοῖς. vel etiam κατ' ἐξοχὴν. *Farnabius. Sidera*] Suavitas & aëris puritas è miti & benigna siderum configuratione. suprà vers. 36. *Idem.*

234. *Dircen*] Thebas, juxta quas fons Dirce cujus aqua in Ismenum fluit. *Idem.*

235. *Phœbo jam notus*] Vide Theb. vers. 243. *Idem.* Propter redditum oraculum Laio, quod explicui suprà vers. 16. & cujus mentio apud Proclum in lib. de animâ. Alcinoum cap. 19. & Eusebium lib. 6. Præparat. cap. 6. Euripidis Scholiastes refert fuisse tale: Λαΐε Λαβδακίδη, παίδων γένος ὄλβιον αἰτῇς; Δώσω τοὶ φίλον υἱὸν ἀτὰρ πεπρώμενον ἐστὶ Σοῦ παιδὸς χείρεσσι λιπεῖν φάος. *Laïe Labdacidæ sobolis felix genus optas? Ecce, dabo carum natum: sors at feret olim Illius ut pereas manibus, & lumen amittas.* Delrius.

237. *Tecum*] Quæ Oedipo evenerunt. namque & ipse sibi oculos effodit; filiisque duellum ortum est de regno. *Farnabius.*

238. *Turpis*] Per incestum matrimonium. *videturque hic versus locum habere ante duos versus præced.* Idem.

239. *Quod facere*] Vindictam, quam oraculo monitus paro, oportuit jam tum sub ipso regis funere peractam fuisse. *Idem.*

242. *Regi*] Cædem regis ulcisci, regi & justum & utile. *Idem.*

243. *Queritur*] Duo lib. scripti, *Quærit.* Nemo enim subditorum ulcisci solet necem Regis, quem timuerunt; illum non lugent, nec dolent: lætantur potius, & gaudent se jugo liberatos. hoc amplius regni successoribus satagendum, ne inulta regicidia. Quid in hac mente vitii? nec in sequentibus. Nam aptè respondet Creo. Non ea (quam putas) causa omissæ ultionis, & officii: sed quod major me-

tus

Creon. Curam perempti major excussit timor.
Oed. Pium prohibuit ullus officium metus?
Creon. Sphinx & nefandi carminis tristes minæ.
Oed. Nunc expietur numinum imperio scelus.
Quisquis deorum regna placatus vides;
Tu, tu, penes quem jura præcipitis poli;
Tuque, ô sereni maximum mundi decus,
Bis sena cursu signa qui vario regis,
Qui tarda celeri secula evolvis rota;
Sororque fratri semper occurrens tuo,
Noctivaga Phœbe; quique ventorum potens
Æquor per altum cœrulos currus agis;

Et

tus imminens, excussit illam sollicitudinem. Major hic metus: Sphinx Thebas obsidens, & diras illas sortes civibus proponens, quas mox vocat, nefandi carminis tristes minas. *Delr.*

244. *Major*] Ne, ex oraculo, Laii interfector Iocastam duceret. *Farnab.*

246. *Prohibent nefandi*] Lipsium quidem hæc Oedipo dantem & priorum trium versuum personas mutantem merito hic oppugnant, & causam, cur mors Laii vindicata non fuerit, veram adscribunt: sed ea istis verbis obscurius, quam ipsum est oraculum, indicatur. Itaque posteriores in alia ierunt omnia, & *carminis nefandi minas* majoremque metum interpretantur, ne ex oraculo Laii interfector Iocastam duceret. At ejusmodi nulla exstabat dictio. Et si exstitisset, metuendum erat id ludibrium fortunæ, quamdiu ignorabatur ille interfector, neque inquisitum & vindicatum erat id piaculum, quum non posset ab incognito caveri. Accidit huic versui plane contrarium Thebanæ sortis, quæ fuit, ut incolumi Sphinge qui ænigma solvere non poterant, diræ pœnæ subjicerentur: hic eadem Sphinge sublata ænigma factus lectores cruciavit. Quare diversam Oedipodi rationem ineuntes auctore unico Ms. restituere nunc illam nos oportet, & posthac legere: *officium metus?* CR. *Sphinx & nefandi carminis tristes minæ.* Sic ille ob hanc quoque correctionem admirabilis codex. Iamque agnoscimus majorem illum metum, qui prohibuit vindicari Laium, fuisse Sphingem obsidentem Thebas & dirum ejus carmen: dum scilicet quotidiana suorum funera Thebani lugent, longe illis fuit hæc generosa vindictæ cura. Sophocles: Οι. Κακὸν ᾖ ποῖον ἐμποδὼν τυραννίδος Οὕτω πεσούσης, εἶργε τοῦτ' ἐξειδέναι; Κρ. Η ποικιλωδὸς Σφὶγξ τὰ πρὸς ποσὶ σκοπεῖν, Μεθέντας ἡμᾶς τ' ἀφανῆ, προσείγετο. Plinius lib. 7. cap. 39. *quam quidem injuriam lucrifecit ille, mercatus in luctu civitatis, quando arguere nulli vacabat.* Tacitus lib. 4. annal. *Neque senatus in eo cura, an imperii extrema dehonestarentur: pavor internus occupaverat animos, cui remedium adulatione quærebatur.* Homerus Οδ. λ. Κατελείπομεν ἡμεῖς Ἀκλαυστὸν καὶ ἄθαπτον, ἐπεὶ πόνος ἄλλος ἔπειγε. *Gronovius.*

249. *Tu, tu,*] Iupiter. *Farnabius.*

250. *Tuque,*] Phœbe. *Idem.*

253. *Sororque*] Vide quæ à v. 834. Thyest. *Id. Occurrens*] Ibid. 836. *Id.*

254. *Quique*] Neptunus, non Æolus. *Idem.*

Et qui carentes luce disponis domos,
Adeste. cujus Laïus dextra occidit,
Hunc non quieta tecta, non fidi lares,
Non hospitalis exulem tellus ferat.
Thalamis pudendis doleat & prole impia,
Hic & parentem dextera perimat sua;
Faciatque (num quid gravius optari potest?)
Quidquid ego fugi. non erit veniæ locus.
Per regna juro, quæque nunc hospes gero,
Et quæ reliqui; perque Penetrales deos:
Per te, pater Neptune, qui fluctu brevi
Utrimque nostro geminus alludis solo,
Et ipse nostris vocibus testis veni
Fatidica vatis ora Cirrhææ movens.
Ita molle senium ducat, & summum diem

Se-

256. *Qui carentes*] Pluto. *Farnab.*

258. *Hunc non quietum tecta*,] Sic in Pall. esse notaverat Comelinus: inde receperunt. Prius edebatur *quieta:* & huic calculum suum apponit Florentinus. *Gronovius. Hunc*] Quas insciis interfectori Laii imprecatur in suum ipsius caput cecidérant; vel etiam casuræ erant omnes hæ diræ. *Farnab.*

259. *Non hospitalis*] Nec enim admiserunt eum Athenienses, ut habet Sophocles in Oedip. Colonæo. *Idem.*

263. *Quidquid*] Parricidium & incestum quæ se effugisse credit. suprà vers. 12. *Idem.*

264. *Per regna juro*,] Mss. o. quos vidi, *gero.* quod si retineas; pro *regna*, malim *sceptra*; per sceptra enim jurare solebant reges. *Commel.* Gruterus sic dici notat *imperium gerere:* sed addit nec diverso valde modo Tacitum: *si sibi duxissent provincias.* Immo valde diverso: nam *ducere* ibi est sortiri, forte ducere. Tamen & sic Florentinus: *hospes gero.* Videturque esse dictum, ut *regnum agere* Floro, lib. 1. de Tullio: *regnum dolo partum sic egit industrie, ut jure adeptus videretur.* Et sequenti cap. *potestatem non melius egit, quam acquisierat.* Solere autem ab antiquis hæc verba interdum promiscue usurpari ostendimus 4. Obs. 14. *Gronovius.*

265. *Penetrales Deos:*] Penates. *Farnabius.*

266. *Pater Neptune*,] Lucilius: *Vt nemo sit nostrum, quin pater optimus Divum, Vt Neptunus pater, &c.* Pater dicitur Neptunus, quia aquam significat, & ex aqua oriri cuncta quidam Philosophi voluerunt: ideo Homerus, Ὠκεανὸς δ', ὅπερ γένεσις πάντεσσι τέτυκται. & Virgilius noster: *Oceanumque patrem rerum.* Claudianus in Panegyr. de Theodosii consulatu: *His confidit aquis, hic procreat omnia flammis.* Idem tradidit Epiphan. lib. 3. contra hæreses, quod & Cicero 2. Academ. prodidit. *Delrius.*

267. *Virimque*] Isthmo in quo Corinthus, suum, ut credidit, solum. *Farnabius.*

269. *Cirrhææ*] A Cirrha Phocidis oppido, ubi Apollinis oraculum, id est, ipse Apollo veni testis, per te juro. *Idem.*

270. *Ita molle*] Sic pater meus (ut puta-

Securus alto reddat in ſolio parens,
Solaſque Merope noverit Polybi faces,
Ut nulla ſontem gratia eripiet mihi.
Sed quo nefandum facinus admiſſum loco eſt,
Memorato. aperto Marte, an inſidiis jacet?
Creon. Frondifera ſanctæ nemora Caſtaliæ petens,
Calcavit arctis obſitum dumis iter;
Trigemina qua ſe ſpargit in campos via.
Secat una gratum Phocidos Baccho ſolum,
Unde altus ima deſerit, cœlum petens

Cle-

putavit) Polybus non à me interficiatur, imo in longum feliciter extendat ævum: & Merope (quæ & aliis Peribæa) mater non mihi nupta, ſola ſciat nuptias Polybi, ut ego non pepercero interfectori Laji. *Idem. Summam diem*] Certe *ſummus dies* heîc eſt dies mortis, quemadmodum & Martiali: *Summum nec metuas diem, nec optes.* Gruterus.

271. *Alto degat in ſolio*] Multum hic Lipſius amico ſuo debet, à quo docetur, quid ſit *degere in alto ſolio.* Sed forte non hoc ignorabat ille, verum quærebat, an non melior huic ſententiæ ſcripta lectio, *reddat.* Nunc hoc addendum, novitium eſſe τὸ *degat:* nam in Mſſ. Gruteri novem, duobus Germ. Voſſiano & noſtro, *regat:* in quibuſdam olim vulgatis *regnet*, in quodam *rodat.* Gruterus neſcit, an dicatur Latine *reddere ſummum diem:* itaque inclinat ſuſpicari, *cludat.* Etruſcus firmat Lipſianum *reddat:* & videtur dictum, ut *vitam, ſpiritum, animam reddere.* Cicero pro Sulla: *luciſne hanc uſuram eripere vis plenam lacrimarum atque mœroris? libenter reddiderit ademta ignominia fœdiſſimi criminis.* Ovidius lib. 10. *Atque utinam pro te vitam tecumque liceret Reddere.* Seneca Nat. quæſt. 6, 1. *in luce hunc & in aperto ſpiritum reddam.* Agamemnone: *fratrem reddat, aut animam ſtatim.* Hercule Oetæo, *exigam pœnas tibi Reddamque vitam.* Naſcentes lucem & diem accipimus; morientes igitur reddimus atque dimittimus: immo quotidie, cum illuceſcit, accipimus diem, ubi adveſperavit, reddimus. *Reddit* igitur *ſummum diem*, qui dimittit non recepturus. Troadibus: *Cum conjux oculis impoſuit manum, ſupremuſque dies ſolibus obſtitit.* Gronovius.

274. *Quo nefaſtum facinus*] Immo *nefandum:* ſic optimus cum Lipſiano: ſic & olim voluit Delrius. *Idem.*

276. *Frondifera*] Laurifera, ſupra verſ. 16. *Farnabius. Sanctæ*] Supra verſ. 229. *Idem. Petens*] Lajus ad oraculum Delphicum proficiſcens, qua trivium ducit Thebas, Corinthum & in Atticam & dicebatur σχίστη. *Id.*

277. *Calcavit altis obſitum dumis*] Melius Florentinus, *artis.* hoc eſt, arctis ſive denſis, nam ita fere ſemper in libris antiquis hæc vox ſcribitur. *Gronovius.*

280. *Vnde altus ima deſerit*,] Sane optimus quoque *arva:* ut Lipſii Meliſſeus & Delrii Moguntinus, qui duo, etſi poſteriorem valde recentem dicat, qui vidit, optimi ſunt omnium, quos ante nos & Florentinum viri docti adhibuerunt. Nec quia tertio poſt verſu vox eadem repetitur, ſuſpectis potius libris me dare velim, qui alterum oſtentant. *Idem. Ima*] Valles, planitiem. *Farnabius.*

Clementer acto colle, Parnassos biceps.
At una bimares Sisyphi terras adit,
Olenia in arva. tertius trames cava
Convalle serpens tangit errantes aquas,
Gelidumque dirimit amnis Elei vadum.
Hic pace fretum subita prædonum manus
Aggressa ferro facinus occultum tulit.
In tempore ipso, sorte Phœbea excitus,
Tiresia tremulo tardus accelerat genu,
Comesque Manto luce viduatum trahens.

OEDI-

281. *Parnassius*] Sup. v. 227. *Farn.*

282. *Sisyphi*] Corcyram in Isthmo primum condidit Sisyphus Iatro, Æoli filius; deinde aucta ab Ephyre Oceani filia, *Ephyra* dicta est: ad summum à Corintho Marathonis filio, *Corinthus* nominata. *Idem.*

283. *Olenia in arva.*] Mira hic Senecæ Geographia. Olenus non potest esse Bœotiæ, quam faciunt: nam Corinthus contraria Bœotiæ via aditur. Est ergo Olenus Achaiæ, quam intelligit Seneca. Sed quid sibi vult hic *amnis Eleus*, quem nisi Alpheum interpretari non possumus. At eadem via, quæ è Phocide Corinthum ducit, etiam ducit in Elidem, in remotiore Peloponnesi parte positam. Pausanias Σχοῖνον vocari ait viam, in qua Laius occisus, & sic dirimi, ut alia in Bœotiam, alia Corinthum, alia in Atticam vertatur. Ergo Atticæ nominari hic amnis debet, & aut fallor, aut is est *Ilissus*: ut scripserit forsan: *amnis Ilissi vadum.* Cujus *errantes* dicit *aquas*, quia & in Hippolyto Mæandro eum comparaverat. Mss. quidam non *Elei*, sed *Elidis*, vel *Ellidis*. Valde autem vereor, ne Ilissum acceperit pro Cephisso, in quo γεφυρὰ & γεφυρισμοὶ. *Gronovius. Olenia*] Bœotiam, ubi Olenus urbs. *Farnabius.*

286. *Pace*] Atque ita paucis stipatum. *Idem.*

287. *Facinus*] Cædem regis. *Idem. Occultum*] Sine indicio. *Idem.*

288. *Sorte*] Oraculo Phœbi monitus & jussus. *Idem.*

289. *Tremulo tardus accelerat gradu,*] Optimus: *accelerat genu.* Et notat idem ex quibusdam Comelinus. Lævius apud Gellium: *Corpore pectoreque undique obeso, Ac mente exsensa, tardigenuloque senio oppressum.* Gronovius.

290. *Comesque*] Filiaque patrem ducens. *Farnabius. Manto*] Filia Tiresiæ, à cujus lacrymis denominatam *Claron*, sacram Apollini, ex scriptore Thebaidis refert Scholiast. Apollonii in lib. 1. vers. 308. etsi Nearchus & Theopompus aliter, ut refert idem Schol. rara quædam adferens. vide etiam Pausan. in Achaic. qui prodit: cum Thebas Thersander Polynicis filius & Argivi cepissent; inter captivos Delphos abductam Manto, cum ejus pater Tiresias ad Haliartum in viâ fato fuisset functus. Iussi ab oraculo captivi in Asiam Coloniam ducere, eo transmisere; ad Claron inde positis castris, Cretenses cum exercitu occurrêre, eosque ad Rhacium deduxêre; qui Manto sibi in conjugem accepit; & ex ea Mopsum genuit. *Delr. Luce viduatum*] Tiresiam cœcum fuisse nemo negat, sed in cœcitatis causa tradenda dissentiunt Callimachus in hymno εἰς Λουτρὰ Παλλάδος, Homeri scholiastes Odyss. χ'. Nonnus Dionys. ϛ. Lucian. in Astrol. Apoll. l. 3. Bibl. Ovid. in metam. vide Politianum in Miscell. c. 89. & Falckenburg. in Nonnum. *Id.*

291. *Sa-*

OEDIPUS. TIRESIAS. MANTO.

Tireſias per aruſpicium eruere Laji interfectorem tentat, ſed re propter triſtia extiſpicia infecta ad necromantiam ſe convertit.

Oed. Sacrate Divis, proximum Phœbo caput,
Reſponſa ſolve; fare, quem pœnæ petant.
Tireſ. Quod tarda fatu eſt lingua, quod quærit moras,
Haud te quidem, magnanime, mirari addecet:
Viſu carenti magna pars veri latet.
Sed quo vocat me patria, quo Phœbus, ſequar.
Fata eruantur. ſi foret viridis mihi
Caliduſque ſanguis, pectore exciperem Deum.
Appellite aris candidum tergo bovem,
Curvoque numquam colla depreſſum jugo.
Tu, lucis inopem, gnata, genitorem regens,
Manifeſta ſacri ſigna fatidici refer.
Mant. Opima ſanctas victima ante aras ſtetit.

Tireſ.

291. *Sacrate*] Ω πάντε νομεῖν Τειρησία διδάσκαλε, ἄρρητά τ' ἐρρησιά τε, &c. Sophoc. in Oepido tyranno, unde pleraque hujus Tragœd. deſumpta ſunt. *Farnabius. Proximum*] In divinatione Apollini ſecundum. nam & Tireſiæ oraculum fuit. *Idem.*

292. *Fare*] Divinare quis ſit ille Laii interfector, quem fata ad pœnas poſcant. *Idem.*

293. *Quod tardo fatum*] Non neceſſe eſt quærere, quid ſit *tardare fatum*. Optimus tamen cum Voſſiano & Cruſeriano: *Quod tarda fatu eſt lingua, quod quærit moras.* Gronovius. *Excuſat ſe vates per ſenium & cæcitatem non valere vaticinio, velle autem exquirere per extiſpicia.*

295. *Viſu carentem magna*] Flor. Voſſian. meus duoque Germanici, *carenti:* & ſic legiſſe Gellium Bernardinum docent ejus commentatii. Plautus ſane Varroque & Cicero ita loquuntur. Quibus addimus Silium l. 12. *hoſtique propinquo Roma latet.* Nec ſpernendum alterum, quo nunc frequentius utimur: *Latet me:* nam ſic & alibi Varro, Ovidius, Virgilius, Iuſtinus: ſed relinquendum aut reſtituendum cuique quod placuit. *Gronovius.*

296. *Phœbus,*] Sup. v. 288. Phœbi oraculum. *Farnabius.*

228. *Pectore exciperem Deum.*] Fl. Voſſ. & omnes Delrii, *exciperem:* quod non eſt, cur ſequamur, inquit ille: reſpexit enim Seneca illud Virgilii: *magnum ſi pectore poſſet Excuſſiſſe Deum.* Sed aliud voluit Virgilius, aliud Seneca: ille oſtendit laborem vatis vix ferentis incumbentem vim numinis, hic promptam voluntatem Superis ſe, ſi fieri poſſet, præbituri. Lucanus lib. 1. *nec ſi te pectore vates Accipiam.* Lib. 5. *& inſueto concepit pectore numen.* Medea: *Cum jam recepto Mænas inſanit deo.* Herc. Oetæo: *conceptum ferens Mænas Lycum.* Longe aliud alterum Agememnone: *dum excutiat deum. Excutere deum* non eſt vaticinari, ſed furere ac vaticinari deſinere. *Gronovius.*

303. *Opima*] Herc. Fur. 908. *Farn.*

Tires. In vota ſuperos voce ſolenni voca,
Araſque dono thuris Eoi extrue.
Mant. Jam thura ſacris cœlitum ingeſſi focis.
Tires. Quid flamma, largas jamne comprendit dapes?
Mant. Subito refulſit lumine, & ſubito occidit.
Tires. Utrumne clarus ignis, & nitidus ſtetit,
Rectuſque purum verticem cœlo tulit,
Et ſummam in auras fuſus explicuit comam?
An latera circa ſerpit incertus viæ,
Et fluctuante turbidus fumo labat?
Mant. Non una facies mobilis flammæ fuit:
Imbrifera qualis implicat varios ſibi
Iris colores, parte quæ magna poli
Curvata picto nunciat nimbos ſinu.

Quis

Stetit] Placida, non reluctans. inf. verſ. 336. *Farnabius.*

304. *In vota ſuperos voce ſolenni voca,*] Virgilii: *ceſſas in vota preceſque, Troſ, ait, Æneas?* Nempe deos vocare. Quod proprie eſt, orare ut ſuſcipiant, quæ illis vovemus, noſque votorum compotes faciant. Sic ipſe ſupplet lib. 7. *divoſque in vota vocavit.* Et lib. 12. *Opemque dei non caſſa in vota vocavit.* Gronovius.

305. *Thuris Eoi*] Sabæi. *Farnab.*

306. *Ingeſſi*] Dedi, ut loquitur Herc. Fur. 917. Plinius lib. 12. cap. 14. *ingere thura aris* dixit. utrumque ſolemne vocabulum. *Delrius.*

307. *Largas*] An carnes impoſitas avide depaſta eſt? *quod lætum ſignum.* Farnabius.

308. *Subito refulſit lumen*] Florentinus, *lumine.* nempe ipſa flamma. *Gronovius. Signum triſte Oedipo portendens, ſubitam ruinam è ſtatu regio, quo ſubito evectus fuerat.* Farnabius.

309. *Vtrumne clarus ignis,*] Habes in iis quæ ſequuntur Pyromantiæ, Capnomantiæ, & Hieroſcopiæ accuratiſſimam deſcriptionem, cui ſimilem apud alios ſcriptores non invenio. *Pyromantia* divinationis genus, quod à flammâ capiebatur: *Capnomantia* aliud, quod à fumo: *Hieroſcopia*, extiſpicium eſt. de quibus vaniſſimis ſuperſtitionibus, quid ſentiendum, & quam exſecrabiles ſint, docere te poterunt D. Iſidorus lib. 8. Origin. cap. de Magis, Rhabanus lib. de præſtigiis Magorum. Ioan. Sariſberienſis lib. 1. Polycratici cap. 12. & lib. 2. à cap. 17. Gaudentius Merula in Memorabilium libris, & fuſiſſime Michael Medina lib. 2. de verâ fide cap. 2. *Delrius.*

310. *Rectuſque, &c.*] Haud nauci eſt aliorum *Recenſque*, neque eis quiſquam accedit exemplarium noſtrorum. Optimi erat auſpicii, recta in cœlum evolans flamma cum fumo. *Grut.*

311. *Comam;*] Flammas. *Farnabius.*

313. *Fluctuante*] Non recta aſcendente. *Idem.*

315. *Imbrifera*] Pluviæ prænuncia nube, jam in pluviam reſolvi parata. *Idem. Varios*] Puniceum, viridem, cœruleum. *Idem.*

317. *Curvata*] In arcum curvata ſemicirculo minorem, cujus ratio eſt, cum roſcidus humor quaſi ſubjectum, tum ſolis quaſi efficientis ſuperior

pars,

Quis desit illi, quisve sit, dubites, color.
Cærulea fulvis mista oberravit notis,
Sanguinea rursus; ultima in tenebras abit.
Sed ecce pugnax ignis in partes duas
Discedit, & se scindit unius sacri
Discors favilla. genitor, horresco intuens,
Libata Bacchi dona permutat cruor,
Ambitque densus regium fumus caput.
Ipsosque circa spissior vultus sedet,
Et nube densa sordidam lucem abdidit.
Quid sit, parens, effare. *Tires.* Quid fari queam
Inter tumultus mentis attonitæ vagos?
Quidnam loquar? sunt dira, sed in alto, mala.
Solet ira certis numinum ostendi notis.
Quid istud est, quod esse prolatum volunt,
Iterumque nolunt, & truces iras tegunt?

Pu-

pars, quorum utrumque pyramidale. *Farnabius.*

320. *Vltimum in tenebras abit.*] Optimus elegantius: *ultima in tenebras abit.* Vt apud Terentium *prima fabula*, apud Ciceronem *prima provincia* pro primis partibus vel locis fabulæ & provinciæ. *Gronovius. In tenebras*] Flamma hæc nigra apparet vel extinguitur, *quod Pyromantice cæcitatem Oedipo prædicit.* Farnabius.

321. *In partes duas*] *Quod designat fratres Eteoclem & Polynicem in vivis discordes, mutuisque vulneribus occubituros, atque ubi eidem rogo imponentur flammam se divisuram.* Lucanus lib. 1. —*Vestali raptus ab ara Ignis, & ostendens confectas flamma Latinas Scinditur in partes, geminoque cacumine surgit Thebanos imitata rogos* — Delrius. Farnabius.

324. *Libata*] *Horrendum dictu lactices nigrescere sacros, Fusaque in obscœnum se vertere vina cruorem.* Farnab.

325. *Ambitque*] Hoc etiam è Capnomantia, regi cœcitatem portendit. *Idem.*

328. *Effare.*] Divinando. *Idem. Quid fari queam*] Male interp. *fari*, exponunt, loqui. est enim hîc θεοφητεύειν. Varro lib. 5. de ling. Latina, ita scripsit; Qui divina prædivinando solent fari, *fatidici* dicti. Ennius; *Atque Anchises doctu' Venus quem polcra dearum Fari donavit, divinum & pectus habere.* Delrius.

329. *Inter tumultus mentis attonitæ vagos?*] Idem, *vagus.* Ego nimirum vagus & incertus, ubi consistam, quid statuam, quid teneam. *Gronovius.*

330. *Sed in alto,*] Sed obscuritatis caligine tecta nec eruenda facile. *Farnabius.*

331. *Solet ira*] Iram Deorum per exta, eorumque indicia denotari existimabant. Statius 4. Thebaid. — *aut verum spirantibus extis.* Tibullus lib. 1. eleg. 9. *fibram* vocat *Deorum conscium*, & eleg. 11. Deorum nunciam. *Delrius.*

333. *Iterumque*] Sequentia enim signa offuscant priora. & huc referri potest illud vers. 320. *ultima in tenebras abit.* Farnabius.

334. *Ne-*

Pudet Deos nescio quid. huc propere admove,
Et sparge salsâ colla taurorum mola.
Placidone vultu sacra & admotas manus
Patiuntur? *Mant.* Altum taurus attollens caput,
Primos ad ortus positus, expavit diem;
Trepidusque vultum solis & radios fugit.

Tires.

334. *Nescio quid.*] *Incestus innuitur Oedipi cum matre.* Farn. *Propere*] Ritum sacrificandi sic accurate Dionys. Halicarnass. lib. 7. *Consules sacerdotesque quibus fas erat, lotis manibus, & lustratis aquâ purâ victimis, molaque conspersis earum capitibus, votisque nuncupatis, ministros eas mactare jubebant: quorum alii stantem tum etiam hostiam vecte feriebant in tempora, alii cadentem cultris excipiebant; mox direpto tergore, concidebant membratim, delibatasque ex singulis extis, aliisque membris primitias, farre obvolutas, in canistris offerebant sacrificantibus; qui aris impositas succendebant, & vinum insuper adfundebant, quæ singula in sacrificiis Græcorum factitari solita, apud Homerum licet videre.* (mox subjungit Homeri loca) *eaque etiam ætate meâ Romanos in sacris observare comperi.* Hæc ille. *Delrius. Admove*] Ante aram statue. rituale vocabulum, ut docet Brissonius, & alii. *Idem.*

335. *Sparge salsa, &c.*] Ab hoc ritu victimæ dicebantur *immolari*, auctore Servio in 4. & in 10. Æn. Glossar. Græco-Latin. *molacio* ἄλεσμα. *molator* ἀλεστὴς. num forte rectius legamus, ἅλισμα & ἁλιστὴς; nam ἅλις salsugo & *mola* in sacrificiis salsa. quid *mola* sit, docet Festus: *Immolare, est molâ, id est, farre molito & sale hostiam perspersam sacrare.* Vult Brisson. *molam* vocari far molitum & salitum; addere potuit & *tostum*, hoc est, ador seu adus ex eodem Festo & Ausonio. Verum quia hîc non Romanum, sed Græcanicum sacrificium describitur, opinor Senecæ *molam* accipiendam de farre non freso, sed integris frugibus. Scribit enim Turnebus lib. 7. adversar. cap. 13. Græcis in more positum fuisse, hostiis fruges integras, non tritas nec molitas inspergere: & argumento esse, quod eorum molæ vocentur οὐλαὶ seu οὐλοχύται, quæ erant hordei integri, & frugum cum sale admixto: usos autem Græcos, ut Theophrastus prodidit, in sacris hordeo non molito, in priscæ vitæ memoriam, quando homines, solidis, non contusis, aut fractis frugibus vescebantur. Frons ergo victimæ à Græcis solido farre perspergebatur: postquam tamen mactata & in partes erat divisa, singulæ partes adolendæ, polline, quemadmodum apud Romanos, conspergebantur, ut ex Homero Dionys. lib. 7. affirmavit. Homer. Odyss. ξ'. Καὶ τὰ μὲν ἐν πυρὶ βάλλε, παλύνας ἀλφίτου ἀκτῇ. *Et partem quidem in ignem jecit, miscens farinæ flori.* Idem.

336. *Placidone*] Sacrum ingratum censebatur, si hostia aris admota refugeret, reluctaretur, mugitum icta daret, aut non placide & recte caderet. *Farnabius.*

338. *Expavit*] *Hoc etiam Hieroscopio, regis cæcitas prædicitur.* Idem.

339. *Trepidusque vultum solis & radios*] Hoc quidem à Lipsio: & subscribit Florentinus. Tamen hoc mihi magis suspectum, quam quod antea vulgabatur: *vultum obliquat & radios fugit.* Primum ipsum hoc non est tale, ut indocti correctoris videatur. Sic Thyeste: *Obliquatque oculos oraque comprimit.* Deinde videtur sublatum ab illis, qui *radios* non putabant intelligi, si vox *solis* abesset. Non enim hoc plebejum. Ovidius lib. 7. metam. *contraque*

Tires. Unone terram vulnere afflicti petunt? 340
Mant. Juvenca ferro semet impositio induit,

Ee

traque diem radiosque minantes Obliquantem oculos. Statius prima Thebaide: *inaspectos cœlo radiisque penates.* In epithalamio Stellæ: *Excludunt radios silvis decussa vetustis Robora.* Audacius etiam Græci, ἀκτῖνα. Aristophanes Ορνισιν· Οὐδ' ὡ θερμὴ πίνυσ ἠμᾶς Α'κτὶς πηλωγὴς θάλπῃ. Libanius decl. 6. ἡδὺ ὦρᾳ, ὦ βελτί, τὴ ἀκτῖν᾽ ἀπολαύειν τῦ τυφῶνα. Idem in Iuliani necem: *μεμυωμένα μέσα θήρας ὑπὸ μεσημβρίας ταῖς ἀκτῖσι πιέζομενον.* Gronovius.

340. *Unone*] Quoto mallei ictu cadunt victimæ? *hoc enim observatum in aruspicina.*

341. *Iuvenca*] *Sic Iocasta uno vulnere se occidit.* Farnabius. *Ferro semet opposito induit,*] Lipsii liber, *impositio:* non male, ait ille, de securi: vulgata tamen recta, de cultris quibus cadentem excipiebant & jugulabant. Nimirum versus sequentes videntur significare non securi desuper perfractum collum, ut alias solebat, sed jugulum præfectum. Gruterus nihil mutandum esse ait pluribus demonstratum sibi in libro peculiari de expositionibus infantum. Tamen & Delr. Flor. Voss. *impositio.* Et credibile est ad certiorem popæ ictum præbendum, ut nunc quoque fit mactandis bubus, victimas πελεκηνίζας & resupinatas, (interdum utique quum superis diis sacrificarent, ut voluit Delrius) ut ita erecto & aperto jugulo tam bene *impositum ferrum* quam *suppositum* dici possit pro applicito. Homerus vocat ὦὶ ἐρύειν primo & secundo Iliados. Ad priorem locum Eusthathius: Εθ᾽ Ελληνικὸν, εἰ μὲν τοῖς ἄνω ἔθυον ἀνακλᾶν τ δ᾽ ἱερεῖα τραχήλου, ὡς τε ἀφορᾶν ὡς εἰς ὄρνιθα· ἐλέγετο τῦτο ὦὶ ἐρύειν ἐν παραθέσῃ δύο λέξεων, ἢ ὦὶ ἐρύειν ἐν σωθέσῃ κ᾽ ὑφεν· τετέσιν ὀπίσω ἕλκειν κ᾽ ἀναφέρειν ἐν τῷ ἀνακλᾶν· ὃ δὴ ἑρμηνεύειν δοκεῖ Σοφοκλῆς, ἐν τῷ ἄνω πέπον ἔσφαζεν. Εἰ δὲ μὴ τοῖς ἥρωσιν ἢ ὅλως τοῖς καθιερωμένοις ἔθυον, κάτω τὸ ἱερεῖον ἀπεβλέπετο ἐσφάζετο. Scholiastes Apollonii ad lib. 1. v. 565. Οταν δέ λέγῃ ἐπὶ τῶν ἡλακάτων ἐρύσας τὸ λίνα, τῦτο φησὶν, ὅτι μέχρι τ ἀκροτάτυ μέρους τ ἱστᾶ ἀνείλκυσεν τὸ ἱστία. Quo adjuvatur vis ejus verbi. Nam quod addit Gruterus, non videre se quomodo juvenca *induat* se cultro impositio, facilis est responsio, subsultando aut impellendo se & irruendo in ferrum, antequam id victimarius urgeat. Lactantius ad 4. Thebaidos: *Sacerdotum consuetudo talis est, ut aut ipsi percutiant victimas, & Agones appellantur, aut sic tenentis cultrum alter impingat.* Gron. *Opposito induit,*] M. s. meus, *imposito.* Virg. 3. Georg. *Ac vix suppositi tinguntur sanguine cultri.* Sed hæc contraria sunt? nequaquam. Nam à Cleone 1. Argonaut. si Natali in Mytholog. credimus, proditum fuit, veteres superis sacrificantes, resupinatarum jugulum sursum convertisse; cum inferis faciebant, eorumdem collum deorsum terram versus deprimere solitos. quod & Myrtilus docet his verbis; εἰώθασιν ἱερεῖς τὲ ἐντομὰ τοῖς κάτω θεοῖς ἀναμιζόμενοι τῇ γῇ δοκεύσας τὰς κεφαλάς· ὕτω γὰρ θύσει τοῖς ὑποχθονίοις. τοῖς δ᾽ ὑρανίοις ἄνω ἀναστρέφουσι τ ἱερεῖον τ τράχηλον ζῴαξωλες. Recte ergo Virgilius dixit *suppositi,* cum loquatur de inferorum sacrificio, quo culter quodammodo victimæ jugulo supponebatur: quare & lib. 6. Æneid. *Supponunt alii cultros* —— recte etiam noster dixit *imposito,* cum agat de superorum sacrificio, quo culter hostiæ collo quasi imponebatur. Vnde apparet verissimam esse optimi mei cod. scripturam. *Delrius.*

342. At

Et vulnere uno cecidit: at taurus, duos
Perpessus ictus huc & huc dubius ruit,
Animamque fessus vix reluctantem exprimit.
Tires. Utrum citatus vulnere angusto micat,
An lentus altas irrigat plagas cruor?
Mant. Hujus per ipsam, qua patet pectus, viam
Effusus amnis: hujus exiguo graves
Maculantur ictus imbre. sed versus retro
Per ora multus sanguis atque oculos redit.
Tires. Infausta magnos sacra terrores cient.
Sed ede certas viscerum nobis notas.
Mant. Genitor, quid hoc est? non levi motu, ut solent,
Agitata trepidant exta; sed totas manus
Quatiunt: novusque prosilit venis cruor.
Cor marcet ægrum penitus, ac mersum latet:
Liventque venæ; magna pars fibris abest;
Et felle nigro tabidum spumat jecur.

Ac,

342. *At taurus,*] Oedipus binis vulneribus oculorum cœcus erravit, & vix tandem apud σεμνὰς θεὰς mortem oppetiit. *Farnabius.*

347. *Vivus per ipsam,*] Quum sic aut *Vnius* aut *Hujus* in libris inveniset Gruterus, quamquam non abhorrens ab ultimo, medium pejus elegit. Flor. *Hujus.* Gronovius. *Viam*] Vulnus. *Farnabius.*

348. *Amnis:*] Copia sanguinis. *Id.* *Exiguo*] Modico cruore. *Idem.*

351. *Infausta*] *Terruit ipsè color vatem, &c.* Lucan. 1. *Et animosa hæc exta.* Idem.

353. *Non levi motu*], Hanc inspectionem rite fieri putabant, si adhuc vivæ pecudis utero erepta exta, palpitarent, trepidarentque, ut patet ex Arnobio lib. 7. adv. gent. hîc dicit; *non levi motu*, quia ingentes tumultus instabant. *Delrius.* *Vt solent,*] Quando læta nunciant. *Idem.*

354. *Exta;*] Thyest. vers. 763. Ex visceribus, propriè cor, jecur, & pulmo vocantur exta; quia hæc maximè exstantia Diis prosecabantur. *Idem.*

355. *Novisque*] *Iuvenum Eteoclit & Polynicis.* vel lege *novusque*, id est, non solitus & usitati coloris. *Farnab.*

356. *Cor marcet ægrum*] Oedipus. *Idem.* Iam enim Haruspices Græci cor inspiciebant, quod Romani demum post Pyrrhi ex Italiâ discessum facere cœperunt. Plinius lib. 11. cap. 7. *Delrius.*

357. *Liventque venæ;*] Plena est hæc Senecæ ominosorum extorum descriptio: cum qua videtur certare voluisse Lucanus lib. 1. quem fuerit non inutile cum eâ conferre. *Terruit ipse color vatem, nam pallida tetris Viscera tincta notis, gelidoque infecta cruore Plurimus asperso variabat sanguine livor. Cernit tabe jecur madidum, venasque minaces Hostili de parte videt.* Idem. *Magna*] *Fratrum concordia deficit.* Farnabius.

358. *Felle nigro*] *Odio fratrum.* Id. Probatur hoc versiculo inspectoribus etiam

Ac, semper omen unico imperio grave,
En capita paribus bina consurgunt toris; 360
Sed utrumque cæsum tenuis abscondit caput
Membrana latebram rebus occultis negans.
Hostile valido robore insurgit latus,
Septemque venas tendit. has omnes retro

Pro-

etiam atræ bilis folliculum curæ fuisse: quem suo hîc loco, nempe in jecore, cui adhæret, posuit. *Delrius.*

359. *Semper omen*] Duos enim Principes, & de Principatu contentionem minatur. *Idem. Unico*] Huic maximè, omni tamen imperio minax. quare hujusmodi exta Livius lib. 27. & Valerius lib. 1. cap. 6. *minus læta*, vocant. M. Marcello Cos. duo jecinoris capita visa, eo qui necem præcessit die, affirmant, Livius, Valerius, Plinius, & Plutarchus. *Idem.*

360. *Capita bina*] In extis observabant maximè summitates fibrarum, πὲ κυρτὲ & jecoris caput, quod ex natura unum, si quando duo repererentur, ominosum illud & præter naturam. *Sed & imaginaria erant capita, de quibus mox.* Farnabius.

361. *Sed utrumque*] Sed utrumque caput jecinoris delitescens in membranæ involucris, cum triste sit ostentum, velle Deos hæc in præsens celari significat, verum parvo interjecto tempore, nota fore parricidium & incestum Oedipi. *Idem. Abscondit*] Existimabant jocinoris caput non apparens grave Imperatori aut Reipubl. infortunium portendere. Iul. Obsequens in lib. de prodigiis, Q. Metello, & T. Didio consulibus, apud ædem Apollinis Decemviris immolantibus, caput jocinoris non apparuisse. accidit hoc ipsum Postumio, Catoni, Herennio, & Lucilio Lupo. Arrianus lib. 7. hist. Alex. scribit Pythagoram, antequam Alexander obiret, hostiam immolasse, & sine capite jecur inventum; idemque illi contigisse pro Hephæstione & Perdicca sacrificanti; qui omnes statim post mortui sunt. Non cæsum modo caput erat, sed etiam in membranæ cujusdam involucris delitescens, ut vix potuerit magnâ curâ & diligenti investigatione inveniri. exempla producit Barnabas pag. 26. & 27. Ego etiam nonnulla ptior Adversar. *Delr.*

363. *Hostile*] Aruspices quidem mente & imaginatione dividebant exta duas in partes; hanc amicis tributam *Familiarem*, illam inimicis *Hostilem* vocabant deinde ex utriusque partis habitu eventura conjiciebant. hic itaque ariolatur vires adversæ partis. scil. Polynicis cum sex aliis ducibus, *quos septem venæ denotant.* Farnab. Vnde jam manifestum cur Livius lib. 8. tradiderit; *caput jecinoris, à familiari parte cæsum haruspex dicitur ostendisse*; & Lucanus *hostilem partem*, noster *hostile latus* nominarint. Ad duplex istud latus, partem, seu caput, videbatur consequi etiam duplex *fissum*, unum hostile & noxium, alterum propitium & amicum. *Fissum*, puto vocasse, lineam seu tramitem quendam imaginarium, exta & fibras bipartito dividentem & intersecantem; quem frustra quæras in corporis verâ dissectione. meminit Cicero in lib. de Divinat. & de Nat. Deorum. Fissum hoc dividebant etiam in *familiare* & *vitale*, ut notat Turnebus lib. 4. cap. 18. & *vitale* dictum putat ceterorum extorum; *familiare*, tantum jecoris: & nititur auctoritate Lucani; & Ciceronis, qui inquit: *Fissum familiare & vitale tractant.* Delr.

364. *Septemque venas*] Prætendit venas salientes & celeri (ut ait Lucanus) pulsu motas; quod hostilium prœliorum signum. *Idem.*

365. *Li-*

Prohibens reverti limes obliquus secat.
Mutatus ordo est. sede nil propria jacet;
Sed acta retro cuncta. non animæ capax
In parte dextra pulmo sanguineus jacet.
Non læva cordis regio. non molli ambitu
Omenta pingues visceri obtendunt sinus.
Natura versa est. nulla lex utero manet.
Scrutemur unde tantus hic extis rigor.
Quod hoc nefas? conceptus innuptæ bovis,
Nec more solito positus, alieno in loco
Implet parentem. membra cum gemitu movet.
Tremulo rigore debiles artus micant.
Infecit atras lividus fibras cruor;
Tentantque turpes mobilem trunci gradum:
Et inane surgit corpus. ac sacros petit

Cornu

365. *Limes*] Fissum, seu linea commentitia ex mente aruspicis, extra bipartito dividens. *Farnab. Obliquus*] Hostilis, *vel* transversus cum sit, ostendit hostes non reversuros. *ceciderunt autem duces ante Thebas ad unum Adrastum.* Idem.

366. *Mutatus ordo est.*] Lege Vesalium, & alios Anatomicos, & videbis adcurationem nostri etiam in istis. *Delrius.*

367. *Retro cuncta.*] Inversa. *Farn. Animæ*] Spiritus & aëris vitalis capax. *Idem.*

369. *Non læva cordis regio;*] Florentiæ habetur, *cordi.* Puta, integra vel salva est. Idem *visceri*, ut voluit Scaliger. Lucanus: *produntque suas omenta latebras.* Gronov. *Non molli*] Manu tentans viscera ex distento & rigido utero concepisse fordam juvencam miratur. *atque hæc intellige de Iocastæ partu ex illicito concubitu.* Farnabius.

370. *Omenta*] Sic fatiscunt, ut quæ debebant obnubere viscera, rimis suis illa potius prodant. sic Lucanus interpretatur. addit, *non molli ambitu*, solent esse tactu mollia, ut pinguia: sed nunc sunt rigida & aspera. Aliena ab hoc loco, quæ de carnibus immolatitiis omento tegendis referuntur à Turnebo lib. 7. adverss. cap. 13. *Delrius.*

372. *Tantus hic extis rigor.*] Abjeci personam Tiresiæ, ut ipsa adhuc loquatur Manto, accingatque se ut exploret causam rigoris. *Gruterus.*

373. *Conceptus infaustæ bovis,*] Liber, *innuptæ bovis.* Atque ita sane duplex monstrum: quod nec suo loco fœtus, quod nec in vaccâ. Supra *juvencam* appellavit: & solent tales eligi ad sacra. *Lipsius.* Non aliter Florentinus.

377. *Infecit arctas*] Admiserunt alii *atras*, quibus non adjicio calculum, nam si *fibræ atræ*, non utique potuit apparere in iis livor. *Gruter.* Sed adjicit illis calculum Florent. *Atras* autem dicit non natura sua, sed propter ipsum illum cruorem lividum. *Gron.*

378. *Tentantque*] Victimæ semineces surgere & effugere conantur, sed frustra. *Farnabius.*

379. *Et inane*] Iam extractis extis. *Delrius.*

381. *Ne-*

Cornu miniſtros. viſcera effugiunt manum.
Neque ipſa, quæ te pepulit, armenti gravis
Vox eſt, nec uſquam territi reſonant greges:
Immugit aris ignis, & trepidant foci.
Oedip. Quid iſta ſacri ſigna terrifici ferant,
Exprome: voces aure non timida hauriam.
Solent ſuprema facere ſecuros mala.
Tireſ. His invidebis, quibus opem quæris, malis.
Oedip. Memora, quod unum ſcire cœlicolæ volunt,
Contaminarit rege quis cæſo manus.
Tireſ. Nec alta cœli quæ levi penna ſecant,
Nec fibra vivis rapta pectoribus poteſt
Ciere nomen. alia tentanda eſt via,
Ipſe evocandus noctis æternæ plagis
Emiſſus Erebo, ut cædis auctorem indicet.
Reſeranda tellus. Ditis implacabile
Numen precandum. populus infernæ Stygis
Huc extrahendus. ede, cui mandes ſacrum.

Nam

381. *Neque ipſa,*] Nec mugitus quem audis boum eſt, ſed ſanguinis in aris. *Farnabius.*

383. *Immugit ara ſegnis,*] Et hoc è pravorum codicum turba ſubjectum. Priſcæ editiones: *Immugit aris ignis & trepidant foci:* idque totum habet optimus liber. Abeant *aræ ſegnes* cum *trepitantibus* focis. *Gronvius.*

386. *Solent*] Extrema mala timorem tollunt, deſperatoſque reddunt. *Farnabius.*

387. *Hù invidebis,*] Non ſunt hæc extrema mala, verum ea imminent, quæ ſi præſentibus conferantur, bona ſunt, habeaſque cur his invideas. *Idem.*

388. *Memora,*] Effare tantum quod oraculum patefieri vult, quis Laium interfecerit. *Idem.*

390. *Alta cœli*] Augurium. *Id. Penna quæ levis ſecat,*] Recte hanc ſcripturam improbaverunt viri ſummi. Alia namque & verior eſt in Flor. *Nec alta cœli quæ levi penna ſecant.* Itaque duo codices in Germania nobis viſi, & Voſſiani & Heinſianus alter minore forma, quem nunc demum adhibere incipio: niſi quod hi *ſecat.* Quæ ſecant nempe animalia volucria, vel volucres. Nec neceſſe cum viro docto: *quæ leves pennæ ſecant.* Gronovius.

391. *Fibra*] Aruſpicina. *Farnabius. Vivis rapta*] Sic Thyeſt. Act. 4. v. 753. *Erepta vivis exta pectoribus tremunt.* Rapi illa conſueviſſe, ut ſpirantia & palpitantia conſulerentur, Arnobii, Virgilii & aliorum teſtimoniis probat Barnabas pag. 23. *Delrius.*

392. *Nomen.*] Regicidæ nomen. *Farnabius.*

393. *Ipſe*] Per necromantiam, vel ſciomantiam evocandus eſt ab inferis Laius, vel umbra Laii. *Idem.*

396. *Populus*] Vmbræ. *Idem.*

Nam te, penes quem summa regnorum est, nefas
Invisere umbras. *Oedip.* Te Creo hic poscit labor,
Ad quem secundum regna respiciunt mea.
Tires. Dum nos profundæ claustra laxamus Stygis,
Populare Bacchi laudibus carmen sonet.

398. *Nam te*,] Nota Regibus non licuisse interesse sacris inferorum; quibus manes invocabantur. Nam inferos adiêre (secundum poëtas) Æneas, & Vlysses. Fortassis tectum quid & ingeniosum hic latet, & in adulationem Principis; quem negat fas adire inferos. Mos enim invaluerat, mortuos Impp. numero Deorum ascribere. An etiam respexit ad Dialis flaminis conditionem? cui certe non licuit locum, in quo bustum erat, unquam ingredi, neque mortuum attingere, ut Gellius refert. Sed prius illud amplius placet. *Delr.* Commentatores quærunt causas, nec explicant. Ego puto simpliciter, quia haud licitum regibus videre aut tractare feralia, non magis quam imperatoribus *auguratu vetustissimisve cæremoniis præditis*, ut loquitur Tacitus lib. 2. Annalium. De quo more ego plura in libellis Suspicionum. *Gruterus.*

399. *Te Creo*] *Sufficit huic negotio Creonta.* Farnabius.

402. *Populare*] Pop. Thebano peculiare & solenne. nam & Bacchus Thebanus. Hymnus Thebanis peculiaris, & solitus. Festus: *Popularia sacra sunt (ut ait Labeo) quæ omnes cives faciunt, nec certis familiis attributa sunt.* populare ergo quod totius populi. Ennius Annal. *Quam de tuas omnes legiones ac populares.* Delrius.

CHORUS.

Canit Chorus dithyrambum, qui Bacchi gesta & inventa continet.

Effusam redimite comam nutante corymbo,
Lucidum cœli decus, huc ades votis,
Mollia Nisæis armatæ brachia thyrsis,
Quæ

403. *Redimite*] O Bacche redim. com. *atque hæc transpositio præferenda vulgatæ lectioni, ubi Chorus populares seque invicem hortantur.* Farnabius. Bacchi legem jussisse, ut comites ejus nigræ hederæ foliis & corymbis coronarentur, docet Dionys. Afer, & Bacchum comatum pingi constat. *Delrius.*

404. *Cæli decus*,] Bacchus enim idem cum Sole, qui *crinitus* scil. radiis: *perpetuo juvenis.* quia in cursu constans & omnia vivificans; *formosus*, quippe omnia illustrans. Et hîc rite invocatur, quia λοίμιος, ut supr. vers. 36. & 109. *Farnabius.*

405. *Nysæis*] Decem Nysæ sunt. quoties autem nullo adjecto restringitur, Indica illa intelligenda est, prope quam in antro Bacchus à nymphis est enutritus. *Farnab. Armatæ brachia thyrsis*,] Satis commode videntur transpositi versus, & sic mutatum pro *armati*, quod editi scriptique fere habent libri. Dubium tamen me reddit optimus codex, qui & versum pristino loco servat & exhibet *armatus*: quasi tam hunc quam primum versum chori de ipso Baccho velit intelligi: eum vocari *redimitum effusam comam nutante corymbo* & *armatum mollia brachia Nisæis thyrsis.* Neque enim minus Bacchi

Quæ tibi nobiles Thebæ, Bacche, tuæ
Palmis supplicibus ferunt.
Huc adverte favens virgineum caput.
Vultu sidereo discute nubila,
Et tristes Erebi minas,
Avidumque fatum.
Te decet vernis comam floribus cingi,
Te caput Tyria cohibere mitra;
Ederave mollem baccifera
Religare frontem.
Spargere effusos sine lege crines,
Rursus adducto revocare nodo.
Qualis iratam metuens novercam
Creveras falsos imitatus artus,
Crine flaventi simulata virgo,
Luteam vestem retinente zona.

Inde

chi quam Thebaidum *mollia* brachia. *Gronovius.* *Thyrsis*,] Thyrsus erat lancea hederæ frondibus occultata, ut hedera amicis metum tolleret; hostibus, dolosa cuspis lanceæ vulnus infligeret. ab hoc thyrso Bacchus *thyrsiger*, Bacchæ *thyrsigeræ* Latinis: Nævius Lycurgo: *Pergite thyrsigeræ Bacchæ, Bacchico cum schema.* Græcis θυρσόλογχοι, quæ vox dolosam illam cuspidem indicat. Athenæus auream thyrsolanceam in manu habuisse docet Liberum, cum de illo inquit: εἶχεν ἐν ταῖς χερσὶ λόγχην θυρσόλογχον. *Delrius.*

408. *Virgineum*] Herc. Fur. v. 473. *Farnabius.*

409. *Vultu sidereo*] Formosо.

410. *Tristes*] Suprà vers. 160. & deinceps. *Farnabius.*

411. *Avidumque*] Mortem insatiabilem. *Idem.*

412. *Floribus*] Vnde ἄνθιος dictus. *Idem.*

413. *Tyria*] Purpurea, *vel* Lydia. Herc. Fur. vers. 470. *Idem.* *Mitra;*] מיתרא *Mitra* autem vox Syriaca tam matrum quam virginum ornamentum, quo caput vinciebant, significans; Latine, *vitta.* Propertius: *Cinxit & acceptas altera vitta comas.* Delr.

414. *Ederave*] Hedera, quæ corymbos nigros fert, se Bacchus coronavit; vel propter similitudinem quam habent folia & fructus cum vite; vel quod corollæ hederaceæ insita frigiditate vapori resistunt, vinique potentiam sistunt. *Farnab. Baccifera &c.*] Sic omnino legendum. Haud rectè qui substituere *Bacchiferâ*, atque interpretantur, quæ fertur à Baccho & Bacchis. Requiro enim exemplum similis compositionis; quippe composita hujusmodi activa sunt, non passiva. *Gruterus.*

417. *Adducto*] Collecto in nodum & in terga rejecto. *Farnabius.*

418. *Qualis*] Qualis infestam pellicibus Iovisque filiis Iunonem metuens, virginis os habitumque gerens latebas in antro Nysæo. Suprà v. 405. *Idem.*

Inde tam molles placuere cultus,
Et ſinus laxi, fluidumque ſyrma.
Vidit aurato reſidere curru,
Veſte cum longa tegeres leones,
Omnis Eoæ plaga vaſta terræ,
Qui bibit Gangem, niveumque quiſquis
Frangit Araxen.
Te ſenior turpi ſequitur Silenus aſello,
Turgida pampineis redimitus tempora ſertis.
Condita laſcivi deducunt orgia myſtæ.
Te Baſſaridum comitata cohors,
Nunc Edoni pede pulſavit

Sola

422. *Vnde tam molles placuere*] Tolle interrogationis notam, & ſcribe cum Flor. Mog. & Cruſer. *Inde tam molles.* Hinc, inquit, ex hac fabula, quod metu novercæ latuiſti diſſimulatus habitu puellari, hinc, inquam, eſt quod hodieque tibi, quamvis forti & bellatori, molles cultus placent. Mox Florent. *Frangit Araxen.* non *Araxem. Gronov.* Origenes lib. 3. contra Celſum, tradit Bacchum muliebri habitu amictum eſſe, vocatque Mænalam. *Delrius.*

423. *Laxi,*] Diſcincti. *Farnabius. Syrma*] Hercul. Fur. verſ. 474. *Idem.*

425 *Veſte*] Cum ſyrmate tegeres leones currum tuum trahentes, ut & tigres & lynces. *Idem.*

426. *Omnis*] Orientales mundi partes; India maxime & Scythia. Suprà verſ. 114.

427. *Gangem,*] Indiæ fl. *Farnab. Niveumque*] Armeniæ fluv. nivibus auctum; vel frigidum. addit enim *Frangit.* vel, gelu conſtrictum; vel ratibus ſecat. vel reſpicit ad nomen fluvii, ab ἀράσσω frango. *Idem.*

429. *Silenus aſello,*] Alumnus & nutritor Bacchi. *Idem.* Ovid. Metamorph. 4. — *Bacchæ Satyrique ſequuntur, Quique ſenex ferula titubantes ebrius artus Suſtinet, & pando non fortiter hæret aſello.* Sileni Mythologiam docet Natalis lib. 5. Mytholog. cap. 8. Silenos Nicandri ſcholiaſtes in Alexipharm. dici tradit ἀπὸ τοῦ σιλλαίνειν, ὅ ἐστι λοιδορεῖν, & eoſdem appellari ſatyros: cui repugnat Nonnus, eos diſtinguens his verbis. Καὶ λασίων Σατύρων κεντουρίδος αἷμα γενέθλης, Σιληνῶν τε φάλαγγα, &c. *Delrius.*

430. *Turgida*] *Inflata heſterno ut ſemper Iaccho.* Farnabius.

431. *Condita*] Nonniſi initiatis revelanda; variis obſita frondibus; non ſub dium rapienda. *Idem. Orgia*] Bacchanalia, ab ὀργῆς furore; *vel* τῶν ὄρων montibus qui reſonant nocturno Bacchantium clamore; *vel* ἀπὸ τοῦ εἴργειν ab arcendo à myſteriis profanos. *Idem. Myſtæ.*] Myſteriorum periti, initiati ſacris, à μυέω. *Idem.*

432. *Baſſaridum*] Bacchi miniſtrorum, ἀπὸ τοῦ βάζειν à vociferando: vel à vulpinis pellibus quibus cingebantur: Baſſares enim Thracibus ſonat *vulpes;* (qua ratione & ſcortum deducitur, & Baſſaris pro meretrice ſæpe uſurpatur) *aliis* à demiſſa & talari veſte qua induebantur Bacchi miniſtri. *Idem.* Harum nomina habes apud Nonnum Dionyſ. ιδ'. *Delrius.*

433. *Nunc Edonii pede*] Scribe, *Edoni,*

Sola Pangæi; nunc Threicio
Vertice Pindi; nunc Cadmeas
Inter matres impia Mænas
Comes Ogygio venit Iaccho,
Nebride sacra præcincta latus,
Tibi commotæ pectora matres
Fudere comam: thyrsumque levem
Vibrante manu, jam post laceros
Pentheos artus Thyades œstro

Mem-

Edoni. Sunt enim Ηδωνοὶ. Statius lib. 5. *Edonas hiemes Arctonque frementem Excipere.* Iam monuit G. Fabricius. Flor. *Edono.* quod esset, Edonorum more. Sed quod sequitur, quomodo cohæret? Lege: *nunc Threïcio Vertice Pindum.* In altissimo Thraciæ loco. Neque enim ausim rescribere, etsi blandiatur. *Nunc Edono pede pulsarit Sola Pangæi; nunc Threïcio Turbine Pindum.* Vt chororum modi significentur. *Gronovius.*

434. *Pangæi;*] Thraciæ promontorii Macedoniam versus. *Farnabius.*

435. *Cadmeas*] Thebanas. *Idem.*

436. *Mænas*] Baccha. à μαίνεσθαι. *Idem.*

437. *Ogygio*] Thebano, ab Ogyge rege. *Idem. Iaccho,*] Baccho ἀπὸ τοῦ ἰάκχειν, à vociferatione ebriorum. *Idem.*

438. *Nebride*] Hinnuli pelle Baccho sacra, qua ipse amiciebatur: unde νεβρώδης dictus, & νεβριδόπεπλος. *Idem.*

439. *Matres*] Thebaid. vers. 17. *Idem.*

442. *Thyades*] Bacchico furore percitæ: à θύω, feror impetu. Bacchæ Thebanæ. *Thyades* (ait Pausan. in Phoc.) *sunt Atticæ feminæ, quæ in Parnassum quotidie venientes, cum Delphicis mulieribus arcana Libero patri sacra peragunt.* sed poëtæ latius sumere consueverunt. *Delrius. Oestro*] Latine *asilus*, Græce οἶστρος. Virgilius Georg. 3. *Est lucos Silari circa, ilicibusque virentem Plurimus Alburnum volitans; cui nomen asilo Romanum est, œstrum Graii vertêre vocantes, Asper, acerba sonans, quo tota exterrita silvis Diffugiunt armenta:* —— Romanum nomen suo jam tempore periisse, & Græcum tantum in usu fuisse scribit Seneca epist. 59. *Oestrum* quidam cum *tavano* confundunt, quem Græci μύωπα vocant, in quibus Plinius lib. 11. cap. 28. & Apollonius l. 1. ubi cum de œstro ageret, dicit: ὅντε μύωπα βοῶν κλείουσι νομῆες, *quem tavanum vocant bubulci.* & glossarium Latino-Græcum; *Asilio* κέντρον βόων καὶ σκορπίων. Græco-Latinum: οἶστρος ὁ μύωψ. *Tabanus, asilio.* Aristotel. in animal. hist. docet οἶστρον circa fluvios, μύωπα in silvis nasci. vide Scholiast. Apoll. in lib. 1. v. 205. & Wottonum lib. 9. de differ. animal. cap. 213. Obtinuit, ut μεταφορικῶς furiosi dicantur *Oestro perciti*, ab Euripide, apud Galenum lib. 3. de Hippoc. & Platon. dogmat. cap. 4. & Latinis passim Philostratus in Imag. Penthei pingit. Bacchum τὴν δὲ οἶστρον προσβακχεύσαντα ταῖς γυναιξίν. *œstro pungentem & furiantem mulieres.* Ælianus quoque lib. 3. var. hist. refert Lacænas, Sicyonias, & Thebaides olim hoc Bacchi œstro infestatas; tresque Minyades, Leucippem, Alcippem & Alcithoëm eodem asilo stimulatas, infantulum Leucippes, quem hinnuleum putabant, discerpsisse. Quam flebiliter Pentheum Agave mater luxerit,

Membra remissæ, velut ignotum
Videre nefas.
Ponti regna tenet nitidi matertera Bacchi,
Nereidumque choris Cadmeia cingitur Ino.
Jus habet in fluctus magni puer advena ponti
Cognatus Bacchi, numen non vile, Palæmon.
Te Tyrrhena puer rapuit manus,
Et tumidum Nereus posuit mare,
Cærula cum pratis mutat freta.
Hinc verno platanus folio viret,
Et Phœbo laurus carum nemus:
Garrula per ramos avis obstrepit.
Vivaces ederas remus tenet.
Summa ligat vitis carchesia.
Idæus prora fremuit leo.
Tigris puppe sedet Gangetica.

Tum

xerit, ita describit Nonnus lib. 46. Dionys. ut vix queat mœstius & lacrymabilius. *Delrius.*

443. *Velut*] Sanæ menti restitutæ lugebant facinus, quod furiatæ admisissent.

445. *Matertera*] Ino. Thebaid. vers. 23. *Farnabius.*

446. *Cadmeia*] Sic Claudianus: —— *Cadmeia ludit Leucothoë.* —— De Ino seu Leucothoë multa Pausanias in Atticis. *Delrius. Ino.*] Ino Athamanti Melicertam peperit, cum quo mariti furorem fugiens, in mari submersa, credita marinorum Deorum numero addita Græci *Leucothean*; Latini *Matutam*, filium illi *Palæmonem*, hi *Portumnum* nuncupant. latè hæc Nonnus lib. θ'. & ν'. Pausan. in Attic. & Messeniac. Plutarchus in Camillo. Apollod lib. 3. Biblioth Ovid. lib. 1. & 4. Metam. & 6. Fast. sed alia longè narrat Aristides in Isthmica 1. quem legat, qui multa de Leucotheâ & Palæmone volet. vide etiam vers. 22. Thebaid. *Idem.*

448. *Cognatus*] Sobrinus Palæmon, factus Deus maris Portumnus. Ibid. *Farnabius.*

449. *Te Tyrrhena*] Piratæ Tyrrheni rapuerant Bacchum in navim, dumque ipsum ligare vellent, Bacchus pitatas in furorem vertit; quo correptis, mare visum est pratum floribus & arboribus consitum, mali in vites verti, remi in serpentes, jamque leo visus est proram obsidere, tigris puppim, quo attoniti dejiciunt se in mare & Delphines facti sunt. *Idem.*

450. *Et tumidum Nereus*] Flor. & nostræ membranæ, *timidum.* quasi reverentia Bacchi. Inferius: *Divite Pactolos.* non *Pactolus.* Gronovius.

453. *Laurus*] Suprà vers. 16. *Farnabius.*

455. *Vivaces*] Quæ juge virentes, ne hieme quidem decus suum amittunt. *Delrius.*

456. *Carchesia*] Summam mali partem. *Farnabius.*

457. *Idæus*] Horrendus, qualis in Ida monte Phrygiæ. *Idem.*

458. *Gangetica*] Indica à Gange fluv. *Idem.*

461. *Bra-*

Tum pirata freto pavidus natat;
Et nova demersos facies habet.
Brachia prima cadunt prædonibus,
Illisumque utero pectus coit.
Parvula dependet lateri manus,
Et dorso fluctum curvo subit:
Lunata scindit cauda mare,
Et sequitur curvus fugientia carbasa delphin.
Divite Pactolos vexit te Lydius unda,
Aurea torrenti deducens flumina ripa.
Laxavit victos arcus Geticasque sagittas
Lactea Massagetes qui pocula sanguine miscet.
Regna securigeri Bacchum sensere Lycurgi.
Sensere terræ te Dacûm feroces:
Et quos vicinus Boreas ferit
Arva mutantes: quasque Mæotis
Alluit

461. *Brachia prima*] Hoc carminis genere usus fuit Pomponius Secundus, apud Terentianum, his verbis: *Pendeat ex humero dulcis chelys Et numeros edat varios; quibus Assonet omne virens late nemus Et tortis errans qui flexibus.* Delrius.

463. *Parvula dependet*] Ovidius Metam. 3. hanc rem fusius expressit, hoc modo: *In spacium resilire manus breve vidit, & illas Iam non esse manus, jam pinnas posse vocari.* Idem. *Manus,*] Pinnæ loco manuum. *Farn.*

464. *Curvo*] Ex hominibus facti Delphines incurvi. *Idem.*

465. *Lunata*] *Falcata novissima cauda est, Qualia dimidiæ sinuantur cornua Lunæ.* Idem.

467. *Pactolus*] Pact. Lydiæ fluv. vexit te rectorem unda aurifera. *Idem.*

470. *Massagetes*] Scythiæ pop. *qui lac commistum potant cum sanguine equino.* Idem.

471. *Regna*] Thracia, vid. Herc. Fur. vers. 902. *Idem. Securigeri Lycurgi.*] Lycurgus, Dryantis F. rex Thraciæ, Bacchum omni, quâ potuit injuriâ affecit, bello superavit, egit in exilium, interfecit, ut scribit Iul. Firmicus lib. de mysteriis & erroribus prophan. relig. cap. 6. Vetum ethnici finxerunt contraria, victum Bacchi artibus Lycurgum contemtæ religionis gravissimas pœnas dependisse. Plutarchus in lib. de poët. leg. scribit eum, cum vites omnes è Thracià conaretur exscindere, sibi crura securi incidisse; huc noster respicit. Higyn. cap. 132. tradit furore correptum, uxorem & liberos trucidasse, & à Pantheris, quas Dionysus immiserat, in Rhodope laceratum. Apollodorus lib. 3. Bibliothec. ab equis in Pangæo discerptum; Homerus excæcatum dumtaxat; alii sibi manus intulisse. multa Eustathius ad 6. Iliad. *Delrius.*

472. *Te Dacûm*] Vide Thyest. 369. sic Horat. *te Dacus, te profugus Scytha. Farnabius.* In emendationibus Solini cap. 52. num. 3. monui, hîc legendum esse *Sacarum.* in qua sententia adhuc sum. male in v. l. continetur *Zadacum.* Delrius.

474. *Arva*] Herc. Fur. v. 532. *Farn.*

Alluit gentes frigida fluctu:
Quasque despectat vertice summo
Sidus Arcadium, geminumque plaustrum.
Ille dispersos domuit Gelonos:
Arma detraxit trucibus puellis:
Ore dejecto petiere terram
Thermodontiacæ graves catervæ;
Positis tandem levibus sagittis,
Mænades factæ. sacer & Cithæron
Sanguine inundavit,
Ophioniaque cæde.
Prœtides silvas petiere: & Argos
Præsente Bacchum coluit noverca.

Naxos

Mæotis] Scythiæ palus. *Farnabius.*

475. *Alluit gentes frigida fluctu:*] Quidam *frigido.* Florent. *rigido.* Infra: *frigore æterno rigens.* Martiali *rigens Dircenna placabit fitim*, & *aquam potare rigentem* Columella lib. 9. 14. *recentissimi rigoris aqua infusa.* Gron.

476. *Quasque*] Et si qui directe subjacent utris, sideribus Borealibus. Hercul. Fur. vers. 6. & 128. *Farnabius.*

478. *Gelonos:*] Sarmatiæ pop. Hercul. Fur. 538.

479. *Trucibus*] Amazonibus. Hippolyt. vers. 397. *Farnabius.*

480. *Ore j* Mortem oppetiere. Hercul. Fur. vers. 895. *Idem.*

481. *Thermodontiacæ*] Hercul. Fur. vers. 245. *Idem.*

483. *Levibus sagittis, Mites factæ.*] Vulgares libri syllaba adaugent: *Mites sunt factæ.* Sed præclare optimus codex: *Positisque tandem levibus sagittis Mænades factæ.* Hoc est, omisso habitu & armatu Amazonio nebridem & thyrsum sumpsere & inter Mænades Bacchum veneratæ ac secutæ sunt. Mox pro *Ophioniaque* Grotius ad marginem: *Echioniaque cæde.* Pentheus enim Echionides. Flor. etiam: *Sanguine undavit.* Gronov. *Citharon*] Mons prope Thebas. *Farnabius.*

486. *Ophioniaque*] Thebana, ab Ophione superstite ex iis, qui è serpentis dentibus nati sunt. Herc. Fur. 259. *Hoc est* Penthei & comitum Bacchi contemptorum sang. *Idem.*

486. *Prœtides*] Cum Prœti Argivorum regis filiæ Iunonis formæ, suam præferrent, eædemque Bacchum colere recusarent, injicit iis furorem Liber, ut sibi vaccæ visæ in sylvas fugerent & *implerent falsis mugitibus agros.* hæc ultio Iunoni usque adeo grata, ut deinceps privigno conciliata faveret. *Farn. Et agros Præsidem Bacchum*] Priscæ editiones & scriptorum vulgarium manus omnis, *Præsentem.* quod ratione carminis, ut putat, habita delevit Fabricius, & suppositit, *Præsidem.* Deltius malit, *Vindicem*, aut *Præsidem* jubet intelligi Naxi. Quid autem, quod Bacchum noverca coluisse dicitur? Nempe, aiunt, ultio de Prœti filiabus adeo grata fuit Iunoni, ut deinceps reconciliata privigno faveret. At ille non in Iunonis gratiam, sed proprio dolore Prœtidas in furorem egit. Pulcre & vere liber optimus: *Prœtides silvas petiere: & Argos Præsente Bacchum coluit noverca.* Hoc est, ipsi Argivi, tam manifesto numine Bacchi commoti, quamvis peculiari Iunonis in tutela essent, eamque

Naxos Ægæo redimita ponto
Tradidit thalamis virginem relictam,
Meliore pensans damna marito.
Pumice sicco
Fluxit Nyctelius latex.
Garruli gramen secuere rivi,
Combibit dulces humus alta succos,
Niveique lactis candida fontes
Et mista odoro Lesbia cum thymo.
Ducitur magno nova nupta cœlo,
Solemne Phœbus carmen
Edit infusis humero capillis.
Concutit tedas geminus Cupido.
Telum deposuit Juppiter igneum,
Oditque Baccho veniente fulmen.

Lucida

eamque novercam scilicet illius præsentem haberent, nihil offensam deæ veriti, coluere & ipsum honoremque ei habuere. Ne quis versus modulum repugnare putet, par est huic similisque inferius: *Oditque Baccho veniente fulmen.* Nam & sic Florentinus. *Gron.*

488. *Naxos*] Hippolyt. vers. 757. *Farnabius.* Cyclades insulæ in Ægæo sunt, Andros, Myconos, Tenedos, Naxos, Delos, Seryphus, Gyaros, Rhenia, omnium altissima Naxos, quæ etiam Dia, teste Callimacho, & Strongyle & Dionysias vocata, teste Plinio lib. 4. cap. 12. à vinearum fertilitate. quare à Papinio in Achilleid. *Bacchica* dicitur, ut Baccho sacra. *Delrius.* *Ægæo*] Theb. 313. *Farn.*

489. *Virginem relictam*] Ariadne à Theseo in Naxo deserta, ibidem Baccho nupsit: qua in re tamen non satis Plutarchus in Theseo & Nonnus. Dionys. μσ'. conveniunt. *Delrius.*

492. *Fluxit*] Bacchus è terra aquam elicuit, lac, vinum, mel. Eurip. Ῥεῖ δ' ἁλυκὴ πηδὸν, Ῥεῖ δ' οἴνῳ, Ῥεῖ δ' μέλιτος Νέκταρος. *Farnabius. Fluxit Nyctelius latex.*] Scribe, *Nyctelius*, ἀπὸ τῦ νυκτελεῖν. Ovid. lib. 4. *Nyctelius que Eleleusque parens & Iacchus & Euan.* Gronovius.

493. *Garruli*] *Dulci labentes murmure rivi.* Farnabius.

495. *Niveique lactis candida fontes*] Florent. *candidos*: ut & Vossianus Heinsianusque minor & notat è quibusdam Comelinus. *Gronovius.*

496. *Lesbia*] Fragrantia vina è Lesbo insula. Λέσβιον δ' ὠδὴ νέκταρος ἀγῆ, Ἀμβροσίας ὄμφιον. *Farnabius.*

497. *Nova*] Ariadne Baccho nupta & in cœlum relata. *Idem.*

498. *Carmen*] Epithalamium, κατακλιτικὴν. *Idem.*

500. *Concutit tedas*] Faces nuptiales (de quibus Thebaid. 263. & 407.) præferebat. *Idem.* Ex ritu antiquo egregiè liber, *Concutit.* Scis in nuptiis faces præferri solere, & plerumque à pueris. Huc respiciens vult Bacchi & Ariadnes cœtui præluxisse Cupidinem utrumque. *Lipsius.* Pro *concutit*, alii *concinit.* *Geminus*] Mutuus: *vel* ut vers. 274. Hippolyt. *Farnabius.*

502. *Oditque*] Semeles infaustique concubitus memor. *Idem.*

Lucida dum current annosi sidera mundi,
Oceanus clausum dum fluctibus ambiet orbem;
Lunaque dimissos dum plena recolliget ignes;
Dum matutinos prædicet Lucifer ortus;
Altaque cæruleum dum Nerea nesciet Arctos;
Candida formosi venerabimur ora Lyæi.

503. *Lucida*] Semper itaque Bacchum venerabimur. *Farnabius.*

504. *Oceanus*] Terram insulæ modo comprehendi ab Oceano, & cingi omnem significat. sic Dionysius Afer: ἄστεα Ὠκεανὸς περιδέδρομε γαῖαν ἅπασαν. quod, teste Strabone, primus Homerus fuit commentus, ceteri Geographi quoque postea sunt secuti: adeo ut Æthicus affirmet Senatui compertum, orbem terrarum mari, ut limbo quodam cingi. nata opinio, quod terram per se globum efficere & rotundam putabant. *Delrius.*

505. *Lunaque*] Luna cum plena fuit, paullatim lucem deperdit, & obscuratur, donec Novilunium seu Neomenia sit: tum se recolligens rursus & corniculans, paullatim amissam recuperat: & primò *Menoeides*, mox *Dichotomos*, deinde *Amphicyrtos* effecta, tandem rursus *Panselenos* seu plena apparet, & sic dimissos plena ignes recolligit. docet Aristoteles & Græci ejus interpretes in lib. 2. de cœlo cap. 11. *Idem.*

507. *Altaque &c.*] Thyest. v. 476. *Farnabius.*

508. *Lyæi.*] A λύω, ut Liber. *Quod curis solvat corda, Lyæus erit.*

ACTUS TERTIUS.

OEDIPUS. CREON.

Indicat regi Creon ex necromantia, seu mavis sciomantia, intellexisse se interfectorem Laii Oedipum fuisse, ille fretus opinione sua de Polybo patre negat, & post jurgia Creontem in carcerem conjici jubet.

Oedip. Etsi ipse vultus flebiles præfert notas,
Expone cujus capite placemus deos.
Creon. Fari jubes, tacere quæ suadet metus.
Oedip. Si te ruentes non satis Thebæ movent,
At sceptra moveant lapsa cognatæ domus.
Creon. Nescisse cupies, nosse quæ nimium expetis.
Oedip. Iners malorum remedium ignorantia est.

Itane

510. *Expone cujus capite*] Florent. *Exprome.* Gronovius.

512. *Si te ruentes*] Si non publicæ salutis causa, mihi tamen qui sororem tuam duxerim tuæque familiæ hoc tribue, cui frustra erit regnum, ubi perierunt omnes subditi. *Farnabius.*

515. *Iners*] Ignavum vel inops. neque enim qui ignorat malum, remedium curat. *Idem.*

521. *Vile*]

Itane & salutis publicæ indicium obrues?
Creon. Ubi turpis est medicina, sanari piget.
Oedip. Audita fare; vel malo domitus gravi,
Quid arma possint regis irati, scies.
Creon. Odere reges dicta, quæ dici jubent.
Oedip. Mitteris Erebo vile pro cunctis caput,
Arcana sacri voce ni retegis tuâ.
Creon. Tacere liceat. nulla libertas minor
A rege petitur. *Oedip.* Sæpe vel linguâ magis
Regi atque regno muta libertas obest.
Creon. Ubi non licet tacere, quid cuiquam licet?
Oedip. Imperia solvit, qui tacet, jussus loqui.
Creon. Coacta verba placidus accipias, precor.
Oedip. Ulline pœna vocis expressæ fuit?
Creon. Est procul ab urbe lucus illicibus niger,
Dircæa circa vallis irriguæ loca.
Cupressus altis exerens silvis caput
Virente semper alligat trunco nemus;
Curvosque tendit quercus & putres situ
Annosa ramos. hujus abrupit latus
Edax vetustas: illa jam fessâ cadens
Radice, fulta pendet aliena trabe.
Amara baccas laurus; & tiliæ leves;

Et

521. *Vile*] Velut devotum Diis Manibus pro salute publica. *Farnabius.*

523. *Nulla libertas minor*] Florent. per interrogationem: *ulla libertas minor A rege petitur?* Gronovius.

525. *Muta*] Tacendi libertas. *Farnabius.*

527. *Imperia*] Imperium detrectat & non patet. *Idem.*

531. *Dircæa*] Dircæ fontis, Thebaid. vers. 20 & 126. *Idem.*

533. *Alligat*] Amplectitur nemus semper virente trunco. *Idem.*

534. *Situ*] Lanugine, musco. *Id.*

535. *Annosa*] Vivax.

536. *Illa jam fessâ cadens Radice,*] Florent. *fpissa.* Verum, *non spissa?* an intelligit omnium etiam fœtarum hujus generis arborum radices spissas? quasi sit: Illa jam cæsura, si naturali relinquatur libertati, vixque hærens spissa illa & multiplici, quam omnes quercus habent, radice, stat tamen suspensa alia arbore, cui innititur. *Gron.*

537. *Fulta*] Proximæ arboris trunco innixa. *Farnabius.*

538. *Amara baccis laurus;*] Flor. *Amara baccas.* Vt & mox: *& magno ambitu Diffusa ramos.* non *ramis.* Gronovius. *Amara baccis*] Δαφνίδες, testibus Dioscoride, Matthiolo, & Ruellio, desiccant & excalfaciunt, eoque

Et Paphia myrtus; & per immenſum mare
Motura remos alnus; & Phœbo obvia
Enode Zephyris pinus opponens latus.
Medio ſtat ingens arbor, atque umbra gravi
Silvas minores urget; & magno ambitu
Diffuſa ramos, una defendit nemus.
Triſtis ſub illa lucis & Phœbi inſcius
Reſtagnat humor, frigore æterno rigens.
Limoſa pigrum circuit fontem palus.
Huc ut ſacerdos intulit ſenior gradum,
Haud eſt moratus. præſtitit noctem locus.
Tunc foſſa tellus, & ſuper rapti rogis
Jaciuntur ignes. ipſe funeſto integit
Vates amictu corpus, & frontem quatit.

Lugu-

que potentius quo ſunt amariores. ideo Columella; *Rutaque Palladiæ baccæ victura ſaporem.* tunc enim ruta excellit, cum amariſſima eſt. *Delrius.*

539. *Paphia*] Veneri (quam Paphii religioſiſſime poſt Aſſyrios colunt) delicatiſſimæ Deæ arbuſcula perpetuo virore ſpectabilis, foliorum ſpecie odoreque ſuaviſſimo præſtantiſſima, ſacrata. *Farnabius.*

540. *Motura*] Navigiis apta. *Alnus amica fretis.* Idem. *Obvia*] Denſiſſimo cacumine ſylvis ſolem præcludens. *Idem.*

541. *Enode*] Rectum, nullis nodis, vel flexibus deformatum. *Delrius.*

543. *Silvas*] Arbores. *Farnabius.*

545. *Lucis*] Nec lucem, nec ſolem excipiens. *Idem.*

546. *Humor,*] Fons. *Idem.*

548. *Sacerdos*] Tireſias. *Idem. Senior*] Volunt Tireſiam tres ætates vixiſſe. *Delrius.*

549. *Noctem*] Diis ſuperis ſub naſcentis ſolis ortum, inferis ſub occaſum ſolis ſacra fiunt. *Farnabius.*

550. *Foſſa*] Diis ſuperis in aris extructis, terreſtribus in terra; inferis in terra effoſſa, ſacra faciebant. *Idem. Rapti*] Sacra infernalia igne tantum è rogis rapto accendere moris erat. *Idem.*

551. *Ipſe funeſto integit Vates*] Non videtur neceſſarium, ut *Ipſa* faciamus, & Manto interpretemur cum Grutero. Neque agnoſco, quod ille fingit hic τοιωτολόγον. Et ſi enim præceſſerit Tireſiæ funeſto amictu tegi corpus & pallam lugubrem ſive pullam diſcincti pedes ferire, tamen belle ſequitur: *Squallente cultu mœſtus.* non enim veſtimentum ejus notat hic verſus, ſed quæſitam triſtitiam frontis & illuviem impexamque barbam. Infra: *Pædore fœdo Squallidam obtentus comam. Palla* autem non ſemper muliebris: Nam & Apollinis Arioniſque & citharœdorum commemoratur palla. Manto non nominat ille quidem, ſed quia nihil ſine illa Tireſias, intelligendam relinquit. Sufficit infrà notari v. 595. *Ipſa, quæ ritus ſenis Arteſque norat, ſtupuit.* Gronov. *Ipſe funeſto*] Nigro, impuro; ut contra, Diis ſuperis operantes candido, puro. *Farnabius.*

552. *Frondem*] Funeſtam, feralem, utpote taxum ſeu cupreſſum, vel lege *Frontem quatit.* quod mœſti & irati ſolent, infrà verſ. 555. & 913. *Idem.*

556. *Ni-*

Lugubris imos palla perfundit pedes.
Squallente cultu mœstus ingreditur senex.
Mortifera canam taxus astringit comam.
Nigro bidentes vellere atque atræ boves
Retro trahuntur. flamma prædatur dapes,
Vivumque trepidat igne ferali pecus.
Vocat inde Manes; teque, qui Manes regis,
Et obsidentem claustra letalis lacus:
Carmenque magicum volvit, & rabido minax
Decantat ore quidquid aut placat leves
Aut cogit umbras. sanguinem libat focis,
Solidasque pecudes urit, & multo specum
Saturat cruore. libat & niveum insuper
Lactis liquorem; fundit & Bacchum manu

Lævâ,

556. *Nigro bidentes*] Diis inferis nonnisi furvæ hostiæ immolantur, tristes scil. & luctuosæ. Virgilius lib. 4. Æneid.

557. *Atræ boves Retro trahuntur.*] Quid Homero sit αὖ ἐρύειν, jam diximus. Ei quomodo oppositum esse possit, *retro trahere*, nulla ratione possum adsequi. Ita nulla invidia est Criticos hoc siluisse. Immo ipsum αὖ ἐρύειν est retro trahere. Ιλ. Θ. τὴν δ' αὖ κορυθαίολος Ἕκτωρ Αὖ ἐρύοντα, scil. nervum arcus, qui retro trahitur in emittenda sagitta. Quemadmodum igitur victimæ, quæ statuuntur capite versus terram inclinato, possunt dici *retro trahi?* An *retro* est κάτω? An retrosecus colligentes comam fronti eam præmittunt. Aut fallor aut fingit aversas trahi, ut Cacus traxit Herculis armenta. Nam quæ inferis fiebant, ea oportebat omnia esse contraria ei ritui, quo fiebat superis. Ad horum aras duci oportebat sistique volentes & quietas victimas: ad istas igitur mirum non est trahi aversas & invitas. Nisi tamen contempto discrimine superorum & inferorum deorum simpliciter dixit, *Retro trahuntur*, pro αὖ ἐρύον). quod sit, mactantur, parte actionis posita pro tota actione per Synecdochen. Omne erat, quod in versu Homerico: Αὐέρυσαν μὲν πρῶτα, καὶ ἔσφαξαν καὶ ἔδειραν, &c. *Gronovius. Retro trahuntur.*] Hoc, quemadmodum superiorum pleraque, nec non sequentia fere omnia, ab Homero Odyss. λ'. mutuatus videtur. *Delrius.*

558. *Vtrumque*] Infrà vers. 564. *Farnabius.*

559. *Manes;*] Vmbras. *Idem. Qui Manes*] Summane. Pluto. *Idem.*

560. *Obsidentem*] Cerberum. *Idem.*

561. *Volvit,*] Immurmurat, revolvit carmina magica. *Idem.*

563. *Irrigat sanguis focos,*] Absque turba Pall. fuisset, sequeretur Gruterus Regiomontani codicem Fabricio laudatum, in quo, *sanguinem libat focis.* Nunc spernat illos tuto licet. ita enim & Etruscus. *Gronovius.*

564. *Solidasque*] In sacris inferis integra & solida hostia comburebatur. *Farnabius. Multo specum*] Sanguine, lacte, & vino fossam perfundit, aquam addit Hom. Odyss. λ. πρῶτα μελικρήτῳ, μετέπειτα δὲ ἡδεῖ οἴνῳ, τὸ τρίτον αὖθ' ὕδατι. *Idem.*

566. *Fundit & Bacchum manu*] Hanc aquam veteres vocarunt, *arferiam,*

Lævâ, canitque rurſus, & terram intuens,
Graviore Manes voce & attonita ciet.
Latravit Hecates turba. ter valles cavæ
Sonüere mœſtum. tota ſuccuſſo ſolo
Pulſata tellus. audior, vates ait,
Rata verba fudi. rumpitur cœcum chaos,
Iterque populo Ditis ad ſuperos datur.
Subſedit omnis ſilva, & erexit comam.
Duxere rimas robora; & totum nemus
Concuſſit horror. terra ſe retro dedit,
Gemuitque penitus. ſive tentari abditum
Acheron profundum mente non æqua tulit:
Sive ipſa tellus, ut daret functis viam,
Compage rupta ſonuit: aut irâ furens
Triceps catenas Cerberus movit graves.

Subitò

riam, adferiam & *adferias*, ut docent Feſtus & gloſſæ veteres. Vinum autem victimæ bis ſuperinfundebatur, primum ad explorandum an eſſet idonea, ut docent Servius in 4. Æneid. & Plutarch. lib. 1. de defect. oracul. poſtea vero victimæ in fruſta conciſæ, ut fit apud Homerum Iliad. λ'. & Odyſſ. μ'. & Apollon. lib. 1. Argon. *Delrius.*

567. *Lævâ*,] Inferis ſcil. utpote malis invergens; ſuperis contra & bonis dextra. *Farnab. Canitque rurſus*,] Cum primo carmine non adveniſſent. *Idem. Terram*] Dejecto in terram vultu, non oculis, cum cœcus fuerit Tireſias. *Idem.*

568. *Voce & attonita ciet.*] Flor. *citat.* Gronovius.

569. *Hecates*] Canes. *Sub pedibus mugire ſolum, & juga cœpta moveri Sylvarum, viſæque canes ululare per urbem, Adventante dea.* id eſt, Hecate. de qua verſ. 311. Hippol. Huic autem deæ canes immolarunt priſci, quod ipſorum latratus incantationes ſolvere & monſtroſas viſiones credebantur. Ipſa itaque Lycophroni θεὰ κυνοσφάτος. & Canis Ἑκάτης δεῖπνον dicebatur. *Farnabius. Ter valles cavæ*] Lectio ſincera nec obſtat quod Aſcenſius adfert, inferis non imparem, ſed parem numerum ſacrum eſſe. noſter Poëta namque ea in re non valde religioſus fuit, in Thyeſte & Medea, quemadmodum nec Virgil. Georg 4. *Delrius.*

571. *Audior*,] Impetravi. *Farnab.*

572. *Rata verba fudi.*] Non irrita vel caſſa, ſed efficacia & impetratoria. Vide Briſſon. lib. 1. de Form. cap. 112. *Delrius. Chaos*,] Herc. Fur. verſ 609. Thyeſt. verſ. 830. *Farnabius.*

573. *Populo*] Manibus, umbris. *Id.*

574. *Subſedit omnis ſylva*,] Puto, *Subſidit.* Florent. etiam, *erexit comam.* Gronovius *Comam.*] Folia, Metaph. præ horrore ſcil. *Farnabius.*

575. *Duxere rimas*] Diffindebantur. *Idem.*

576. *Se retro*] Recedit hiatum factura. *Idem*

578. *Acheron*] Rex vel leges Acher. id eſt, inferni. *Idem.*

579. *Functis*] Mortuis defunctis. *Id.*

581. *Triceps*] Heſiodus Cerbero quinquaginta capita tribuit, Horatius & Iſa-

Subitò dehiscit terra, & immenso sinu
Laxata patuit. ipse pallentes deos
Vidi inter umbras: ipse torpentes lacus
Noctemque veram. gelidus in venis stetit
Hæsitque sanguis. sæva prosiluit cohors,
Et stetit in armis omne vipereum genus
Fratrum, catervæ dente Dircæo satæ,
Avidumque populi Pestis Ogygii malum.
Tum torva Erinnys sonuit, & cœcus Furor,
Horrorque, & una quidquid æternæ creant
Celantque tenebræ; Luctus evellens comam,
Ægreque lassum sustinens Morbus caput,
Gravis Senectus sibimet, & pendens Metus.
Nos liquit animus. ipsa, quæ ritus senis
Arteſque norat, stupuit. intrepidus parens,
Audaxque damno, convocat Ditis feri
Exsangue vulgus: illico ut nebulæ leves
Volitant, & auras libero cœlo trahunt.
Non tot caducas educat frondes Eryx;
Nec

& Isacius centum. Seneca Sophoclem, Apollodorum, Ciceronem, Tibullum, & alios sequitur. *Delrius.*

583. *Pallentes*] Plutonem & Proserpinam. *Farnabius.*

584. *Ipse*] Cocytum. Herc. Fur. vers. 685. & Styga. ibid. v. 712. *Idem.*

586. *Hæsitque*] *Coit formidine sanguis.* Idem. *Cohors*,] Furiarum, ut v. 590. & draconigenum fratrum. *Id.*

589. *Avidumque populi Pestis*] Draco, inquiunt, in nemore ad fontem Dircen. Alii summi viri pestem hic censent Ζωγραφοποιεῖσθαι & majuscula notandum esse. At illa pestis, quam vocat hic auctor, meo judicio, non pestilentia est, sed ipsa Sphinx, quæ multa Thebano populo acerba objecit funera, ut in alia re Plautus loquitur. Hypallage: quasi esset *& Ogygia pestis, avidum populi malum.* Ovidius quoque sic vocat, ut alibi emendamus. *Gronov. Ogygii*] Thebani, ab Ogyge rege. *Farnabius.*

590. *Erinnys*] Vide Thyest. v. 96. & Hercul. Fur. vers. 93. & deinceps. *Idem.*

592. *Evellens*] Hippol. vers. 1179. *Idem.*

594. *Pendens*] Anxius, suspensus, in dubio. *Idem.*

595. *Ipsa*,] Scil. Manto.

597. *Audaxque*] Tires. orbitate oculorum audacior, nec timens quæ non vidit: timuisset enim & ipse si ea vidisset.

598. *Nebulæ*] Leves umbræ. *Farn.*

599. *Libero*] Non incluso, ut suo inferno. *Idem.*

600. *Non*] Μυρίαι ὅσσα τε φύλλα καὶ ἄνθεα. Hom. β. *Idem. Educat frondes Eryx;*] Τὸ *Eryx* correctorum est, inquit Scaliger: veteres habent, *Octa:* trajectione igitur restitue:

Nec vere flores Hybla tot medio creat.
Cum examen alto nectitur densum globo;
Fluctusque non tot frangit Ionium mare;
Nec tanta gelidi Strymonis fugiens minas
Permutat hiemes ales, & cœlum secans
Tepente Nilo pensat Arctoas nives:
Quot ille populos vatis eduxit sonus.
Pavidæ latebras nemoris umbrosi petunt
Animæ trementes. primus emergit solo
Dextrâ ferocem cornibus taurum premens
Zethus; manuque sustinens lævâ chelym,
Qui saxa dulci traxit, Amphion, sono.
Interque natos Tantalis tandem suos

Tutò

tue: *Oeta frondes educat.* Intercedit Florentinus, qui sine suspicione præstat vulgatam. Et certe numerus ejus τραγικώτερον. Gronovius. Sequitur autem Seneca illorum sententiam, qui magicis artibus Manes evocari credebant. At D. Isidor. lib. 8. ita scribit: *Necromantici sunt, quorum incantationibus videntur resuscitati mortui divinare, & ad interrogata respondere (νεκρὸς enim Græce mortuus, μαντεία divinatio nuncupatur.) ad quos suscitandos cadaveri sanguis adjicitur. Nam amare dæmones sanguinem dicunt. ideoque quoties Necromantia fit; cruor aquâ miscetur, ut colore sanguinis facilius provocentur.* ait videri suscitatos, quia censuit esse tantum phantasiæ illusiones. Vide Hercul. Oetæum vers. 460. *Delrius.*

601. *Hybla*] Mons Siciliæ thymo & salicibus abundans, apibus itaque nobilis. *Farnabius.*

602. *Globo;*] Βοτρυδὸν, cum in morem uvæ conglobatæ ramo defluunt, *Solentque lentis uvam demittere ramis.* Idem.

604. *Nec tanta*] Nec tot grues (sive aves aliæ) hyeme regionibus frigidis fugiunt ad auras tepidiores. *Ingenti clangore grues æstiva relinquunt Thracia, cum tepido permutant Strymona Nilo.* Idem. *Strymonis*] Fluv. Macedoniam à Thracia dividentis. *Idem.*

607. *Populos*] Umbras populorum præcipuè Thebanorum. *Id. Sonus.*] Incantatio. *Idem.*

610. *Dextrâ*] Thebaid. vers. 20. *Idem.*

611. *Manuque sustinet lævâ chelym,*] Rectius Flor. *sustinens lævâ chelyn.* Ut ante, *premens.* Ovidius lib. 11. *Distinctamque lyram gemmis & dentibus Indis Sustinet à læva.* Suetonius Nerone: *intravit ordine suo simulque præfecti prætorii citharam sustinentes.* Gronov.

612. *Amphion,*] Herc. Fur. v. 260. *Farnabius.*

613. *Interque natos*] Vt Homerus & Propertius, duodecim; ut Euripides Lazus Hermioneus, Apollodorus, Antipater Sidonius, & noster Seneca, quatuordecim; ut Sappho, octodecim; ut Mimnermus, Bacchylides, Pindarus, &, teste Apollodoro, Hesiodus, viginti; ut idem Hesiodus, sibi contrarius, (nisi si forte illa non sunt Hesiodi; ut putat Ælianus) novemdecim; ut Alcman, decem; ut alii, teste Gellio, tradiderunt, tres; ut apud Apollodorum, Herodotus, quinque. *Delr.* *Tantalis*] Niobe Tantali filia. *Farn.*

614. *Tutò*]

Tutò superba fert caput fastu gravi,
Et numerat umbras. pejor hac genitrix adest
Furibunda Agave; tota quam sequitur manus
Partita regem. sequitur & Bacchas lacer
Pentheus, tenetque sævus etiam nunc minas.
Tandem, vocatus sæpe, pudibundum extulit
Caput, atque ab omni dissidet turba procul,
Celatque semet. instat & Stygias preces
Geminat sacerdos, donec in apertum efferat
Vultus opertos Laïus, fari horreo.
Stetit per artus sanguine effuso horridus,
Pædore fœdo squalidam obtentus comam,
Et

614. *Tutò*] Secuta de libersis, quibus non potest amplius orbari. *Farnab. Fert caput fastu gravi,*] Flor. & Heinsianus minor: *grave.* Gronovius.

615. *Umbras.*] Liberorum, etiam umbris eorum gaudens ipsa umbra. namque affectus *nec ipsa in morte relinquunt.* Farnabius. *Pejor*] Quæ filium suum interfecit. *Idem.*

616. *Agave,*] Thebaid. vers. 17. *Idem. Manus*] Bacchantium multitudo. *Idem.*

617. *Partita*] Discerpens Penthea. *Idem. Sequitur & Bacchas lacer Pentheus,*] Florent. *Bacchis.* sive conjungas cum verbo, per hellenismon, ἔπεσθαί τινι· sive cum τοῦ *lacer.* nam per eas erat laniatus. *Gronovius.*

618 *Pentheus,*] Thebaid. vers. 17. *Farnabius. Sævus*] Austerus, abstemius, Thebanis Bacchi cultum interdicens. *Idem.*

619. *Extulit*] Sunt qui putant *extulit* vix heic habere locum ob sequentia; itaque tentant, *occulit.* Non erat necesse. Nam hæc elatio capitis referenda ad productionem Laii ab infernis, vi carminum factam. At verò ubi dicitur, *celare semet,* spectat conscientiam jam emersi, minime sustinentis erigere caput præ pudore. *Gruterus.*

620. *Ab omni desidet turba*] Legebatur hic olim, *dissidet:* quum Lipsius: illustra & scribe, *desidet,* cum meo libro. velle enim, Laium, qui invitus & vi violenta carminis protractus ad superos procul se remosse ab aliis & solum resedisse. Id receperunt omnes, initio per amicum ejus facto. Resedisse ait Laium credo, fatigatum, quia magnus labor fuerat Phlegethonte ab imo petere longinquum æthera. At mox ipse Seneca: *Stetit.* Quomodo igitur resedit? Nam quod ait procul se remosse, id vero significat *Dissidere,* non *desidere.* Propertius. *Tam multa illa meo divisa est millia lecto, Quantum Hypanis Veneto dissidet Eridano.* Cicero 2. de offic. *fugere temeritatem, quæ à sapientia dissidet plurimum.* Virgilius: *terram sceptris quæ libera nostris Dissidet.* Thyeste: *Et portus geminos & mare dissidens.* Sumpsit ab Homero, qui Οδ. λ. Οἵη δὲ Αἴαντος ψυχὴ Τελαμωνιάδαο Νόσφιν ἀφεστήκει. *Gronovius.*

621. *Stygias*] Exorcismos, adjurationes infernas vel per Styga. *Farnab.*

624. *Stetit*] Laius stetit horridus, effuso sanguine per artus. *Idem.*

625. *Squalidam obtectus comam,*] Scribe cum optimo: *squallidam obtentus comam.* Sic Mog. Delrius, sic Mss. fere omnes habere notavit Comelinus,

Et ore rabido fatur: O Cadmi effera,
Cruore semper læta cognato domus,
Vibrate thyrsos. entheâ gnatos manu
Lacerate potius. maximum Thebis scelus
Maternus amor est. patria, non irâ deûm,
Sed scelere raperis. non gravi flatu tibi
Luctificus Auster, nec parum pluvio æthere
Satiata tellus halitu sicco nocet:
Sed rex cruentus; pretia, qui, sævæ necis,
Sceptra, & nefandos occupat thalamos patris,
Invisa proles. (sed tamen pejor parens
Quam gnatus: utero rursus infausto gravis,)
Egit qui in ortus semet; & matri impios
Fætus regessit; quique vix mos est feris,

Fra-

& nos in Germanico & Heinsiano codice legimus. In Hercule Fur. Megara *tristi vestis obtentu caput Velata.* Silius lib. 10. *insani quamquam contraria venti Exarmat vis, atque obtendit pulvere lucem.* Gronovius.

626. *O Cadmi*] O Thebani, etiam à draconigenis fratribus qui mutuis se vulneribus peremerunt, in vestros sævi, Bacchico furore perciti, occidite potius filios propria manu (ut Agave aliæque impiæ Mænades in Orgiis) quam permittatis ut vivant in privatam vestræ domus perniciem & publicum malum, quod fecit Oedipus, meus filius. *Farnabius.*

628. *Entheâ*] Numinis furoris Bacchici impetu afflata, adacta. *Idem.*

629. *Maximum Thebis scelus*] Acumen est ab Ovidio lib. x. Metamorph.

—— *Scelus est odisse parentem. Hic amor est odio majus scelus.* Gruterus.

630. *Maternus*] Iocastæ in filium. *Farnabius. Patria,*] O patria. *Idem.*

631. *Non gravi*] Suprà vers. 36. *Id.*

634. *Præmia, qui, sævæ necis,*] Olim hic legebatur sine mente, *prima.* Viri docti quum veram & inculpatam scripturam in promptu haberent, maluerunt versum vitiare, quam restituere. Est autem: *pretia qui sævæ necis.* Restituimus & Livio Iustinoque simili mendo contactis. In Phœnissis: *abjeci necis Pretium paternæ sceptrum.* Gronovius.

635. *Nefandos*] Majus enim scelus liberos è matre suscepisse, quam patrem interfecisse. *Farnabius.*

638. *Egit qui in ortus*] Flor. *Egitque in ortus.* Et certe alterum illud durum. Sic accipe, quasi præcedentes duos versus cum exclamandi vel admirationis acrimonia incluseris parentheſi: qui obtinet regnum & lectum patris (sceleſtus ille quidem, sed sceleſtior incesti lecti socia mater, quæ non modo illum nefandum peperit, sed etiam procreavit rursus detestabile par fratrum) & uterum, quo natus est, fœdavit. *Gronovius. Matris concubitu qui semet in ortus Vertit & indignum regerit sua pignora matri.* Farnabius.

639. *Quique nec mos est feris,*] Omnes illi Mſſ. præferentes, *quique nec mos*, ab antiquissimo abeunt; unus sui, *quique vix mos*, cum habet auctorem. Sed, inquit, Delrius, illud efficacius: & Gruterus hoc intricatum est præ altero, quo nihil evolutius. Non video, cur minus efficax sit, quod in re, quæ quoti-

Fratres sibi ipse genuit: implicitum malum; 640
Magisque monstrum Sphinge perplexum sua.
Te te, cruenta sceptra qui dextra geris,
Te pater inultus urbe cum tota petam,
Et mecum Erinnys pronubas thalami traham,
Traham sonantes verbera: incestam domum 645
Vertam, & Penates impio Marte obteram.
Proinde pulsum finibus regem ocius
Agite exulem. quodcumque funesto gradu

Solum

quotidie fit in muris & irrationalibus, tamen luctam quasi rationis & naturalis instinctus cum appetitu indicat, quam quod negat ordinaria & omnibus nota. Deinde utrum evolutius intricatiusve: qui matri fœtus regessit, & (qui vix feris mos est) sibi genuit fratres: an, qui matri fœtus regessit, & (qui nec feris mos est) fratres sibi genuit? Vtramcumque enim particulam recipias, eodem modo, & sic, ut, diximus, accipienda est oratio. Male distinxerunt: *quique (vix mos est feru) Fratres.* Parenthesin intellectui servari jubet enclitica. *Gronovius.*

640. *Implicitum*] Ænigma magis implicitum, quam illud Sphingis, quod ipse solvit. Thebaid. vers. 137. *Farnabius.*

641. *Magisque monstrum*] *Magis perplexum*, nota comparativi circumscriptio. De Sphinge monstro satis Palæphatus. Ejus imagine pro insigni usi sunt Parthenopæus rex Arcadiæ, ut est apud Æschylum: Augustus Cæsar, ut nummus quidam æneus declarat. *Fabritius. Sphinge*] Thebaid. v. 505. *Farnabius.*

644. *Erinnys pronubas thalami traham*,] Sic Scaliger pro *Erinnes*, Flor. tamen: *Erinnim pranubam.* Significat: *Erinnyn pronubam thalami traham, Traham sonantem verbera.* Gronovius.

645. *Verbera:*] Flagella. Thyest. vers. 96. *Farnabius. Incestam domum*] Mss. non pauci *incertam*; ubi nescitur quis sit maritus, quis filius: quæ sit uxor aut quæ mater, inquit Interpres. *Commelin.*

646. *Impio*] Inter fratres Polynic. & Etheoc. *Farnabius.*

648. *Quodcumque funesto gradu*] Languida & coacta lectio videtur Grutero. Mihi veto nihil rotundius aut magis vividum. Etiam displicuisse Delrio ait, qui aliter distinxerit. At ego tam injurius in Delrium esse nolim, ut distinctionem potius illius quam operarum esse putem: sic invenerant in Lipsiensi Fabricii. Grutetus igitur *quacumque*, ut & Fabricius edidit. Quid si vidisset in Florentino: *quocumque.* At quanto angustius hoc quam *quodcumque.* Illud viam vel semitam aut tramitem, qua iturus est, alterum omnem regionem & tractum significat: si cavillari vellemus. Dein, *Reparabitur herba.* Taceo intolerandum versus vitium: illud mihi consideret aliquis Latine peritus, annon elegantius *solum* dicatur *reparare herbas*, quam ipsæ *herbæ reparari?* Quin & *vitalem auram* malo dare *spiritus puros*, quam spiritum vitalem puras auras, etsi parum interfit. Cicero lib. 2. de nat. deor. *Aër spiritu ductus alit & sustentat animantes.* Et iterum: *cujus cœli tenuitate & calore temperatus aër vitalem & salutarem spiritum præbet animantibus.* Quod solum relinquet, id recreabit viridia, in eo aër vitales & salutares dabit spirationes, &c. Longe abfum à primis Criticorum, quibus ille judicium defert:

Solum relinquet, vere florifero virens
Reparabit herbas. spiritus puros dabit
Vitalis aura. veniet & silvis decor.
Letum, Luesque, Mors, Labor, Tabes, Dolor,
Comitatus illo dignus, excedunt simul.
Et ipse rapidis gressibus sedes volet
Effugere nostras: sed graves pedibus moras
Addam, & tenebo. repet incertus viæ,
Baculo senili triste prætentans iter.
Præripite terras, auferam cœlum pater.
Oedip. Et ossa & artus gelidus invasit tremor.
Quidquid timebam facere, fecisse arguor.
Tori jugalis abnuit Merope nefas
Sociata Polybo. sospes absolvit manus
Polybus meas. uterque defendit parens
Cædem, stuprumque. quis locus culpæ est super?
Multo ante Thebæ Laïum amissum gemunt,
Bœota gressu quam meo tetigi loca.
Falsus ne senior, an deus Thebis gravis?
Jamjam tenemus callidi socios doli.

Men-

sed nec inter profanum vulgus detrudi me patiar. Sed maneant, judices, quos ille edidit. Causæ nihil metuo. *Gron.*

650. *Spiritus puros dabit*] Non corruptos & pestilentes ut nunc. Vide suprà vers. 36. *Farnabius.*

651. *Decor.*] Frondes, folia. *Idem.*

654. *Sedes*] Thebas, vitamque ipsam. *Idem.*

655. *Moras*] Senium, lassitudinem, cœcitatem, natam, quæ mori non sinat. *Idem.*

658. *Præripite terras,*] Flor. *Eripite.* Quod sequitur, *Auferam cœlum pater*, est, lucem adimam, & eo redigam, ut excæcet sese. Haud scio, num intellexerit, qui interpretatur, arcebo cœlo. *Gronovius. Præripite*] Vos ô Thebani ejicite eum terra, ego pater ejus arcebo cœlo. *Farnabius.*

661. *Torijugalis*] Sententia est: matrem non duxi, quia Merope, (quam matrem suam esse credebat) adhuc matrimonio juncta est Polybo (eum patrem suum opinabatur esse) qui quoniam adhuc vivit, patrem non interfeci, ac ne Laium quidem, qui diu mortuus fuit, prinsquam Bœotiam vidi. Mentitur ergo Tiresias. at cur mentiatur vir fide dignus? quia, inquit, à Creonte ad id inductus fuit, ut me regno pulso, ipse Creo rex fiat. *Delrius.*

664. *Culpæ*] Supereſt culpæ. *Anastrophe.* Farnabius.

665. *Multo*] Et longe ante quam ego Thebas advenerim, Laius est interfectus. *Idem.*

667. *Falsusne*] Numnam deceptus est Tiresias? an ultra pestem etiam Thebæ debent offenso Deo seditionem ex concitatione in regem? *Idem.*

668. *Socios*] Tiresiam & Creonta. *Id.*

669. *Præ-*

Mentitur ista præferens fraudi deos
Vates, tibique sceptra despondet mea.
Creon. Egon' ut sororem regia expelli velim?
Si me fides sacrata cognati laris
Non contineret in meo certum statu;
Tamen ipsa me Fortuna terreret, nimis
Sollicita semper. liceat hoc tuto tibi
Exuere pondus, ne recedentem opprimat.
Jam te minore tutior pones loco.
Oedip. Hortaris etiam, sponte deponam ut meâ
Tam gravia regna? *Creon.* Suadeam hoc illis ego,
In utrumque queîs est liber etiam nunc status.
Tibi jam necesse est ferre fortunam tuam.
Oedip. Certissima est regnare cupienti via,
Laudare modica, & otium ac somnum loqui.

Ab

669. *Præferens*] Prætexens. *Farn.*
674. *Fortuna*] Regni, præcipuè Theban. Herc. Fur. vers. 385. *Idem.*
675. *Semper.*] Deponete regnum jam tutius est, quam nimis tarde recedentem ab eo opprimi. *Idem.*
676. *Ne recedentem opprimat.*] Fl. nec. ut totum sit voti. *Gronovius.*
679. *Suadeam*] Dubiis rebus inventa est oratio suadens, necessàtio manet te tua fortuna. *Farnabius.*
682. *Certissima*] Satis callide regnum ambis, qui (quod faciunt ambitiosi, segnitiem laudantes & in otium simulatum recedentes, donec occasionem rei gerendæ repererint) vitæ quietæ studium præ te fers, imperium tamen captas. *Idem.*
683. *Otium ac somnum sequi.*] Præstat multis partibus Lipsianum *loqui*, id est, crebro in ore habere, præ se ferre, quum aliud mente animoque habeas. Petronius: *loquatur aurum & argentum fundosque mendaces.* An nescit ὁ δεῖνα cur hic alii velint *loqui*. At sciret ita in optimo codice repertum, & inficetum esse illud præ hoc tam delicato. Sed & Gruterum turba pejorum librorum & inanis cavillatio transversum egere. Scilicet simulatio illa non in nuda voce, sed ipsi tota vita. Nempe dixerat alter, parum esse regnum & alia sermone detrectare, nec illud tam facile re adsecuturos, nisi ipso instituto & factis segnitiem simulent. Hæc sophistarum sunt. Nam *loqui* non sermonem nudum & destitutum reliqua omni specie congruente verbis significat: sed prorsus est dictis & factis apparentibus simulare. Ηθος χαρακτηρ ἐστιν ἀνθρώπου λόγος. Quod loquuntur homines credimus; donec diversum liqueat: nec quisquam magis sermoni fidem agendo quærit, quam qui non agit, quod agit. At *sequi otium ac somnum*, non est simulare, sed bona fide desidem & inertem esse. Terentius Adelphis: *Ego hanc clementem vitam urbanam atque otium sectatus sum.* Cicero pro Muræna: *qui remoti a studiis ambitionis, otium ac tranquillitatem vitæ secuti sunt.* Cornelius Nepos Pelopida: *non quo sequerentur otium, sed ut quemque ex proximo locum fors obtulisset, eo patriam recuperare niterentur.* Phædrus: *Quin etiam resides & sequen-*

Ab inquieto sæpe simulatur quies.
Creon. Parumne me tam longa defendit fides? 685
Oedip. Aditum nocendi perfido præstat fides.
Creon. Solutus onere regio, regni bonis
Fruor, domusque civium cœtu viget;
Nec ulla vicibus surgit alternis dies,
Qua non propinqui munera ad nostros lares 690
Sceptri

sequentes otium, Ne defuisse noceat, repunt ultimi. Nemo autem ignavia factus immortalis. Denique ne longius verba perdam, *loqui*, non *sequi*, liber optimus. *Gronovius.*

685. *Tam longa defendit dies?*] Hic quoque non, ut debebat, valuit Lipsiani libri auctoritas sequiorum librariorum phalange obruta. Est qui interpretatur. Quasi negaverit Lipsius aliquem ex vulgata posse sensum exsculpi. Notarat ille in Mss. bonæ notæ, *fides*, addideratque eum se libenter audire. Ecce & Gruterus cum sua dialectica, quum *dies* æque experimentum sit hominum quam *fides*, immo dies & ipsam exploret fidem, non audere ait sollicitare vulgatum. Hoc argumentum vincit aliquo modo tolerari posse τὸ *dies*; non tolerari debere, contra melius, commodius, expressius. Nam si nihil aliud, illud *dies* sententiam non explet, sed destituit. Non quævis longa dies defendit. nam & fur diu potest tenuisse, quem tamen longa dies non defendit, sed rei furtivæ ex lege Atinia æterna est auctoritas. Ergo sententia desiderat aliquid explicans illam longam diem: nempe qua fidus & quietus fui. Atrotundissimum & plenissimum: *Parumne me tam longa defendit fides?* Nihil prorsus hic desiderari potest. Sed, inquit, nemo facile probaverit, Creonteni sæpe insignia nescio quæ fidei exhibuisse documenta: vixit enim in otio, ubi rarior producendæ fidei occasio: exeritur magis in negotio, cum quis provinciæ præficitur, cum exercitibus. Itane? Ergo non possunt exhibere documenta fidei, nisi summæ reipublicæ & status administri, & præfecti exercituum ac provinciarum? Immo fidem imperanti populo vel principi præstant omnes maximi minimi, qui aut semper fuerunt in fide aut in fidem venerunt, cum in fide manent. *Fides* est etiam non rebellare, non quærere res novas, contentum esse præsenti statu, parere jussis & legibus. *Fides*, obsequium omne superiori debitum. *Concussa fides*, rebellio. Millies ita usurpant Romani scriptores. Et hoc dicit Creo: tot annorum obsequium, tam diuturna patientia, quam præstiti imperio tuo, annon me satis liberat à tali suspicione? *Idem.*

686. *Aditum*] Imo nocendi occasionem & viam ministrat perfido fides habita. *Farnab. Perfido præstat dies.*] Credo equidem: non perfido tantum, sed omnibus faciendi opus suum aditum dies præstat: nam tempus agit rem: qua ratione nihil fit ante diem. Sed hoc non est proprium huic loco. Fidem suam jactaverat Creon: eam ipsam fidem diu servatam, perfidis servire ad obrependum respondet Oedipus. Livius lib. 18. *Fraus fidem in parvis sibi præstruit, ut quum operæ pretium sit, cum magna mercede fallat.* Recte ergo Melissæus Lipsii & Florentinus utrobique *fides*, non *dies*. Gronovius.

687 *Solutus*] Hoc argumentum, quo Creo conatur Oedipo fidem facere à regnandi cupiditate alienum esse se, à Sophocle in Oedipo tyranno translatum est. *Delrius.*

689. *Vicibus*] Noctem subsecuta, vel alterna dies. *Farnabius.*

690. *Propinqui Sceptri*] Affinis regis,

Sceptri redundent; cultus, opulentæ dapes,
Donata multis gratiâ noſtrâ ſalus.
Quid tam beatæ deeſſe fortunæ rear?
Oed. Quod deeſt. ſecunda non habent umquam modum.
Creon. Incognitâ igitur ut nocens cauſa cadam? 695
Oedip. Num ratio vobis reddita eſt vitæ meæ?
Num audita cauſa eſt noſtra Tireſiæ? tamen
Sontes videmur. facitis exemplum; ſequor.
Cr. Quid ſi innocens ſum? *Oed.* Dubia pro certis ſolent
Timere reges. *Creon.* Qui pavet vanos metus, 700
Veros meretur. *Oedip.* Quiſquis in culpa fuit,
Dimiſſus odit omne, quod dubium putat.

Creon.

gis, id eſt, munera à rege propinquo. *Farnabius.*

694. *Quod res ſecundæ*] Acutius Etruſcus: *Quod deeſt. ſecunda non habent unquam modum.* Quæris, quid tam beatæ tuæ fortunæ deeſſe poſſis reri? Hoc ipſum, quod revera deeſt. nempe diadema & ſceptrum. quod rex non es. quod infra regem es: quod aliquid addi poteſt tibi ad primum gradum. nam in ſecundis quis moderatus? quis non ultra pergere tendit? *Gronovius.*

696. *Num ratio*] Expurgavi me apud vos criminis, & tamen particidii & inceſtus me inſimulatis. *Farnabius.*

698. *Facitis exemplum; ſequor.*] Flor. *ut ſequar.* Epiſt. 7. *Ne hoc quidem intelligitis, mala exempla redundare in eos qui faciunt.* Poſſet etiam legi: *facitis. exemplum ſequor.* Sed Fabius decl. 260. *Vnus fuit primo, qui ſollicitaret hanc nimiam liberalitatem: hic fecit exemplum.* Qui annotant; vos etiamſi inſontes condemno: voluerunt dicere, inauditos. *Gronov. Facitis*] Præbuiſtis mihi legem & exemplum quod ſequar. vos itaque etiamſi inſontes condemno. *Farnabius.*

701. *Veros fatetur.*] Flor. melius: *Veros meretur.* Cauſam facit, cur aliquando non vana, ſed vere metuenda ei ſuperveniant. Suetonius Claudio: *Nulla adeo ſuſpicio, nullus auctor tam levis exſtitit, a quo non mediocri ſcrupulo injecto ad cavendum ulciſcendumque compelleretur.* Ergo ex vano metu ſpecie cavendi multa crudelitas: ex crudelitate odia & conjurationes, veri metus. *Meretur* hic non, dignus eſt, ſed dignus fit, acquirit, adipiſcitur. *Gronovius. Quiſquis in culpa fuit, Dimiſſus odit*] Exemplum Roſcillus Æguſque Allobroges apud Cæſarem lib. 3. de bello civili cap. 59. & 60. & liberti præfectique prætorii Caligulæ apud Suetonium cap. 56. Quod ſequitur, ſatis commode vulgo. Fl. tamen: *quod obvium eſt, eat.* An legendum: *odit. omne, quod dubium eſt, eat.* Vt *to eat*, ſit idem quod pereat. Vt apud Livium: *Sic eat, quæcumque Romana luxerit hoſtem.* Nam Lipſii conjecturam, *omne quod dubium, puta*, facile ipſa refutat obſcuritas. *Idem. Quiſquis*] Senſus. quiſquis vere noxius, & deprehenſus, falſo tamen in nocentem ſe eſſe ſimulans, impune tulit, nunquam vere reconciliatur ignoſcenti: quia, dubius ipſe vel fictus amicus cum ſit, idem ſibi de alio perſuadet, ita fit ut eum odio perſequatur, quem ſibi dubium, non certum, amicum credit. *Delrius.*

Creon. Sic odia fiunt. *Oedip.* Odia qui nimium timet,
Regnare neſcit. regna cuſtodit metus.
Creon. Qui ſceptra duro ſævus imperio regit,
Timet timentes, metus in auctorem redit.
Oedip. Servate fontem ſaxeo incluſum ſpecu:
Ipſe ad penates regios referam gradum.

703. *Odia*] Thebaid. verſ. 654. & Hercul. Fur. verſ. 352. *Farnabius.*

705. *Qui ſceptra*] Neceſſe eſt multos timeat, quem multi timent. *Idem.*

CHORUS.

Excuſat Oedipum Chorus transferendo culpam in mala Thebarum fata, quæ ab ipſa inauſpicata bove Thebanos uſque vexarint.

Non tu tantis cauſa periclis,
Non hæc Labdacidas premunt
Fata: ſed veteres deûm
Iræ ſequuntur. Caſtalium nemus
Umbram Sidonio præbuit hoſpiti,
Lavitque Dirce Tyrios colonos:
Ut primùm magni natus Agenoris,
Feſſus per orbem furta ſequi Iovis,
Sub noſtra pavidus conſtitit arbore,
Prædonem venerans ſuum;

Moni-

709. *Non tu*] Non tu Oedipe. *Farnabius.*

710. *Non hæc Labdacidas premunt*] Florent. *petunt.* Gronovius. Nec tantum Labdaci progeniem, Laium, Oedipum, &c. *Farnabius.*

712. *Caſtalium*] Cadmus fil. Agenoris regis Phœnicum, quorum præcipuæ urbes Tyrus & Sidon, miſſus à patre quæſitum Europam, à Iove ſub ſpecie tauri raptam, appulit Phocidem conſeditque non procul à Parnaſſo, Vid. ſupr. verſ. 112. *Farnabius.*

714. *Dirce*] Hunc fontem, apud quem ſerpens iſte Marti ſacer degebat, Euripid. in Phœniſſ. ſemper *Dircen*, Apollon. lib. 3. Argonaut. *Aretiadam* nominat. Dirce Pauſaniæ in Bœot. ſæu lib. 9. eſt amnis. *Delrius.*

715. *Natus Agenoris*,] Totus iſte Chorus ex Ovidii 3. Metam. commode poterit explicari. *Delrius.*

716. *Furta*] Sororem à Iove raptam. Hippol. 302. *Farnabius.*

717. *Sub noſtræ ramis*] Flor. *Sub noſtra pavidus conſtitit arbore.* Gron. *Noſtra arbore*] Nemore jam Thebano. *Farnabius.*

718. *Prædonem numerans ſuum;*] Quidam legit *prædones*, & interpretatur, ſocios ſuos: alios legere ait *prædonem*, quod ſit, ſerpentem, qui deprædatus fuerat ſocios: alios *memorans*, & tunc intelligi Iovem. Quidam, *numerans* ſpatia à ſe emenſa *prædonem* inſequuto: alios leg. *memorans*, id eſt, ubinam inveniret prædonem. Non poteſt niſi inepte explicari: itaque cautius illi, qui

Monituque Phœbi, jussus erranti
Comes ire vaccæ, quam non flexerat
Vomer, aut tardi juga curva plaustri,
Deseruit fugas, nomenque genti
Inauspicata de bove tradidit.
Tempore ex illo nova monstra semper
Protulit tellus. aut anguis imis
Vallibus editus, annosa supra
Robora sibilat, supraque pinus,
Supra Chaonias celsior arbores
Cæruleum erexit caput,
Cum majore sui parte recumberet,
Aut fæta tellus impio partu
Effudit arma.
Sonuit reflexo classicum cornu,
Lituusque adunco stridulos cantus

Elisit

qui transeunt silentes. Quid morot lectorem? Scribe cum unicis membranis: *Prædonem venerans suum.* hoc est, Iovem, Europæ raptorem, adorans. Ovidius lib. 3. met. in eadem fabula: *Sacra Iovi facturus erat.* Et mox: *Silva vetus stabat.* Habes arborem, habes Iovem, quem ignorans prædonem suum Cadmus veneratus est. *Gronovius.*

719. *Monituque Phœbi,*] Oraculo Phœbi jussus urbem condere in quo loco juvenca injugis, quam sequebatur, consideret, Thebas condidit. Vide suprà vers. 112. *Farnab.* Ovidius: *Bos tibi, Phœbus ait, solis occurret in arvis, Nullum passa jugum, curvique immunis aratri: Hac duce carpe viam, & qua requieverit herba, Mœnia fac condas, Bœotiaque illa vocato.* Delrius.

722. *Nomenque*] Sequitur eos, qui Bœotiam à Cadmi bove nominant, bove inquam Cadmi duce, ut Euripides & Castor. sed Euphorion & Nicocrates dictam volunt, à Bœoto Arnes & Neptuni filio; alii à Deucalionis filio; alii aliunde. Vide Leonicum libro 1. var. histor. cap. 95. Nec unum dumtaxat Bœotiæ nomen: dicitur Aonia, Messapia, Ogygia, Cadmeis, auctore Stephano in Βοιωτία. *Idem.*

725. *Anguis*] Draco, serpens quem, cum Cadmi comites aquatum missos interfecisset, ipse Cadmus occidit. *Farnabius.*

726. *Annosa*] *Ac media plus parte leves erectus in auras Despicit omne nemus.* Ovid. 3. met. unde fabulam hanc petas, *Idem.*

728. *Supra Chaonias*] Quercus altas, quales alunt Chaoniæ nemora glandifera. *Idem.* Ovidius: *Ac media plus parte leves erectus in auras Despicit omne nemus* ——

732. *Arma.*] Armatos homines, qui ut primum terra nati sunt bella sibi indixere, mutuisque vulneribus periere omnes ad quinque. Herc. Fur. 259. *Farnabius.*

734. *Lituusque*] Lituus incurvus aheneus. *Idem.*

Elisit ære. ante non linguas
Agiles & ora vocis ignotæ
Clamore primum hostico experti,
Agmina campos cognata tenent.
Dignaque jacto semine proles
Uno ætatem permensa die,
Post Luciferi nata meatus,
Ante Hesperios occidit ortus.
Horret tantis advena monstris
Populique timet bella recentis:
Donec cecidit sæva juventus;
Genitrixque suo reddi gremio
Modò productos vidit alumnos.
Hac transierit civile nefas:
Illa Herculeæ norint Thebæ
Prælia fratrum.
Quid Cadmei fata nepotis,

Cum

735. *Ante non linguas Alias & arma*] Duo viri illustres, Rutgersius, *Anthedon linguas Alias & arma Phocis ignota:* Grotius, *Agenorei linguas*, & *arma vocis* interpretatur verba. Sed scribendum cum Flor. *ante non linguas Agiles & Ora vocis ignotæ Clamore primum hostico experti.* Nempe terrigenæ isti nunquam ante linguas erant experti: & quæ prima miserunt verba, fuerunt bellici clamoris. Recte *Agiles:* nam id necessarium ad loquendum. Sic *volubilitas linguæ.* Et in contrarium *obligatio nodique linguæ* mutorum, quæ in Aristotele Batto Cyrenes conditore agnoscit Iustinus lib. 13. Iul. Firmicus lib. 9. *Aliorum etiam obligata lingua balbum vocis sonum efficiet.* Gellius 5, 9. *oris vinculo solutus.* Lucanus: *exsectaque lingua Palpitat, & muto vacuum ferit aera motu.* Gronovius. *Ante*] Lingua sua voceque tum primum experti usique in bellica acclamatione ἐλελεῦ. *Farnabius.*

738. *Cognata*] Terra nati fratres. *Id.*

739. *Semine*] Serpentis dentibus, Hercul. Fur. 259. *Idem.*

743. *Advena*] Cadmus advena Tyrius. *Idem.*

744. *Recentis:*] Lugdunens. ferme soli; *ruentis.* non placet. *Delrius.*

746. *Genitrixque*] Terra filios cæsos recepit. *Farnabius.*

748. *Hac transierit*] Atque utinam hic finis sit intestinis & civilibus Thebanorum bellis! *Idem.*

749. *Herculeæ*] Natus Thebis jam tum erat Hercules, sed nondum regnarat. Megaram enim duxit post obitum Polynicis & Eteoclis. *Idem.*

751. *Cadmei fata*] Actæonis, quem, quod in fonte Dianam nudam vidisset, Dea in cervum convertit, unde præda suis canibus factus est. *Farnabius.* Ovidius 4. metam. & Nonnus lib. 5. Dionys. & Callimachus in Lavacro Palladis. Venationis studio, nimiâ canum multitudine, decoxisse bona Actæonem, & inde natam fabulam, volunt Palæphatus, & Higynus. *Delr.*

752. *Viva-*

Cum vivacis cornua cervi
Frontem ramis texere novis,
Dominumque canes egere suum?
Præceps silvas montesque fugit
Citus Actæon, agilique magis
Pede per saltus & saxa vagus
Metuit motas Zephyris plumas,
Et, quæ posuit, retia vitat:
Donec placidi fontis in unda
Cornua vidit vultusque feros,
Ubi virgineos foverat artus
Nimium sævi Diva pudoris.

752. *Vivacis &c.*] Ovidius: *Dat sparso capiti vivacis cornua cervi.* Virgilius: — *Ramosa Micon vivacis cornua cervi.* Ausonius, eidyl. 9. *Ter binos deciesque novem superexit in annos Iusta senescentum quos implet vita virorum: Hos novies superat vivendo garrula cornix, Et quater egreditur cornicis secula cervus.* de cervorum ætate vide Plinium lib. 7. cap. 48. & Solinum c. 22. *Delrius.*

758. *Motas plumas,*] Lineam, formidinem. Vide Hippol. v. 45. *Farn.*

759. *Posuit*] Nuper ipse venator. *Id.*

763. *Nimium*] Pudoris sui nimis sæva vindex, quæ quum erratum tam crudeliter ulta sit, graves in Thebanos iras deorum arguit. *Idem.*

ACTUS QUARTUS.

Oedipus. Jocasta.

Suspicari jam incipit Oedipus, ne ille forte, quem olim Delphos petens occidisset, Laius fuerit: quærit itaque à Iocasta de Laii ætate, necis tempore, & aliis circumstantiis.

Oed. Curas revolvit animus, & repetit metus.
Obiisse nostro Laïum scelere autumant
Superi inferique. sed animus contra innocens,
Sibique melius quam deis notus, negat.
Redit memoria tenue per vestigium
Cecidisse nostri stipitis pulsu obvium

Datum-

765. *Superi*] Apollo, *vel* homines in superis. Tiresias & Creon. *Farnab.* *Inferique.*] Laius seu umbra Laii inferis evocata. *Idem.*

768. *Tenue*] Per objectum leve. *Id.*

769. *Stipitis*] Clavæ. Iocasta tamen ensem fuisse dicit infr. vers. 1034. atque ipse in Thebaide. *Idem.*

770. *Da-*

Datumque Diti, cum prior juvenem ſenex
Curru ſuperbus pelleret, Thebis procul,
Phocæa trifidas regio quà ſcindit vias.
Unanima conjux, explica errorem precor,
Quæ ſpatia moriens Laïus vitæ tulit.
Primóne in ævo viridis, an fracto occidit?
Joc. Inter ſenem juvenemque; ſed propior ſeni.
Oedip. Frequenſne turba regium cinxit latus?
Joc. Plures fefellit error, ancipitis viæ;
Paucos fidelis curribus junxit labor.
Oedip. Aliquiſne cecidit regio fato comes?
Joc. Unum fides virtuſque conſortem addidit.
Oedip. Teneo nocentem. convenit numerus, locus.
Sed tempus adde. *Joc.* Decima jam metitur ſeges.

770. *Datumque*] Demiſſum Orco, id eſt; interfectum. *Farnabius.*

772. *Phocæa trifidas*] Suprà 277. *Id.* Iſtud Oedipi & Iocaſtæ colloquium magnâ ex parte à Sophocle in Oedipo tyranno accepit. *Delrius.*

774. *Quæ ſpatia*] Quæ ſpatia vitæ, id eſt, quam ætatem? *Farnabius.*

776. *Propior*] Μέγας χνοάζων, &c. *Idem.*

781. *Vnum fides*] Polyphontem præconem. *Idem. Virtuſque*] Ἀνδρεία fortitudo, unica quondam virtus habita. *Idem.*

782. *Nocentem.*] Me ſcil. *Idem.*

783. *Decima*] Ante annos decem. *Id.*

SENEX. OEDIPUS.

E ſene à Merope & Corinthiis miſſo, qui Oedipum de Polybi morte edoceat, rogetque, ad gubernacula regni ſuſcipienda veniat, diſcit Oedipus ſe non vere eſſe Polybi filium; nimia itaque curioſitate ſua veros invenit parentes.

Sen. Corinthius te populus in regnum vocat
Patrium. quietem Polybus æternam obti-
Oed. Ut undique in me ſæva Fortuna irruit? (net.
Ediſſere agedum, quo cadat fato parens.
Sen. Animam ſenilem mollis exſolvit ſopor.

Oedip.

786. *Vndique*] Ludificando me & ambiguum tenendo. vel ſecundum jam regnum pernicioſe mihi ingerendo. *Farnabius.* Vel luctum indicendo novum.

788. *Animam ſenilem*] Quia, ut ait Sophocles, θνῆσκε δὲ ὡς ὕπνῳ δεδμημένος. & Σμικρὰ παλαιὰ σώματ' εὐνάζει ῥοπή. Themiſtius: καταγωγῇ γὰρ ἔοικεν ὁ γεροντικὸς θάνατος, ἐκβολὴ δὲ καὶ ναυάγιόν ἐστιν ὁ τῶν νέων. Cato apud Ciceronem in Dialogo

Oedip. Genitor ſine ulla cæde defunctus jacet.
Teſtor, licet jam tollere ad cœlum pie
Puras nec ulla ſcelera metuentes manus.
Sed pars magis metuenda fatorum manet.
Sen. Omnem paterna regna diſcutient metum.
Oedip. Repetam paterna regna, ſed matrem horreo.
Sen. Metuis parentem, quæ tuum reditum expetens
Sollicita pendet? *Oedip.* Ipſa me pietas fugat.
Sen. Viduam relinques? *Oedip.* Tangis, en, ipſos metus.
Sen. Effare, merſus quis premat mentem timor.
Præſtare tacitam regibus ſoleo fidem.
Oed. Connubia matris Delphico admonitu tremo.
Sen. Timere vana deſine, & turpes metus
Depōne. Merope vera non fuerat parens.
Oedip. Quod ſubditivi præmium gnati petiit?
Sen. Regnum. ſuperbam liberi adſtringunt fidem.

Oedip.

logo de ſenectute; *Quid eſt autem tam ſecundum naturam quam ſenibus emori? quod idem contingit adoleſcentibus, adverſante & repugnante natura. Itaque adoleſcentes mori mihi videntur; ut cum aquæ multitudine vis flammæ opprimitur; ſenes autem; ſicut ſua ſponte, nulla adhibita vi, conſumtus ignis exſtinguitur. Et quaſi poma ex arboribus, ſi cruda ſunt, vi avelluntur; ſi matura & cocta, decidunt: ſic vitam adoleſcentibus vis aufert, ſenibus maturitas.* Delrius.

791. *Puras*] Parricidium non metuentes. Quibus manus à ſordibus (illuvie, ſanguine, Venere) mundæ non erant, eos Græci Latinique à ſacris arcebant. Vide Briſſon princip. Formular. & quæ Hercul. Fur. act. 4. ſc. 1. *Delrius.*

792. *Pars*] De inceſtis matris nuptiis. *Farnabius.*

797. *Tangis,*] Rem tetigiſti, tetigiſti ulcus. hoc enim eſt quod metuo, ne fato ductus eam viduam ducam. *Idem.*

799. *Præſtare*] Quod fecerat prius in Oedipi genere velut regio ſimulando & celando. *Idem.*

800. *Delphico monitu tremo.*] Sic Mſſ. Pal. habere, non *admonitu*, quod occupet editiones alias, notat Gruterus. Sed antiquiſſimus, *admonitu* ergo retineatur. *Gronovius.*

803. *Quod*] In quem finem aſcivit me filium ſuppoſititium parens? *Farn.*

804. *Regnum. ſuperbam liberi*] Quicquid habeant octo aut plures Mſſ. non recentiores, modo quidam, ſed & omnium vetuſtiſſimus: *Regum ſuperbam.* At vellet Gruterus, commentatores id aliqua interpretatione aperte evolviſſent. De ſententia quidem conſtat: & illuſtrat Suetonius in Galba cap. 17. *Deſpectui eſſe non tam ſenectutem ſuam quam orbitatem ratus.* Quod & Nerva expertus, felicior remedio. Plutarchus de Ægeo in filii ejus vita: ἰσχυρῶς γὰρ ἐδεδοίκει τοὺς Παλλαντίδας ἐπιβουλεύοντας αὐτῷ καὶ διὰ τὴν ἀπαιδίαν καταφρονοῦντας. Sed num illa ſatis commode utrovis modo exprimatur, vehementer dubito. Si antea non erat regina Merope, facta

eſt

Oedip. Secreta thalami, fare, quo excipias modo.
Sen. Hæ te parenti parvulum tradunt manus.
Oedip. Tu me parenti tradis? at quis me tibi?
Sen. Pastor nivoso sub Cithæronis jugo.
Oedip. In illa temet nemora quis casus tulit?
Sen. Illo sequebar monte cornigeros greges.
Oedip. Nunc adice certas corporis nostri notas.
Sen. Forata ferro gesseras vestigia,
Tumore nactus nomen ac vitio pedum.
Oedip. Quis fuerit ille, qui meum dono dedit
Corpus, requiro. *Sen.* Regios pavit greges.
Minor sub illo turba pastorum fuit.
Oedip. Eloquere nomen. *Sen.* Prima languescit senum
Memoria, longo lassa sublabens situ.
Oedip. Potesne facie noscere ac vultu virum?

Sen.

est autem ope vel gratia subditivi gnati, sit sane suppositionis præmium regnum. Sed jamdudum regnabat illa, & in spem successionis filium quærebat. *Superbam fidem* dici vult subjectos superbos. Possumus ergo ita interpretari veterem scripturam: *Regum liberi adstringunt fidem* subjectorum *superbam*, hoc est, minacem, ita parentium, ut videantur velle frenum mordere, & excutere jugum illius, qui nullis liberorum munimentis insistit. Vt tamen verum fatear, non valde mihi placet illa *superba fides*. Fecerunt etiam: *Regnum superbum. liberi*, &c. Manus illustris: *Regnum super nam liberi*. Quid si, *Regno superbis*, vel *Regno superbo*: hoc est, regibus liberi firmiorem faciunt subjectorum fidem. *Superbum* interdum vocatur omne regnum, non vitii notatione, sed speciei & majestatis. Agamemnone: *hoc sedent alti toro, Quibus superba sceptra gestantur manu.* Hercule Oetæo: *quod superbæ non habent unquam domus, Fidele semper regibus nomen.* Phœnissis: *regia frater meus Habitet superba.* Gronov. *Liberi*] Quo firmius retineret tyrannidem, quam firmat certa successio, retinetque populum in fide, ne quando interfecti regis liberi sint ultores. *Farnabius.*

805. *Quo excipias*] Vnde tu noris me esse subditititium? *Idem.*

806. *Hæ te parenti*] Tradiderunt te meæ hæ manus parv. pa. *Id.* Hæc quoque & sequentia pene omnia qui cum Sophocle, in Oed. tyranno, contulerit, non aliunde sumpta deprehendet. *Delrius.*

813. *Tumore*] Οἰδῶν τὸ πόδε sc. ὅθεν νιν Ἕλλως ἀνόμαζεν Οἰδίπουν. Farnabius.

815. *Regios*] Regius pastor summus. *Idem.*

817. *Prima*] An prima inter animæ potentias deficit, cum ætas illa in continuo deflexu rerum species nequeat retinere? an primo quidem objectum non agnoscit, postea autem reminiscitur. ut ait vers. 820. *Idem.* M. Seneca lib. 1. Contr. *memoria, res ex omnibus partibus animi maxime delicata & fragilis, in quam senectus primum incurrit.* Delrius.

819. *Facie*] Distinguuntur facies, & vultus. Sallust. *prorsus in facie vultuque*

Sen. Fortasse noscam. sæpe jam spatio obrutam
Levis exoletam memoriam revocat nota.
Oedip. Ad sacra & aras omne compulsum pecus
Duces sequantur. ite propere, arcessite,
Famuli, penes quos summa consistit gregum.
Sen. Sive ista ratio, sive fortuna occulit.
Latere semper patere quod latuit diu.
Sæpe eruentis veritas patuit malo.
Oedip. Malum timeri majus his aliquod potest?
Sen. Magnum esse, magna mole quod petitur, scias.
Concurrit illinc publica, hinc regis salus,
Utrimque paria. contine medias manus,
Ut nil lacessas, ipsa se fata explicant.
Non expedit concutere felicem statum.

Oedip.

tuque vecordia inerat. Vultum fingere possumus, faciem non possumus. Nonius: *Vultus est voluntas, quæ pro motu animi in facie ostenditur. Facies, ipsa oris species.* significat, vultum esse illam faciei & oris compositionem, quam pro lubitu moribus animi accommodamus. Aliam differentiam Fronto tradidit, vultum hominum propriè, os omnium, faciem plurium esse. sed hoc huc non pertinet. *Delr.*

822. *Ad sacra*] Sub prætextu sacrificii, veluti eximendæ sint egregiæ victimæ, pastores accersit. *Farnabius.*

824. *Famuli,*] Pastores & bubulci. *Idem.*

825. *Sive*] Suadet senex ne nimis curiose id scrutetur, quod notum in malum suum redire possit. *Idem.*

828. *Majus his*] Patricidio & incestu. *Idem.*

831. *Utrimque patria.*] Flor. *paria.* Studio videntur obscurata verba, ut & senis sententiam explicent, & conveniant etiam in aliam rem, quæ cum maxime negotium Oedipo facessebat. Senex Corinthius dicit: Pugnare videntur salus publica Corinthiorum & tua: illa vult, ut sine ulla inquisitione accipias delatum regnum, nec alterius te quam Polybi filium feras; hæc, ut rescisças, quorum hominum sis quosque vitare metu parricidii & incesti debeas: utriusque vis ingens: medium igitur feri: accipe primum & firma regnum: dein per otium inquire aut exspecta venientia fata. Eadem tamen ambiguitate verborum monetur Oedipus, quid Thebis ei faciendum sit. Ibi quoque divertebant salus publica & regis: si non inquireret in interfectorem Laii, videbatur negligere populi Thebani salutem; si inquireret, eumque deprehenderet, suam: difficile erat in utramvis partem totum descendere: erant enim *utrimque* etiam *paria*, hoc est, æque graves causæ, quæ & huc & illuc traherent: quare melius, ut medium se teneret, & neutri dederet, servando speciem inquisitionis, non omnem exsequendo. *Grónovius.*

832. *Ut nil lacessas, ipsa se fata explicant.*] Flor. *Nihil lacessas: ipse se fata explicent.* Idem. *Ut nil*] Etiamsi nihil moveas, fatum (quod series est & connexio quædam causarum, qua fit quidquid fit) se declarabit. *Farn.*

833. *Non expedit*] Τὸ κρεῖσσον δὲ κεί μενον ἔ κινητέον. *Idem.*

834. *Tuto*

Oedip. Tutò movetur quidquid extremo in loco eſt.
Sen. Nobilius aliquid genere regali appetis?
Ne te parentis pigeat inventi, vide.
Oedip. Vel pœnitendi ſanguinis quæram fidem.
Si noſſe libeat. ecce, grandævus ſenex,
Arbitria ſub quo regii fuerant gregis,
Phorbas. referſne nomen aut vultum ſenis?
Sen. Arridet animo forma. nec notus ſatis,
Nec rurſus iſte vultus ignotus mihi.
Regnum obtinente Laïo famulus greges
Agitaſti opimos ſub Cithæronis plaga?

834. *Tuto*] Sed meum ſtatum infeliciſſimum puto, movebo itaque ut certum ſciam. *Farnabius.*

835. *Regali*] Polybi enim filius jam crederis. *Idem.*

837. *Nec pœnitendi ſanguinis*] Vnde ſcire poterat hoc Oedipus, non pœnitendum fore ſanguinem ſuum? Quin jam ipſe ſatis perceperat, ſe quærere, cujus inventi pœniteret? Lege igitur cum optimo: *Vel pœnitendi ſanguinis quæram fidem, Si noſſe libeat.* Sic quoque: non, *Sed noſſe certum eſt.* Hoc multo magis decet vel potentia vel deſiderio impotentem. Etſi certo ſciam, fore ut me pudeat pœniteatque natalium, tamen animo morem geram, & ubi inceſſerit libido eos noſcendi, haud deſinam inquirere. Sophocles ita dicentem facit Oedipum. σὺ μὲν γὰρ οὐδ', ἂν ἐκ τρίτης ἐγὼ Μητρὸς φανῶ τρίδουλος, ἐκφανῆ κακή. *Gronovius.*

840. *Phorbas.*] Aliis *Ithimales* dictus. *Farnabius.*

843. *Regnum obtinente*] Videntur hi duo verſus Oedipo aſſignandi, ne hero præſente ſervi præcedat oratio. *Gronovius.*

PHORBAS. SENEX. OEDIPUS.

Phorb. Lætus Cithæron pabulo ſemper novo
Æſtiva noſtro prata ſummittit gregi.
Sen. Noſciſne memet? *Phorb.* Dubitat anceps memoria.
Oedip. Huic aliquis à te traditur quondam puer?
Effare. dubitas? cur genas mutat color?
Quid verba quæris? veritas odit moras.
Phorb. Obducta longo temporum tractu moves.
Oedip. Fatere, ne te cogat ad verum dolor.

Phorb.

846. *Summittit*] Suppeditat. *Farn.*

850. *Veritas*] Vera relaturo ad manum verba ſunt. nec mora eſt opus. *Idem.*

852. *Cogat ad verum dolor.*] Ex Colon. Mſ. notavit Comelinus, *ad nervum.* quod adeo placuit viro docto, ut non dubitarit hoc pro germano & ge-

Phorb. Inutile isti munus infantem dedi.
Non potuit ille luce, non cœlo frui.
Sen. Procul sit omen. vivit, & vivat precor.
Oedip. Supereſſe quare traditum infantem negas?
Phorb. Ferrum per ambos tenue tranſactum pedes
Ligabat artus. vulneri innatus tumor
Puerile fœda corpus urebat lue.
Sen. Quid quæris ultra? fata jam accedunt prope.
Oedip. Quis fuerit infans, edoce. *Phorb.* Prohibet fides.
Oedip. Huc aliquis ignem. flamma jam excutiet fidem.
Per tam cruentas vera quærenti vias
Ignoſce quæſo, ſi ferus videor tibi,
Et impotens, parata vindicta in manu eſt.
Dic vera. quiſnam, quove generatus patre,
Qua matre genitus? *Phorb.* Conjuge eſt genitus tua.
Oedip. Dehiſce tellus. tuque tenebrarum potens,
In Tartara ima, rector umbrarum, rape

Retro

& genuino recipere. *Plautum* aut Terentium aut alium ſocco humilem, non cothurnatum Senecam verſari ſe credidit. Eadem opera repoſuiſſet, *ad piſtrinum*. Sequenti verſu liber optimus, *infantis*. Gronovius.

853. *Inutile*.] Non diu victurum, ſaucium ſcil. plantis perforatis. *Farnabius.*

855. *Procul ſit omen.*] Felicia omina aiebant ſe *accipere*. ut apud Virgil. Æneas: mala averſabantur, & orabant Deos ut ea averterent, ut in Philip. Cicero & alii paſſim, vel ut *in* hoſtium capita converterentur. *Delrius.*

859. *Lue.*] Putredine. *Farnabius.*

861. *Quis fuerit*] Quibus parentibus ortus. *Idem.*

862. *Huc aliquis*] *Cruciatus & tormenta minitatur.* Idem.

865. PHORB. *Iam parata vindicta*] Sic perſonas deſcripſit Deltius, idemque monuit in Mog. legi, *parata*, pro *jam parta*, probavitque. Quod bene monuerat, nemo reſpexit: quod ei ceſſit infeliciter, primus calculo ſuo approbavit Gruterus; dein omnes, tanquam non dubium, tranſierunt. *Parata* eſt auctoris, nam & ſic Florentinus. Phorbantis autem hæc non poſſunt eſſe verba, niſi vates erat Tireſia prompticr. Unde poterat ille ſcire paratam fore ultionem iſtam? unde, puerum illum fuiſſe, quicum ipſe loquebatur? Nam quod detectat fateri, à quibus infantem acceperit, in reginæ facit gratiam. Ergo cum Florentino & hic & ſequenti verſu tolle præfixa perſonarum nomina. Omnia enim continuantur ab Oedipo, jam certo ſuæ calamitatis, &, ut ille ait, terebratum pertundente. Patere me tibi inſtar feri & impotentis tyranni imperare: prope eſt tibi ſolatium, mihi pœna. Providebat enim, ſi verum diceret, quod ſatis exſpectabat, nullam dubitationis latebram relictum iri. Id quod ſtatim evenit. *Gronovius.*

868. *Tenebrarum potens*,] Pluto. *Farnabius.*

Retro reversas generis ac stirpis vices.
Congerite, cives, saxa in infandum caput.
Mactate telis. me petat ferro parens;
Me natus. in me conjuges arment manus,
Fratresque; & æger populus ereptos rogis
Jaculetur ignes. sæculi crimen vagor,
Odium deorum, juris exitium sacri;
Qua luce primum spiritus hausi rudes,
Jam morte dignus. redde nunc animos, parens.
Nunc aliquid aude sceleribus dignum tuis.
I, perge, propero regiam gressu pete.
Gratare matri liberis auctam domum.

870. *Retro*] Me qui adversus naturæ leges sum reversus in propriæ matris uterum, supr. 638. *Farnabius.*

871. *Saxa in infestum caput.*] Sic Gruterus è suis. Aliis *infaustum*. Delrius *incestum*. Etrusus, *infandum*, ut ediderat Fabricius. *Gronovius.*

872. *Me petat*] Causam hujus pestilitatis. *Farnabius.* *Parens,*] Omnes parentes, liberi, conjuges, fratres me petant, qui jura illorum violaverim. *Idem.*

874. *Ereptos*] In me velut inferis devotum piaculum. Vide sup. v. 550. vel in me pestis, funerum, rogorum causam. *Idem.*

877. *Qua luce*] Thebaid. v. 244. *Id.*

878. *Parens.*] Per indignationem sibi se ex matre parentem exprobrat. *Idem.*

880. *Regiam cursu pete.*] Florent. *regiam gressu pete.* Et sequenti versu: *Gratare matri liberis auctam domum*: ut & in plerisque invenit Delrius, non *aucta domo.* Nam cur Scaliger: *liberis auctæ modo?* Scio illud in Truculento: *Cum tu recte provenisti, cumque es aucta liberis, Gratulor.* Sed num propterea minus belle dicatur *liberis aucta domus?* Gronovius.

881. *Liberis*] Ob domum auctam liberis à te filio ex matre. *Farnabius.*

CHORUS.

Varietate obnoxium arguit Chorus excelsum statum. mediam itaque fortunam optat. cujus laudes canit, à similitudine navis modico vento actæ, & exemplo Icari.

Fata si liceat mihi
Fingere arbitrio meo,
Temperem Zephyro levi
Vela, ne presſæ gravi
Spiritu antennæ tremant.
Lenis & modice fluens
Aura,

882. *Fata*] *Medio tutissimus ibis.* Farnabius.

887. *Lene sed modicum fluens*] Lipsius è suo: *Lenis & modice fluens.* Cui ne

Aura, nec vergens latus,
Ducat intrepidam ratem.
Tuta me mediâ vehat
Vita decurrens viâ.
Cnoſſium regem timens:
Aſtra dum demens petit,
Artibus fiſus novis,
Certat & veras aves
Vincere, ac falſis nimis
Imperat pennis puer,
Nomen eripuit freto.
Callidus medium ſenex
Dædalus librans iter
Nube ſub media ſtetit,
Alitem exſpectans ſuam:
Qualis accipitris minas
Fugit, & ſparſos metu
Colligit fœtus avis:
Donec in ponto manus

Movit

ne quid deberet amicus, facit, *Lenis ac modicum fluens.* Dein Gruterus, *at modicum.* Tu acquieſce Lipſiano. neque enim aliter Florentiæ. *Gronovius.*

892. *Cnoſſium*] Dædalus Hymetionis fil. damnatus ab Areopagitis, quod occidiſſet Talum ſororis filium, in Cretam migrarat: ibi quia vaccam fabricaſſet ligneam, à Minoë rege, Labyrintho ſeu turri incluſus, terra marique fugam interdictam, per aëra tentavit; alas itaque confecit ſibi & filio, quibus ipſe evolavit in Sardiniam: inde Cumas. Icarus autem, dum patris monito non audiens, nimis alte volat, pennis à ſole liquefactis in mare decidit, quod ab illo nomen tulit. *Farnab.* Indicat omnibus actionibus mediocritatem adhibendam, ne, dum nimis alta petimus, decidamus, vel dum terrenis cogitationibus inhæremus, nunquam attollamur. *Delrius. Regem*] Minoëm regem Cretæ, in qua Cnoſſus urbs. *Farnabius.*

893. *Alta dum demens*] Flor. *Aſtra dum demens.* Ovidius: *cœlique cupidine tactus Altius egit iter.* Sequenti idem, ut & Voſſianus: *Artibus fiſus novis.* non *fidens.* Gronovius.

896. *Falſis*] *Pennis non homini datis.* Farnabius.

897. *Puer,*] Icarus. *Idem.*

898. *Abſtulit nomen freto.*] Etruſcus, ut quondam vulgabatur: *Nomen eripuit freto.* Gronovius. *Nomen eripuit freto.*] Varronem ſequitur, qui, Solino teſte, tradidit Icarium mare ab Icaro nominatum, quod & Ovidio lib. 2. de arte amandi placuit. Sed Androëtas Tenedius, in navigatione Propontidis, ab una Cycladum, quæ *Macris* & *Icarus* vocabantur, appellatum fuiſſe, ſcripſit. *Delrius.*

Movit implicitas puer,
Comes audacis viæ.
Quidquid exceſſit modum
Pendet inſtabili loco.
Sed quid hoc? poſtes ſonant.
Mœſtus & famulus manu
Regius quaſſat caput.
Ede, quid portes novi.

911. *Poſtes ſonant.*] Variant hic libri: ſed omnium optime Delrius in quibuſdam legi putat: *poſtes ſonat Regios famulus manu, Mœſtus & quaſſans caput.* Idque reduxit Gruterus, quod nunquam potuerit concoquere, *Quatere caput manu.* Sed an concoctu facilius, *poſtes ſonare manu?* Vix putem. Poſſumus retinere vetus etiam Flor. probatum, modo *quaſſat*, in *quaſſans* mutes. Troadibus: *tum quaſſans caput, Depelle ſomnos, inquit.* Medea: *caput feroci Quatiens ſuperba motu.* Sic igitur accipere poſſumus: *Poſtes ſonant: Mœſtus & famulus manu Regius*, (intellige egreſſus & ipſe ſonat pectus plangens) *quaſſans* etiam *caput.* Fortaſſe tamen ſcripſit Seneca: *Regius pulſat caput.* Vt Troad. *Tibi noſtra caput dextera pulſat.* Gronov. *Poſtes*] Crepant regiæ fores, exeunte nuncio. Vide Herc. Oet. verſ. 254. *Farnabius.*

ACTUS QUINTUS.

NUNCIUS.

Nuncius Oedipi excæcationis conſilium & modum narrat.

Prædicta poſtquam fata, & infandum genus
Deprendit, ac ſe ſcelere convictum Oedipus
Damnavit ipſe; regiam infeſtus petens
Inviſa propero tecta penetravit gradu;
Qualis per arva Libycus inſanit leo,
Fulvam minaci fronte concutiens jubam:
Vultus furore torvus, atque oculi truces,
Gemitus, & altum murmur, & gelidus fluit
Sudor per artus. ſpumat, & volvit minas,
Ac merſus alte magnus exundat dolor.
Secum ipſe ſævus grande neſcio quid parat,
Suiſ-

915. *Et infandum ſcelus*] Quod inducti ſequiorum codicum turba abjecerunt, recolligi jubet Florentinus: *& infandum genus.* Gronovius.

920. *Fulvam*] Propriè leonum color eſt.

926. *Quid*

Suisque fatis simile. Quid pœnas moror?
(Ait) hoc scelestum pectus aut ferro petat,
Aut fervido aliquis igne vel saxo domet.
Quæ tigris, aut quæ sæva viscеribus meis
Incurret ales? ipse tu scelerum capax
Sacer Cithæron, vel feras in me tuis
Emitte silvis, mitte vel rabidos canes.
Nunc redde Agaven. anime, quid mortem times?
Mors innocentem sola fortunæ eripit.
Hæc fatus, aptat impiam capulo manum,
Ensemque ducit. Itane tam magnis breves
Pœnas sceleribus solvis? atque uno omnia
Pensabis ictu? moreris? hoc patri sat est.
Quid deinde matri? quid male in lucem editis
Gnatis? quid ipsi, quæ tuum magnâ luit
Scelus ruinâ, flebili patriæ dabis?
Solvendo non es. Illa quæ leges ratas
Natura in uno vertit Oedipoda, novos
Commenta partus. suppliciis eadem meis
Novetur. iterum vivere, atque iterum mori
Liceat;

926. *Quid pœnas*] Verba Oedipi. *Farnabius.*

927. *Vt hoc scelestum*] Scribe cum Flor. *Quid pœnas moror? (Ait) hoc scelestum.* deleta interrogationis nota, quæ sequenti versui subjicitur. Nam hæc Oedipi verba sunt, ab nuntio relata, & otiosum est τὸ *Vt.* Gronov.

930. *Scelerum*] Agaves & ceterarum Baccharum. *Farnabius.*

931. *Sacer*] Iovi: *vel* Bacchi sactis. *vel* execrande. *Idem. Vel feras in me tuis*] Florent. *tuas Emitte silvis.* Gronovius.

933. *Agaven.*] Suprà vers. 616. & Thebaid. vers. 17. *Farnabius.*

936. *Breves*] Facilis & simplicis mortis. *Idem.*

942. *Solvenda non est illa*] Fatua verba, quæ tamen omnes retinent libri. At agnosce ingenium maximi Grotii in pulcherrima emendatione, quam in margine à manu ejus acceptam libenter & auctori inscribimus & cum lectore communicamus: *Solvendo non es. Illa quæ leges ratas Natura*, &c. Seipse pergit alloqui; Quas pœnas dabis? non potes solvere, quantas debes. Illa Natura, cujus leges in me uno sunt supra omnia exempla violatæ, muretur oportet in supplicia mea. Licinius Nepos apud M. Senecam contr. 33. *Vt solvendo sis in pœnas, quoties tibi renascendum est?* Ne quis de syllabæ modulo dubitet, sic in Troadibus: *magna momento obrui Vincendo didici.* Porro optimus & Vossianus, *Oedipoda.* nam & *Oedipodes, Oedipodæ* dicitur: unde hic ablativus: nam *Oedipode* tertiæ declinationis. *Gronovius.*

943. *Novos*] Filios ex matre. *Farn.*

Liceat; renaſci ſemper: ut toties nova
Supplicia pendas. utere ingenio miſer.
Quod ſæpe fieri non poteſt, fiat diu.
Mors eligatur longa. quæratur via,
Qua nec ſepultis miſtus, & vivis tamen
Exemptus erres. morere, ſed citra patrem.
Cunctaris, anime? ſubitus en vultus gravat
Profuſus imber, ac rigat fletu genas.
Et flere ſatis eſt? hactenus fundent levem
Oculi liquorem. ſedibus pulſi ſuis
Lachrimas ſequantur. hi maritales ſtatim
Fodiantur oculi. dixit, atque irâ furit.
Ardent minaces igne truculento genæ;
Oculique vix ſe ſedibus retinent ſuis.
Violentus, audax vultus, iratus, ferox,
Tantum eruentis. Gemuit; & dirum fremens

Manus

946. *Liceat; renaſci ſemper:*] Quid ſi legas, *licet*, *ac renaſci*, inquit Delrius. At Gruterus: Vim & mucronem ſententiæ auferas, ſi ſubſtituatur hoc. præſertim quum præceſſerit, *novetur*. Vult ἀπὸ κοινοῦ repeti τὸ *Liceat*. Fortaſſis: *iterum vivere atque iterum mori Libet, ac renaſci*. Gronovius.

947. *Ingenio*] Vtere eo ingenio ad pœnas excogitandas, quo uſus es quondam in Sphingis ænigmate ſolvendo. *Farnabius*.

951. *Morere, ſed citra patrem*] Interpretantur, non uno ictu, ut Laius. Manus illuſtris viri, *vita patrem*. Senſu meliore, ſed qui etiam facile elicitur ex omnium librorum ſcriptura. Nam *citra patrem*, eſt non uſque eo, quo pater. hoc eſt, ut è viventium numero abeas. Morere, ſed citeriore quaſi linea quam pater: ne ad patrem pervenias, utque quamvis mortuus ſis ſuperſtes, & vivum funus circumferare: & denique mortuus eum oculis non contingas. Apud Sophoclem, quum Chorus dixiſſet, melius ei futurum fuiſſe non vivere quam cœcum vivere, reſpondet Oedipus: Ἐγὼ γὰρ οὐκ οἶδ' ὄμμασιν ποίοις βλέπων Πατέρα ποτ' ἂν προσεῖδον εἰς ᾅδου μολών· Vbi notat Scholiaſtes: οἱ Ἕλληνες τοιαύτην εἶχον δόξαν, ὡς εἴτε τυφλός τις, εἴτε βλέπων ἐτελεύτα, τοιοῦτος καὶ ἐν ᾅδου ἦν. *Gronovius*. *Citra*] Non uno ictu, ut Laius. *Farn.*

952. *Subitus an vultus gravat*] Lege cum Flor. *ſubitus en vultus*. Gronovius.

856. *Maritales*] Ἔρωτος ἀνοσίου καὶ γάμου ἀνομίμου δᾳδοῦχοι. ex conſpectu enim amor. hi, quibus placuit mater, vel qui illius amorem conciliavere. *Farnabius*.

959. *Vix ſe*] Conſcii & in pœnas parati. *Idem*.

960. *Mutus, iratus, ferox, Tantum eruentus.*] Quod è duobus ſcriptis erutum probavimus olim: *audax vultus, iratus, ferox, Tantum eruentis. Gemuit*, &c. id totidem literis confirmavit optimus liber. Vide, ſi tanti eſt, Obſerv. 2, 19. *Gronovius*.

965. *Ma-*

Manus in ora torsit. at contra truces
Oculi steterunt, & suam intenti manum
Ultro insequuntur. vulneri occurrunt suo.
Scrutatur avidus manibus uncis lumina.
Radice ab ima funditus vulsos simul
Evolvit orbes. hæret in vacuo manus,
Et fixa penitus unguibus lacerat cavos
Alte recessus luminum, & inanes sinus;
Sævitque frustra, plusque quam sat est furit;
Tantum est periclum lucis. attollit caput,
Cavisque lustrans orbibus cœli plagas,
Noctem experitur. quidquid effossis male
Dependet oculis, rumpit; & victor deos
Conclamat omnes: Parcite (heu) patriæ, precor:
Jam jussa feci. debitas pœnas tuli.
Inventa thalamis digna nox tandem meis.
Rigat ora fœdus imber, & lacerum caput
Largum revulsis sanguinem venis vomit.

965. *Manibus*] Digitis, unguibus. *Farnabius.*

967. *Orbes.*] Κύκλους. ita Soph. ὄφρας ἔπεισεν ἄρθρα τῶν αὑτοῦ κύκλων. Sphærica autem seu orbicularis forma oculo data est, quo celerius & facilius revolutus objecta apprehendat, utque sufficiat cuivis quantitati capiendæ perpendicularibus lineis à visis in centrum oculi concurrentibus. *vel orbes* hic cape sinus, in quibus oculi. *Id.*

968. *Cavos, &c.*] Etiam in oculorum sinus & globos, cum satis fuisset araneæ telam, vel pupillam effodisse. *Idem.*

971. *Tantum*] In tantum lucem exodit. tam attente cavet, ne quid sibi lucis relinquatur. *Idem. Attollit*] More lustrantis & suspicientis. *Idem.*

973. *Noctem*] An penitus sit cæcus, *Idem.*

976. *Iussa*] Quod voluistis. *Idem.*

978. *Rigat*] Hæc nuncius ex sua persona. *Idem.*

CHORUS.

Chorus iste ex disciplina Stoicorum (qui omnia, imo Deum ipsum subjiciunt inevitabilibus fatis) excusari Oedipum vult.

Fatis agimur. cedite Fatis.
Non sollicitæ possunt curæ
Mutare rati stamina fusi.
Quid-

982. *Stamina*] Hercul. Fur. vers. 558. *Farnabius.*

984. *Al-*

Quidquid patimur mortale genus,
Quidquid facimus, venit ex alto:
Servatque suæ decreta colûs
Lachesis, durâ revoluta manu.
Omnia certo tramite vadunt.
Primusque dies dedit extremum.
Non illa deo vertisse licet,
Quæ nexa suis currunt causis.
It cuique ratus, prece non ulla
Mobilis, ordo. multis ipsum
Metuisse nocet. multi ad fatum
Venêre suum, dum fata timent.
Sonuere fores, atque ipse suum
Duce non ullo molitur iter
Luminis orbus.

984. *Alto:*] Fato seu providentia divina. *vel ut illi*, ex constellatione. *Farnabius.*

986. *Lachesis,*] Vna è Parcis, fatum. *Idem. Dura*] Inexorabili, immutabili. *Idem.*

987. *Omnia certo tramite vadunt.*] Patri *sepio:* optimus & cæteri, fere omnes, *secto.* Itaque putem fuisse, *recto:* quod est directo & præstituto. *Regi* & *dirigi* ut fines, ita viæ & itinera proprio verbo dicuntur. Sed & vetustiores libri minuto charactere inter *R* & *S* vix ponunt differentiam. *Gron.*

988. *Primusque*] Horoscopus genethliacus ex situ & nativitatis hora. *Farnabius.*

989. *Non illa*] *Quod fore paratum est, id summum exuperat Iovem.* Stoice. *Idem.*

990. *Quæ nexa*] Quæ proveniunt ex serie & ordine causarum. *Idem.*

993. *Multis ipsum Timuisse nocet.*] Flor. *Metuisse.* Recte: nam sequitur: *dum fata timent:* & nihil in repetitione momenti. *Gronovius.*

Oedipus. Chorus. Iocasta.

Iocasta se interficit. Oedipus excæcatus in exilium abit.

Oed. Bene habet, peractum est. justa persolvi patri.
Juvant tenebræ. quis deus tandem mihi
Placatus atra nube perfundit caput?
Quis scelera donat? conscium evasi diem.
Nil, parricida, dexteræ debes tuæ,

Lux

1000. *Atra*] Cœcitatis caligine. *Farnabius.*

1001. *Donat?*] Dono remittit? *Idem.*

1003. *Vul-*

Lux te refugit. vultus Oedipodem hic decet.
Chor. En ecce, rapido ſæva proſiluit gradu
Jocaſta vecors: qualis attonita & furens
Cadmea mater abſtulit gnato caput,
Senſitve raptum. Dubitat, afflictum alloqui
Cupit, pavetque. jam malis ceſſit pudor.
Et hæret ore primo vox. *Joc.* Quid te vocem?

Gna-

1003. *Vultus Oedipodem hic decet.*] Florent. *Oedipodam.* Lege: *Oedipoda*, accuſandi caſu Græcæ terminationis. *Gronovius.*

1005. *Qualis*] Qualis Agave, ubi furens filio caput abſtuliſſet moxque ad ſe reverſa facinus ſenſiſſet, attonita ſtetit; talis hîc Iocaſta. vid. ſup. v. 443. *Farnabius.*

1007. *Senſumve raptum traxit*] Lipſianus & optimus Florentiæ: *Senſitve raptum. Dubitat, adflictum alloqui Cupit pavetque.* Egregie, inquit Gruterus. Profecto egregie: ſed & vere: nam aut furentis Agaves Baccheo inſtinctu & Penthea diſcerpentis, aut (& vel maxime) poſtea dolore furentis & attonitæ, poſtquam quid feciſſet agnovit, adfectum & habitum vult in Iocaſta fuiſſe. Vt Lucanus lib. 7. *Nec magis attonitos animi ſenſere tumultus, Cum fureret Pentheus, aut cum deſiſſet Agave.* Sic recte ſcribit vir ſummus, ſed perperam interpretatur: Nec magis externati erant aut Pentheus, cum Agave fureret, aut ipſa Agave, cum furere deſiſſet: additque: quod præceſſit, *cum fureret*, eſt ὑπόζευγμα, & ex poſteriori ſupplendum *Agave.* Tam infeliciter contorta oratio ſine exemplo eſt, & nulla poteſt figura defendi. Ipſum Penthea furentem facit fabula. Virgilius: *Eumenidum veluti demens videt agmina Pentheus, Et ſolem geminum & duplices ſe oſtendere Thebas.* Vide Euripidis Bacchas, quas & Virgilius reſpexit: præcipuè iſta: Καὶ μὴν ὁρᾶν μοι δύο μὲν ἡλίους δοκῶ, Δισσὰς δ' Θήβας, καὶ πόλισμ' ἑπτάστομον. Καὶ ταῦρος ἡμῖν πρόσθεν ἡγεῖσθαι δοκεῖς, &c. Tumultus igitur mentis dicit aut Penthei, cum furebat, aut Agaves, cum furere deſierat. Seneca vero Agave utraque in exemplum utitur: proſilit Iocaſta, qualis aut Agave inſiluit in Penthea, aut mox eum direptum agnovit. Tamen Gruterus non auſus eſt egregiam ſe judice lectionem recipere. Quum raro diſcrepent membranæ in vocibus notis, neque Pall. varient à Delrianis, ſuſpicer latere remotius ulcus, inquit. Prior ratio falſa revincitur innumeris exemplis vel eorum, quæ ex optimo Flor. protulimus: poſterior nihil efficit, quippe omnes illi codices, & mille alii, Lipſiano pejores. Vulgatum fatuum eſt, abſonum, abſurdum. *Traxit*, ex nulla hiſtoria eſt. Nihil otioſius aut magis ſupervacaneum illo: *Surſumque raptum traxit.* Delrius probat meliora; ſed male, *Dubitat*, intelligit de matre Penthei: id enim ad Iocaſtam ſolam refertur. *Gronovius.*

1009. *Cupiunt & horrent ora*] Et hic ſolus verat Lipſianus codex, quem tamen nemo poſtea hic mentione dignum cenſuit: niſi quod vir doctus mixtum ex bonis maliſque libris: *Cupiunt, ſed hærent ora.* Tu vero omnia refinge ex arbitrio principis & ſecundi Meliſſei libri: *Iam malis ceſſit pudor, Et hæret ore prima vox.* Ioc. *Quid te vocem?* Nihil hic conjecturarum, ne Lipſii quidem modicam ferimus. E Choro aliquis faciem & animum Iocaſtæ breviter effingit: Proſilit incerta animi & dubia, Oedipum affari, an non, debeat: velit quidem, veretur tamen: tandem loquacia & garrula ma-

Gnatumne? dubitas? gnatus es. gnatum pudet.
Invite loquere gnate, quo avertis caput,
Vacuoſque vultus? *Oed.* Quis frui & tenebris vetat?
Quis reddit oculos? matris (heu) matris ſonus.
Perdidimus operam. congredi fas amplius
Haud eſt. nefandos dividat vaſtum mare,
Dirimatque tellus abdita: & quiſquis ſub hoc
In alia verſus ſidera, ac ſolem avium
Dependet orbis, alterum ex nobis ferat.
Joc. Fati iſta culpa eſt. nemo ſit fato nocens.
Oed. Jam parce verbis, mater, & parce auribus.
Per has reliquias corporis trunci precor,
Per inauſpicatum ſanguinis pignus mei,
Per omne noſtri nominis fas & nefas.
Joc. Quid, anime, torpes? ſocia cur ſcelerum dare
Pœnas recuſas? omne confuſum perit,
Inceſta, per te juris humani decus.
Morere, ac nefaſtum ſpiritum ferro exige.
Non ſi ipſe mundum concitans divûm ſator

Coruſca

la evicerunt tacitum pudorem: jam primam vocem ore lento conatur. Et ſtatim illa: *Quid te vocem?* Gronovius.

1010. *Gnatum pudet?*] Tollenda nota interrogationis. Res ex geſtu noſcenda. Ad vocem Iocaſtæ quaſſat caput & avertitur Oedipus. Ideo illa: *dubitas?* &, certe *gnatus es:* non enim puderet, niſi gnatus eſſes: ille ipſe pudor tuus argumento eſt te filium meum eſſe, & recte ſic appellari. Itaque etſi nobis, *Invite loquere gnate.* ita enim plane liber optimus, nec habeo, cur ſpernam. Vulgo: *Immitis oro. Idem.*

1011. *Quo avertis*] *Audita Iocaſta, avertit ſe Oedipus.* Farnabius.

1012. *Quis frui*] Quiſnam tu es, qui interdicis mihi fructum capere, quem ex cæcitate percepiſſe mihi viſus ſum? *Idem.*

1013. *Quis reddit*] Quis per aures ingerit mihi mala, quorum notas ne viderem, effodi mihi oculos? *Idem.*

1014. *Perdidimus*] Nil profeci oculos eruendo, cum etiamdum audiam. Vide Thebaid. verſ. 226. *Idem.*

1016. *Tellus*] Alterum Hemiſphærium. *Idem.*

1018. *Orbis,*] Alterum orbis latus aliis ſideribus notum. utque dicunt poëtæ, *alio ſole calens, Et alio ſub ſole jacens.* Idem.

1021. *Corporis trunci precor,*] Flor. *peto.* Et mox: *fas ac nefas.* Et, *Morere & nefaſtum.* Gronovius.

1022. *Inauſpicatum*] Infelicem prolem, liberos. *Farnabius.*

1023. *Fas*] Matris & filii. *Idem.* *Nefas.*] Vxoris, mariti, &c. nefanda inter nos nomina. *Idem.*

1024. *Quid,*] *Se ad pœnas de ſe ſumendas excitat.* Idem.

1029. *Te-*

Coruſca ſævâ tela jaculetur manu,
Umquam rependam ſceleribus pœnas pares
Mater nefanda. mors placet. mortis via
Quæratur. agedum, commoda matri manum,
Si parricida es. reſtat hoc operi ultimum.
Rapiatur enſis. hoc jacet ferro meus
Conjux. quid illum nomine haud vero vocas?
Socer eſt. utrumne pectori infigam meo
Telum? an patenti conditum jugulo imprimam?
Eligere neſcis vulnus. hunc, dextra, hunc pete
Uterum capacem, qui virum & gnatum tulit.
Chor. Jacet perempta. vulneri immoritur manus;
Ferrumque ſecum nimius ejecit cruor.
Oed. Fatidice te, te, præſidem veri Deum,
Compello. ſolum debui fatis patrem.
Bis parricida, pluſque quam timui nocens.
Matrem peremi. ſcelere confecta eſt meo.
O Phœbe mendax, fata ſuperavi impia.
Pavitante greſſu ſequere fallaces vias,
Suſpenſa plantis efferens veſtigia.
Cœcam tremente dexterâ noctem rege.
I, gradere præceps, lubricos ponens gradus.
I, profuge, vade. ſiſte, ne in matrem incidas.

Qui-

1029. *Tela*] Fulmina. *Farnabius.*

1033. *Reſtat*] Vt matrem etiam occidas. *Idem.*

1034. *Enſis.*] Quem modo Oedipus abjecerat. *Idem.*

1035. *Conjux.*] Laius conjux meus, imo ſocer; namque filio ejus nupſi. *Idem.*

1038. *Vulnus.*] Locum vulneri. *Id.*

1039. *Qui virum & gnatum tulit.*] Flor. Voſſ. & omnes fere, *& gnatos*, ut voluit Gruterus. Sed fruſtra κακόφωνον in verbo quærit. Immo, ſi quid video, ſcripſit Seneca: *qui virum è gnato tulit.* Gronovius.

1042. *Te fatidice, te præſidem*] Numeroſius liber optimus: *Fatidice te, te præſidem.* Innuunt & hoc vulgares ſcripti, quibus pleriſque pronomen à fronte abeſt damno verſus. *Idem. Te fatidice,*] Te ridiculum deum falſitatis arguo, qui fore prædixiſti, ut patrem occiderem. ſed jam & matri necis cauſa fui. *Farnabius.*

1047. *Sequere fallaces vias,*] Flor. *fallentes.* Erroribus te committe. *Id. Fallaces*] Aſperas, præcipites, cæco ignotas. *Farnabius.*

1049. *Cæcam*] Vias baculo prætentans explora. *Idem.*

1051. *In matrem*] In matris cadaver. *Idem.*

1052. *Qui-*

Quicumque fessi corpore & morbo graves
Semianima trahitis pectora, (en fugio, exeo)
Relevate colla. mitior cœli status
Post terga sequitur. quisquis exilem jacens
Animam retentat, vividos haustus levis
Concipiat. ite, ferte depositis opem.
Mortifera mecum vitia terrarum extraho.
Violenta fata, & horridus morbi tremor,
Maciesque, & atra pestis, & rabidus dolor
Mecum ite, mecum. ducibus his uti libet.

1052. *Quicumque*] O Thebani peste laborantes. *Farnabius.*

1053. *Semianima trahitis corpora,*] Florentiæ: *pectora.* semivivo pectore ægrum spiritum ducitis. *Gronovius. Fugio,*] Prout jubet oraculum. *Farnabius.*

1057. *Ite, ferte depositis opem.*] De quorum salute & vita desperabatur. *Idem. Depositi*, desperati, vel salutis desperatæ, ut Servius & Asconius. Virg. *Ille ut depositi proferret fata parentis.* Fabritius.

1058. *Mortifera mecum*] Id est quod prædictum fuerat, versu 630. *Commelin. Vitia terris extraho.*] Flor. *terrarum.* Gronovius.

1059. *Et horridus mortis tremor*,] Si blandiebatur admodum, quod in quinque invenit Gruterus & Scholiaste, *morbi tremor*, cur receptum non est? Certe sic & liber optimus: & profecto non mortui tremunt, sed infirmi. *Gronovius.*

1051. *Ducibus*] Mihi cæco hi pro ducibus erunt. Suprà 652. *Farnabius.*

L. ANNÆI SENECÆ
*TROADES.

DRAMATIS PERSONÆ.

HECUBA. CHORUS TROADUM. TALTHYBIUS. AGAMEMNON. CALCHAS. HELENA. PYRRHUS. ANDROMACHA. SENEX. ULYSSES. ASTYANAX. NUNCIUS.
POLYXENA, Muta Persona.

ARGUMENTUM.

Græci, exciso jam Ilio, reditum in patriam cogitantes contrario vento detinebantur. Apparens noctu Achillis umbra solvere eos posse negat, nisi sibi debitis inferiis mactata Polyxena, cujus nuptiarum prætextu interfectus est. Non fert Agamemnon sibi amatam Polyxenam mactari. Qua de re orto cum Pyrrho jurgio, intervenit consultus Calchas, qui omnino immolandam pronunciat, unaque necandum Astyanacta, quem à matre absconditum abducit Vlysses & de Scæa porta dejicit. Polyxenam ab Helena auspice, ritu cultuque sponsæ deductam ad patris tumulum Pyrrhus mactat.

ACTUS PRIMUS.

HECUBA.

Luget Hecuba patriæ, domus, suam ipsius calamitatem.

Quicumque regno fidit, & magna potens
Dominatur aula, nec leves metuit deos,

Ani-

*TROADES.] Invictis argumentis demonstrarunt summi viri, *Troadas*, non *Troada*, hanc fabulam ab auctore inscriptam fuisse. Quibus hoc addimus, in optimo Florentino codice nunquam aliter appellari. *Gronovius.* TROAS] Falso Troada vocant hanc fabulam, quum Poëta *Troadas* inscripserit, exemplo Euripidis. Et Chorus est Troadum. *Scalig.* Valerius Probus bis Senecæ Hecubam laudat, cum ex ista versus adducit. Rectius qui Troadas inscribunt. Certe princeps eruditionis Aristoteles, quo nemo melius hæc intellexit, cum parvam Iliada in portiones Tragicas partitur, eam quæ Ilii expugnationem, sive τὴν τοῦ Ἰλίου πόρθησιν, sequitur, Τρωάδας vocat: forte Euripidem secutus. Hecuba ejusdem vix commune quicquam habet, nisi quod ejusdem πραγματείας sit. Troicæ enim ambæ sunt, tam Hecuba quam Troades. Non ausim Græcam ullo modo, sive dispositionem spectes, sive πάθος, sive gravitatem & augustum pondus sententiarum, cum ista conferre. Etiam in Choris noster vincit, quos ex paucis Græci verbis, & quæ sparsim leguntur, fecit alios & plane divinos. *Heinsius.*

Vers. 2. *Nec leves metuit deos.*] Non sunt *leves dii* Senecæ iidem, qui Iuvenali *faciles*: nec *leves* quod aut mutarent

Animumque rebus credulum lætis dedit;
Me videat, & te, Troia. non unquam tulit
Documenta Fors majora, quam fragili loco
Starent superbi. columen eversum occidit
Pollentis Asiæ, cœlitum egregius labor.
Ad cujus arma venit, & qui frigidum
Septena Tanain ora pandentem bibit;
Et qui renatum primus excipiens diem
Tepi-

rent fatum aut mutare viderentur: nec denique qui ultra mortem nocere non possent. Claudianus lib. 2. in Ruf. *Desinat elatis quisquam confidere rebus, Instabilesque deos & lubrica numina discat. Dii*, fortuna. *Dii leves* fortuna inconstans & mutabilis. Agamemnone: *perrumpet omne Servitium contemptor levium deorum.* Vnde Epicureum Senecam facit Scaliger. At hoc nomen *levis*, non potest tribui Deo de sententia Epicuri. Qui tranquillus, quietus, sepositus, se contentus, nulli negotio miscetur, cur dicatur *levis?* Sic autem ille statuebat, *quod æternum beatumque sit, id nec habere ipsum negotii quidquam, nec exhibere alteri: & Beatam vitam in animi securitate & in omnium vacatione munerum* consistere: ut & apud Ciceronem lib. 1. de nat. deorum. Qua in re quæ potest esse levitas? *Gronovius.*

4. *Troia.*] Proprie regio, in qua Ilium urbs, à Troë dicta. *Farnabius.*

6. *Superbi.*] Nobiles, potentes: quorum commune vitium est superbia. *Idem.*

7. *Asiæ,*] Minoris, cui imperavit Priamus: & parti majoris, quæ orbis pars tertia. *Idem. Cœlitum*] Infrà vers. 476. *Idem.* Exstruxerat quidem Ilus, sed Neptunus & Apollo mœnibus cinxerunt Ilium, testes Homerus, Eutipides, Ovidius, Statius, & reliqui, unde Tryphiodorus vocat, *opus immortalium*, ἔργον ἀθανάτων; & Simmias, in securi, de turribus ejus agens, πύργων θεοδμήτων, *turrium a Diis ædificatarum.* Notandum tamen non omni ex parte illa mœnia à Diis exstructa. nam cum fata statuissent (loquor ex mente ipsorum) Troiam diruí, & crederent inexpugnabilem futuram, si muros integros Dii ædificarent; Æaco partem laboris demandarunt. Pindarus auctor Olymp. 8. *Delrius.*

8. *Arma*] Auxiliaria namque. *Farnab. Qui frigidum*] Rhesus Thraciæ rex auxilio Troiæ venit. *Idem.*

9. *Septena*] Ex persona mulieris imperitæ tribuitur Tanai, quod Istri est: ut per septem ora in mare labatur. *Idem.* Quod Istri est, mulier, cosmographiæ ignora, Tanai tribuit: in quo præclare Seneca decorum servavit. *Delrius.* Immo suum erravit errorem Seneca, qui similiter Istrum cum Tanai confundat lib. 6. nat. 4. cap. 7. *Danubius Sarmaticos impetus cohibens, & Europam Asiamque disterminans.* Gronovius.

10. *Et qui renatum prorsus*] Placet hoc Delrio, & *prorsus* interpretatur confestim, ut apud Catonem: *cum Romam veniebant, prorsus devertebantur pro hospitibus ad amicos suos.* Sed *prorsus* ibi est recta: nec aliud vult ille innominatus ei & infandus ad Festum. Excepta est cum plausu viri illustris conjectura, *pronus.* Sed verum est in Florentino & margine Vossiani: *renatum primus excipiens diem.* Herodotus Thalia: Τῶν γὰρ ἡμεῖς ἰδμὲν, τὰ μὲν θεοὶ ἀτρεκές τι λέγεται, ἐστὶ τοῖσι πρὸς ἠῶ ἐπὶ ἡλίου ἀνατολὰς οἰκεόντων ἀνθρώπων τῶν ἐν τῇ Ασίῃ ἰδεῖ.

Oedipo:

Tepidum rubenti Tigrin immiscet freto;
Et quæ vagos vicina prospiciens Scythas
Ripam catervis Ponticam viduis ferit.
Excisa ferro est Pergamum. incubuit sibi.
En alta muri decora congesti jacent
Tectis aduſtis. regiam flammæ ambiunt;
Omnisque late fumat Assaraci domus.
Non prohibet avidas flamma victoris manus;
Diripitur ardens Troia. nec cœlum patet

Undan-

Oedipo: *Ausus Eois equitare campis, Figere & mundo tua signa primo.* Mela lib. 1. cap. 2. *In ea primos accepimus hominum ab Oriente Indos, Seres & Scythas.* Gronovius. *Qui renatum*] Memnon Tithoni & Auroræ filius ex Æthiopia, *vel ut alii, Susis*, Troiam venit, dux Persarum, qui solem orientem proni adorabant. *Farnabius.*

11. *Tepidum*] in regione tepenti. *Idem. Rubenti*] Auroræ seu Solis orientis rubore perfuso. alias, secundo hallucinabitur fœmina. Tigris enim in mare Persicum influit, non Erythræum. nisi ex personæ decoro dictum malis, ut prius vers. 9. *Idem.*

12. *Quæ*] Penthesilea Amazonum regina. de quibus vide Hippol. v. 397. *Idem. Vagos*] Hercul. Fur. vers. 532. *Idem.*

13. *Viduis*] Hippol. v. 620. *Idem.*

14. *Excisa ferro est. Pergamum*] Merito rejecit Gruterus *Pergamos*: sed quod sensu jubente interpunxisse ait: *viduis ferit, Excisa ferro est. Pergamum*: probare non possum. Nihil est enim, quo in hac structura verborum referatur τὸ *Excisa.* Finitur omnino periodus & nova incipit post *ferit.* Dein cohærent: *Excisa ferro est Pergamum. incubuit sibi.* Hoc insolens visum est hominibus, quibus & illa Ovidii lib. 14. *postquam alta cremata est Ilion, & Danaas paverunt Pergama flammas.* & lib. 1. de arte: *Tunc cum tristia erat, defensa est Ilion armis.* Itaque hic fecerunt *Ilios*, ut illic *Pergamos* & *Pergamus.* Gronovius. *Pergamum*] Ab altitudine dicta, clarissima Troadis civitas, ipsum scilicet Ilium, de quo Martianus lib. 6. *ibi inter omnes Asiæ civitates, Pergamum clarius.* Alia Pergamus, Attalicis regibus nobilitata, & inventione Pergameni, teste Plinio: aliud etiam Pergamum Idæ promontorium, de quo Strabo: Servius etiam auctor est ipsas arces Troiæ, atque adeo alta loca omnia, *Pergama* olim vocata. ad quod alludens noster, subdit: *En alta muri*, &c. *Delrius. Incubuit*] *In se magna ruunt.* vel in cinerem versum. *Farnabius.*

15. *En alta muri decora*] Florent. *congesti jacent Tectis aduſti.* G. Fabricio ordo est, *muri congesti, alta decora*, ut Virgilio *Aurata trabes, decora alta parentum.* Immo *alta decora muri congesti jacent*, accipio per hypallagen *decori & jacent congesta.* Ille excelsus & pinnis turribusque decorus & minax murus jacet inconditus acervus, ædificiis in cinerem versis. Similiter si quis Florentinum probet: Illud altum & pulcerrimum muri opus jacet adustum, ædificiis in rudera & informem acervum redactis. *Gronovius. Alta*] Πύργοι, ἐπάλξεις, turres, pinnæ. *Farnabius.*

17. *Assaraci*] Ilium, ubi regnavit Assaracus Ili filius. *Idem.*

19. *Diripitur*] Ex incendio prædam rapiunt. *Idem.*

20. *Vndan-*

Undante fumo. nube ceu denſa obſitus,
Ater favillâ ſquallet Iliacâ dies.
Stat avidus iræ victor, & lentum Ilium
Metitur oculis, ac decem tandem ferus
Ignoſcit annis. horret afflictam quoque;
Victamque quamvis videat, haud credit ſibi
Potuiſſe vinci. ſpolia populator rapit
Dardania. prædam mille non capiunt rates.
Teſtor deorum numen adverſum mihi;
Patriæque cineres; teque rectorem Phrygum,
Quem Troia toto conditum regno tegit,
Tuoſque manes, quo ſtetit ſtante Ilion;
Et vos meorum liberûm magni greges,
Umbræ minores. quidquid adverſi accidit,
Quæcumque Phœbas ore lymphato furens,

Credi

20. *Vndante*] Vndatim aſcendente. *Farnabius.*

22. *Stat avidus iræ victor*,] Flor. *iræ*, ut voluit & Daniel Heinſius. Oedipo: *Avidumque populi peſtis Oggii malum.* Valerius Flaccus lib. 4. *aviduſque viri, &c. Irruit.* Paullo aliter tamen *avidus iræ* dicitur pro immoderate avideque ira uſo. *Gronovius.*

Lentum] Ilium decennali bello tandem debellatum luſtrans non indigne fert, ſi decem annos in civitate tam nobili & munita expugnanda abſumpſerit. *Farnabius.*

27. *Mille*] Qui numerus claſſis quæ Troiam advenit. Agamemn. v. 169. *Idem.*

29. *Patriæque*] More veterum jurat Hecuba per quæ ſibi gratiſſima. *Idem.*

Teque] Priamum, in cujus ruina & regnum Troianum interiit. *Idem.*

31. *Tuoſque*] O Hector. *Idem.*

Quodque ſtetit ante Ilion;] Hic tamen ex amici ſui libro Lipſienſe exemplar, quod alioqui ſecutum ſe profitetur, correxit Delrius: & Gruterus bellam quoque vocat & dignam luce emendationem è Lipſii Mſ. *quo ſtetit ſtante Ilion:* etſi non addicerent auſpicia librorum ſuorum antiquorum. Sed εἰς οἰωνὸς ἄριστος Etruſcus, qui totidem literis. *Gronovius.* *Quo ſtetit*] Vide infrà verſ. 126. *Farnabius.*

32. *Liberûm magni greges*,] Quibuſdam L. aliis XVII. aliis XXII. *Idem.* Ὑπερβολικῶς. duntaxat enim vel ſeptendecim, ut tradit Cicero 1. Tuſc. vel quatuordecim, ut Apollodorus lib. 3. vel viginti, ut Theocrit. Idill. 15. vel, teſte Homero, viginti duos, Hecuba ex Priamo peperit: ceteri huic ex concubinis nati, ſimul omnes quinquaginta ſecundum Homerum, Virgilium, Dictyn, & Euripidem, aut quinquaginta quatuor, juxta Apollod. lib. 3. & Higynum in Fabulis cap. 90. ubi nomina recenſent. *Delrius.*

33. *Vmbræ minores.*] Gloria in primis & dignitate, quamvis & ætate. Video enim non ſatis explicare interpretem. *Gronovius.*

34. *Phœbas*] Caſſandra filia Priami, cui Phœbus amans vaticinandi peritiam dedit pollicitæ concubitum: promiſſis tamen non ſtanti donum auferre Deus cum non poſſet, fidem ademit,

Credi Deo vetante, prædixit mala,
Prior Hecuba vidi gravida, nec tacui metus,
Et vana vates ante Cassandram fui.
Non cautus ignes Ithacus, aut Ithaci comes
Nocturnus in vos sparsit, aut fallax Sinon.
Meus ignis iste est. facibus ardetis meis.
Sed quid ruinas urbis eversæ gemis
Vivax senectus? respice infelix ad hos
Luctus recentes. Troia jam vetus est malum.
Vidi exsecrandum regiæ cædis nefas,
Ipsasque ad aras majus admissum scelus
Ajacis armis: cum ferox sævâ manu
Coma reflectens regium torta caput,
Alto nefandum vulneri ferrum abdidit;
Quod penitus actum cum recepisset libens,

Ensis

mit, ut vaticiniis suis nemo crederet. *Farnabius.* Cassandræ vaticinia habes apud Lycophronem, nonnulla etiam apud Ciceronem libro 1. de divinat. *Delrius.*

36. *Prior*] Cum Paridem utero gestaret, somniavit Hecuba se facem ardentem parituram. *Farnabius.*

37. *Vana*] Inutilis & irrita, æque ac Cassandra non credita. *Idem.*

38. *Ithacus*] Vlysses Ithacæ dux. *Idem. Ithaci comes*] Diomedes, cui Vlysses in castrorum Thracum exploratione comes nocturnus. *Idem.*

39. *Fallax*] Cujus doloso ministerio receptus equus, laxatusque. *Idem.*

40 *Meus*] Somnio de Paride prædictus modo vers. 36. *Idem.*

41. *Sed quid*] Sed quid ego anus misere longæva vetus malum gemo? *Idem.*

44. *Vidi execrandum*] Hoc concinit Euripidis versibus, quorum initium est, καὶ τὸν φυτουργὸν Πρίαμον, &c. *Delrius. Regiæ cædis*] Priami à Pyrrho ad aras cæsi. *Farnabius.*

45. *Aras*] Iovis Hercii, quòd inter aulam & parietem in domus penetrali coleretur, ab ἕρκος. *vel* quod mala arceat. *Idem.*

46. *Æacidis armis:*] Scaligeri conjectura hic placuit, cum legeretur: *Æacidæ armis:* quod versus respuit, ut etiam admonuit Gruterus. Florent. *Æacis armis.* Scribendum: *Ajacis armis.* Cassandram in fano Minervæ stupravit Ajax. Vnde illud Virgilii: *Pallasne exurere classem Argivûm atque ipsos potuit demergere ponto Vnius ob noxam & furias Ajacis Oilei.* Grande nefas: sed majus, quam ad Minervæ aram Ajax armatus edidit, ego meis oculis patratum vidi ad aram Iovis Hercei. Virgilius: *Primumque per aras Sanguine fœdantem, quos ipse sacraverat, ignes.* Scelus ad aras majus, Ajacis armis, id est, majus scelere, quod inter arma ad aras patravit Ajax. De hoc genere vide Observ. 4, 8. *Gronov. Cum ferox sæva manu*] Sane Fl *scæva.* Hippolyto: *En impudicum crine contorto caput Læva reflexi.* Et forte scripsit: *ferox læva manu.* Nam illud alterum toties infeliciter passim inculcarunt male seduli, ut exempla illorum timeam. *Idem.*

Ensis senili siccus è jugulo rediit.
Placare quem non potuit à cæde effera
Mortalis ævi cardinem extremum premens?
Superique testes sceleris? & quondam sacrum
Regni jacentis? Ille tot regum parens
Caret sepulchro Priamus, & flamma indiget
Ardente Troia. non tamen superis sat est.

Domi-

50. *Ensis senili tinctus*] Vidit Lipsius hæc verba esse vana, & mentem fuisse: Priamum, cum Pyrrhi gladium animose recepisset, tamen emisisse illum sanguine vix tinctum: itaque conjecit, *intinctus*, vel *haud tinctus*. Ea aura projicitur & amicus ejus, castigans, *senili vix tinctus*: sed castigandus ipse ob metrum violatum. Mirum vero Scaligerum & Gruterum vulgatam contra Lipsium propugnare. Ille ait non hoc velle Senecam, parum aut multum sanguine maduisse Pyrrhi gladium, sed impressum jugulo & è jugulo eductum fuisse, Priamum jugulatum. Apage tam ineptam garrulitatem: ensis impressus jugulo Priami est & è jugulo ejus eductus: id est, Priamus est jugulatus. Quis unquam sanus ita scripsit? Gruterus sensum Lipsii retinet, sed captat voceni *tinctus*, quasi sit illud vix tinctus, vel tantum tinctus, quippe quod non sanguinea unda evomeretur, atque adeo ferrum una expelleret. Sed si posset ita accipi, cur in Agamemnone: *vidi, vidi senis in jugulo Telum Pyrrhi vix exiguo Sanguine tingi.* Tolle *vix exiguo*: non remanebit idem sensus. Qui tamen omnino & hic necessarius. Ovidius lib. 7. *Æmonio marcentia guttura cultro Fodit, & exiguo maculavit sanguine ferrum.* Lib. 13. *Exiguumque senis Priami Iovis ara cruorem Combiberat.* Lucanus lib. 2. *parvum sed fessa senectus Sanguinis effudit jugulo.* Apud Statium in furore Lemniadum dicitur Alcimede tulisse, *patris vultus & egentem sanguinis ensem.* Itaque aut Lipsio subscribendum aut legendum putabam: *senili tinctus haud jugulo.* Sed omnium laborem levat Etruscus, qui clare: *Ensis senili siccus è jugulo redit.* Vides hominem ignarum frequentis illius veterum sensus in senum cæde describenda subjecisse *tinctus*. Nam *siccus* incruentus. Statius 8. Thebaid. *Stat medius campis etiamnum cuspide sicca Armipotens.* Claudian. lib. 2. de laud. Stilic. *ut ferrum Marte cruentum, Siccum pace premas.* Gronovius.

51. *Placare quem non*] Referunt ad Ensem aut ad Pyrrhum. Immo *Quem* tandem omnium hominum? nam animandum interrogatione: Quem alium, ut à cæde temperaret, non repressisset & mitigasset ultima & jam per se dissolvens hominem senectus? & præsentes dii? & penetrale regni, utcumque prostrati? *Idem. Quem*] Ensem, seu Pyrrhum. *Farnabius.*

52. *Mortalis*] In extremo jam senio. *Idem.*

53. *Superique*] Ad aras stantes, ubi cæsus est Priamus. *Idem. Sacrum*] Sacrarium, ara τοῦ ἑρκείου Διός, vel τοῦ ἑρκείου Διός. ad quam inaugurandi reges auspicabantur. Agamemn. v. 8. *Idem.*

54. *Regum*] Nobilium juvenum, supra vers. 32. *Idem.*

55. *Caret sepulchro*] Proprium sepulcrum Priamus non habuit, sed truncus ejus, cum aliquandiu in litore abjectus jacuisset, tandem Hectoris sepulcro illatus. *Delrius. Flamma*] Non habet, qui ipsi rogum extruat. *Primumque in litore truncum. Cui non Troia rogus.* Farnabius.

56. *Non tamen superis sat est.*] Sic quidem & Flor. Quasi dicat, nondum exsa-

Dominum, ecce, Priami nuribus & natis legens
Sortitur urna. præda quem vilis sequar?
Hic Hectoris conjugia despondet sibi;
Hic optat Heleni conjugem; hic Antenoris;
Nec deest tuos, Cassandra, qui thalamos petat.
Mea sors timetur. sola sum Danais metus.
Lamenta cessant? turba, captivæ, mea,
Ferite palmis pectora, & planctus date,
Et justa Troiæ facite. jamdudum sonet
Fatalis Ide judicis diri domus.

exsatiati sunt dii pœnis nostris: adhuc aliquid indignitatis & calamitatis minantur. Neque ineptum tamen, quod vulgabatur olim, & in omnibus, quos vidit, invenisse testatur Fabricius: *non tamen, superi, sat est.* Sic & Heinsianus, cui adscripta explicatio: *ô dii.* Et sic solent mirantes. Catullus: *Dii magni, horribilem & sacrum libellum.* Ovidius in epistola Leandri: *Oscula, dii magni, trans mare digna peti.* Gronovius

57. *Dominum,*] Sed & sortibus in urnam missis dividimur, ego cum filiabus & nuribus inter Græcos nobis futuros dominos. infrà vers. 972. *Farn.*

58. *Sortitur urna.*] Sortes Græcorum erant calculi, vel ex humo ficti globuli, mittentium nomina inscripti; qui in urnam mittebantur, & versabantur doli vitandi gratia; ut, cujus primum sors exibat, commodi vel periculi primas ferret, ut docuit Brodæus lib. 3. Miscellan. cap. 25. *Delr. Vilis*] Quia vetula. *Læta cum pubes edera virenti Gaudeat pulla magis atque myrta.* Farnabius.

59. *Hic Hectoris*] Aliquis, sc. Pyrrhus sibi optat seu promittit Andromachen. *Idem.*

60. *Conjugem;*] Priorem. nam Pyrrho Andromache, Heleno cæso, nupsit. *Idem. Antenoris;*] Theano. *Id.*

65. *Ferite.*] Pro more lugentium. Vide Chorum seq. *Idem.*

66. *Fatalis*] Paridis, qui in Ida seu Antandro monte Idæ vicino Veneri tanquam pulchriori aureum adjudicavit malum, cujus judicii mercedem favente Venere Helenam rapuit, quam repetentes Græci Troiam vastarunt. *Idem. Diri*] Proprie, quasi deorum ira ad sententiam illam ferendam electi. *Idem.*

*CHORUS TROADUM. HECUBA.

Chorus Iliadum cum Hecuba excidium patriæ, Hectoris & Priami mortem lugentium.

Chor. Non rude vulgus, lacrimisque novum
Lugere jubes. hoc continuis
Egimus annis, ex quo tetigit

Phry-

* CHORUS MULIERUM.] Florent. *CHORVS TROADVM. Gronovius.*

67. *Non rude*] Non inexpertum lugendi. Mox vers. 81. *Farnabius.*

Phrygius Graias hoſpes Amyclas,
Secuitque fretum pinus matri
Sacra Cybellæ.
Decies nivibus canuit Ide,
Ide noſtris nudata rogis;
Et Sigeis trepidus campis
Decumas ſecuit meſſor ariſtas;
Ut nulla dies mœrore caret,
Sed nova fletus cauſa miniſtrat.
Ito ad planctus,
Miſeramque leva, regina, manum.
Vulgus dominam vile ſequemur.
Non indociles lugere ſumus.
Hec. Fidæ caſus noſtri comites,
Solvite crinem. per colla fluant
Mœſta capilli tepido Troiæ
Pulvere turpes. paret exertos

Turba

70. *Phrygius*] *Talis ab armiferis Priameius hoſpes Amyclis, &c.* Farnab. *Amyclas,*] Vrbem Laconiæ. *Graias,* ad diſtinctionem Amyclarum, quæ in Campania. *Idem.*

71. *Pinus*] Navis è pinu cæſa in Ida Cybelæ ſacra. *Idem.*

73. *Decies*] Per decem hyemes. *Idem.*

74. *Nudata*] Spoliata arboribus ad comburenda interfectorum è noſtris cadavera. *Idem.*

75. *Sigeis*] Troianis, à Sigeo Troiæ promontorio. *Idem. Trepidus*] Ne deprehenderetur à prædatore hoſte. *Idem.*

76. *Decies ſecuit*] Flor. *Decumas ſecuit.* Sic Oedipo: *Sed tempus adde.* Ioc. *Decima jam metitur ſeges.* Mox ſcribo, *Ito.* non *Ite.* Gronovius.

80. *Miſeramque*] Tuque ô Regina præito nobis, & more præficæ elevata manu modum luctus, & planctus ſigno dato, nos lugendi dociles ſequemur. *Farnabius.*

84. *Solvite*] Præſcribit Hecuba luctus formulam ſumptam ex Euripidis Troade, nec diſſimilem illius Lucani, lib. 2. *quarum una madentes Sciſſa genas planctu liventes atra lacertos, Nunc, ait, ô miſeræ contundite pectora matres, Nunc laniate comas, &c.* Lugentes enim mulieres ſolutum nodo crinem adſpergebant, veſtimenta lacerabant, pectora & humeros nudatæ unguibus, pugnis, palmis, in ſe ſævientes ejulabant: ſolo inſuper affligebant pectora humum crinibus verrentes, *ταῖς κόμαις τὰ θεῶν ἱερῶν ἐδάφη πλύνουσαι. Idem.*

86. *Tepido Pulvere*] Cinere nondum frigefacto, ex recenti Ilii incendio. ſic enim mox Chorus: *Sparſitque cinis fervidus ora.* Mos vetuſtiſſimus in luctu & funeribus caput cinere conſpergendi, ut paſſim in ſacris litteris: & apud Eurip. in Hecuba & Supplicib. Homerum Iliad. ψ. Smyrnæum libro 7. Nonnum Dionyſ. libro 46. *Delrius.*

87. *Veſte*]

Turba lacertos. veste remissa
Substringe sinus, uteroque tenus
Pateant artus. cui conjugio
Pectora velas captive pudor?
Cingat tunicas palla solutas.
Vacet ad crebri verbera planctus
Furibunda manus. placet hic habitus,
Placet. agnosco Troada turbam.
Iterum luctus redeunt veteres.
Solitum flendi vincite morem.
Hectora flemus.
Chor. Solvimus omnes
Lacerum multo funere crinem.
Coma demissa est libera nodo;
Sparsitque cinis fervidus ora.
Hec. Complete manus. hoc ex Troia
Sumpsisse licet. cadat ex humeris
Vestis apertis: imumque tegat
Suffulta latus. jam nuda vocant

Pecto-

87. *Veste*] Chorda seu fascia demissas vestes sub utero nectebant, ne decciderent. *Farnabius.*

89. *Cui conjugio*] *Procatalepsis.* neque enim amplius conjugibus velandæ sumus. cui autem domino servemus pudorem captivæ? *Idem.*

100. *Coma demisso est libera nodo;*] Comelinus & Gruterus *dimissa*, Scaliger *demissa*. Recte hoc: aut certe *dimisso*. Gronovius.

101. *Fervidus*] Ex Troia ardente. *Farn.*

102. *Complete*] Cinere. *Idem. Hoc ex Troia*] Ex omni Troia opibusque quondam Troianis hoc sumpsisse licet. *quod dicens tollit cineris manipulum.* Id. Habitus illarum ergo hic fuit. primum crinem nodo solvebant, & cinere aspergebant: tum pectus nudabant & humeros: & vestem non manu, sed chorda vel fascia aliqua supra uterum nectebant, ne decideret, ne patefierent quæ natura operuit: sic utero tenus nudæ, ejulabant, & unguibus, palmis, pugnis, in se ipsas sæviebant. *Delrius.*

103. *Cadat ex humeris*] Liber optimus, *Cadit:* &, *imumque tegit.* non *utrumque tegat.* Suspicor hæc verba esse Chori, non Hecubæ. Illa jam ante imperaverat, ut crinem solverent cineribusque aspergerent, ut veste pectora nudarent. Ad prius respondent Iliades vers. 98. *Solvimus crinem*, &c. ubi mentione cineris facta interloquitur Hecuba: *Complete manus. hoc ex Troia sumpsisse licet.* Pergunt Iliades exsequi imperata priora, & vestem dejiciunt dicuntque simul: *Cadit ex humeris Vestis apertis, imumque tegit Suffulta latus.* Rursus Hecuba: *Jam nuda vocant*, &c. Nihil commodius. *Imum latus suffulta* est utero tenus substricta. *Gronovius.*

105. *Suffulta*] Suffibulata. palla

Pectora dextras. nunc nunc vires
Exprome dolor tuas.
Rhœtea sonent littora planctu.
Habitansque cavis montibus Echo
Non, ut solita est, extrema brevis
Verba remittat: totos reddat
Troiæ gemitus. audiat omnis
Pontus, & æther. sævite manus,
Pulsu vasto tundite pectus.
Non sum solito contenta sono.
Hectora flemus.
Chor. Tibi nostra ferit dextra lacertos,
Humerosque ferit tibi sanguineos.
Tibi nostra caput dextera pulsat.
Tibi maternis ubera palmis
Laniata jacent. fluit, & multo
Sanguine manat, quamcunque tuo
Funere feci, rupta cicatrix,
Columen patriæ, mora fatorum.
Tu præsidium Phrygibus fessis,
Tu murus eras; humerisque tuis
Stetit illa decem fulta per annos:

Tecum

seu fascia substricta. *Farnabius. Vocant*] Ad planctus & verbera. *Idem.*

108. *Rhœtea*] Rhœteum promontorium est Troiæ. *Idem.*

109. *Echo*] Ἠχὼ διὰ μέσου. soni per medium delati & in corpus obstans incidentis repercussi reflexio. *Idem.*

117. *Tibi*] O Hector. *Idem.*

118. *Sanguineos.*] Humano autem sanguine placati defunctorum animas credebant. atque hinc non præficæ modo sed & postea gladiatores in funeribus conducti. *Idem.*

122. *Sanguine*] Novis plagis rupta recrudescit. *Idem.*

124. *Columen*] Hector enim, manus, murus, turris, columna & propugnaculum Troiæ poëtis decantatus. *Idem.*

124. *Mora*] *Decimum quæ distulit Hector in annum:* namque *ademptus Hector Tradidit fessis leviora tolli Pergama Graiis.* Idem.

126. *Tu murus eras;*] In uno eorum epigrammatum, qui Maronis operibus solent subjungi, legitur: *Defensor patriæ, juvenum fortissimus Hector, Qui murus miseris civibus alter erat, Occubuit telo violenti victus Achillis; Occubuere simul spesque salusque Phrygum.* auctor est Higynus Achillem, cum Hectorem raptaret, exclamasse, Expugnavi Troiam. *Delrius.*

128. *Te-*

Tecum cecidit. ſummuſque dies
Hectoris idem patriæque fuit.
Hec. Vertite planctus. Priamo veſtros
Fundite fletus. ſatis Hector habet.
Chor. Accipe rector Phrygiæ planctus:
Accipe fletus, bis capte ſenex.
Nil Troia ſemel te rege tulit.
Bis pulſata Dardana Graio
Mœnia ferro; biſque pharetras
Paſſa Herculeas. poſt elatos
Hecubæ partus, regumque gregem,
Poſtrema pater funera cludis;
Magnoque Jovi victima cæſus
Sigea premis littora truncus.
Hec. Alio lacrimas flectite veſtras.
Non eſt Priami miſeranda mei
Mors, Iliades. *Felix Priamus*
Dicite cunctæ. liber Manes
Vadit ad imos: nec feret unquam

Victa

128. *Tecum*] *Hectoris hic tumulus cum quo ſua Troia ſepulta eſt: Conduntur pariter qui periere ſimul.* Farnab.

130. *Priamo*] Prius Podarces vocabatur, ſed quia ab Heſionâ ſorore, dato Herculi, in lytrum, aureo flammeo, redemptus, & in libertatem reſtitutus fuit, Priamus nominari cœpit. Apoll. lib. 2. Bibl. Bis autem captus, ſemel ab Hercule, & iterum auſpiciis Atridarum. *Delrius.*

134. *Nil Troia*] Sed bis expugnatate: prius regis filio, nunc rege. *Farnabius.*

135. *Bis pulſata*] Semel ab Hercule perfidiam Laomedontis ulto, cui promiſerat rex 30. equos propter ſervatam à marino monſtro filiam Heſionem: denuo jam ab Atridis. *Idem.*

136. *Biſque*] Fatale enim erat Troiam non poſſe ſecundo capi ſine Herculis ſagittis. ipſe Hercul. in Sophoc. Philoctete τὸ δεύτερον γὰρ τοῖς ἐμοῖς Αὐτὴν χρεὼν τόξοις ἁλῶναι. Philoctetes itaque ſolus Herculis ſagittis uti ſciens ad ſecundum bellum Troianum ductus eſt. *Idem.*

137. *Elatos*] Filios ad ſepulturam elatos.

138. *Regumque rogos,*] Scribe cum Flor. *regumque gregem.* nempe ex proximo, *elatum.* Supra: *Et vos meorum liberum magni greges.* Infra: *Laſſabar in tot oſcula, & totum gregem Dividere matrem.* Gronovius. *Regumque*] Regis filiorum. *Farnabius.*

140. *Magnoque*] Ad aram enim Iovis Hercii cæſus. *Idem.*

141. *Premis*] Imitatur poëta illud 2 Æneid. *Iacet ingens litore truncus.* Vbi Virgil. non tam rei veritatem ſecutus eſt, cum Priamus tantum confoſſus fuerit, quam ad Pompeii caſum alluſit. *Idem.*

144. *Felix*] Præ nobis. ille enim liber, nos captæ. *Idem.*

Victa Graium cervice jugum.
Non ille duos vidit Atridas,
Nec fallacem cernit Ulyssem.
Non Argolici præda triumphi
Subjecta feret colla trophæis.
Non assuetas ad sceptra manus

Post

148. *Non ille duos vidit Atridas,*] Cicero lib. 3. de oratore: *Ii tamen reipublicæ casus consecuti sunt, ut mihi non erepta L. Crasso a diis immortalibus vita, sed donata mors esse videatur. Non vidit flagrantem bello Italiam, non ardentem invidia senatum, non sceleris nefarii principes civitatis reos, non luctum filiæ, non exsilium generi*, &c. Livius lib. 26. *cruciatus contumeliasque, quas sperat hostis, effugere morte præterquam honesta, etiam leni possura. Non videbo Ap. Claudium & Q. Fulvium, victoria insolenti insubnixos, neque vinctus per urbem Romanam triumphi spectaculum trahar*, &c. *nec dirui incendique patriam videbo.* Tacitus in vita Agricolæ: *Potest videri etiam beatus, incolumi dignitate, florente fama, salvis affectibus & amicitiis futura effugisse. Non vidit Agricola obsessam curiam, & clausum armis senatum*, &c. Gronovius.

151. *Subjecta feret colla tropæis.*] Triumphis, interpretantur, quia tropæa sunt proprie spolia eo in loco erecta, quo hostes terga verterint. Immo vere & simpliciter *tropæis:* nempe illis, quæ in triumphi pompa ferebantur. Sed loquitur Seneca, quasi in persona vivorum, qui triumphabantur, fieret, quod fiebat in illorum imaginibus tropæo suppositis. Instar habes in nummis antiquis. Duos tantummodo apponam.

En ferentem colla subjecta tropæo: en post terga manus dantem. Alludit eodem Silius in triumpho Scipionis Africani: *Ante Syphax feretro residens captiva premebat Lumina & auratæ servabant colla catenæ.* Itaque intellige: Non videbit statui de se tropæum; vel inter triumphi fercula se portari instar tropæi cum sua imagine sedentis supplicis & nudi & alligati. *Gronovius.*

152. *Non assuetas*] Non dabit post terga manus sceptro assuetas. *Farnab.*

153. *Cur-*

Post terga dabit; curruſque ſequens
Agamemnonios, aurea dextrâ
Vincula geſtans; lætis fiet
Pompa Mycenis. *Chor. Felix Priamus*
Dicimus omnes. ſecum excedens
Sua regna tulit. nunc Elyſii
Nemoris tutis errat in umbris,
Interque pias felix animas
Hectora quærit. *Felix Priamus!*
Felix, quiſquis bello moriens
Omnia ſecum conſumpta videt!

153. *Curruſque*] Catenis vincti ducebantur in triumpho captivi poſt vel ante currum victoris: reges vincti aureis manicis. Namque pro conditione perſonarum injicere ſolebant catenas, ferreas, argenteas, aureas. aureis compedibus vinctum à ſuis Darium ſcribit Curtius. Idem de Cræſo refert Auſonius. Et de Zenobia ab Aureliano capta, Treb. Pollio. de Artuaſde Armeniæ rege ab Antonio capto, Paterculus. Argenteis vinctum Arſacem à Sapore captum tradit Am. Marcellinus. *Farnabius.*

156. *Mycenis.*] Vrbi Agamemnoniæ. *Idem. Felix*] Qui à malis diſceſſit. *Idem.*

158. *Elyſii*] Troad. verſu 942. *Idem.*

163. *Omnia ſecum conſumpta videt!*] Facile credo gregales codices hoc tenere. At optimus habet Lipſianum: *conſumpta tulit.* Vt paullo ante: *ſecum excedens ſua regna tulit.* Gronovius.

ACTUS SECUNDUS.

TALTHYBIUS. CHORUS TROADUM.

Narrat Talthybius apparuiſſe Achillis umbram, exprobrataque Græcis ingratitudine, poſtulaſſe, ut Polyxena, cujus nuptiarum prætextu ipſe interfectus eſt, ad tumulum ſuum pro inferis mactaretur, alias Græcos non habituros ventum ad reditum.

Talth. Quam longa Danais ſemper in portu mora,
Seu petere bellum, petere ſeu patriam volunt.
Chor. Quæ cauſa ratibus faciat & Danais moram,
Effare;

164. *Quam longa Danais*] Flor. *O longa.* Gronovius.

165. *Seu*] Græcorum claſſi ex Aulide portu Bœotiæ ſoluturæ Diana ob cervam ſuam ab Agamemnone cæſam irata negavit ventum, quem oraculi monitu Agamemnon filia ſua Iphigenia redemit. *Sanguine placatis ventos & virgine cæſa.* Farnabius. *Petere*] Vt nunc. *Idem.*

Effare; reduces quis deus cludat vias.
Talth. Pavet animus, artus horridus quaſſat tremor.
Majora veris monſtra vix capiunt fidem.
Vidi ipſe, vidi. ſumma jam Titan juga
Stringebat, ortus vicerat noctem dies.
Cum ſubitò cœco terra mugitu fremens
Concuſſa, totos traxit ex imo ſinus.
Movêre ſilvæ capita, & excelſum nemus
Fragore vaſto tonuit, & lucus ſacer.
Idæa ruptis ſaxa ceciderunt jugis.
Nec ſola tellus tremuit: & pontus ſuum
Adeſſe Achillen ſenſit, ac ſtravit vada.
Tum ſciſſa vallis aperit immenſos ſpecus;
Et hiatus Erebi pervium ad ſuperos iter
Tellure fracta præbet, ac tumulum levat.
Emicuit ingens umbra Theſſalici ducis,

Threï-

169. *Summa jam Titan juga Stringebat. ortus*] Florent. *Stringebat ortu. vicerat noctem dies.* Dicit aut Seneca idem quod Iuſtinus lib. 18. *Vbi vero dies adventare cœpit, editiſſimiſque culminibus urbis Oriens ſplendere.* Gron.

170. *Stringebat.*] Radiis novis contingebat. Hercul. Fur. verſ. 132. *Farn.* *Ortus*] Sub matutino, quo tempore, diſcuſſis vaporibus atque humoribus defæcatis, certiora apparent ſomnia. *Idem.*

171. *Cum ſubito*] Thyeſt. verſ. 261. *Idem.*

172. *Cæcos traxit ex imo ſonos.*] Quis ferat tam prope conjunctos, *cæcum mugitum* & *cæcos ſonos?* Optime optimus: *totos traxit ex imo ſinus.* id eſt, aperuit inque lucem expoſuit intimos ſuos receſſus. Thyeſte: *huc tuam immani ſinu Emitte vallem.* Vbi vide, quæ notavimus. Infra: *Dehiſce tellus, tuque conjux ultimo Specu revulſam pande tellurem & Stygii Sinu profundo conde depoſitum meum.* Hercul. Oetæo verſ. 262. *hoc ſinu immenſo exeat.* Vbi ſubjecerunt *ſpecu*: ſed illud præbent ſcripti. Etiam mitifice quidam ſunt interpretati de ſinu pectoris aut ſerpentis. Delrius in Mog. reperit *totos*, ſed ſprevit: *Sinus* Lipſius in Meliſſeo, ſed ei reſtiterunt Delrius & Gruterus. *Gronovius.*

174. *Sacer.*] Cybelæ ſacer. *Farn.*

176. *Nec ſola tellus*] Flor. *Nec terra ſolum tremuit.* Et ſequenti: *Achillen*, non *Achillem.* Gronov. *Suum*] Thetidos filium, Nerei nepotem, quem tamen quidam Caloë, alii, Philomela Actoris filia, alii Chironis filia natum autumant. *Farnabius.*

178. *Tum ſciſſa tellus*] Florent. *Tum ſciſſa vallis aperit.* Significat primum deſidiſſe paullulum terram, & quaſi vallem feciſſe, dein eo ipſo loco diruptam. Mox idem, *proludens*, non *præludens.* Gronovius.

179. *Erebi*] Ab ἔρεφω vel ἐρέφω. ſignificat enim tenebras vel caliginem Orci terra tecti. qua ratione & ab ערב eſt, veſper deduci poteſt. *Farnabius.*

181. *Ingens*] Seu umbras reſpicias, quæ notis majores ſemper apparent, Thyeſt. verſ. 671. & Oedip. verſ. 175.

Sen

Threïcia qualis arma proludens tuis
Jam, Troia, fatis stravit: aut Neptunium
Cana nitentem perculit juvenem coma:
Aut cum inter acies Marte violento furens,
Corporibus amnes clusit; & quærens iter
Tardus cruento Xanthus erravit vado:
Aut cum superbo victor in curru stetit,
Egitque habenas, Hectorem & Troiam trahens;
Implevit omne littus irati sonus:
Ite, ite inertes. debitos manibus meis
Auferte honores. solvite ingratas rates
Per nostra ituri maria. non parvo luit
Iras Achillis Græcia. at magno luet.

Despon-

Seu Achillis staturam quam 9. cubitorum altitudinem æquasse ferunt. *Farn. Thessalici*] Achillis in Thessalia à Chirone educati. *Idem.*

182. *Threïcia*] Qualis præludium faciens tuis, ô Troia fatis, Thracum auxiliares à Cissæo Hecubæ patre copias, & Mysorum ducem Telephum fudit. *Idem.*

183. *Neptunium*] Cycnum Neptuni filium. *Idem.*

184. *Cana*] Propter olorem in quem versus est Cycnus. *Idem.*

187. *Tardus cruento*] Cadaverum vi Xanthum & Simoënta fl. oppletos tarde fluere fecit, Agamemn. vers. 210. *Idem.*

189. *Hectorem*] Hectorem enim raptans exclamavit *Expugnavi Troiam.* suprà vers. 125. *Idem.*

190. *Litus*] Sigeum, ubi sepultus est Ach. *Idem.*

191. *Debitos manibus meis Auferte honores.*] Raphelingio manifeste peccatum videbatur in legem versus, eoque conjiciebat: *debitosque manibus.* Nisi tamen, addebat, ad *manus*, id est, res gestas, robur, &c. referas, non ad *manes.* Ergo Delrius: *Manibus*, rebus gestis, victoriis manu partis: & Gruterus: nullum vitium in versu; *Manus* enim hic prorsus victoriæ manu partæ. Quicquid autem dicant, *Manibus* aliter non potest hic accipi quam infra: *Nullumne Achillis præmium manes ferent?* Præterea Florentinus transponit voces: *manibus meis debitos.* Magnum vitium suspicor objectum huic loco, & scripsisse Senecam: *manibus justos meis Auferte honores.* Vt in Medea: *Conjux socerque justa jam functis habent A me sepulti.* Cujus interpretatio, *debitos*, expulso germano in contextum migravit. *Gronovius.*

193. *Nostra*] Mattis meæ, &c. suprà vers. 173. *Farnabius. Non parvo luet*] Quanti stetit Achillis propter raptam Briseida ira, experti Græci; videant ne majoris sibi iræ pœnas arcessant negata inferis Polyxena. *Idem.*

194. *At magno luet.*] Non satisfacit hoc loco summorum virorum conatus. Florent & *magno.* Nondum tamen video quidquam sane mentis, nisi concipias: *& magno luet, Ni sponsa nostris cineribus Polyxena.* Experti estis iras Achillis, quum rapta per Agamemnonem Briseide Hectorem impune vexare & cædere Græcos sineret: & majores experiemini, nisi sponsam & pactam mihi vivo Polyxenam, Pyrrhi manu

Desponsa nostris cineribus Polyxena
Pyrrhi manu mactetur, & tumulum riget.
Hæc fatus alta voce, dimisit diem,
Repetensque Ditem, mersus ingentem specum
Coëunte terrâ junxit. immoti jacent
Tranquilla pelagi. ventus abjecit minas,
Placidumque fluctu murmurat leni mare.
Tritonum ab alto cecinit hymenæum chorus.

PYR-

manu mactatam, tumulo mecum jungetis. *Gronovius.*

197. *Alta voce dimisit diem,*] Flor. *nocte divisit.* Vt edidit Gruterus & recte interpretatur, exortas tenebras & quasi interpositas jam ante ortæ luci & paullo post redeunti, diem quasi diffindere & dividere visum: obscurationem factam, ut loquitur auctor Hispaniensis belli: *incidit, ut matutino tempore nebula esset crassissima: itaque in illa obscuratione,* &c. *Idem.*

198. *Mersus*] Hiatus qui egresso cessit, regresso clausit. *Farnabius.*

202. *Triton ab alto c. h. choro.*] Vera lectio: *Tritonum ab alto cecinit hymenæum chorus.* Sic Lipsianus, sic auctor ejus Etruscus: & hi duo sanis τὰ πάντα. Qui monent, unicum solummodo Tritonem, Neptuni filium, buccinatorem & humani sermonis peritum esse, cæteros humanæ vocis expertes, eoque non potuisse occinere hymenæum: & per derisum rogant, qui Tritonum chori in orchestram inducantur; & denique ariolantur: *Cecinit ab alto Triton hymenæum toris:* hos patienter tuli. nihil inde mollius exspectabam. Sed Scaligerum bona fide probare stupidissimum stolidissimumque illud vulgatum, & serio interpretari: *Altum chorum,* id est, profundum, & quidem Nereidum, & ab illarum cantibus & choreis cecinisse & ἀντιφωνῆσαι Tritona: hoc vero quis ferre, quis potest pati? Nimirum idem omnes fallimur, neque est quisquam. Grutero, qui etsi auferendum se præbuisset numero futilium librorum, tamen non dissimulat egregiam esse scripturam Lipsiani codicis, & aut scripsisse sic Senecam aut scribere debuisse; vides non nasum, sed consilium defuisse. Cesset Sophistica: concedant interpolatæ membranæ: verum est quod dixi. Triton & Tritones, ut Venus & Veneres, Cupido & Cupidines, Pan & Panes, Faunus & Fauni, Silenus & Sileni. Moschus in Europa, seu Idyllio secundo: τοὶ δ' ἀμφί μιν ἠγερέθοντο: Τρίτωνες, πόντοιο βαθυῤῥόου ἐνναετῆρες, Κόχλοισιν ταναοῖς γάμιον μέλος ἠπύοντες. Vbi certe non unus, & similiter Thalassionem canunt. Triton vocalissimus fingitur, & buccinator atque adeo cantor. Ideo elegantissime miraculum miraculo auget & quasi indictis nuptiis accidisse narrat ab alto mari modulatos sonos, & chorum Tritonum, velut symphoniacorum, cecinisse hymenæum Achilli & Polyxenæ. Omnia fiunt ad extenuandam invidiam cædis. Regiam & innocentem puellam, quod ea Troianis illecebra fuerat perdendi Achillis, ignobili vindicta interficere gestiebant. Fingunt igitur Vmbram ducis poposcisse non ut inferias, sed ut conjugem. Quæ ut confirmetur opinio, etiam dii id approbant, & Tritones canunt hymenæum. *Gronovius.* *Tritonum*] Deorum marinorum, & Nereidum materterarum Achillis. *Farn.* *Hymenæum*] Theb. 262. *Idem.*

203. *Cum*

PYRRHUS. AGAMEMNON. CALCHAS.

Agamemnonis cum Pyrrho jurgia super Polyxena compescit Calchas.

Pyrrh. Cum læta pelago vela rediturus dares,
Excidit Achilles: cujus unius manu
Impulsa Troia, [* *corruit tandem solo,* 205
Brevi repensans] quidquid adjecit moræ
[*Scyros, fretumque Lesbos Ægæum secans*]
Illo

203. *Cum læta*] Parta victoria. *Farnabius.* Hoc jurgium magna ex parte desumtum ex jurgio Teucri & Atridarum in Sophoclis Ajace. *Delr.*

204. *Cujus unius*] Interfecto Hectore. Suprà vers. 125. *Farnabius.*

* *Corruit tandem solo,*] Quis hic mendum suspicatus est? Pessime tamen habitum locum arguit Florentinus: in quo solum modo: *Impulsa Troia quicquid adjecit moræ Illo remoto dubia quo caderet stetit.* Media omnia desunt. Et versum quidem 204. *Scyros fretumque Lesbos Ægæum secans*, hic otiosum & alienum, eædem membranæ reddunt infrà ante versum 225, ubi adhuc ænigma nemini intellectum obhæserat. *Quicquid adjecit moræ*, ipsa haud dubie Troia: quod quia non capiebant, Scyron & Lesbon interjecerunt, moram Achillis in itinere ad Troiam somniantes. Sed *adjicere moram* nihil aliud est quam facere moram, interponere moram: ut *addere gradum* Livio procedere, accelerare iter. *Quicquid moræ*, sibi puta, *adjecit*, quantum temporis superfuit. Suetonius Domitiano: *Exhaustus operum ac munerum impensis, stipendioque quod adjecerat.* Sequentem versum misere interpretantur: quod nisi fecisset, dubia stetisset Lesbos, cui parti faveret: vel, ex oraculi responso sine Achille in dubio erat an Troia posset capi. Nihil hic de Lesbo, quam viginti versibus hinc distare voluit Seneca: & ex oraculi responso certum & citra dubium erat, Troiam sine Achille capi non posse. Quam durum deinde, *dubia quo caderet*, ἀντὶ τοῦ, à quo dejiceretur, vel cui caderet. Quo magis considero, eo planius fit mihi, laciniam istam, *corruit tandem solo Brevi repensans*, esse inepti & audacis sartoris, Senecam autem scripsisse, ut habetur Florentiæ: *cujus unius manu Impulsa Troia, quicquid adjecit moræ Illo remoto, dubia, quo caderet, stetit.* Sensum en rotundum expeditumque: cujus manu in occiso Hectore labefactata Troia, quicquid superfuit post mortem ejusdem Achillis, (hoc enim est, *Illo remoto*,) non stetit firma & nixa vestigiis suis, sed extraxit breve momentum titubando, dubitando & quasi deliberando, quam in partem procumberet. Solet hoc evenire labantibus, ut paullum temporis sumant seque sustineant minando in diversas partes lapsum. Sic in Thyeste: *educto stetit Ferro cadaver, cumque dubitasset diu Hac parte an illa caderet, in patruum cadit.* Ovidius lib. 10. *utque securi Saucia trabs ingens, ubi plaga novissima restat, Quo cadat, in dubio est, omnique a parte timetur.* Statius lib. 9: *Getico qualis procumbit in Hæmo Seu Boreæ furiis, putri seu robore quercus. Illam nutantem nemus & mons ipse tremiscit, Qua tellure cadat, quas obruat ordine silvas.* Noster natural. quæst. 6, 1. *Nam & Herculanensis oppidi pars ruit, dubiæque stant etiam, quæ relicta sunt.* Eodem libro cap. 9. *aut cum diu dubitavere, super ea se, quæ supersunt stantque, componunt.* Et mox:

tunc-

Illo remoto, dubia quo caderet, ſtetit.
Velis licet, quod petitur, ac properes dare;
Serò es daturus. jam ſuum cuncti duces
Tulere pretium. quæ minor merces poteſt
Tantæ dari virtuti? an is meruit parum,
Qui, fugere bellum juſſus, & longa ſedens
Ævum ſenecta degere, ac Pylii ſenis
Tranſcendere annos, exuens matris dolos,
Falſaſque veſtes: faſſus eſt armis virum?
Inhoſpitali Telephus regno impotens
Dum Myſiæ ferocis introitus negat,
Rudem cruore regio dextram imbuit,
Fortemque eandem ſenſit & mitem manum.

Ceci-

tunc diu agitata faſtigia concidunt, & tam diu differuntur atque incerta ſunt, donec in ſolido reſederunt. Vbi poſſis etiam *deferuntur*. Petitus ut multa ſtuſtra carpit & tentat in Seneca, ita & tranſponit verſum vulgatæ, *Brevi repenſans*, poſt 213. *Falſaſque veſtes*: alterum, *Syros fretumque*, poſt 222. *Et cauſa litis*, Obſerv. 1, 3: utroque tamen merito offenſus. *Gronovius.*

209. *Quæ minor*] An illi ſupra cæteros merito minus quam cæteris debetur pretium? *Farnabius.*

211. *Qui, fugere*] Cui (cum acceſſet hanc conditionem filii ſui vitæ à Iove Thetis) licuit longam ætatem ſed tacitam & inglorian egiſſe, ille tamen prælegit brevem, modo utilem & glorioſam. *Idem.*

212. *Pylii ſenis*] Neſtoris. *Idem.* Æolus genuit Salmoneum, qui Tironem; quæ peperit Neleum Neſtoris patrem. *Pylius* dicitur etiam Ariſtoteli in Peplo in utroque epigrammate. Auſonius quatuor ætates vixiſſe ſcribit: *Hoc tegor in tumulo quarti jam prodigus ævi Neſtor, conſilio clarus, & eloquio.*

213. *Matris*] Quibus mater ipſum abſconderet, ut modo verſ. 204. *Farnabius.*

214. *Faſſus*] Prodidit ſeipſum visâ galeâ & ſcuto, ut refert in Achilleide Statius, iccirco Homerus ait à ferro attractum virum. *Delrius.* *Armis*] Quæ (inter cæteras merces fœmineas, quas Vlyſſes perſona inſtitoris aſſumpta Achillem exploraturus adduxiſſet) viriliter affectando ac tractando ſe prodidit. *Farnabius.*

215. *Inhoſpitali*] Telephus Myſiæ rex, cum Græcos Troiam proficiſcentes prohiberet, ne per Myſiam iter facerent, ab Achille vulneratus ſanari non potuit ex oraculi reſponſo, niſi peteret auxilium unde vulnus tulit, conciliatum itaque Achilles ſanavit dato è rubigine cuſpidis emplaſtro. *Idem.* *Impotens*] Inſolens, ferox. *Id.*

216. *Myſiæ*] Cui nomen inditum ſcribit Scylax Cariandenus à Myſo fluvio, qui eam perfluit. Vide Apollonium & ejus Scholiaſt. in lib. 1. prope finem. *Delrius.*

217. *Rudem*] Belli inexpertam, tironis tum Achillis. *Farnabius.*

218. *Fortemque*] Vulnere. *Idem.* *Mitem manum.*] Medela. *Idem.* Telephus, Herculis F. Bacchi dolo cadens, in Pergami cacumine, juxta Suidam, ab Achille lancea percuſſus, ab eodem ſanatus fuit, auctore Higyno cap. 101.

Cecidere Thebæ. vidit Eetion capi
Sua regna victus. clade subversa est pari
Imposita celso parva Lyrnessos jugo;
Captâque tellus nobilis Briseide;
Et, causa litis regibus, Chryse jacet;
Et nota fama Tenedos; & quæ pascuo
Fœcunda pingui Thracios nutrit greges
Syros,

cap. 10. Dicty, & Isacio in Lycophronem. Propertius, Q. Serenus, Ovidius & alii plerique affirmant curatum Telephum ferrugine hastæ Achilleæ, quod inde confictum puto, quia siderite herba à se inventa, Telephi vulnus Achilles sanavit. vide Dioscoridem lib. 4. cap. 33. Plinium lib. 25. cap. 5. Anton. Mizaldus Cent. 7. Memorab. Aphorisi. 4. putat fabulam natam inde quod vel Aristot. auctore, vulnera telis æreis inflicta, quia caustica & siccam exhalationem in vulnere relinquunt, facilius curentur. Id confirmari videtur eo, quod cuspis hastæ Achilleæ, ut & ensis Memnonis, & cetera Heroum arma tradita sint ærea fuisse: & æs illos eam ad rem temperaturâ quadam indurare solitos, sed eâ amissâ ad usum ferri homines rediisse, referunt Proclus & Zezes in Hesiodum. Medicinam Achilles à Chirone didicit, & ut verisimile est Chirurgicam, quæ tunc forte sola in usu. *Delrius.*

219. *Thebæ.*] In Cilicia. *Farnabius.* *Eetion*] Andromachæ pater. *Idem.*

220. *Sua regna*] Eam Ciliciæ partem, in qua Thebæ. *Idem.*

221. *Lyrnessos*] Vrbs Troados. *Id.*

222. *Briseide;*] Hippodamia Briséi filia. *Idem.*

223. *Chryse*] Chryse Ciliciæ oppido capta, è præda Agamemnoni data est Astynome Chrysæ Apollinis sacerdotis filia, quam pater prece & precio repetens à rege repulsus est: injuriam hanc Apollo peste ultus est non cessatura nisi reddita virgine, ab Achille itaque consilii ejus authore abstulit Agamemnon Briseida: unde ἐχθρὸς ἀνάκτων. *Idem.*

224. *Et nota*] *Tenedos notissima fama insula.* Idem.

225. *Et quæ pascuo Fœcunda*] Hoc recte vidit Delrius explicari non posse. Nam quæ illa *Thracios* vel *nutriens* vel *mittens greges?* Non Cilla profecto nec Tenedos. Quis hoc divinaret, absque Florentino fuisset? Is igitur versum, qui vulgo est 204, & illic molestiam creat, huic proxime subjicit: *nutrit greges Scyros fretumque Lesbos Ægæum secans; Et cara Phœbo Cilla.* Præclare, nisi quod extrita una litera est legendum *Syros*, ut animadvertit quoque Petitus: quæ & ipsa Ægæi maris insula, Pherecydis patria, ab Achille capta, Ovidio etiam teste, in armorum judicio: *me credite Lesbon, Me Tenedon, Chrysenque & Cillan Apollinis urbes, Me Syron cepisse.* Eadem hæc *Syros*, quod & syllabæ docet modulus. Accurate enim Strabo lib. 10, ubi ejus meminit: μηκύνασι τὴν πρώτην συλλαβήν. Etsi corripuerit Homerus, quem ipse advocat. Errat Hermolaus Barbarus ad lib. 4 Plinii, cum ait esse prima producta *Syron* insulam Homero: Συρίη κικλήσκεται Ὀρτυγίης καθύπερθεν. Non enim sic legitur in Homero, sed confundit duos versus: Νῆσός τις Συρίη κικλήσκεται, εἴπερ ἀκούεις, Ὀρτυγίης καθύπερθεν. Est qui in Ovidio miratur inter occupatas ab Achille insulas ostentari *Syron*, nec *Scyro*, in qua matris astu latuerat, bellum intulisse eum ait esse credibile. De Syro vindicat Nasonem hic locus Senecæ. Scyro autem intulisse

Syros, fretumque Lesbos Ægæum secans,
Et sacra Phœbo Cilla. quid! quas alluit
Vernis Caycus gurgitem attollens aquis?
Hæc tanta clades gentium ac tantus pavor,
Sparsæ tot urbes, turbinis vasti modo,
Alterius esset gloria ac summum decus;

Iter

intulisse bellum Achillem dicit Homerus Ιλ. ί. de Patrocli concubina: ἦν οἱ πόρε δῖος Ἀχιλλεὺς Σκῦρον ἐλὼν αἰπεῖαν Ἐνυῆος πτολίεθρον. Quo inductus versu Bersmannus *Scyron* jubet reponi in Ovidio. Sed meminisse debemus, quod Pausanias observat in Atticis: historiam de mactata Polyxena consulto, tanquam immane facinus, prætermisisse Homerum: eundem, quod eversum ab Achille Scyron prodidisset, dissimulasse ejusdem in ea insula cum virginibus conversationem, quam alii omnes Poëtæ tradiderint. At Ovidius *Scyron* velut alteram Achillis patriam nominat paullo ante: *Phthiam hæc Scyronve ferantur.* ut Seneca Pyrrhi: *Hos Scyrus animos?* Itaque *Syron* ab Achille captam ambo voluere, non *Scyron*. Restat quare quoque Syros illa *Thracios greges nutrire* dicatur. Laudes ejus sunt Ὀδυσσ. ό. ἀλλ' ἀγαθὴ μήλοισι, Εὔβοια, Εὔμηλος, οἰνοπληθής, πολύπυρος. Altero Εὔβοιαν τε βριαρὴν, altero Εὔμηλον τὸ εἰδικὸν designari notat Eustathius. Seneca Εὔβοιαν reddidit *fœcundam pascuo pingui*. Iam idem Hom. Ιλ. ί. Thraciam μητέρα μήλων appellat: Οὐ τράφη οὐ Θρῄκη ἐλεώλακι μητέρι μήλων. Hoc sequutus Latinus Tragicus Εὔμηλον vertit *nutrientem Thracios greges*, seu oves, quarum fœcundus in Thracia proventus: ovesque è Thracia in Syria pascua transmissas latiores ampliores que redditas significat. Vt in vicinia nostra Cimbrica armenta pingui pascuo nutriuntur, quæ quum macra huc compellantur, brevi tempore ibidem saginantur ad lanii cultrum. Nec dissitebor, hæc duo Homeri loca subjecisse mihi summum & illustrem virum, Lucam Holstenium, municipem meum. *Cara* pro *sacra* in Mog. etiam notavit Delrius. *Gronovius.*

226. *Lesbos Ægæum*] Relicta Scyro Achilles, in Lesbum priusquam se reliquæ classi Ilium perenti adjungeret, contendit, eamque insulam occiso prius Trambelo Telamonis filio, qui illic habitabat, ex quo Apriatem puellam diligere cœperat, & Achilli se opposuerat, occidit; ut ex Euphorione narrat Parthenius Erotic. cap. 26. expugnavit. ibi illi Methymna urbs mortem obtulit, nec illam potiri posse videbatur, nisi Pisidice Regis filia ipsius amore correpta urbem, nuptias pacta, prodidisset; quam tamen merito postea supplicio affecit, milites jubens prodiricem lapidibus obruere. hoc narrat poëta ignotus, qui Lesbiaca scripsit, cujus fragmentum extat in Parthenio. *Delrius.*

227. *Sacra Phœbo Cilla.*] Vrbs Troados. *Farnabius.* Homerus, Κίλλαν τε ζαθέην. pro *sacra*, meus cod. antiq. habet *cara*. Delrius.

228. *Caycus*] Mysiæ amnis. *Farnabius.*

230. *Sparsa tot urbes,*] Duodecim maritimæ, undecim mediterraneæ, ut gloriatur ipse Achilles Iliad 9. *Delrius.* *Turbinis*] Μηδὲν ἀναιδείῃσι, celeritate. quæ in rebus bellicis plus valet quam virtus. unde πόδας ὠκὺς dictus Achilles. *Farnabius.*

231. *Alterius*] Quæ aliis justi belli finiissent causæ & fines, Achilli tantum gradus fuere ad bellum. adeo hæc in transcursu & obiter gessit. *Idem.*

235. *Ilium*]

Iter est Achillis. sic meus venit pater,
Et tanta gessit bella, dum bellum parat.
Ut alia fileam merita, non unus satis
Hector fuisset? Ilium vicit pater,
Vos diruistis. inclitas laudes juvat,
Et clara magni facta genitoris sequi.
Jacuit peremptus Hector ante oculos patris,
Patruique Memnon, cujus ob luctum parens
Pallente mœstum protulit vultu diem,
Suique victor operis exemplum horruit;
Didicitque Achilles & deâ natos mori.
Tum sæva Amazon ultimus cecidit timor.
Debes Achilli, merita si digne æstimas,
Etsi Mycenis virginem atque Argis petat.
Dubitatur etiam? placita nunc subito improbas?

Priami-

235. *Ilium*] In Hectore vincendo. Suprà vers. 125. & 186. *Farnabius.*

237. *Sequi.*] Relatione. *Idem.*

239. *Patruique*] Priami, cui frater Tithonus Memnonis pater. *Idem.* *Parens*] Aurora. Suprà vers. 10. *Id.*

240. *Pallente mœstum*] Ovidius de Aurora Memnonis matre lib. 5. Metam. scripsit; *Cura deam propior luctusque domestici angit Memnonis amissi, Phrygiis quem lutea campis Vidit Achillea pereuntem cuspide mater. Vidit: & ille color, quo matutina rubescunt Tempora, palluerat; latuitque in nubibus æther.* idem tradidit Tryphiodorus. *Delrius.*

241. *Suique*] Cum enim videret Memnona Auroræ filium à se interfectum, se quoque Thetide natum mortalem esse didicit. *Farnabius.*

242. *Et deûn natos mori.*] Notaverant in Adversariis omnes vet. libros, quos viderint, tenere *deæ*, idque se amplecti. Lipsius ut melius veriusque protulit è suo, *deæ.* Ergo astute iidem in Commentariis postea: Mogunt. *deæ*, Herbip. & Ven. *deæ:* utrumvis rectum ut primus restitui in Adversariis. Similiter transferunt *Patruique* pro *Pariterque.* Utrumque autem confirmat Florentinus. *Gronovius.*

243. *Tum versa Amazon*] Non *versa* tantum est illa, sed etiam occisa. Nec *vertere* pro subvertere vel everterere hic opportunum. Potius igitur audiamus Etruscum: *Tum sæva Amazon.* Nisi tamen malis *fera.* quod esset, quæ fero adfuit, nempe post Hectorem jam interemptum. Certe *sæva* melius quam *versa.* Idem Etruscus: *ultimus cecidit metus.* Tum, *Etsi ex Mycenis.* Idem. *Versa Amazon*] Penthesilea ab Achille occisa. *Farnabius.*

245. *Etsi Mycenis*] Etiamsi ex tuis Mycenæis aut Argivis aliquam peteret. *Idem.*

246. *Dubitatur*] An dubitas hostis natam in Achillis gratiam mactandam tradere, qui tuam ipsius natam Iphigeniam (suprà vers. 161.) Helenæ repetendæ causa immolasti, cum eadem utriusque necis causa sit ventus redimendus? *Idem. Placita nec subito probas?*] Concedo aliquid juventuti & ferociæ Pyrrhi, sed, ut tam impudenter obloquatur regum regi, tanquam ei

Priamique natam Pelei nato ferum
Mactare credis? at tuam natam parens
Helenæ immolasti. solita jam & facta expeto.
Agam. Juvenile vitium est, regere non posse impe-
Ætatis alios fervor hic primæ rapit, (tum.
Pyrrhum paternus. spiritus quondam truces,
Minasque tumidi lentus Æacidæ tuli.
Quo plura possis, plura patienter feras.
Quid cæde dira nobilem clari ducis
Aspergis umbram? noscere hoc primum decet,
Quid facere victor debeat, victus pati.
Violenta nemo imperia continuit diu:
Moderata durant. quoque Fortuna altius
Evexit ac levavit humanas opes,
Hoc se magis supprimere felicem decet,

Varios-

necesse esset placita Achillis filio sine mora probare, id non est ferendum. Decentius igitur Florentiæ: *placita nunc subito improbas?* Sive quod tergiversaretur tradere Polyxenam, quam olim desponderi Achilli placuerat: sive potius, quod immolare virginem dubitaret, quum id in sua ipsius filia olim Agamemnoni placuisset. *Gron.*

250. *Iuvenile*] Hic fervor juvenibus aliis ab ætate est: tibi ulterius etiam a patre hæreditarius. *Farnabius.*

251. *Ætatis alios*] Quis hic aliquid mutare audeat? In aliis, inquit Agamemnon, fervor iste vitium juvenile est; in Pyrrho paternum. Alii ab ætate hoc habent, Pyrrhus a patre. Viri illustres cum Pyrrho ista tribuunt, an non aliud agebant? An Agamemnon hic alio respicit, quam in sequentibus; ad contentionem nimirum illam luculentam, quæ est Iliados primo? An non poëtæ, Tragici præsertim, Pyrrho τὸ Ἀχίλλειον ἦθος tribuunt: quod & diligenter Critici notarunt? An non Agamemnon hoc in eo tangit? An postremo non sequentia hoc confirmant? Illa inquam, *Spiritus quondam truces Minasque tumidi lentus Æacidæ tuli.* Heinsius.

252. *Quondam*] In jurgio super Chryseide remittenda. Iliad. α. Supra vers. 122. *Farnabius.*

253. *Minasque*] Patiens inflati iratique Achillis minas tuli. *Idem.*

254. *Quo plura possis*,] Hunc versum Pyrrho ascribunt: Sed contra fidem librorum omnium. Nec male inter se nexa, si continues; reddit enim Atrides rationem pulcherrimam, & Regum Rege, jam sene, dignissimam, cur superbiam Achillis patienter tulerit. At Pyrrhum hoc dicere, minus convenit. contumelias ille, non modestiam cogitat: ira & juventæ fervore effertur. nihil illi nunc sanæ, nihil pacatæ mentis: qui consilium nec datum recipiat, minus recte consulat aliis. *Delrius.*

255. *Cæde*] Polyxenæ. *Farnabius.* *Nobilem clari ducis Aspergis umbram?*] Florent. & alii: *nobiles clari ducis Aspergis Vmbras.* Sic in Hercul. Fur. *Vmbræ Creontis & penates Labdaci.* Gronov. *Clari ducis*] Achillis. *Farn.*

263. *Ma-*

Variosque casus tremere, metuentem deos
Nimium faventes. magna momento obrui
Vincendo didici. Troia nos tumidos facit
Nimium ac feroces? stamus hoc Danai loco,
Unde illa cecidit. fateor, aliquando impotens
Regno ac superbus, altius memet tuli:
Sed fregit illos spiritus hæc, quæ dare
Potuisset alii, causa, Fortunæ favor.
Tu me superbum, Priame, tu timidum facis.
Ego esse quicquam sceptra, nisi vano putem
Fulgore tectum nomen, & falso comam
Vinclo decentem? casus hæc rapiet brevis;
Nec mille forsan ratibus, aut annis decem.
Non omnibus Fortuna tam lenta imminet.
Equidem fatebor (pace dixisse hoc tuâ,
Argiva tellus, liceat) affligi Phrygas
Vincique volui. ruere, & æquari solo,
Etiam arcuissem. sed regi frenis nequit

Et

263. *Magna*] Ego vincendo Troiam didici, quam momento magna obruantur. ὡς τὰ μέγιστα διαλῦσαι ῥάδιον. *Farnabius.*

264. *Tumidos*] *Timidos* Lipsii, contra libros, ne dicam venustatem orationis, imo veritatem. Patebit magis si distinguas: *& feroces? stamus.* Pari argumento Florus lib. 4. *Sane & ipse ante aciem mœstior non ex more Cæsar, sive respectu fragilitatis humanæ, sive nimium prosperorum suspectam habens continuationem: vel eadem timens, postquam idem esse cæperat quod Pompeius.* Gruterus.

265. *Stamus*] Neque nos firmiori statu sumus, quam illi: nos cadere possumus sicut Troiam vidimus. *Farnabius.*

268. *Sed fregit*] In me spiritus altos fregit, quos aliis posset addidisse secunda fortuna. *Idem.*

270. *Tu me superbum, Priame, tu*] Non ad finem versus, sed ad medium interrogationis, nota ponenda: *Tu me superbum, Priame? tu timidum facis.* Aliis hæc victoria ferociam & immanes spiritus daret. Me vero tu, ô Priame, superbum faceres? tantum abest, ut etiam timidiorem feceris. Sic in Agamemn. vers. 521. *Vehit ista Danaos classis? & Troas vehit.* Præcedenti versu Florent. *Potuisset aliis. Gronovius.*

272. *Fulgore tectum*] Splendore incrustatum, intus miserum. *Farnabius.*

273. *Vinclo*] Diademate quod præ se ferat lætitiam & felicitatem, quid autem intus non fellis habet? *Idem.*

275. *Non omnibus*] Hunc nostrum ὄλβον ἐφήμερον forte rapient non M. carinæ aut X. anni, uti nos Troiam, sed brevis hora. *Idem.*

279. *Regi*] Non audiunt rationem & modum vindictæ libido, armorum strepitus, victoria superba, eaque licentiosa per noctem, quæ pudore vacat. *Idem.*

Et ira, & ardens hostis, & victoria
Commissa nocti. quidquid indignum aut ferum
Cuiquam videri potuit, hoc fecit dolor,
Tenebræque, per quas ipse se irritat furor,
Gladiusque felix, cujus infecti semel
Vecors libido est. quidquid eversæ potest
Superesse Troiæ, maneat. exactum satis
Pœnarum, & ultra est. regia ut virgo occidat,
Tumuloque donum detur, & cineres riget,
Et facinus atrox cædis ut thalamos vocem,
Non patiar. in me culpa cunctorum redit.
Qui non vetat peccare, cum possit, jubet.
Pyrrh. Nullumne Achillis præmium manes ferent?
Agam. Ferent; & illum laudibus cuncti canent;
Magnumque terræ nomen ignotæ audient.
Quod si levatur sanguine infuso cinis,
Opima Phrygii colla cædantur gregis,
Fluatque nulli flebilis matri cruor.
Quis iste mos est, quando in inferias homo est

Impen-

282. *Dolor,*] Raptæ Helenæ vindicta. *Farnabius.*

283. *Tenebræque,*] Noctis, qua capta est Troia, licentia. *Idem.*

284. *Felix,*] Victor. *Idem. Infecti*] Cruore semel tincti. *Idem.*

285. *Vecors*] Insana, reponi nesciens. *Idem.*

287. *Et ultra est.*] Et plusquam satis. *Idem. Regia ut virgo*] Distingue: *occidat? Tumuloque donum detur? & cineres riget? Et facinus atrox cædis ut thalamos vocem? Non patiar.* Suspicor Senecam hæc scripsisse, quum Nero à Poppæa impelleretur ad Octaviæ necem. Cujus causam sub aliena persona agit. Quasi dicat, satis pœnarum & ultra exactum ab Octavia, quæ Pandataria clausa erat: nec audiendam esse Poppæam, quæ sibi firmum & stabile cum Nerone conjugium non credebat fore, quamdiu viveret Octavia: itaque Poppæa Octaviæ cædem suum conjugium vocabat. *Petitus.*

289. *Vt thalamos vocem,*] Florent. *vocent? Non patiar.* Quasi intelligat Græcos Pyrrho faventes. Nam & sequitur, *culpa cunctorum.* Gronovius.

290. *In me culpa*] Nisi prohibeam. *Farnabius.*

295. *Levatur*] Vide Theb. v. 172. & Hippol. vers. ult. *Idem.*

296. *Opima*] Hercul. Fur. v. 908. *Idem.*

298. *Quando in inferias homo est*] Thebaid. v. 172. & Troad. 374. *Idem.* Ab Achille Patroclo duodecim homines in inferias impenduntur apud Homerum Iliad. φ'. & Pallanti ab Ænea, apud Virgilium Æneid. 10. Præterea falsis diis antiquorum homines immolari non fuit insolens. Fecerunt hoc Carthaginienses & Celtæ, teste Dionysio Halicarnass. lib. 1. Scythæ

auctore

Impensus homini? detrahe invidiam tuo
Odiumque patri, quem coli pœna jubes.
Pyrrh. O tumide, rerum dum secundarum status
Extollit animos; timide, cum increpuit metus:
Regum tyranne, jamne flammatum geris
Amore subito pectus, ac Veneris novæ?
Solusne toties spolia de nobis feres?
Hac dextra Achilli victimam reddam suam:
Quam si negas retinesque, majorem dabo,
Dignamque quam det Pyrrhus. & nimium diu
A cæde nostra regiâ cessat manus,
Paremque poscit Priamus. *Agam.* Haud equidem ne-
Hoc esse Pyrrhi maximum in bello decus,
Sævo peremptus ense quod Priamus jacet,
Supplex paternus. *Pyrrh.* Supplices nostri patris,
Hostesque eosdem novimus. Priamus tamen

Præ-

auctore Herodoto in Melpom. Leucadii & Albani, si Straboni credimus lib. 10. & 11. Achæi & Lacedæmonii, ut scribit Pausanias in Lacon. *Delrius.*

300. *Quem*] Quem jubes coli innocentis regiæ virginis morte. *Farnabius.*

301. *O tumide,*] O in secundis elate, in adversis dejecte, ἔχων καρδίην ἐλάφοιο. *Farnabius.*

303. *Regum*] Dux ducum, Imperator Græcorum. *Idem.*

304. *Amore subito*] Ut olim Chryseidos & Cassandræ, ita nunc Polyxenæ? *Idem.* Propter Briseidem & Chryseidem hoc dicit. πολυφιλίαν ejus carpit. *Delrius.*

304. *Ac Veneris novæ?*] Non videtur satis cohærere cum præcedentibus. Aut igitur deest versus hac sententia, quoties te desiderium & cupiditas subiit: aut sublata distinctione sequentibus hoc jungendum, quasi dicat: *& tunc solus de nobis toties capies spolia Veneris novæ?* id est rapies è domo nostra puellas, quas mutato amore deperire cepisti. *Gronovius.*

305. *De nobis*] De nostra familia. vivo patri eripiens Briseida; mortui inferiis Polyxenam negans. *Farnabius.*

307. *Majorem*] Teipsum scilicet. *Id.*

310. *Paremque*] Regem mortis socium poscit Priamus manu mea interfectus. *Idem.*

311. *Maximum*] Ironica. *Idem.*

313. *Supplex*] Cui supplici filii Hectoris cadaver redempturo pepercit pater tuus. *Idem. Supplex*] Supplici illi pepercit pater, hostem ego interfeci. *Idem.* Immo hoc dicit: Rectè meministi hostis supplicis: sic enim potes recordari, id patri meo forte datum, ut qui hostes illi forent, tandem supplices fierent, quorum in numero & tu fuisti. *Gronovius.*

314. *Priamus*] Et tamen Priamus te animosior, venit ipse Achillem coram deprecaturus; tu non sustinens patris mei irati conspectum, Ajacem & Ulyssem cum muneribus & precibus misisti ipse in tentoriis latens. *Farn.*

Præsens rogavit. tu gravi pavidus metu
Nec ad rogandum fortis, Ajaci preces
Ithacoque mandas, clusus, atque hostem tremens.
Agam. At non timebat tunc tuus, fateor, parens,
Interque cædes Græciæ, atque ustas rates,
Segnis jacebat, belli & armorum immemor,
Levi canoram verberans plectro chelym.
Pyrrh. Tunc magnus Hector, arma contemnens tua,
Cantûs Achillis timuit: & tanto in metu
Navalibus pax alta Thessalicis fuit.
Agam. Nempe iisdem in istis Thessalis navalibus
Pax alta rursus Hectoris patri fuit.
Pyrrh. Est regis alti, spiritum regi dare.
Agam. Cur dextra regi spiritum eripuit tua?
Pyrrh. Mortem misericors sæpe pro vita dabit.
Agam. At nunc misericors virgines busto petis.
Pyrrh. Jamne immolari virgines credis nefas?
Agam. Præferre patriam liberis regem decet.
Pyrrh. Lex nulla capto parcit, aut pœnam impedit.
Agam. Quod non vetat lex, hoc vetat fieri pudor.
Pyrrh. Quodcumque libuit facere victori, licet.
Agam. Minimum decet libere, cui multum licet.

Pyrrh.

318. *At non*] Scopticon. *Farn.*

319. *Vstas*] Hectore & Troianis faces in classem inferentibus. *Idem.*

321. *Levi*] Iliad. ε'. *Idem.*

322. *Tunc*] Et tamen idem Hector, qui tua arma sprevit, illius lyram timuit non ausus naves Thessalas aggredi. *Idem.*

325. *Nempe*] Nec sane erat cur timeretur, cum ausus fuerit Priamus hostis huc venire. *Idem.*

327. *Est regis alti, spiritum regi dare.*] Vitam dare, parcere regi. ut Priamo pater. *Idem.*

329. *Mortem*] Vita extreme misera mors potior & malum minus. *Id.* *Misericors*] Ironia. *Idem.*

330. *At nunc misericors*] Florent. *Et nunc misericors.* acriore ironia. Tentaverat è nonnullis Delrius, *non*: haud tamen improbarat alterum. *Gronov.*

331. *Iamne*] Vbi olim hæc mens, quando filiam tuam virginem immolasti? *Farnabius.*

332. *Præferre*] Me quidem *Vtilitas populi, fraterque, datumque Imperium movit, pensarem ut sanguine laudem.* Idem.

333. *Lex nulla*] Clementia quidem victoris, non lege servabantur à morte captivi ut servirent, unde *Servo* nomen apud I. C. quod Ios. Scaligero ab ἔρω. aliis ab εἴρω lana unde ἐρίθω qui lanificium exercet. *Idem.*

337. *Hîs*

Pyrrh. His ista jactas quos decem annorum gravi
Regno subactos Pyrrhus exsolvit jugo? (caret.
Agam. Hos Scyrus animos? *Pyrrh.* Scelere quæ fratrum
Agam. Inclusa fluctu. *Pyrrh.* Nempe cognati maris. 340
Atrei & Thyestæ nobilem novi domum.
Agam. Ex virginis concepte furtivo stupro,
Et ex Achille nate, sed nondum viro.
Pyrrh. Illo ex Achille, genere qui mundum suo
Sparsus per omnem cœlitum regnum tenet, 345
Thetide

337. *His ista jactas*] Et olim Delrius edidit *jacta*, & manus illustris ita notaverat ad marginem, deleta nota interrogandi, quam Gruterus alleverat. Sed recte Gruterus. Cum dixisset præclara dignissimaque magno rege sententia Agamemnon: *Minimum decet libere, cui multum licet*: regerit Pyrrhus: Annon te pudet hæc jactare apud Græcos, quos decem annorum gravi jugo, longe remotus ab illo, qui nunc tam graves sententias loquitur, intemperantissime pressisti? quosque adhuc premeres, nisi Pyrrhus eversa Troia imperio tuo finem attulisset? Statim Flor. *Syrus.* Ergo legendum: *Scyrus.* Et hic suavior sonus. *Gronov.*

338. *Exsolvit*] Sacramento in militiam præstito absolvit, Troia scil. capta, quæ fato capi non potuit sine uno ex Æacidarum genere. *Farnabius.*

339. *Hos Scyros*] Tantos-ne tibi animos suppeditat tam ignobilis patria? *Idem. Scelere*] Quæ tamen non habet reges sceleſtos fratres, quemadmodum habuere Mycenæ Atreum & Thyestem. *Idem.*

340. *Inclusa*] Insula mari angustata. *Idem. Nempe*] In quo Thetis patris mei mater. *Idem.*

341. *Atrei*] *Prolepsis Ironica*: atque hoc, ut multa alia in hac scena desumuntur è jurgio Teucri & Agam. in Sophoclis Ajace. *Idem.*

342. *Virginis*] Deidamiæ Lycomedis filiæ ab Achille virgineo habitu latitante constupratæ. *Idem.*

343. *Sed nondum viro.*] Quærebat apud Suetonium Tiberius, quomodo id temporis Achilles fuerit vocatus? respondet Hygin. in fab. cap. 96. à capillorum colore tunc *Pyrrham* dictum. Sidonius in carmine ad Felicem: *Inde Scyriadum datus parenti, Falsæ nomina pertulisse Pyrrhæ: Atque inter tetricæ choros Minervæ*, &c. describit elaborato sermone, ut solet, Tertullianus lib. de pallio cap. 4. *Naturam concussit Lariſſæus heros in virginem mutando. ille ferarum medullis educatus, unde & nominis concilium, quandoquidem labiis vacuerat ab uberum gustu: ille apud rupicem, & silvicolam, & monstrum eruditorem scrupea schola eruditus. Feras si in puero matris sollicitudinem patiens: certe jam histriculus, certe jam virum alicujus clanculo functus, adhuc sustinet stolam fundere, comam struere, cutem fingere, speculum consulere, collum demulcere, aurem quoque foratu effeminatus: quod illi apud Sygeum strongyla servat. plane postea miles est. necessitas enim reddidit sexum. de prælio sonuerat, nec arma longe. Ipsum* (inquit) *ferrum virum attrahit. Ceterum si post incentivum quoque puellam perseverasset, potuit & nubere. Ecce itaque mutatio: monstrum equidem geminum, de viro femina, mox de femina vir.* Delr.

344. *Illo ex*] Diis totius mundi affine, Thetidos deæ æquoris filio, Æaci inferni judicis nepote, Iovis summi pronepote. *Farnabius.*

345. *Per omnem cœlitum regnum tenet,*]

Thetide æquor, umbras Æaco, cœlum Iove.
Agam. Illo ex Achille, qui manu Paridis jacet.
Pyrrh. Quem nec deorum cominus quisquam petiit.
Agam. Compescere equidem verba, & audacem malo
Poteram domare: sed meus captis quoque
Scit parcere ensis. potius interpres deûm
Calchas vocetur. fata si poscunt, dabo.
Tu qui Pelasgæ vincla solvisti rati,
Morasque bellis; arte qui reseras polum,
Cui viscerum secreta, cui mundi fragor,
Et stella longâ semitam flammâ trahens
Dant signa fati: cujus ingenti mihi
Mercede constant ora, quid jubeat Deus
Effare, Calcha, nosque consilio rege.
„ *Calch.* Dant fata Danais, quo solent pretio, viam.
„ Mactanda virgo est Thessali busto ducis:

„ Sed

tenet,] Itane Pyrrhus Achilles regno depulit Iovem, ut Iupiter Saturnum? Flor. *per omne.* Recte, modo distinguas: *genere qui mundum suo, Sparsus per omne cœlitum regnum, tenet.* Devinctum necessitudinibus habet, divisus inter consanguineos deos, qui cœlo, mari, inferis, imperant. *Gronovius.*

347. *Paridis*] Emphasis, mollis, effœminati, imbellis Paridis. *Farnabius.*

348. *Quem*] Sed ab Apolline Paridi favente, idque eminus & per insidias, neque enim deorum quisquam cum cominus petere ausus. *Idem.*

349. *Malo*] Supplicio vel in malum tuum. *Idem.*

350. *Captis*] Captivis, ut Polyxenæ, &c. *Idem.*

353. *Tu qui*] Tu ô Calcha cujus divinatione solvimus diu detenti in Aulide, & cujus interpretatione de novem passerculis cum matre à serpente voratis pertulimus moras decennalis belli. *Idem.*

354. *Arte*] *Interpres divûm, qui numina Phœbi,* &c. id est, qui ex siderum positione futura concipis, potes & augurium includere. *Idem.*

355. *Cui viscerum*] Qui per extispitium fata rimaris. *Idem. Cui mundi*] Terræ motum *vult Delrius,* ego tonitru, *namque & hoc ad auspices pertinere nemo non novit.* Idem.

356. *Et*] Cometen longe crinitum, *vel* stellam cadentem. Vide Thebaid. vers. 431. deorum placita divinaris. *Idem. Stella*] Cometes, quem Seneca stellam esse censuit lib. 7. Nat. quæst. Verius tamen, stellæ differunt à cometis, ut docent, Aristot. lib. 1. Meteor. cap. 7. Plinius lib. 2. cap. 22. & est communis opinio philosophorum & astronomorum. *Delr. Longâ flammâ*] Extento & diffuso crine. *Idem.*

357. *Ingenti Mercede*] Filia mea. Suprà vers. 161. & Chryseide suprà vers. 222. *Farnabius.*

360. *Quo solent*] Virgil. cæsa. *Id.*

361. *Thessali*] Achillis. Sup. 178. *Idem.*

362. *Qua*

„ Sed quo jugari Theſſalæ cultu ſolent,
„ Ioniдeſve, vel Mycenææ nurus.
„ Pyrrhus parenti conjugem tradat ſuo.
„ Sic rite dabitur. non tamen noſtras tenet
„ Hæc una puppes cauſa. nobilior tuo,
„ Polyxene, cruore debetur cruor,
„ Quem fata quærunt: turre de ſumma cadat
„ Priami nepos Hectoreus, & letum oppetat.
„ Tum mille velis impleat claſſis freta.

362. *Quo jugari*] Quo ritu, ornatu, & cultu ſponſæ in Theſſalia ad maritos duci ſolent. *Farnabius. Jugari*] Matrimonio jungi. metaphora à bubus ducta, qui, quando idem jugum ſubeunt, jugantur. ea figura ſic uſum comperio Plautum, in Curculione: —— *jamne ea fert jugum?* & Horatium: *Nondum ſubacta ferre jugum valet Cervice* —— Sane poſſet quis ſuſpicari, Senecam alluſiſſe ad morem, quem Servius & Iſidorus commemorant, Sponſo & Sponſæ jugum imponendi, unde *Iuga Iunò* Sex. Pompeio, *Ζυγία* Dionyſio, Muſæo & Apuleio, ut recte Briſſonius in l. ſingulari de rit. nupt. à Nonno etiam Panoplitano Dionyſiac. δ'. ſic nominatur. *Delr.*

363. *Ioniдeſve*] Mulieres ex Ionia, à duce Ione, qui coloniam deduxit, dictæ. *Farnabius.*

364. *Conjugem*] Polyxenam. *Id.*

366. *Nobilior*] Proles maſcula, Hectorea. *Idem.*

367. *Polyxena, cruore*] Flor. *Polyxene.* Vt infra vulgo etiam: *Polyxenè miſeranda.* Gronovius.

369. *Priami nepos*] Aſtyanax, vero nomine Scamandrius, aliis Neſus. *Farnabius.*

CHORUS TROADUM.

Chorus è mulieribus Troianis tam mente quàm corpore captis, quo Achillis animam apparuiſſe neget, ex Epicuri ſententia, quæ nec Stoicorum multo ſanior, ſtulte & (ut ſemel de toto Choro moneam) impie animam cum corpore interire aſſerit.

Verum eſt? an timidos fabula decipit,
Umbras corporibus vivere conditis?
Cum conjux oculis impoſuit manum,
Supremuſque dies ſolibus obſtitit,
Et triſtis cineres urna coërcuit:

372. *Vmbras*] Animas. *Farnabius.* *Conditis?*] Sepultis. *Idem.*

373. *Cum conjux*] Vbi conjux conjugis morientis claudit oculos, quod faciebant ſanguine proximi. *Idem.*

374. *Solibus*] Luci vitali, ne videant ſolem dieſque. *Idem.*

375. *Et triſtes cineres*] Florent. *Et triſtiu cineres urna.* Gron. *Vrna*] Quæ cineres combuſtorum capit. *Farnab.*

Non prodeſt animam tradere funeri,
Sed reſtat miſeris vivere longius?
An toti morimur? nullaque pars manet
Noſtri; cum profugo ſpiritus halitu
Immiſtus nebulis ceſſit in aëra,
Et nudum tetigit ſubdita fax latus?
Quidquid Sol Oriens, quidquid & Occidens
Novit: cæruleis Oceanus fretis
Quidquid vel veniens vel fugiens lavat,
Ætas Pegaſeo corripiet gradu.
Quo biſſena volant ſidera turbine,
Quo curſu properat ſecula volvere
Aſtrorum dominus, quo properat modo
Obliquis Hecate currere flexibus;
Hoc omnes petimus fata: nec amplius,
Juratos Superis qui tetigit lacus,
Uſquam eſt. ut calidis fumus ab ignibus
Vaneſcit

376. *Non prodeſt*] Noneſt opus anima viventis animam placare mortui, quæ (ut totus hic Chorus vult) nuſquam eſt, quum autem animas defunctorum ſanguine humano propitiari creditum eſſet, captivos primum in exequiis immolabant; poſtea gladiatorum paria inferiis ad tumulos exhibebant, ſpectaculi voluptate rei atrocitatem adumbrantes. Thebaid. verſ. 172. *Farnabius.*

377. *Sed reſtat*] An reſtat vita poſt funus? quam quidem vitam, miſeram duxerunt Stoici. *Idem.*

379. *Cum profugo*] Vbi anima (ex mente Chori) ex aëre ſeu elementorum ſubtiliſſima parte concreta redit in illa, unde orta ſit. *Idem.*

381. *Latus?*] Crematum rogo cadaver. *Idem.*

382. *Quidquid*] Omnia in terris, quas Sol videt, quas mare fluxu, aut refluxu alluit, ætas veloci pede corripit. *Idem.*

385. *Pegaſeo gradu.*] Veloci, à Pegaſo equo alato è Meduſæ ſanguine juxta πήγας, id eſt, fontes Oceani nato, qui & fontem elicuit Hippocrenem. *Idem.*

386. *Quo biſſena ſidera*] XII. Signa in Zodiaco. Thyeſt. verſ. 838. *Id. Turbine,*] Curſu rapido inſtar turbinis. *Idem.*

388. *Aſtrorum dominus,*] Sol. Thyeſt. verſ. 833. *Idem.* Qua velocitate volvuntur duodecim menſes anni; qua celeritate Phœbus & Phœbe peragunt curſum ſuum; eâ properamus ad mortem. tantum enim vitæ, quantum tempori decedit. *Delrius.*

389. *Hecate*] Hippolyt. verſ. 411. *Farnabius.*

391. *Juratos*] Styga. Hercul. Fur. verſ. 711. id eſt, mortuus nuſquam eſt. *Idem.*

392. *Uſquam eſt.*] Tanquam nunquam fuiſſet. impie, ridicula vero ratio. celerrime ad mortem properamus; ut nubes à vento diſſipantur, ut fumus citò perit; ſic vita hominis, anima igi-

tur

Vaneſcit ſpatium per breve ſordidus;
Ut nubes gravidas, quas modo vidimus,
Arctoi Boreæ disjicit impetus;
Sic hic, quo regimur, ſpiritus effluet.
Poſt mortem nihil eſt, ipſaque mors nihil,
Velocis ſpatii meta noviſſima.
Spem ponant avidi; ſolliciti metum.
Quæris, quo jaceas poſt obitum loco?
Quo non nata jacent.
Tempus nos avidum devorat, & chaos.
Mors individua eſt noxia corpori,

Nec

tur hominis moritur. Miſeri, ſi hæc conſequi neceſſario Stoici rebantur: impudentes, ſi cum ſequi non viderent, ut rationi tamen conſentanea, obtrudebant. *Delrius.*

393. *Sordidus;*] Fumi epithetum ab Horatio lib. 4. Od. occupatum. *Idem.*

394. *Gravidas,*] Pluvia fœtas. *Farnabius.*

395. *Diſſipat*] Al. *disjicit.* Idem.

396. *Quo regimur*] Rector noſtri & moderator animus. *Idem.*

397. *Mors nihil,*] Vitæ enim privatio. *Idem.*

399. *Avidi;*] Cupidi mortis, ut, quam credunt, beatitudinem conſequantur. *Delrius. Solliciti*] Qui pœnas ſceleram poſt mortem metuunt. ſic ſublatâ ſpe & metu futurorum nugabatur Epicurus ſe genus humanum incomparabili beneficio affeciſſe: eo reſpicit, vel id ſentit potius. *Idem.*

400. *Quæris,*] Non erimus etiam poſt mortem ſicut nec fuimus ante vitam. Stoice & Epicurice. *Farnabius.*

401. *Quo non nata jacent.*] Ab Euripide ſumpſit: Τὸ μὴ γενέσθαι τῷ θανεῖν ἴσον λέγω. Sic Andromache in Troadibus. *Gronovius.* Eris poſt obitum, quaſi nunquam fuiſſes editus. impie. *Delrius.*

402. *Tempus*] Præfinito tempore in primam illam unitatem atque confuſam materiam redibunt omnia, unde & rurſum renaſcentur, & in quam recident viciſſim. atque hæc Stoicorum æternitas. *Farnabius. Chaos.*] Succeſſu temporis omnia in priſtinum Chaos revolvi cenſebant Stoici; & novos deinde mundos iterum interituros ſecundum cunctas ſui partes; naſci iterum, mori iterum, nullumque circuli iſtius finem agnoſcebant. hæc illorum æternitas. *Delrius.*

403. *Mors individua eſt, noxia*] Hic magnum acumen ſophiſticum reperiunt. Vocat, aiunt, mortem individuam hoc ſenſu: fieri nequit, ut mors parcat animæ, non parcens corpori; vincatur ab illa, victrix iſtius. ſic enim dividi mors deberet. At *individua* eſt. Non tam magiſter ſententiarum Seneca. Tolle diſtinctionem, quæ ſenſum ſuſpendit: *Mors individua eſt noxia corpori:* & vocabulum *noxia* pro ſubſtantivo accipe, proque damno, labe, vitio. Sic Manilius lib. 4. *Quin etiam infelix virtus & noxia felix.* Eodem: *laudi noxia juncta eſt.* Et, *ter quinæ noxia par eſt.* Sic Iuriſconſulti: *Noxa eſt ipſum corpus, quod nocuit: noxia maleficium, veluti furtum, damnum, rapina.* Tibullus in Priapeio: *Gravi piaque lege noxiam lues.* Vbi Scaliger annotat, quod hodie in Gallia jurgium vocatur *noiſe*, id à *noxia* detortum eſſe. Fieri poteſt: ſed quod addit *noxiam* aliquan-

Nec parcens animæ. Tænara, & aspero
Regnum sub domino, limen & obsidens
Custos non facili Cerberus ostio,
Rumores vacui, verbaque inania,
Et par sollicito fabula somnio.

aliquando notare jurgium ac dissidium, indictum melius foret. Petronium dat auctorem, apud quem sit, *in mediam noxam perfertur*. At omnes illic libri, *in mediam rixam*. Alterum Ausonium: *Sæpe in conjugiis fit noxia, si nimia est dos*. Sed distinguendum: *fit noxia, si nimia est, dos:* & transitivum est, hoc sensu: Dos, si nimia est, sæpe fit noxia sive damnosa. Tamen deliciæ interpretum Arbitri audent corrigere locum istum in Scaligeri sententiam, & reprehendere Gifanium, qui *noxam* pro jurgio apud bene Latinos reperiri negat. Illud forsan Gifanius inconsultius, *noxiam* poëtis tantum usitatam, qui metri causa τὸ ἰῶτα interposuerint. Habet quippe Cicero in tertio de legibus & in Hortensio. At Seneca noster, mors, inquit, est labes corporis, quæ ab eo dividi ac separari non potest, συμφθορὰς ἀχώριστον, ut ita loquar: τὸ θνητὸν ἀχωρίστως τῷ σώματι συμφθείρεσθαι. Ne crabrones in me coëant, scio ipsorum sermone mortem non esse συμφθορὰς· sed hoc vult Chorus, mortalitatem esse noxam & pestem corpori separari nesciam: sed & animæ quoque eandem pernicialem. Hoc dicit, & falso, ut scimus, non febriculoso argumento colligit. *Gronovius.*

404. *Tænara,*] Descensus ad inferos. Hercul. Fur. vers. 586. *Farnabius.* *Aspero*] Diti illachrymabili regnati inferi. *Idem.*

406. *Non facili*] Non levi, vivis ingredi, umbris exire volentibus. *Id.*

407. *Rumores*] Ex eadem schola, Horatii *fabulæ manes. quos esse Nec pueri credunt, nisi qui nondum æra lavantur.* Idem.

408. *Somnio.*] Quod dormientes territat ut & superstitiosos. *Idem.*

ACTUS TERTIUS.

ANDROMACHA. SENEX. ULYSSES.

Hectoris uxor viso territa filium in tumulo paterno abscondit, quem sagacitate sua Ulysses latebris exutum ad mortem abducit.

Andr. Quid mœsta, Phrygiæ, turba laceratis comas,
Miserumque tunsæ effuso genas
Fletu rigatis? levia perpessæ sumus,
Si flenda patimur. Ilium vobis modo,
Mihi cecidit olim, cum ferus curru incito

Mea

412. *Si flenda*] Levium enim dolorum fletus est, ingentium stupor. *Farn. Modo,*] Iam tandem captis. *Id.*

413. *Mihi cecidit olim,*] Vitium versus non tolerandum. Sed contrahenda pronuntiatione prima vox, quasi esset, Mi cecidit. Neque enim mavis: *Mihi cadit olim.* Gronovius.

414. *Mea*

Mea membra raperet, & gravi gemeret ſono
Peliacus axis pondere Hectoreo tremens.
Tunc obruta atque everſa, quodcumque accidit,
Torpens malis rigenſque, ſine ſenſu fero.
Jam erepta Danais conjugem ſequerer meum,
Niſi hic teneret. hic meos animos domat,
Morique prohibet. cogit hic aliquid deos
Adhuc rogare. tempus ærumnæ addidit.
Hic mihi malorum maximum fructum abſtulit,
Nihil timere. proſperis rebus locus
Ereptus omnis: dira, qua veniant, habent.
Miſerrimum eſt timere, cum ſperes nihil.
Sen. Quis te repens commovit afflictam metus?
Andr. Exoritur aliquod majus è magno malum.
Nondum ruentis Ilii fatum ſtetit.
Sen. Et quas reperiet, ut velit, clades deus?

Andr.

414. *Mea membra*] Mei Hectoris. *Farnabius. Gravi*] Cum Achillis currus ter circum mœnia Troiæ raptaret Hectorem. *Idem.*

416. *Everſa Troia concidit*,] Et hic contra morem Senecæ modulus. non enim fert ille jambum in quinta regione. Duo ſummi viri remedium tentarunt: alter τὸ *Troia* τρισυλλάβως accipiendum prodidit, alter inſerta interjectione, *Troia heu concidit*, ad marginem notavit. Omen dederunt futuræ correctioni, quam præſtat Florentinus: *Tunc obruta atque everſa, quodcumque accidit, Torpens malis rigenſque ſine ſenſu fero.* Ilium mihi olim cecidit, nimirum, cum Hector caderet, cum circa muros traheretur: tum ego everſa & obruta ruinis incidentis mihi calamitatis, quicquid poſtea ſupervenit, non ſenſi tanquam minus. Eleganter autem, *obruta atque everſa.* quod & de homine & urbe recte dicitur. *Gronovius.*

417. *Torpens*] Illis itaque damnis ſtupens, non ſentio urbis excidium, captivitatemque meam. *Farnabius.*

418. *Erepta*] Morte mihi ultro illata aſſererem me in libertatem, niſi hic filiolus meus retineret me in vivis. *Idem.*

422. *Malorum*] Mentis ſecuritatem. nihil ſcil. timere. *Idem.*

423. *Proſperis*] Quoniam itaque adempta melioris ſortis ſpe, non ſunt quibus me reſervem ad ſecunda, obdureſcat animus in adverſis, nec pejora timeat. *Idem.*

425. *Miſerrimum eſt timere,*] Timor enim, cui nihil ſpei admiſtum ſit, deſperationem, malorum maximum, gignit. nam deſperans meliorem ſortem, jacet omnino, neque ſe conatur erigere: & quia illis omnibus abſtinet, quæ ſalutem poſſent adferre, nunquam ex miſeriâ eripitur. *Delrius.*

427. *Majus è magno malum*] Nondum attigit ἀκμὴν. etiam aliquid ultra eſt. *Farnab.* Vt Terentius, *Aliud ex alio malum.* De Homero ſumptum, κακὸν ἐκ κακοῦ αἰεὶ· aut de Apollonio, σχεδόθεν ἢ κακῷ κακόν. *Fabrit.*

429. *Vt velit,*] Si modo velit. dic velle. *Farnabius.*

430. *Sty-*

Andr. Stygis profundæ clauſtra, & obſcuri ſpecus
Laxantur: & ne deſit everſis metus,
Hoſtes ab imo conditi Dite exeunt.
Soliſne retro pervium eſt Danais iter?
Certe æqua mors eſt. turbat atque agitat Phrygas
Communis iſte terror. hic proprie meum
Exterret animum noctis horrendæ ſopor.
Sen. Quæ viſa portent, effer in medium, metus.
Andr. Partes ferè nox alma tranſierat duas,
Clarumque ſeptem verterant ſtellæ jugum:
Ignota tandem venit afflictæ quies,
Breviſque feſſis ſomnus obrepſit genis;
Si ſomnus ille eſt mentis attonitæ ſtupor,

Cum

430. *Stygii profundi clauſtra,*] Quanto ſuavius Etruſcus: *Stygis profundæ:* & mox, *ab imo conditi dite exeunt*, non *tumulo?* Nempe *Styx* & *Dis* auctori nil niſi tumulus, quæ & Horatio *Plutonia domus.* Hæc igitur prima manus: illæ interpretum. *Gronovius.*

432. *Hoſtes*] *Indignanter pro* Hoſtis, id eſt, Achillis umbra Polyxenam ſibi inferias dari petens, ut ſup. Act. 2. *Farnabius.*

433. *Soliſne retro*] Vt hæc vulgo diſtinguuntur, intelligere neminem cauſatus Scaliger, perſonas mutat, & hunc verſum cum dimidiato ſequente attribuit ſeni, quod ſecutus eſt Scriverius. Sed non eſt hæc ſimplex interrogatio percontantis, quod ignorat, verum eſt impetus animi παθόντος τι, & ſaucii, variiſque permotionibus affecti & flagellati: quali nuſquam in tota hac ſcena loquitur ſenex. Malim itaque cum omnibus libris & Flor. Andromachæ iſta relinquere, ſed incluſa parentheſi, tanquam ſuſpirium indignationis: poſt quod continuat inſtitutum ſermonem. *Gronovius.*

434. *Certe*] Cum vero æqua ſit mors, non video quo minus pateat idem Troianis ab inferis iter. *Farnab.*

435. *Terror.*] Ab Achillis umbris injectus de Polyxena. *Idem.*

436. *Noctis*] Ἐνυπνίε ὄψις, ſomnium, ſeu potius ὕπαρ. quod ex narratione & eventu patet. *Idem.*

437. *Quæ viſa*] Φάντασμα, ὄραμα vel χρηματισμός. eſt enim de futuris, ede tua viſa, quæ portent hos metus. *Idem.*

438. *Nox alma*] *Nox* veteribus Dea, teſtibus Orpheo, Heſiodo, Arato; hymnum illi canit Statius 2. Thebaid. ejuſque effigiem ponit Pauſan. in Eliac. laudat hymno peculiari Orpheus. ſiderum alumna Euripidi: *O Nox* (inquit) *nigra, aureorum aſtrorum alumna.* Delrius. *Duas,*] Græci in tres ſtationes ſeu vigilias noctem diſtribuebant: Romani in quatuor; arguit autem veritatem ſomnii à tempore. vid. ſup. verſ. 116. *Farnabius.*

439. *Septem*] Herc. Fur. verſ. 129. *Parrhaſis obliquos Helice cum verteret axes.* Idem.

440. *Ignota*] Miſeræ mihi inſolita. *Idem.*

442. *Si ſomnus ille*] Niſi ſtupor ille mentis attonitæ ſit dicendus potius quam ſomnus, per quem mihi apparuit hoc viſum. *Idem.* Non fruſtra hoc additum. nam, auctore Iamblicho, lib. de myſter.

Cum subitò nostros Hector ante oculos stetit:
Non qualis ultro bella in Argivos ferens
Graias petebat facibus Idæis rates;
Nec cæde multâ qualis in Danaos furens
Vera ex Achille spolia simulato tulit.
Non ille vultus flammeum intendens jubar,
Sed fessus ac dejectus, & fletu gravis,
Similisque nostro, squallida obtectus coma.
Juvat tamen vidisse. tum quassans caput,
Dispelle somnos, inquit, & natum eripe,
O fida conjux. lateat. hæc una est salus.
Omitte fletus. Troia quod cecidit, gemis?
Utinam jaceret tota! festina. amove

Quo-

mysteri. Ægyptior. existimabant divinitus immissa visa, ad aliquid futuri indicandum, vigilantibus; vel saltem medio quodam modo sese habentibus, offerri; non vero ut vulgaria somnia, sopore gravatis. Propterea volunt apud Homerum Odyss. 19. Penelopen Ulyssi dicere suum illud visum, non somnianti sibi, sed (ut aiunt) videnti ac palpanti accidisse; & Pindaricam Palladem Olymp. 13. Bellerophonti jam evigilanti & cernenti frenum aureum dare. quid sibi voluerunt igitur, qui quo somnus profundior, hoc somnia certiora judicarunt; ut Trismegistus in Pimandro, qui se dium illud insomnium tum accepisse narrat, cum tali sopore esset oppressus, quali qui ob satietatem vel defatigationem indormiscunt, quorum somnus non levis, sed gravissimus esse solet; ut Homerus, qui 2. Iliad. Agamemnoni Somnum Deum, sopitis plane sensibus, scribit apparuisse, ut Iamblichus eodem illo opere, qui sententiæ etiam hujus rationem reddit. Nisi fallor, ut somniantium somnia sæpe contraria, sic Iamblichus & Homerus de somniis secum pugnantia commenti sunt. *Delr.*

445. *Graias*] Græcæ classi flammas inferens Troianas. *Farnabius.*

446. *Nec cæde vasta qualis*] Flor. *cæde multa.* Posses velle, *inulta.* Sed & illud satis se tuetur. Florus 4, 6. *Hæc quoque nisi multa fuisset, etiam justa cædes haberetur.* Gronovius.

447. *Vera ex Achille*] Patroclo Achillis armis induto & ab Hectore exuto. *Antith. vera & simulato.* Farn. Hæc ex Virgilio lib. 2. Æneid. *Hei mihi, qualis erat, quantum mutatus ab illo Hectore, qui redit exuvias indutus Achillu, Vel Danaum Phrygios jaculatus puppibus ignes.* Delrius.

448. *Non ille*] Non ille vultus rubicundus seu augustus & Majestate plenus. *Vel* oculi splendore micantes, quos Ion Chius Herculi, Homerus Achilli tribuit. *Farnabius.*

450. *Nostro,*] Vultui. *Id. Squallida obtectus coma.*] Virgilius, de Hectore; *Squallentem barbam & concretos sanguine crines, Vulneraque illa gerens, quæ circum plurima muros Accepit patrios* —— Delrius.

451. *Iuvat tamen vidisse.*] Etiam sic, deformem, squallidum. *Farnab.*

453. *Depelle somnos,*] Flor. *Dispelle.* An ut *dispellere caliginem, tenebras.* Gronovius.

455 *Vtinam*] Vtinam ejus ruinæ modo posito tandem & periodo non ulterius

Quocunque noſtræ parvulam ſtirpem domus.
Mihi gelidus horror ac tremor ſomnum excutit,
Oculoſque nunc huc pavida nunc illuc ferens,
Oblita nati, miſera quæſivi Hectorem.
Fallax per ipſos umbra complexus abit.
O gnate, magni certa prognies patris,
Spes una Phrygibus; unica afflictæ domus,
Veteriſque ſoboles ſanguinis nimium incliti,
Nimiumque patri ſimilis; hos vultus meus
Habebat Hector. talis inceſſu fuit,
Habituque talis, ſic tulit fortes manus.
Sic celſus humeris, fronte ſic torva minax,
Cervice fuſam diſſipans lata comam.
O nate, ſerò Phrygibus, at matri citò,
Eritne tempus illud, ac felix dies,
Quo Troïci defenſor & vindex ſoli,
Recidiva ponas Pergama, & ſparſos fugâ

Cives

ulterius cædes graſſetur. *Farnabius.*

457. *Tremor ſomnum excutit*,] Sic Ovidius: *Species viri turbata ſoporem Excutit.* Flor. tamen, *expulit.* Gron.

460. *Fallax*] *Et fruſtra comprenſa manus effugit imago.* Farnabius.

462. *Spes una*] Vſque ad invidiam & timorem hoſtium, ne ſuperſtes patris & patriæ excidium ulciſcaris. *Id.*

464. *Hos vultus*] *Sic oculos, ſic ille manus, ſic ora ferebat.* Idem.

468. *Diſſipans lata comam.*] Florentinus, *jacta.* Natura hoc affert, ut homines comati levi motu & jactatione cervicis crinem inæqualiter circumfuſum & aliqua in parte conglobatum diſcutiant & in ſuum locum redigant. Nat. quæſt. 1, 17. *Conjugum quidem manu crinis ille, quem effundere olim mos virûm fuit, attrectabatur; ſed illum ſibi ſine ullo artifice formoſi quatiebant, non aliter quam jubam generoſa animalia.* Sic in Herc. Fur. leo *rutilat jubam cervice jactans* (ubi poſſis dubitare, an etiam fuerit; *& rutilat juba cervice jacta.* nam libri alii *jactat*, alii *jactans*) & apud Petronium Theſſali quadrupes ſolet *altas quatere jubas* & Silio bellator equus *excuſſu cervicis aptare jubas* dicitur. Igitur hæc verba pronunciantur cum geſtu Aſtyanactis mota paullum cervice comam diſjicientis. Quod in puero eſt alacritatis ſignum. Hippolyto; *Sic temere jacta colla perfundant comæ.* Sic Δωριῆς τε τειχοϊκτες Grammaticis antiquis, οἱ συνεχῶς τὰς τείχας ἀλλὰ τὸ δεσποτικὸν κινοῦντες. *Gronovius.*

469. *Sero*] In ſubſidium & defenſionem patri. *Farnabius. Phrygibus, at matri cito*] Particula *At* nulla viſitur in Voſſiano, meo & pleriſque aliis codicibus, ut videantur eam fulciendi verſus gratia immiſiſſe. Sed in optimo eſt: *O nate ſero Phrygibus, o matri cito.* Gronov. *Cito*] Mihi enim curæ & ſoliciti timoris cauſa es. ſup. 419. *Farnabius.*

472. *Recidiva ponas Pergama,*] Virgilii eſt lib. 4. *recidiva manu poſuiſſem Perga-*

Cives reducas? nomen & patriæ suum,

Phry-

Pergama victis. lib. 10. *Dum Latium Teucri recidivaque Pergama quærunt.* Est autem *recidivum*, idem quod renatum & à casu resurgens. Frustratur in hac voce lectores Lexicographus, qui audet interpretari bis capta, bis eversa & concidentia. Quippe & *febres recidivas* accipit, in quas liberati denuo relabuntur: easque sic dici non proprie nec ex significatione vocabuli, sed ex appellatione tantum, quasi recidivorum febres, propter illos, qui in eas incidunt & post earundem depulsionem denuo recidunt. Quid est autem, *posuissem victis Pergama recidiva?* Nisi mutilus sermo, si sic intelligendus, qui desideret *reposuissem* vel *iterum posuissem.* Hoc si significaret id vocabulum, vel ominis causa eo abstinuisset. Hostium est, *Bis capti Phryges:* invidiam diis facientium, *bis capte senex.* Immo *posuissem*, inquit, renovata, renascentia, ut recte Servius testatur ad lib. 10. solummodo id *recidivum* dici, quod renascitur. Vult autem id tractum ab arboribus, quæ sectæ repullulant. Idem Isidorus, & videtur id etymon monstrare Mela lib. 3. cap. 6. *subinde recidivis seminibus segetem novantibus*, & Iuvenalis, quum scribit: *recidivus pullulet arca nummus.* Facile enim admitto sic corrigentem ex Mss. Scioppium, quamvis & ipse à cæsis arboribus ac revirescentibus derivet. Item Tertullianus *de recidivo fruticare.* Sed hæc etsi bene dicuntur, tamen qui colligunt inde à silva cædua dictum, moduli secundæ syllabæ immemores fuere. Turnebus, quæ revertuntur & redeunt: ut *recidiva febris*: quod enim restituitur, recidere ac redire videri. Sed hoc etiam est explicandum. Nimirum τὸ *cadere* etsi persæpe mori ac perire significat, tamen est, ubi eam vim habet, quam nasci, provenire, oriri. Et quidem in hominibus animantibusque, quum *matre cadere* & *tellure cadere* dicuntur: in rebus, quum *cadere* est existere. Sic *sorte cadere* dicitur, quod sorte comparatur & existit. Sic Cicero *augurum prædictis multa incredibiliter vera cecidisse:* id est, provenisse. Sic *optatius cadere, melius cadere, opportune, percommode, ex bona fortuna cadere.* Hinc *recidivum*, quod iterum cadit, seu provenit atque nascitur. Neque aliter *recidivæ febres*, quæ postquam cessarunt, resurgunt, & rursus infestant: offensiones ex morbo, ut Cicero loquitur. Tertullianus adversus Marcionem 4, 25. *exsuscitatus ad spem æternæ vitæ per exempla recidivæ.* Rigaltius in Glossario: *Recidiva vita*, mortalis. Quasi *recidivum* esset caducum. Immo restituta mortuis: intelligit enim exempla illorum, quos defunctos Christus à morte excitavit. Monere hoc poterant ejusdem Tertulliani, *recidivatus animarum, recidivatus carnis, recidivatus Iudaici status*, & similia, pro restitutione. Sed maxime placuit hæc vox scriptoribus Christianis, commendata ipso illo suavissimo piis nostri sacramenti dogmate & spe melioris post hanc vitæ. Dracontius in Hexaëmero: *Vita gravis hominum subducitur impete mortis, Quæ recidiva magis vivaci corde resurgit.* Vbi Rivinus Barthium, qui, tanquam singulare & apud auctores non pessimos aliter positum, exposuerat, in pristinum restitutam, & velut excisa stirpe repullulantem, carpit. Quod voluit hanc minus usitatam vim vocis ac singularem, merito notatur: neque enim usquam aliud *recidiva.* At ille quasi hoc confutaturus, sed, inquit, hoc loco *Recidiva* à *recido*, non à *cædo* derivatur, ut apud Paullinum *recidivus Abel.* Quasi aliis locis & quidem apud Paullinum à *cædo*, non à *recido*, derivaretur: quasi hoc illi sententiæ repugnaret: quasi denique *vita recidiva* esset interfecta & quæ concidit. Nihil certius, quam, *Resurgit recidivâ*, esse, resurgit redux, πάλιμβιος, πάλινοστος: perinde ut *recidivus Abel*, alter ac renatus Abel Christus. Vide & Nic. Heinsium ad

Phrygibusque reddas? Sed mei fati memor,
Tam magna timeo vota. quod captis fat eſt,
Vivamus. heu me, quis locus fidus meo
Erit timori? quave te ſede occulam?
Arx illa pollens opibus & muris deûm,
Gentes per omnes clara, & invidiæ capax,

Nunc

Claudiani Idyllia. Florentinus tamen, *Rediviva*, ſolenne vitium codicum in hac voce. Quod etiam poſſet aliquem commovere, ſi verum eſſet, quod ſcribit Scioppius, *redivivum ædificium* eſſe ex veteſto renovatum. Sed hujus ſermonis idoneum auctorem requiro. *Rediviva* proprio vocabulo architectis lapides & materias deſtructo ædificio ita ſalvas exemptas, ut ad aliud ſtruendum utiles ſint. Cicero lib. 1. in Verrem: *Vtrum exiſtimatis minus operis eſſe unam columnam efficere ab integro novam nullo lapide redivivo, an quatuor illas reponere.* Et mox: *Rediviva ſibi habeto. quaſi quidquam redivivi ex opere illo tolleretur, ac non totum opus ex redivivis conſtitueretur.* Leg. 19. C. Theod. de operibus publicis: *non effoſſis nobilium operum ſubſtructionibus, non redivivis de publico ſaxis, non marmorum fruſtis.* Sed aliud eſt *rediviva ſaxa*, aliud *redivivum ædificium*. Nam apud Catullum vehementer ſuſpicor olim ſcriptum fuiſſe: *vereris inepta Crura ponticuli adſulitantis, inrecidivus Ne ſupinus eat, cavaque in palude recumbat.* Gronovius.

474. *Sed mei fati immemor, Tam magna*] Lipſius ſine mentione ſcripti codicis, ut in re certa & clara dixerat, ſententiam poſtulare *memor*. Amicus ejus contra: Memor, inquit, illa timebat: ſed immemor vota fecerat nimis magna, nimis felicia: refer ergo ad præcedentia, & nota periodi ſejunge à ſubſequentibus: videbis non eſſe neceſſariam contextus mutationem. Certe immemor fati ſui Andromache vota illa fecerat. Nunc vero vanitatem eorum agnoſcere ſe fatetur, & redit ad voces convenientes tempori ſuo. Nota periodi quatuor hæc verba ſejungere à ſubſequentibus eſt orationem quandam enervem, elumbem, futilem efficere. Imprudentius Gruterus, ſive præcedentia reſpicias ſive ſubſequentia, firmam manere vulgatam ait. Recte poſuiſſet: *ſed fati mei immemor Tam magna facio vota.* At *timere* non eſt immemoris, ſed omnino *memoris*, ut agnovit Delrius. Habe igitur & à Florent. *ſed fati mei memor Tam magna timeo vota.* Neque enim poſſunt hæc divelli. Sed quum recordor & in memoriam revoco cum meum tum publicum noſtrum fatum, vereor ne improba & ideo irrita optem. Vt in omnem partem hic impingeretur, ecce & Scaliger, etſi admiſiſſet *fati memor*, Sum ſcilicet, & pone τελείεσθαι σιγμὴν, inquit. Tu vero cave facias & in iſtos ſingulos orationem facilem & æquabili tenore fluentem concidas. *Idem.*

475. *Quod captis ſat eſt, Vivamus.*] Quale Terentii: *Modo liceat vivere, eſt ſpes.* Statim Florent. *qui locus fidus*, non *quis*. Idem.

478. *Deûm,*] Neptuni & Apollinis, qui conducti à Laomedonte ſeu Ilo potius, mœnibus cinxere Ilium. ſed & Æaco laboris pars demandata, ne πύργοι θεόδμητοι forent inexpugnabiles. *Farnabius.*

479. *Clara, & invidiæ capax,*] Flor. *& invidiæ gravis.* Amplius hoc. *Capax invidiæ*, cui poteſt invideri: *gravis invidiæ*, cui jam invidetur, quod jamdudum gravatur nec ferre poteſt invidia. *Gronovius. Invidiæ*] Namque *ſumma petit livor.* Farnabius.

482. *Frau-*

Nunc pulvis altus. strata sunt flammâ omnia, 480
Supereſtque vaſta ex urbe ne tantum quidem
Quo lateat infans. quem locum fraudi legam?
Eſt tumulus ingens conjugis cari ſacer,
Verendus hoſti, mole quem immenſa parens
Opibuſque magnis ſtruxit, in luctus ſuos 485
Rex non avarus. optime credam patri.
Sudor per artus frigidus totos cadit.
Omen tremiſco miſera feralis loci.
Sen. Hæc cauſſa multos una ab interitu arcuit;
Credi periſſe. *Andr.* Vix ſpei quidquam eſt ſuper. 490
Grave pondus illum, magna nobilitas, premit.

Sen.

482. *Fraudi*] Dolo ſed non malo. latebris ad filium occulendum. Infrà verſ. 499. *Farnabius.*

483. *Conjugi caro ſacer*,] Florent. Voſſ. meus, Nic. Heinſii codices: *conjugis cari ſacer.* quod ex alio ſuo probavit olim Dan. Heinſius. Vtrum ſic Tacitus lib. 15. ann. 53. *pugionem templo Salutis in Etruria, ſive, ut alii tradidere, Fortunæ Ferentino in oppido detraxerat, geſtabatque velut magni operis ſacrum.* An ſcripſit, *conjugii cari ſacrum.* ut ſupra, *& quondam ſacrum regni.* Gronovius. *Sacer,*] Religioſus. Feſtus ex Gallo Ælio: *Sacrum ædificium conſecratum Deo: ſanctum murum, qui ſit circa oppidum: religioſum ſepulcrum, ubi mortuus ſepultus aut humatus ſit.* tamen ſæpe confunduntur hæc, & ſepulcrum ſacrum, ſanctum, religiotum dicitur. Vide Feſtum in *religioſus.* Delrius.

484. *Verendus*] Cui & hoſtis abſtiner. *Farnabius. Mole*] Quem Priamus in mœrorem, luctuſque, ut evenit, ſuos, nequaquam avarus ſplendidum ſtruxerat. *Idem.*

488. *Omen*] Vereor ne infauſto ſepulchri omine mortem illi prædixerim. *Idem.* Sic Nero in ultimo metu, hortante Phaonte, ut interea in ſpecum congeſta arena concederet, negavit *ſe vivum ſub terram iturum.* Suetonius cap. 48. *Gronovius.*

490. *Vix ſpei quidquam*] Quicquid faſtidiat Gruterus, recte cenſeo perſonas ordinaviſſe Raphelingium: qui hæc verba cum proximo verſu dat Andromachæ, quum vulgo ſint Senis, tertium autem omnem Seni, cujus partem vulgo habet Andromache. Non diſplicet Grutero, ſed nec placet tantopere, ut dignetur ſequi. At nos ſequimur neceſſario. Nam & Florentinus totum, *Ne prodat aliquis, amove,* Seni tribuit; in prioribus Andromachæ relinquit, *Vix ſpei quidquam eſt ſuper,* Seni aſſignat, *Grave pondus.* Sed hæc ſeparari nequeunt & omnino pariter præferunt diverſum prioribus animum: iſta enim, *Hæc cauſa,* ſunt fidentis celari poſſe, hæc deſperantis. Iam ex omnibus circa apparet, Andromachen eſſe, quæ repertum conſilium præ pavore contatur exſequi; Senem vero, qui trepidantem confirmat & excitat. Itaque hoc hemiſtichion dandum Andromachæ cum ſequenti verſu: tertius totus Seni: *Ne prodat aliquis, amove teſtes doli.* cui etiam attribuit illum Florentinus. *Idem.*

491. *Grave pondus illum*,] Cicero 2 fam. 16. *Accedit etiam moleſta hæc pompa lictorum meorum, nomenque imperii,*

Sen. Ne prodat aliquis, amove teſtes doli.
Andr. Si quæret hoſtis? *Sen.* Urbe in everſa periit.
Andr. Quid proderit latuiſſe redituro in manus?
Sen. Victor feroces impetus primos habet.
Andr. Quid? quod latere ſine metu magno nequit?
Sen. Miſer occupet præſidia, ſecurus legat.
Andr. Quis te locus, quæ regio ſeducta, invia
Tutò reponet? quis feret trepidis opem?
Quis proteget? qui ſemper, etiam nunc tuos,
Hector, tuere; conjugis furtum piæ
Serva, & fideli cinere victurum excipe.
Succede tumulo, nate. quid retro fugis,
Turpeſque latebras ſpernis? agnoſco indolem.
Pudet timere. ſpiritus magnos fuge,
Animoſque veteres. ſume quos caſus dedit.
En intuere, turba quæ ſimus ſuper,
Tumulus, puer, captiva. cedendum eſt malis.
Sanctas parentis conditi ſedes, age,
Aude ſubire. fata ſi miſeros juvant,
Habes ſalutem. fata ſi vitam negant,
Habes ſepulchrum. *Sen.* Clauſtra commiſſum tegunt.
Quem ne tuus producat in medium timor,
Procul hinc recede, teque diverſam amove.
And. Levius ſolet timere, qui propius timet.
Sed, ſi placet, referamus hinc alio pedem.

Sen.

perii, quo appellor. Eo ſi onere carerem, quamvis parvis Italiæ latebris contentus eſſem. Seneca de benef. 2, 27. *pauperiatem ſub onere nobilitatis laborantem.* Quintilianus decl. 259. *Facilius eſt egeſtatem ferre in hac natis. Me onerat majorum meorum dignitas, onerat prioris conſuetudo vitæ, onerat etiam fama.* Gronovius.

493. *Perit.*] Dic, periiſſe. *Farnab.*

494. *Quid*] Quid proderit ad tempus latuiſſe, ſi poſtmodum in manus hoſtium ſit venturus. *Idem.*

497. *Occupet*] Obvia quæque & quæ occurrerint præſidia capeſſat, arripiat. *Idem. Legat.*] Eligat. *Idem.*

504. *Indolem.*] Fortitudinem velut à patre hereditariam, quæ formidare & formidabilia effugere neſcit. *Idem.*

506. *Veteres*] Priotis fortunæ. *Id.*

507. *Quæ ſimus ſuper,*] Quæ ſupersumus. *Idem.*

508. *Tumulus,*] Paternus. *Idem. Puer,*] Tu. *Idem. Captiva.*] Ego. *Idem.*

518. *Dux*]

Sen. Cohibe parumper ora, queſtuſque opprime.
Greſſus nefandos dux Cephallenûm admovet.
Andr. Dehiſce tellus, tuque conjux ultimo
Specu revulſam ſcinde tellurem, & Stygis
Sinu profundo conde depoſitum meum.
Adeſt Vlyſſes; & quidem dubio gradu
Vultuque. nectit pectore aſtus callidos.
Vlyſſ. Duræ miniſter ſortis, hoc primum peto,
Ut ore quamvis verba dicantur meo,
Non eſſe credas noſtra. Grajorum omnium
Procerumque vox eſt, petere quos ſeras domos
Hectorea ſoboles prohibet. hanc fata expetunt,
Sollicita Danaos pacis incertæ fides
Semper tenebit, ſemper à tergo timor
Reſpicere coget; arma nec poni ſinet,
Dum Phrygibus animos natus everſis dabit,
Andromacha. *Andr.* Veſter augur hoc Calchas canit?
Vlyſſ. Et ſi taceret augur hæc Calchas, tamen
Dicebat Hector; cujus & ſtirpem horreo.
Generoſa in ortus ſemina exurgunt ſuos.
Sic ille magni parvus armenti comes,
Primiſque nondum cornibus findens cutem,

Cer-

518. *Dux*] Vlyſſes. *Idem. Cephallenûm*] Pop. Cephallenes inſulæ Ionii maris, qui Vlyſſem ſecuti ſunt ad Troiam. Αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς ἦγε Κεφαλλῆνας μεγαθύμους. *Farnabius.*

519. *Dehiſce*] Diſcede, & pande ſinus tuos, ut puero latebras præbeas. *Delrius.*

520. *Scinde tellurem Stygis*] Mirum quæ illa *tellus Stygis.* Scribe cum Flor. *ſcinde tellurem, & Stygis Sinu profundo conde depoſitum meum.* Gron.

522. *Dubio*] Cunctabundo, ancipiti κυνηγετοῦντι καὶ μετρουμένῳ ἴχνη νεοχάρακτα. *Farnabius.*

524. *Miniſter*] Talthybius in Troad. Euripid. μή με στυγήσῃς, οὐχ ἑκὼν γὰρ ἀγγελῶ Δαναῶντε κοινὰ Πελοπιδῶν τ' ἀγγέλματα. Solenne vero eſt mali nuncii miniſtris mandatum præfatione molliendo, culpam à ſe avertere in alios rejectam. *Idem.*

527. *Seras*] Sero reviſendas. *Id.*

530. *A tergo*] Ne ſequatur ultor. *Idem.*

532. *Natus*] Tuus ô Andromacha. *Idem.*

535. *Dicebat*] Rebus clare geſtis præeundo. forte verbis. *Idem.*

536. *In ortus*] Vt parentes ſuos referant. *Idem.*

538. *Findens*] Vitulus *nondum rupta fronte, qui vexat naſcenti robora cornu.* Idem.

Cervice subitò celsus, & fronte arduus,
Gregem paternum ducit, ac pecori imperat.
Quæ tenera cæso virga de trunco stetit,
Par ipsa matri tempore exiguo subit,
Umbrasque terris reddit, & cœlo nemus.
Sic male relictus igne de magno cinis
Vires resumit. est quidem injustus dolor
Rerum æstimator: si tamen tecum exigas,
Veniam dabis, quod bella post hyemes decem
Totidemque messes jam senex miles timet,
Aliasque clades rursus, ac numquam bene
Trojam jacentem. magna res Danaos movet,
Futurus Hector. libera Grajos metu.
Hæc una naves causa deductas tenet;
Heic classis hæret. neve crudelem putes,
Quod sorte jussus Hectoris natum petam;
Petissem Orestem, patere quod victor tulit.
Andr. Utinam quidem esses, nate, materna in manu;
Nossemque quis te casus ereptum mihi
Teneret, aut quæ regio. non hostilibus

Con-

540. *Paternum*] Quem taurus pater duxerat. *Farnabius.*

542. *Matri*] Arbori, è qua hic surculus seu planta fuit avulsa aut excisa. *Idem.*

544. *Male*] Incaute, *ut solet à ventis alimenta resumere, quæque Parva subinducta latuit scintilla favilla Crescere & in veteres agitata resurgere vires.* Idem.

545. *Est quidem*] Dolor est injustus æstimator rerum. *Idem.*

546. *Exigas,*] Si rectè putes omnia.

547. *Bella*] Nova, alia. *Farnab.*

549. *Nunquam*] Non funditus & radicitus eversam, superstite Astyanacte in novi belli semina, ut quondam Priamo. *Idem.*

551. *Futurus*] Filius tuus futurus alius Hector. *Idem. Libera nos hoc metu.*] Cum Lipsiano Etruscus: *libera Grajos metu.* Sic Medea: *Tecum aufer herbas, libera cives metu.* Iustinus lib. 31. *eum per æmulos ejus interficeret, metuque invisi nominis tandem populum Romanum liberaret.* Gronov.

552. *Deductas*] E litore, & ad navigandum paratas. *Farnab. Tenet*] Moratur. *Idem.*

554. *Quod sorte*] Sorte huic ministerio delegatus. suprà vers. 522. vel dicta per carmina sorte, id est, oraculo, à Calchante effato sup. vers. 366, Oed. 291. *Idem. Hectoris*] Hostis mihi. *Idem.*

555. *Orestem.*] Etiam Agamemnonis imperatoris nostri filium. *Idem. Quod victor*] Quod Agamemnon in filia Iphigenia suprà vers. 161. *Idem.*

558. *Non hostilibus*] Nullum me genus cruciatus cogeret, ut filium proderem. *Idem.*

561. *Flam-*

Confossa telis pectus, aut vinclis manus
Secantibus præstricta, non acri latus
Utrumque flammâ cincta, maternam fidem
Umquam exuissem. nate, quis te nunc locus,
Fortuna quæ possedit? errore avio
Vagus arva lustras? vastus an patriæ vapor
Corripuit artus? sævus an victor tuo
Lusit cruore? numquid immanis feræ
Morsu peremptus pascis Idæas aves?
Ulyss. Simulata remove verba. non facile est tibi
Decipere Ulyssem. vicimus matrum dolos,
Etiam dearum. cassa consilia amove.
Ubi natus est? *Andr.* Ubi Hector? ubi cuncti Phryges?
Ubi Priamus? unum quæris. ego quæro omnia.
Ulyss. Coacta dices, sponte quod fari abnuis.
Andr. Tuta est, perire quæ potest, debet, cupit.
Ulyss. Magnifica verba mors prope admota excutit.
Andr. Si vis, Ulysse, cogere Andromacham metu,
Vitam minare. nam mori votum est mihi.
Ulyss. Verberibus, igni, morte, cruciatu, eloqui
Quodcunque celas, adiget invitam dolor,
Et pectore imo condita arcana eruet.

Ne-

561. *Flammâ cincta*,] Veteres flammam & ignem ad exprimendum, quod volebant, quæstionibus adhibuisse, ex Martyrum historiis patet à Prudentio & aliis compositis: & Lucretio; *Verbera, carnifices, robur, pix, lamina, tæda.* Delrius.

564. *Vapor*] Incendio mixtus fumus. *Farnabius.*

566. *Lusit cruore?*] Per ludibrium te tantulum interfecit. *Idem.*

567. *Idæas*] Troianas vel in monte Ida. *Idem.*

569. *Ulyssem.*] Emphasis qui æstuans πολύμηλος, ποικιλόμηλος. *Idem.*

Matrum] Clytæmnestræ, cum peteret Iphigeniam, suprà vers. 161. & Thetidos cum Achillem explorarem. suprà vers. 211. *Idem.*

570 *Dearum.*] Pro Deæ, id est, Thetidos, quamvis enim & Palladis simulacrum sustulerit, nihil tamen hoc ad matrum dolos. *Idem.*

571. *Ubi Hector?*] Quasi vero difficile sit puerum perire, cum Hector, Phryges omnes, Priamus perierint. *Idem.*

574. *Tuta est,*] Quæ potest, debet cupitque mori, secura est. *Idem.*

578. *Morte, cruciatu,*] Minimè verò in eorum sententiam eo, qui malunt, *mortis cruciatu.* quod nec libri, quos vidi, præferunt; nec patitur versus. Et sanè haud credam Vlyssem tam arti-

Necessitas plus posse, quam pietas, solet.
Andr. Propone flammas, vulnera & diras mali
Doloris artes, & famem, & sævam sitim,
Variasque pestes undique, & ferrum inditum
Visceribus ustis, carceris cœci luem,
Et quidquid audet victor iratus, tumens:
Animosa nullos mater admittit metus.
Vlyss. Stulta est fides, celare quod prodas statim.
Hic ipse, quo nunc contumax perstas, amor
Consulere parvis liberis Danaos monet.
Post arma tam longinqua, post annos decem,
Minus timerem quos facit Calchas metus,
Si mihi timerem. bella Telemacho paras.
Andr. Invita Ulyssi gaudium ac Danais dabo.
Dandum est. fatere, quos premis luctus, dolor.
Gaudete Atridæ; tuque lætifica, ut soles,
Refer Pelasgis. Hectoris proles obiit.

Vlyss.

articulate pensitasse quid minaretur, ut mortem distingueret à cruciatu mortis. *Raphelingius.*

582. *Stulta est fides,*] Omnes illæ membranæ, quarum fide huc transtulit hunc versum Delrius, quasque sequitur Gruterus, sunt vitiosæ. Plane sensus Vlyssis absoluti sunt præcedenti versu: hic alius est, cui nihil cum prioribus commune. Cæterum ut adducit Raphelingius, ita prorsus optimus liber & noster, & ita restituendum, omisso labore conjectandi. *Gron. Fides.*] Silentium. *Farnabius.*

587. *Iratus, tumens.* VL. *Animosa nullos*] Hic post magna illa verba Andromaches, quibus contemnit minas tormentorum, interfatur muliebris inconstantiæ gnatus Vlysses: VL. *Stulta est fides, celare quod prodas statim.* Quasi dicat: mox adhibitis tormentis excident tibi illi spiritus, & tamen fateberis: stulte igitur nunc celas, quem statim proditura es. At illa absolvens priorem sensum, quem Vlysses interruperat: AN. *Animosa nullos mater admittit metus.* Sic enim præfixo rubrica Andromaches nomine & vetustissimus & meus liber, ne quis credat Grutero, τὸ *admittit* nuper natum esse. Nec profecto Vlyssi convenit tali laudatione prosequi contumaciam mulieris & ultro excitare, quam omnia facit, ut frangat. Quod sequitur, *Hic, ipse,* dant Vlyssi libri iidem, cujus etiam vulgo est, & est sine controversia. *Gronovius.*

589. *Hic ipse,*] Amoris iste affectus, quo tam pertinaciter filio tuo prospicis, & nos monet nostris æque consulere. *Farnabius.*

591. *Longinqua,*] Procul à patria. *Id.*

592. *Facit*] Vaticinatur. *Idem.*

593. *Telemacho*] Filio meo. si superstit Astyanax in ultionem. *Idem.*

594. *Invita Vlyssi gaudium ac*] Fl. *Invita, Vlyxe, gaudium Danais dabo.* Gronovius.

595. *Fatere,*] Fatere, ô dolor, luctus quos premis. *Farnabius.*

599. *Ita*

Vlyss. Et esse verum hoc qua probas Danais fide?
Andr. Ita quod minari maximum victor potest,
Contingat, & me fata maturo exitu
Facilique solvant, ac meo condant solo,
Et patria tellus Hectorem leviter premat;
Ut luce caret, ut inter extinctos jacet,
Datusque tumulo debita exanimis tulit.
Vlyss. Expleta fata stirpe sublata Hectoris,
Solidamque pacem lætus ad Danaos feram.
Quid agis, Ulysse? Danaidæ credent tibi?
Tu cui? parenti. fingit an quisquam hoc parens,
Nec abominandæ mortis auspicium pavet?
Auspicia metuunt, qui nihil majus timent.
Fidem alligavit jurejurando suam.
Si pejerat, timere quid gravius potest?
Nunc advoca astus, anime; nunc fraudes, dolos,

Et

599. *Ita quod minari*] Etipsum sophistam Vlyssem pene capit ambigui sacramenti fallacia, dum jurat mater filium (in tumulo abditum) luce carere & inter extinctos jacere. *Farnab.*

601. *Meo condant*] Patrio solo, nec abducar captiva. *Idem.*

602. *Leviter*] Vide ultimum vers. Hippolyti. *Idem.*

604. *Debita*] Exequias, justa debita mortuis. *Idem.*

608. *Fingit an quidquam parens,*] Stupidum Vlyssem & obliviosum, si dubitabat, an parentes fingerent. Hiccine est, qui vicit matrum dolos, etiam dearum? Absit ut eum talem repræsentarit Seneca. Scribe cum optimo: *fingit an quisquam hoc parens?* An quisquam parens, sive pater sive mater, tam irreligiosus & ominum contemptor, ut celandi filii causa simulet eum mortuum? nec metuat, hanc simulationem posse esse omen futuri exitii, posse in rem verti. Passim vestigia superstitionis hujus veterum. *Gronovius.*

609. *Auspicium*] Omen mortis immaturæ duræque & malorum quibus se jurejurando devovet. *Farnabius.*

610 *Auspicia metuunt,*] Neque per interrogationem neque per ironiam hoc exaudiendum, ut volunt. Vere enim auspicia & religiones metuunt, quibus alius nullus præsentior metus incumbit. Secus εἰς οἰωνὸς ἄριστος non solum ἀμύνασθαι περὶ πάτρης aut περὶ παίδων, sed quocumque modo sibi & suis rebus consulere. Et ut Fabius dicebat, salvis auspiciis geri, quæ pro republica gererentur, sic privati pro bene ominatis habent in periculo, quæcunque dant spem salutis. Silius lib. 4. Punic. inserit de infanticidio Pœnorum: cui fingit sorte destinatum Hannibalis filium, & cupisse illos quidem religioni parere: *Sed,* inquit, *propior metus armati ductoris abira, &c.* Hoc & Lucanus ostendit lib. 3. ubi lucus ad Massiliam succiditur: *Paruit imperiis omnis turba,* inquit, *non sublato secura pavore, sed expensa superorum & Cæsaris ira.* Gron.

Et totum Ulyssem. veritas nunquam perit.
Scrutare matrem. mœret, illacrimat, gemit,
Et huc & illuc anxios gressus refert,
Missasque voces aure sollicita excipit.
Magis hæc timet, quam mœret. ingenio est opus.
Alios parentes alloqui in luctu decet:
Tibi gratulandum est, misera, quod nato cares,
Quem mors manebat sæva, præcipitem datum
E turre, lapsis sola quæ muris manet.
Andr. Me liquit animus, membra quatiuntur, labant,
Torpetque vinctus frigido sanguis gelu.
Vlyss. En tremuit. hac, hac parte quærenda est mihi.
Matrem timor detexit, iterabo metum.
Ite, ite, celeres. fraude materna abditum
Hostem Pelasgi nominis, pestem ultimam,
Ubicunque latitat, erutam in medium date.
Bene est. tenetur. perge, festina, attrahe.
Quid respicis, trepidasque? jam certe perit.
Andr. Utinam timerem! solitus ex longo est metus.
Dedisci animus serò, quod didicit diu.
Vlyss. Lustrale quoniam debitum muris puer

Sa-

614. *Et totum Vlyssem.*] Florent. *nunc fraudes, dolos, Nunc totum Vlyssem.* Deinde: *veritas nunquam perit.* Efficacius quam *latet.* Nunquam extinguitur sive potentia sive dissimulatione: semper emergit, exseritque se, utcumque pressa, aliquibus indiciis. *Gronovius. Totum*] Omnes Vlyssis artes, technas, astus. *Farnabius.*

615. *Scrutare*] *Hæc secum, muliebris gestum advertens.* Idem.

619. *Alios*] *His Andromachamsubdole affatur.* Idem. *Alloqui*] Consolari. *alloquio curæ parte levare decet.* παραμυθεῖσθαι. *Idem.*

625. *En tremuit.*] Flor. & Heinsiani, ut Mog. & quidam apud Comel. *Intremuit.* Virgilius: *intremere omnem Murmure Trinacriam.* Gronov. *Hac,*] Per timorem. *Farnabius.*

627. *Ite,*] *Comites seu famulos alloquitur.* Idem.

630. *Bene est.*] Fingit puerum inventum ab aliquo è suis abduci à tergo Andromachæ, quod illa timens respicit trepide, unde illam filium occulisse conjicit. *Idem.*

632. *Vtinam*] Excusat metum à metu diuturno profectum, non à justa causa, inquiens, utinam mihi viveret filius esset que veri timoris causa! *Idem.*

634. *Lustrale*] Vt mulierem penitus excutiat, metum illi adauget, fingitque jubere Calchantem undas Hectoris cineribus placare, si minus inveniatur puer. *Idem. Debitum*] De turre dejiciendum. *Idem.*

636. *Me-*

Sacrum anteceſſit; nec poteſt vatem ſequi
Meliore fato raptus: hoc Calchas ait
Modo piari poſſe redituras rates,
Si placet undas Hectoris ſparſi cinis,
Ac tumulus imo totus æquetur ſolo.
Nunc ille quoniam debitam effugit necem,
Erit admovenda ſedibus ſacris manus.
Andr. Quid agimus? animum diſtrahit geminus timor:
Hinc gnatus, illinc conjugis cari cinis.
Pars utra vincet? teſtor immites deos,
Deoſque veros, conjugis manes mei,
Non aliud, Hector, in meo nato mihi
Placere, quam te. vivat, ut poſſit tuos
Referre vultus. prorutus tumulo cinis
Mergetur? oſſa fluctibus ſpargi ſinam
Diſjecta vaſtis? potius hic mortem oppetat.
Poteris nefandæ deditum mater neci
Videre? poteris celſa per faſtigia
Miſſum rotari? potero. perpetiar, feram,
Dum non meus poſt fata victoris manu
Jactetur Hector. hic ſuam pœnam poteſt
Sentire; at illum fata jam in tuto locant.
Quid fluctuaris? ſtatue, quem pœnæ extrahas.
Ingrata, dubitas? Hector eſt illic tuus.

Er-

636. *Meliore*] Mitiore, quam ut de turre præcipitaretur. *Farnab.*

641. *Sedibus*] Sepulchro Hectoris. Sepulchra autem violare nefas, omniumque nationum ritibus & legibus cautum. *Idem.*

642. *Quid agimus?*] *Hæc ſecum.* Idem.

643. *Conjugis cari cinis.*] Flor. *ſacri.* Non male. Plinius de terra: *noviſſime complexa gremio jam à reliqua natura abdicatos, tum maxime ut mater operiens, nullo magis ſacra merito, quam quod nos quoque ſacros facit.* Apud Silium Marus ad Reguli filium: *ſacer ille & numine nullo Inferior, tuus illa parens.* Sed præcedit, *ſedibus ſacris.* Et infra, *Maneſque cari.* Gronovius.

645. *Manes mei,*] Præcipuo honore veteres colebant deos domeſticos & ſuorum lares. *Farnabius.*

647. *Quam te.*] Quam quod te referat. *Idem.*

648. *Prorutus*] Fluctuat metu dubia mulier, nec cogitat erui non poſſe cineres ſalvo filio in tumulo abſcondito. *Idem.*

650. *Hic*] Aſtyanax. *Idem.*

656. *Illum*] Hectorem. *Idem.*

659. *Hic*

Erras. utrimque est Hector. hic sensus potens,
Forsan futurus ultor extincti patris.
Utrique parci non potest. quidnam facis?
Serva è duobus, anime, quem Danai timent.
Vlyss. Responsa peragam. funditus busta eruam.
Andr. Quæ vendidistis? *Vlyss.* Pergam, & è summo aggere
Traham sepulchra. *Andr.* Cælitum appello fidem,
Fidemque Achillis. Pyrrhe, genitoris tui
Munus tuere. *Vlyss.* Tumulus hic campo statim
Toto jacebit. *Andr.* Fuerat hoc prorsus nefas
Danais inausum. templa violastis, deos
Etiam faventes. busta transierat furor.
Resistam. inermes offeram armatis manus.
Dabit ira vires. qualis Argolicas ferox
Turmas Amazon stravit; aut qualis deo
Percussa Mænas, entheo silvas gradu
Armata thyrso terret, atque expers sui
Vulnus dedit, nec sensit; in medios ruam,
Tumuloque cineris socia defenso cadam.
Vlyss. Cessatis? & vos flebilis clamor movet,
Furorque cassus fœminæ? jussa ocius
Peragite. *Andr.* Me, me, sternite heic ferro prius.

Re-

659. *Hic sensu potens,*] Flor. Heins. Voss. Egu. Delrii *sensus*. Compos animi & mentis. Nam de inferis dubitabant: *Si quis manibus sensus*. Gronovius. *Sensu potens,*] Vivus. *Farnabius.*

663. *Busta*] Tumulum in quo cadaver ustum & cinefactum. proprie enim cadaveris crematio *Bustum* dicitur ab antiquo Buro à πυρόω, locus *Vstrina*. operis extructio *Sepulchrum*. Inscriptio *Monumentum*. strues lignorum, *Rogus*. Ignis inflammatus, *Pyra*. apparatus mortuorum, *Funus*. Idem.

664. *Quæ vendidistis*] Corpus Hectoris, mortui Achillis locum sepulchro exstruendo Græci vendiderunt. *Idem.*

668. *Fuerat*] Hactenus à sepulchris violandis abstinuistis, cætera ut furiosi. *Idem.*

672. *Qualis*] *Quales Threiciæ cum flumina Thermodontis Pulsant & pictis bellantur Amazones armis, Seu circum Hippolyten, seu cum se Martia curru Pentheſilea refert.* Idem.

673. *Deo*] Furore Bacchico percita. *Idem.*

674. *Mænas,*] Agave. Theb. v. 17. & Oedip. vers. 616. *Idem. Entheo*] Afflatu numinis acta. Oed. vers. 628. *Id.*

675. *Expers*] Mente abalienata, animi impos. *Idem.*

681. *Re-*

Repellor? heu me! rumpe fatorum moras.
Molire terras, Hector, ut Ulyssem domes.
Vel umbra satis est. arma concussit manu.
Jaculatur ignes. cernitis Danai Hectorem?
An sola video? *Vlyss.* Funditus cuncta erue.
Andr. Quid agis? ruinâ mater & gnatum & virum
Prosternis unâ. forsitan Danaos prece
Placare poteris. conditum elidet statim
Immane busti pondus. intereat miser,
Ubicunque potius, ne pater gnatum obruat,
Prematque patrem gnatus. ad genua accido
Supplex, Ulysse, quamque nullius pedes
Novêre dextram, pedibus admoveo tuis.
Miserere matris, & preces placidus pias
Patiensque recipe; quoque te celsum altius
Superi levarunt, mitius lapsos preme.
Misero datur quodcunque, fortunæ datur.

Sic

681. *Repelle avernum*] Olim monuimus legendum: *Repellor? heu me! rumpe fatorum.* Id confirmavit optimus cum alio præterea ejusdem bibliothecæ, & duo Foxienses Tholosates: quamvis alter horum: *Repellet heu me.* Vide lib. 2. Observ. 19. *Gronovius.*

682. *Molire*] Αρεξον, ἐλθὲ, καὶ σκιὰ φάνηθί μοι. Eurip. *Farnabius.*

683. *Vel umbra satis est.*] Grotius: *Vel umbra satis es.* Ex Hercule Furente Euripidis sumpsit: Αρεξον, ἐλθὲ, καὶ σκιὰ φάνηθί μοι· Αλις γὰρ ἐλθὼν ἱκανὸν ἀνηγένοιο σύ. *Gronov. Arma*] *Vel* in eorum terrorem fingit, *vel* per phantasiam videtur cernere Hectorem. *Farnabius.*

684. *Iaculatur*] Vt quondam, naves Græcorum flammis petens. *Idem.*

688. *Conditum*] Filium absconditum. *Idem.*

689. *Intereat*] Vel de turre præcipitatus aut ubicunque, modo ne in patris sepulchro. *Idem.*

691. *Ad genua*] Verecundiæ veteres frontem assignabant, impudentiæ os, sagacitati vel irrisioni nasum, judicio autem, fastui supercilium, virtuti & fidei dextram, misericordiæ genua, quæ illius cui se supplices ingererent, contingebant, ut & caput, seu mentum, & dextram. velut τὸ ἡγεμονικὸν, τὸ πρακτικὸν, καὶ τὸ κινητικὸν, Symbola consensus actionis & progressus ad præstanda, quæ petuntur. *Idem.*

697. *Misero datur*] Ita Mss. & typis editi omnes; distinguendum autem post *quodcunque*, non post *datur*, hoc sensu: quicquid misero datur, id Fortunæ datur; ut si quando ipse miser fias, illa tibi beneficium acceptum referre jure teneatur. *Commel. Fortunæ*] Par relaturæ illi qui succurrit miseris, lubricæ fortunæ memor. Lips. autem legit *Miseræ datur quodcunque fortunæ, datur.* q. d animo vere liberali datur, non aucupante & retributionem sperante. *Farnabius.*

698. *Sic*

Sic te reviſat conjugis ſanctæ torus,
Annoſque, dum te recipit, extendat ſuos
Laërta! ſic te juvenis excipiat tuus,
Et vota vincens veſtra felici indole,
Ætate avum tranſcendat, ingenio patrem!
Miſerere matris. unicum afflictæ mihi
Solamen hoc eſt. *Vlyſſ.* Exhibe gnatum, & roga.
Andr. Huc è latebris procede tuis,
Flebile matris furtum miſeræ.
Hic puer, hic eſt terror, Ulyſſe,
Mille carinis. ſubmitte manus,
Dominique pedes ſupplice dextra
Stratus adora: nec turpe puta,
Quidquid miſeros Fortuna jubet.
Pone ex animo reges atavos,
Magnique ſenis jura per omnes
Inclita terras. excidat Hector.
Gere captivum; poſitoque genu,
Si tua nondum funera ſentis,
Matris fletus imitare tuæ.
Vidit pueri regis lachrimas
Et Troia prior, parvuſque minas
Trucis Alcidæ flexit Priamus.
Ille, ille ferox, cujus vaſtis

Vi-

698. *Sic te reviſat*] Sic tu reviſas thorum. *Hypallage.* Farnab. *Conjugis*] Penelopes caſtæ & reditum tuum expectantis. *Idem.*

700. *Laërta!*] Pater tuus. *Idem.* *Iuvenis*] Telemachus filius. *Idem.*

702. *Avum*] Laërtem. *Idem.*

704. *Exhibe*] Iuridicum & ſolemne vocabulum. vide D. de liberis exhibendis. *Delrius.*

707. *Hic puer, hic eſt terror.*] Flor. *Hic eſt, hic eſt, terror.* Gron. *Terror,*] Iam enim à Græcis metuebatur. Auſonius: *Flos Aſiæ, tantaque unus de gente ſuperſtes Parvulus; Argivûm ſed jam de patre timendus, Hic jaceo Aſtyanax, Scæis dejectus ab altis.* Delrius.

713. *Magnique*] Priami. *Farnab.*

714. *Hector.*] Memoria, *vel* indoles & virtus Hectoris. *Idem.*

715. *Gere*] Geſtu te præbe, gere te more captivi. *Idem.*

716. *Si tua*] Si forte non intelligis malum tuum & mortem paratam. *Id.*

718. *Pueri*] Priami cum pueri futuri regis. ſuprà 129. *Idem.*

719. *Prior,*] Hoc eſt, prius; veluti *ſerus* pro *ſerò.* Delrius.

720. *Alcidæ*] Hercul. Fur. v. 356. *Farnabius.*

722. *Fe-*

Viribus omnes cessere feræ:
Qui perfracto limine Ditis
Cœcum retro patefecit iter,
Hostis parvi victus lacrimis,
Suscipe, dixit, rector, habenas,
Patrioque sede celsus solio,
Sed sceptra fide meliore tene.
Hoc fuit illo victore capi.
Discite mites Herculis iras.
An sola placent Herculis arma?
Jacet ante pedes non minor illo
Supplice supplex; vitamque petit.
Regnum Troiæ, quocumque volet,
Fortuna ferat.

721. *Feræ:*] Monstra domita. *Farn.*
725. *Hostis*] Priami. *Idem.*
726. *Habenas,*] Gubernacula, imperium. *Idem.*
728. *Meliore*] Quam pater Laomedon, qui per fidem primum Deos urbis munitores promissa mercede, mox Herculem equis propter liberatam à monstro marino Hesionem pactis fraudavit. Suprà vers. 131. *Idem.*
729. *Hoc fuit illo victore capi.*] Sic omnes ad unum veteres libri. Scaligero excidit melius fore: *Profuit illo.* quod nimis præcipites ad recipiendum in editos viri docti fuere. Nos illud tenemus defendimusque 2 Observ. 19. Florus 1, 12. *Hoc tunc Vejentes fuere. Gronovius.*
731. *An sola*] An Hercul. sagittæ in expugnanda Troja solæ placent vobis? annon & mores, misericordia & clementia? *Farnabius.*
732. *Illo*] Priamo. *Idem.*
733. *Supplex;*] Astyanax. *Idem.*

VLYSSES. ANDROMACHA. ASTYANAX.

Precibus minas & diras miscet Andromache, Vlyssem orans nec exorans.

Vlyss. Matris quidem me mœror attonitæ movet:
Magis Pelasgæ me tamen matres movent,
Quarum iste magnos crescit in luctus puer.
Andr. An has ruinas urbis in cinerem datas
Hic excitabit? hæ manus Troiam erigent?

739. *An has ruinas urbis in, &c.*] Emphasis, ut suprà vers. 474. *Farnabius.*
740. *Hic excitabit?*] Infans, puellus Τροίαν ποτε Πεσόυσαν ὀρθώσειν. Eurip. *Idem.*

Nul-

741. *Ta-*

Nullas habet ſpes Troia, ſi tales habet.
Non ſic jacemus Troës, ut cuiquam metus
Poſſimus eſſe. ſpiritus genitor facit?
Sed nempe tractus. ipſe poſt Troiam pater
Poſuiſſet animos, magna quos frangunt mala.
Si pœna petitur, quæ peti gravior poteſt?
Famulare collo nobili ſubeat jugum.
Servire liceat. aliquis hoc regi negat?
Vlyſſ. Non hoc Ulyſſes. ſed negat Calchas tibi.
Andr. O machinator fraudis, ô ſcelerum artifex,
Virtute cujus bellica nemo occidit;
Dolis & aſtu maleficæ mentis jacent
Etiam Pelaſgi; vatem & inſontes deos
Prætendis? hoc eſt pectoris facinus tui,
Nocturne miles, fortis in pueri necem.
Jam ſolus audes aliquid, & claro die.
Vlyſſ. Virtus Ulyſſis Danaidis nota eſt ſatis,
Nimiſque Phrygibus. non vacat vanis diem

Con-

741. *Tales habet.*] Tam macras, lentas, exiles. *Farnabius.*

742. *Non ſic*] Imo tam funditus deleti, ut non amplius timeudi ſimus. *Idem.*

743. *Genitor*] Hector. *Idem.*

744. *Tractus.*] Raptatus curru. vet. poëta: *Vidi, videre quod me paſſa ægerrumè, Hectorem curru quadrijugo raptarier.* Virgilius & Latini poëtæ ter circum muros Ilii; Homerus lib. 22. & 24. Iliad. uſque ad naves, & poſtea ter circum Patrocli tumulum raptatum ſcribit. *Delrius.*

747. *Famulare jugum.*] Servitutis onus. *Farnabius.*

748. *Regi negat?*] Regia ſtirpe edito, regni hæredi, ἀξιάναξι. *Idem.*

749. *Calchas tibi.*] Deorum oraculum, cujus interpres Calchas. *Idem.*

750. *O machinator*] Deplorata ſalutis ſpe ſe ad convitia in vindictam convertit. *Idem. O ſcelerum artifex,*] Flor. *& ſcelerum.* Gronovius.

753. *Pelaſgi;*] Iphigenia ſup. v. 567. Palamedes falſa proditionis accuſatione oppreſſus: & Ajax in contentione de armis Achillis victus. *Farnabius. Vatem*] Calchanta & deos hoc non jubentes. *Idem.*

755. *Nocturne*] Qui noctu ſolum expeditiones ſeu furta potius exerces, ut in rapiendo Palladio & Rheſi tentoriis deprehendendis. Sup. verſ. 38. *Idem.*

756. *Solus audes*] Sine Diomede comite. *Idem.*

757. *Virtus Vlyſſis nota Danais eſt*] Flor. Voſſ. Heinſ. minor noſter: *Danais nota eſt.* Heinſianus major manu prima, *Danaidis.* Atque ita legendum: *Virtus Vlyſſis Danaidis nota eſt ſatis.* Supra: *Quid agis Vlyſſe? Danaidæ credent tibi?* Euripides Hecuba: Ταλθύβιε, ἥκω, Δαναΐδων ὕπηρέτης. Gronovius.

759. *Le-*

Conterere verbis. anchoras classis legit.
Andr. Brevem moram largire, dum officium parens
Gnato supremum reddo, & amplexu ultimo
Avidos dolores satio. *Vlyss.* Misereri tui
Utinam liceret! quod tamen solum licet,
Tempus moramque dabimus. arbitrio tuo
Implere lacrimis. fletus ærumnas levat.
Andr. O dulce pignus! ô decus lapsæ domus!
Summumque Troiæ funus! ô Danaûm timor!
Genetricis ô spes vana! cui demens ego
Laudes parentis bellicas, annos avi
Medios precabar: vota destituit deus.
Iliaca non tu sceptra regali potens
Gestabis aula; jura nec populis dabis,
Victasque gentes sub tuum mittes jugum;
Non Graia cædes terga, non Pyrrhum trahes;
Non arma tenerâ parva tractabis manu;
Sparsasque passim saltibus latis feras
Audax sequeris: nec stato lustri die
Solenne referens Troici lusus sacrum,
Puer citatas nobilis turmas ages:

Non

759. *Legit.*] Retrahit in navem. *Farn.*
762. *Misereri.*] Et misericordiam profitetur Sophocleus ille Vlysses, ἐποικτίρω δὲ νιν δύστηνον ἔμπης καίπερ ὄντ' ἐμῶν δυσμενῆ. *Idem.*
765. *Fletus*] *Expletur lacrymis, egeriturque dolor.* Idem.
769. *Laudes*] Fortitudinem patris, Priami ætatem mediam, id est, florentem opibus, regno, liberis, non optarent ejus senectutem: quæ miseriarum exemplum. *Idem.*
774. *Non Graja*] Vt pater. *Idem.* *Pyrrhum trahes;*] In filio, patrem tuum ultus. *Idem.*
775. *Arma parva tractabis*] Exercitationes & præludia bellica, venationes scil. Trojanum agmen, saltationes. *Idem.*
777. *Stato lustri die*] Nam fiebant singulis quadriennii expletis. *Delrius.*
778. *Solenne*] A nobilibus pueris equestribus & armatis peractum, quem describit Virgilius 5 Æneid. quæ Pyrrhica dicta est, vel Troia. *Farnabius.* *Troici lustri sacrum,*] Recte vidit Scaliger insuavem esse repetitionem vocis *lustri:* eoque vel *festi* vel *ludi* (hoc & Delrius) substituit. Proxime verum, quod servaverat Flor. *Troici lusus sacrum.* Suetonius Iulio: *Trojam lusit turma duplex, majorum minorumque puerorum.* Augusto: *Sed & Trojæ ludum edidit frequentissime, majorum minorumque puerorum delectu.* Claudio: *ac super quadrigarum certamina Trojæ lusum exhibuit.* Gronovius.

Non inter aras mobili velox pede,
Revocante flexo concitos cornu modos,
Barbarica prisco templa saltatu coles.
O morte dirâ tristius leti genus!
Flebilius aliquid Hectoris magni nece
Muri videbunt. *Vlyss.* Rumpe jam fletus parens.
Magnus sibi ipse non facit finem dolor.
Andr. Lacrimis, Ulysse, parva, quam petimus, mora est.
Concede, parvos ut meâ condam manu
Viventis oculos. occidis parvus quidem,
Sed jam timendus. Troia te expectat tua.
I, vade liber. liberos Troas vide.
Astyan. Miserere mater. *Andr.* Quid meos retines sinus,
Manusque matris? cassa præsidia occupas.
Fremitu leonis qualis audito tener
Timidum juvencus applicat matri latus:
At ille sævus matre summota leo,
Prædam minorem morsibus vastis premens
Frangit, vehitque: talis è nostro sinu
Te rapiet hostis. oscula, & fletus, puer,

Lace-

780. *Mobili*] Choreæ in Dindymenes sacris, saltando ad Phrygium modum, qui cæteris quatuor concitatior. Æolius enim simplex & animi tempestates tranquillat; Doricus honestus & gravis pudicitiæ largitor; Ionius seu Iasius varius, intellectum obtusis acuit; Lydius querulus mentem curis defatigatam reparat & oblectat; Phrygius vero religiosus & ἐνθουσιαστικὸς pugnas excitat & vatum furores inflammat. *Farnabius.*

781. *Flexo*] Curva tibia. ἐν αὐλοῖς Συνοδείποι Πέλοπος μάτρὸς ὀρείας φρύγιον ἄεισαν νόμον. *Idem. Concitos cornu modos,*] *Barbara & horribili stridebat tibia cantu.* Catul. *Idem.*

782. *Barbarica*] Phrygia. *Idem. Prisco*] Phrygio. *Idem.*

785. *Muri videbunt.*] *Iliaci, Neptunia mœnia, muri Viderunt aliquid crudelius Hectore rapto.* Auson. *Idem. Rumpe*] Desine, mitte. *Idem.*

788. *Condam*] Claudam; quod proxime necessitudine conjuncti officium est. *Idem.*

791. *Liberos Troas vide*] Scaliger ad animum Senecæ melius fore putat: *vise Troas liberos:* atque ita se fuisse scripturum, si foret auctor Tragœdiæ. Mihi & numero & verbo illud τραγικώτερον videtur. *Gronovius.* Apud inferos, qui bello mortem oppetierunt nec in servitutem redacti. *Farnabius.*

797. *Prædam*] Iuvencum. *Idem. Morsibus vastis premens*] Flor. *tenens.* Gronovius.

799. *Oscula*,] Vivo filio, sed morti destinato justa persolvit. respicit autem ad ritum ossa componendi, qui talis: primo bustum vino extinguebant, manes vocabant, lotis deinde manibus ossa

Laceroſque crines excipe, & plenus mei
Occurre patri. pauca maternæ tamen
Perfer querelæ verba: Si manes habent
Curas priores, nec perit flammis amor;
Servire Graio pateris Andromachen jugo,
Crudelis Hector? lentus & ſegnis jaces?
Rediit Achilles. ſume nunc iterum comas,
Et ſume lacrimas, quidquid è miſero viri
Funere relictum eſt. ſume quæ reddas tuo
Oſcula parenti. matris hanc ſolatio
Relinque veſtem. tumulus hanc tetigit meus,
Maneſque cari. quidquid heic cineris latet,
Scrutabor ore. *Vlyſſ.* Nullus eſt flendi modus.
Abripite propere claſſis Argolicæ moram.

oſſa legebant, lecta vino profundebant & lacte, mox vento ſiccanda exponebant, ſiccata aromatibus & odoribus miſta in urnam reponebant, reliquiis lacrymas ſuperfundebant. *Farnabius.*

800. *Laceroſque*] Hippol. v. 1176. *Idem. Mei*] Spiritus mei ab oculis; lacrymarum, crinium. *Idem.*

802. *Si manes*] Si affectus maneant poſt rogos, *nec curæ nos ipſa in morte relinquant.* Idem.

805. *Lentus*] Cur non & tua umbra rediit, ut Achillis? ſup. v. 430. *Id.*

806. *Sume*] Modo verſ. 798. *Idem.*

807. *Viri*] Mei Hectoris. *Idem.*

810. *Hanc tetigit*] Veſtem, qua obvolutus in ſepulchro à matre abſconditus fuerat. *Idem.*

811. *Quidquid*] Cineres ſuorum, ne qua pars periret, labris & ore ſcrutati lambere ſolebant. Herc. Oet. 1341. *Idem.*

811. *Moram.*] Puerum in quo mora, ut ſupra verſ. 550. *Idem.*

CHORUS TROADUM.

Aſportandæ Troades in varia Græciæ loca, prout ſorte Achivis diſpertitæ contigerant, in quamcunque tamen Græciæ partem abduci præoptant quam in Spartam, Mycenas, & Ithacam, Helenæ, Agamemnonis, & Vlyſſis patriam.

Quæ vocat ſedes habitanda captas?
Theſſali montes, & opaca Tempe?
An viros tellus dare militares

Aptior

814. *Quæ vocat*] Apud Euripidem ipſamet Hecuba quærit, ad quem angulum Theſſaliæ, vel Phthiotidis, vel Cadmæi ſoli ſit deportanda. *Delrius.* Velim hunc Chorum diligenter comparari cum exactiſſima Græciæ deſcriptione, quam compoſuit Nicolaus Sophianus. *Idem.*

815. *Tempe?*] Theſſaliæ loca amœna. *Farnabius.*

Aptior Phthie? meliorque fœtu
Fortis armenti lapidosa Trachin?
An maris vasti domitrix Iolcos;
Urbibus centum spaciosa Crete?
Parva Gortyne, sterilisque Tricce?
An frequens ruscis levibus Mothone?
Quæ sub Oetæis latebrosa silvis

Misit

817. *Phthie?*] Thessaliæ pars, Achillis & Myrmidonum patria. *Farn.*

818. *Trachin?*] Thessaliæ urbs & pars quod τραχεινὴ, id est, aspera sit dicta. *Idem.*

819. *Iolcos;*] Iasonis patria. qui ad vellus aureum petendum vectus Argo, mare navibus pervium docuit. *Idem.*

820. *Vrbibus*] Εκατόμπολις insula. *Idem.*

821. *Parva Gortyne*] Vix est ut post Creten nominatam unam hanc quoque urbem ejus insulæ appellarit. Suspicor fuisse: *Parva Gyrtone*, quæ Thessaliæ aut Perrhæbiæ urbs, *Gyrton* alias dicitur teste Stephano. Sed Homero quoque *Gyrtone*. Οἱ δ' Ἄργισσαν ἔχον καὶ Γυρτώνην ἐνέμοντο. Scholiastes Apollonii ad lib. 1. Γυρτῶνα ἢν Ομηρος φησὶ Γυρτώνην· ἐστὶ δὲ πόλις Θεσσαλίας ἢ Περραιβίας· ὠνομάσθη δὲ ἀπὸ Γυρτώνης τῆς Φλεγύου. *Gronovius. Gortyne,*] Cretæ opp. *Farnabius. Tricce?*] Thessaliæ urbs. *Idem.* Homero, Stephano, Straboni, & Ptolomæo. Porphyrius in libro de Responsis, citante Eusebio lib. 3. de præparat. Euangelica: Τρίκκης ἐξ ἱερῆς ἥκω θεός, &c. eodem modo scriptum est in Heliodoro ad Nicomachum, si non est mendosus Galeni contextus lib. 2. antidotorum. *Delrius.*

822. *Frequens ruscis levibus*] Liber optimus, ut & duo Delrii, *rivis.* Alioqui *ruscum est*, ut ait Verrius, *amplius paullo herba, & exilius virgultis fruticibusque, non dissimile junco*, apud Festium, Virgil. 2. Georg. *nec non etiam aspera rusci Vimina per silvam & ripis fluvialis arundo Cæditur.* Sed pro *Methone* Bernardinus legit *Melibœa:* quod inde Philoctetes Herculis arcus iterum ad Trojam portavit, de quo versus sequentes. Delrius eadem ratione permotus arbitratur vel legendum, *ruscis Melibœa lentis;* vel Senecam putasse, Philocteten fuisse Methonensem, aut Methonen cum Melibœa confudisse. Fl. *Mothone.* Pausanias lib. 4. Μοθώνη δὲ πρὶν ἢ τὴν στρατιὰν ἐς Τροίαν ἀθροισθῆναι. καὶ ἐστὶ τοῦ πρὸς Ἰλίῳ πολέμου καλουμένη Πήδασος. In Messeniorum agro. Hodie *Modon.* Censeo post vocabulum *Mothone* ponas interrogandi notam, tanquam absoluta sententia: nam quod sequitur, *Quæ sub Oetæis*, nova est interrogatio de alia urbe, & nihil habet ad proxime superius membrum pertinens. Obscuritatem gignit omissa particula, quam potuisset vitare auctor scribendo: *An frequens ruscis levibus Mothone? an Quæ sub Oetæis.* Sed omisit, & reservavit prudentiæ lectoris, ut mox quarto & quinto versu. Pari ellips. Hippol. vers. 386. *procul sit muricis Tyrii rubor, Quæ fila ramis.* Hoc est, & quæ fila: vel procul etiam sint fila, quæ. Frustra vir doctus suspicatur aliquid hic deesse vel superesse: aut forte legendum: *Et fila ramis quæ ultimi.* Sic igitur alia urbs, non expresso nomine, describitur Melibœa, Philoctetæ patria. *Gron.*

823. *Oetæis*] Oeta mons in finibus Thessaliæ, Herculis rogo celebris. *Farnabius.*

825. *Non*

Misit infestos Troïæ ruinis
Non semel arcus?
Olenos tectis habitata raris?
Virginis Pleuron inimica Divæ?
An maris lati sinuosa Trœzen?
Pelion regnum Prothoi superbum,
Tertius cœlo gradus? hîc recumbens
Montis exesi spatiosus antro
Jam trucis Chiron pueri magister,
Tinnulas plectro feriente chordas,
Tunc quoque ingenteis acuebat iras

Bella

825. *Non semel*] Suprà v. 133. *Farn.* Semel tantum misit: sed iidem arcus bis Troiæ infesti fuerunt. *Delrius.*

826. *Olenos*] Elidis urbs. *Farnab.*

827. *Virginis Pleuron inimica*] Habe & hanc notam optimi codicis. Omnes alii libri scripti, quod notavit & Delrius, *Pleuros*, contra rationem & consensum veterum auctorum. At Etruscus unus: *Virgini Pleuron inimica divæ.* Sic tertio post versus *regnum Prothoi superbum*, idem solus & unicus codex, uti legendum duo maximi viri H. Grotius & D. Heinsius viderunt. Cæteri omnes, *Protei*, quod ingenti commentario extenderunt, sed aut legum carminis aut syllabarum quantitatis ignari. *Gronov. Pleuron*] Ætoliæ urbs, Meleagri patria, cujus pater Oeneus cum ceteris numinibus frugum honores sacrificaret omissa Diana, indignata Dea immisit aprum, qui Ætoliam vastaret. *Farnab.* Sic Græci omnes Πλεύρων. Statius *Meleagria Pleuron.* Silius —— *regia Pleuron.* sic Ovidius & alii. Nota Ætoliæ urbs, à quâ Strabo partem Ætoliæ, Pleuroniam dictam testatur. Helenam Lycophron Pleuroniam nominat. an ergo Ætola? aut in Argivo agro Pleuron ulla, unde id nominis sortita? putat Isacius, sed toto cœlo aberrat, à proavo sic nominata. Helena Ledæ filia fuit. Leda Thestii, Thestius Agenoris, Agenor Pleuronis. vide Pausaniam in Laconicis. *Delrius.*

828. *Trœzen?*] Peloponnesi civitas maritima, Thesei patria. *Farnab.*

829. *Pelion, &c.*] Μαγνήτων δ' ἦρχε Πρόθοος Τευθρηδόνος υἱός, Οἱ περὶ Πηνειὸν καὶ Πηλεὸν εἰνοσίφυλλον. *Idem.*

830. *Tertius*] Pindo seu Olympo & Ossæ superingestus à gigantibus. Vide Herc. Fur. vers. 970. *Idem. Hîc recumbens*] In Pelio. *Idem.*

831. *Montis exesi*] Chironis antrum describens Papinius, ait; *Longævum Chirona petit, domus ardua montem Perforat & certo suspendit Pelion arcu: Pars exhausta manu, partem sua ruperat ætas.* Delrius.

832. *Iam*] Achillis, quem puerum instruxit Centaurus Chiron medica, musica, & equitandi arte. *Farnabius. Trucis*] Naturâ enim & indole trux, ferus, iracundus. Dictys lib. 1. scribit primis adhuc adolescentiæ annis Achilli vim quandam inconsultam & efferam morum impatientiam fuisse. Philostratus lib. 2. & 3. Imag. Achillem puerum pingit feroci facie, truci, magnanimoque vultu, unde Ovidius canit: *Phillyrides puerum cytharâ perfecit Achillem; Atque animos molli contudit arte feros.*

834. *Tunc quoque*] Μῆνιν Homericam respicit. *Vel* Achillis tum juvenis

Bella canendo.
An ferax varii lapidis Caryſtos?
An premens littus maris inquieti
Semper Euripo properante Chalcis?
Quolibet vento faciles Calydnæ?
An carens numquam Gonoëſſa vento?
Quæque formidat Borean Eniſpe?
Atticâ pendens Peparethos orâ?
An ſacris gaudens tacitis Eleuſin?
Numquid Ajacis Salamina veram?

Aut

nis *mares animos in Martia bella Verſibus exacuit* Farnabius.

836. *Varii lapidis*] Sunt qui metri cauſa ſubdant *rari lapidis*, cum tamen alibi pluries reperiatur Dactylus in ſecunda Sapphici ſede, è licentia Tragicorum. *Idem.* Caryſtium marmor macularum varietate commendant Strabo, & Plinius: & factas ex eo columnas, Tibullus & Martialis. *Idem. Caryſtos?*] Vna è Cycladum inſulis. *Idem.*

838. *Euripo*] Hercul. Fur. v. 377. *Idem. Chalcis?*] Euboiæ urbs, ab Aulide Bœotiæ portu Euripo diviſa. *Idem.*

839. *Faciles Echinæ?*] A Delrio eſt pro *Echidnæ*. Sed Fl. *Calydnæ*. Homerus: Καὶ Κῶν Εὐρυπύλοιο πόλιν νήσους τε Καλύδνας. Nam Echinades adeo non ſunt quovis vento faciles, ut Euripides Iphigen. in Aulide dicat ναυβάταις ἀφεγγοφόρους. *Gronov.*

840. *Gonoëſſa*] In Ætolia. *Farn.* Ex Homero, qui alto loco ſitam ſcribit: ideo noſter ait; — *nunquam carens Gonoëſſa vento.*

841. *Formidant Borean Eniſpæ?*] Flor. *formidat Borean Eniſpe.* Vt Homerus: Θρῄκην τε καὶ ἠπειρόεσσαν Ἐνίσπην. *Gronovius.*

842. *Atticâ pendens Peparéthos orâ?*] Sic omnes libri. Et videtur Senecæ inexcuſabilis error. Eſt enim Peparethos ex Cycladibus, parens olim Macedoniæ regno, ut apparet ex Livii lib. 28. Nam quod ſubjicit *Perithœdos* Delrius, ferri non poteſt. Scribunt enim Græci Περαιθοίδην. Toletabilius idem, *Sypaletos*, aut *Lycabettos*. Idem.

843. *Gaudens tacitis Eleuſis?*] Flor. ut ſupra, *Eleuſin*. Idem. *Tacitis*] Cereris ſacris non revelandis. Hercul. Fur. v. 301. & 844. *Farnab. Eleuſin?*] Hippol. verſ. 635. *Idem.*

844. *Numquid*] Inſulam Atticam, Telamoni regnatam; non illam à Teucro in Cypro conditam. & hic deeſſe aliquid videtur ad perficiendam conſtructionem, niſi referantur Accuſativi ad *Mittat.* infrà verſu 850. *Idem. Ajacis Salamina veram?*] Ante hunc verſum deeſſe aliquid ſummi viri non amplius ſuſpicantur: impetritum, inauguratum eſt: jam cuſi duo verſus, qui ſenſum poſſint explere: quid moror? jam immiſſi & multis forte pro Annæanis habiti. Mihi cogitanti illa verba, *ire, venire, proficiſci*, ſæpiſſime apud veteres intelligi non expreſſa, veniebat in mentem, & hujuſmodi ellipſin hic locum habere poſſe. Vide quæ ad Livium lib. 28, 20. & lib. 37, 10. & lib. 41, 3. notavimus. Quibus addenda verba Flori lib. 3. cap. 6. *Ipſe Pompejus in originem fontemque belli Ciliciam. Nec hoſtes detrectavere certamen.* Sic enim Mſſ. o. ubi addiderunt in vulgatis, *verſus eſt*. Sane præceps magis atque abſciſa videatur iſta in Se-

neca

Aut ferâ notam Calydona ſævâ?
Quaſque profundit ſubiturus æquor
Segnibus terras Titareſſos undis,
Beſſan & Scarphen? Pylon an ſenilem?
Pharin? an Piſam, Jovis & coronis
Elida claram?
Quolibet triſtis miſeras procella
Mittat, & donet cuicumque terræ:
Dum luem tantam Troïæ atque Achivis
Quæ tulit, Sparte procul abſit: abſit
Argos, & ſævi Pelopis Mycenæ;

Ne-

neca brevitas propter mutatam etiam ſyntaxin: ſed quo magis ob oculos aliorum exempla pones, eo mollior tibi res videbitur. Agamemnonis initio: *nonne vel triſtes lacus Incolere ſatius? nonne cuſtodem Stygis Tergemina nigris colla jactantem jubis?* Poſterior interrogatio haud dubie aliud verbum intellectum requirit, quam in proximo poſitum eſt. Sophocles Electra: Αλλ' ἢ πνοαῖσιν, ἢ βαθυσκαφεῖ κόνει Κρύψον νιν. Scholiaſtes: Δεῖ οὖν συνακούειν ἔξωθεν ῥῆμα κατ' ἀναλογίαν, ἢ τὸ Ρίψον, καὶ τὸ Δὸς, ἤτι τοῦ τοιούτων. *Numquid Ajacis Salamina veram?* nempe ibimus, aut veniemus. Aut certe ex verſu 849. *procella nos mittet.* nam quæ interponuntur omnia, eundem intellectum habent. Video autem, quod antehac ignoravi, jam Delrium *veram*, pro *veri*, quod habent libri, & de vera Salamine, quæ tot magnos viros falſos aut dubios habuit, vera ſuſpicatum eſſe. *Gronovius.*

845. *Ferâ*] Apro. Suprà verſ. 825. *Farnabius. Calydona*] Vrbem Ætoliæ. *Idem.*

847. *Titareſſos*] Tirareſſus (ut vocat Lucanus lib. 6.) vel Titareſius, ut Græci videntur malle, amnis Theſſaliæ tam pingues habet aquas, ut Peneo, cui influit, non admiſceatur, ſed olei inſtar ſupernatet, auctore Homero Iliad. 2. & Lucano lib. 6. ideo undas ejus vocat ſegnes. Plinius lib. 4. cap. 8. videtur nonnullis vocare *Euroton*, Strabo *Eurotam*, Epitoma ejus *Europum.* Homero aquas habet ſuaves. admiſcetur Peneo, ſed vix, ut patet ex Athenæo lib. 2. cap. 2. cauſa, pinguedo juxta Strabonem; levitas, juxta Athenæum & Plinium; fluit per Locros, quorum ſunt urbes, Beſſa & Scarphe. apud Stephanum Heracleo Glauci. *Id.* Βησσάνῃ Σκαρφήνῃ καὶ Αὐγείαν ἔρα. alia etiam Beſſa Phocidis, & alia Scarphe Eubœæ. Scarphe & Scarphia Euſtathio eadem. Sed falli puto. nam una eſt Scarphia Locrorum diſtincta à Scarphe, de quâ Pauſan. in Corinthiac. & Achaic. alia Scarphia Bœotiæ, Straboni. *Delrius.*

848. *Pylon*] Meſſeniæ, *Pylon antiquam*, *Neleia Neſtoris arva.* Farnabius.

849. *Pharin?*] Laconiæ urbem. *Id. Piſam*,] Thyeſt. verſu 122. *Idem. Coronis*] Victorum præmiis in ludis Olympicis juxta Elida urbem. *Idem.*

850. *Elida*] Vide Herc. Fur. 829. *Idem.*

853. *Luem*] Helenam. *Idem.*

854. *Sparte*] Laconum urbs. *Id.* Odio Helenæ, quæ Spartana fuit, negat ſe Spartam proficiſci velle. *Idem.*

Neritos parva brevior Zacyntho,
Et nocens saxis Ithace dolosis.
Quod manet fatum, dominusque quis te,
Aut quibus terris Hecube videndam
Ducet? in cujus moriere regno? 860

856. *Neritos*] Mons Ithacæ. *Farn.* Stephano Νήριτος & Νήρικος, insula Acarnaniæ, quæ & Leucadia; & etiam mons Ithacæ, vide Plinium l. 4. cap. 1. & 12. ubi docet etiam Zacynthum esse Ionii insulam. *Delrius.* *Zacyntho,*] Insula Ulyssi regnata. *nemorosa Zacynthos, Dulichiumque Samemque & Neritos arduasaxis.* Farnabius.

857. *Dolosis.*] Latentibus sub undis. vel Ithaca saxosa & aspera, nidus inter scopulos, Ulyssis dolosi patria & regnum. *Idem.*

858. *Quod manet*] Conversus ad Hecubam Chorus hoc quærit.

ACTUS QUARTUS.

Helena. Andromacha. Hecuba. Polyxena. Muta Persona.

Ut manibus Achillis rite inferiæ peragantur, excogitata ratio est, qua ut veste ita animo nuptiali affecta mactetur Polyxena. vid. supra vers. 360. quæ partes dantur Helenæ, ut Polyxenam lactet inani spe nuptiarum cum Pyrrho. quas illa primo simulat, mox Andromachæ jurgio excussa dolos fatetur & rem aperte suadet.

Hel. Quicunque hymen funestus, illætabilis,
Lamenta, cædes, sanguinem, gemitus habet,
Est auspice Helena dignus. eversis quoque
No-

861. *Hymen*] Nuptiæ. Vide Thebaid. vers. 262. *Farnabius.*

863. *Auspice*] Veteres nihil non initiabantur ab augurio, in nuptiis itaque adhibiti auspices. *Idem.* *Helena*] Stasimus, Pausanias & Higynus Helenæ matrem Nemesim vocant: Homerus, Theocritus, Euripides, Theon Arati scholiastes & Ovidius Ledam nominant; quæ contraria non sunt. cum Bassus, in Germanicum, Lactantius lib. 1. de falsa religione, & Crates tradiderint Ledam mortuam Nemesis nomen assumsisse. Apollodorus lib. 3. Biblioth. credit Nemesim à Iove adamatam, cum periculi evitandi causa in anserem se mutasset, à Iove, qui cygni formam induerat compressam, & eo compressu gravidam decumo post mense ovum peperisse, quod Ledæ custodiendum tradiderit: inde natam Helenam; quæ quia à Leda educabatur pro sua, Ledæ filia dicta fuit. Clearchus, in amatoriis, teste Athenæo l. 2. cap. 17. prodidit Helenam in cœnaculis, quæ ὠΐα dicebantur, educatam fuisse: unde fabula Helenam ovo prognatam. quod tamen Lucianus in Gallo, quia Helena olorinum collum, candidum habuerit & oblongum, putat confictum. Ridicula etiam est Melissi Euboici fabulæ istius interpretatio, quam Fulgentius lib. 2. Mytholog. refert. Magis etiam ridiculum

Neoclis

Nocere cogor Phrygibus. ego Pyrrhi toros
Narrare falsos jubeor; ego cultus dare,
Habituſque Graios. arte capietur meâ,
Meâque fraude concidet Paridis ſoror.
Fallatur. ipſi levius hoc equidem reor,
Optanda mors eſt, ſine metu mortis mori.
Quid juſſa ceſſas agere? ad auctoris redit
Sceleris coacti culpa. Dardaniæ domus
Generoſa virgo, melior afflictos deus
Reſpicere cœpit; teque felici parat
Dotare thalamo. tale conjugium tibi
Non ipſa ſoſpes Troia, non Priamus daret.
Nam te Pelaſgæ maximum gentis decus
Ad ſancta lecti jura legitimi petit,
Cui regna campi lata Theſſalici patent.
Te magna Tethys, teque tot pelagi deæ,
Placidumque numen æquoris tumidi Thetis
Suam vocabunt. te datam Pyrrho ſocer

Pe-

Neoclis Crotoniatæ commentum, cetidiſſe ovum è luna, è quo Helena nataſit, & mulieres lunares ova parere, è quibus nati ceteros homines quinquies & decies proceritate excedant, auctore Herodoto Heracleote. hæc partim ab aliis accepi, partim addidi de meo. *Delrius.* *Dignus.*] Digna ſane pronuba, quæ haſce funeſtas nuptias conciliaret, nam & ipſa bis rapta, jura jugalia violaverat. Paridem ſecuta Menelaum deſeruerat, Deiphobum prodiderat, Trojamque in prioris mariti gratiam. *Farnabius.*

865. *Cultus dare,*] Suprà verſ. 560. *Idem.*

867. *Paridis ſoror,*] Polyxena. *Idem.*

868. *Fraudetur. ipſi levius*] Comelinus notat Mſſ. fere omnes habere, *Fidentur*: Colonienſem, *Fidantur*: quoſdam editos, *Fallatur*. Et hoc poſtremum ſancit Florentinus. Sane quiſquis fraudatur, fallitur: ſed non omnes, qui falluntur, fraudantur. *Gronovius.*

869. *Optanda*] Repentina & ſubita mors, *quæ & Iulio Cæſari optata contigit.* Farnabius.

870. *Iuſſa*] Duces Græcos, qui mihi invitæ has partes mandarunt. *Idem.*

871. *Dardaniæ*] Converſa ad Polyxenam, hæc dicit. *Idem.*

876. *Pelaſgæ*] Pyrrhus. cui campi Theſſ. patent lata regna, te in conjugium petit. *Idem.*

878. *Lata Theſſalici jacent.*] Flor. & Heinſ. minor *patent*. Hypallage. Qui regnum in campis Theſſalicis late patentibus obtinet. Vel, cujus regnum in Theſſalia plana & equitabili late patet. *Gronovius.*

879. *Tethys,*] Matris Dea, Neptuni conjux. *Farnabius.*

880. *Thetis*] Mater Achillis Dea marina, Pelei uxor. *Idem.*

Peleus nurum vocabit, & Nereus nurum.
Depone cultus squallidos, festos cape.
Dedisce captam. deprime horrentes comas,
Crinemque doctâ patere distingui manu.
Hic forsitan te casus excelso magis
Solio reponet. profuit multis capi.
Andr. Hoc deerat unum Phrygibus eversis malum,
Gaudere? flagrant strata passim Pergama.
O conjugale tempus, an quisquam audeat
Negare? quisquam dubius ad thalamos eat,
Quos Helena suadet? pestis, exitium, lues
Utriusque populi! cernis hos tumulos ducum?
Et nuda totis ossa quæ passim jacent
Inhumata campis? hæc hymen sparsit tuus.
Tibi fluxit Asiæ, fluxit Europæ cruor;
Cum dimicantes lenta prospiceres viros,
Incerta voti. perge, thalamos appara.
Tædis quid opus est? quidve solenni face?
Quid igne? thalamis Troia prælucet novis.
Celebrate Pyrrhi, Troades, connubia;
Celebrate digne. planctus & gemitus sonent.
Hel. Ratione quamvis careat, & flecti neget
Magnus dolor, socioque nonnunquam sui
Mœroris ipsos oderit; caussam tamen
Pos-

882. *Nurum vocabit,*] Affinem, neptem, nurum, &c. *Farnabius.*

883. *Festos*] Nuptiales. *Idem.*

885. *Doctâ manu.*] Psecados, cosmetæ, ciniflonis, cosmotriæ, ancillæ ornatricis, quæ *pectit que comas & volvit in orbem.* Idem.

890. *O conjugale*] Ironia. *Idem.*

893. *Utriusque*] Trojani & Græci. *Id.*

896. *Asiæ,*] In qua Troja. *Idem.* *Europæ*] In qua Græcia. *Idem.*

897. *Cum dimicantes*] Cum è muro Trojano prospiceres duos maritos tuos monomachia de te certantes, ipsa cui faveas incerta legitimóne Menelao, an raptori Paridi. *Idem.* *Lenta*] Assensus sum libro Lipsiano & nostris septem. Vulgata lectio, *læta*, nauci non est, quicquid alii dicant. Vt ut feminæ forsan non attendant decoro inter conviciandum; at attendunt feminæ scenicæ; utpote quas non sinit esse sui juris Tragœdus: fræno suo regit, hoc est rationis. *Gruterus.*

898. *Perge,*] Ironia. *Farnabius.*

899. *Solenni*] Nuptiali, Thebaid. vers. 263. & 507. *Idem.*

900. *Thalamis*] Sarcasmus. *Idem.*

902. *Digne.*] Planctu scil. & gemitu, ut seq.

905. *Iu-*

Possum tueri judice infesto meam
Graviora passa. luget Andromacha Hectorem,
Et Hecuba Priamum: solus occulte Paris
Lugendus Helenæ est. durum & invisum & grave est,
Servitia ferre. patior hoc olim jugum
Annis decem captiva. prostratum Ilium est,
Versi Penates. perdere est patriam grave;
Gravius timere. vos levat tanti mali
Comitatus. in me victus & victor furit.
Quam quisque famulam traheret, incerto diu
Casu pependit. me meus traxit statim
Sine sorte dominus. caussa bellorum fui,
Tantæque Teucris cladis. hoc verum puta,
Spartana puppis vestra si secuit freta;
Sin rapta Phrygiis præda remigibus fui,
Deditque donum judici victrix dea:
Ignosce Paridi. judicem iratum mea

Ha-

906. *Iudice infesto*] Magnum innocentiæ argumentum, ut & alia hujus defensionis; qua haut scio an quicquam nervosius, aut splendidius, in Helenæ defensionem, dici queat. *Delrius.*

907. *Graviora*] Quam vos. *Farn.* *Luget*] Vobis aperte luctum licet profiteri, mihi occulte lugendus est Paris. *Idem.*

911. *Prostratum*] Vobis. *Idem.*

913. *Timere.*] Quod ego facio, deserti à me mariti ultionem timens. *Id.* *Levat*] Vide Chorum sequentem vers. 1009. *Idem.*

914. *In me victus*] Me Trojani & Græci detestantur. *Idem.*

916. *Meus*] Menelaus, prior maritus. *Idem.*

920. *Sin rapta*] Sum ait, innocens, quia non sponte Trojam veni, sed vi compulsa, quia non adulteri blandas persuasiones, sed Deæ Veneris mandata secuta sum, illius pollicitationem nolui falsam reddere. Utrumque argumentum à Gorgia Rhetore sumtum, qui in Oratione pro Helenâ, culpâ vacuam docet; quia vel fortunæ imperio, Deorum jussu & Necessitatis nutu fecit, ea quæ fecit, vel vi rapta, vel persuasa verbis, vel amore capta; singula deinde discutit, priora duo potissimum, quæ hic abutitur. Non (inquit) sponte Trojam veni, sed rapta à Paridis potius, quam meo peccato. Nec tamen illius, qui datum sibi à Deâ munus, jure suo vindicavit. Dignus ille, cui tu, soror, ignoscas. Sed esto. mea tota culpa, meum facinus, quid te judicem esse postulas? an vereris ne benevolo judice absolvar? non est quod metuas. idem mihi judex, qui læsus, maritus adulterio lacessitus, Menelaus. illi futurum curæ, ne impune abeat. *Delrius.*

922. *Ignosce Paridi.*] *Anthypophora.* at dicetis me meruisse quæ fuerim causa belli & cladis Trojanæ; ego autem non fui causa, neque enim ultro secuta sum Paridem, sed ab eo rapta, & do-

Habitura causa est. ista Menelaum manent
Arbitria. nunc hanc luctibus paulum tuis,
Andromacha, omissis flecte. vix lacrimas queo
Retinere. *Andr.* Quantum est, Helena quod lacrimat,
Cur lacrimat autem? fare, quos Ithacus dolos, (malũ!
Quæ scelera nectat. utrum ab Idæis jugis
Jactanda virgo est? arcis an celsæ edito
Mittenda saxo? num per has vastum in mare
Volvenda rupes, latere quas scisso levat
Altum vadosos Sigeon spectans sinus?
Dic, fare, quidquid subdolo vultu tegis.
Leviora mala sunt cuncta, quam Priami gener
Hecubæque Pyrrhus. fare, quam pœnam pares.
Exprome, & unum hoc deme nostris cladibus,
Falli. paratas perpeti mortem vides.
Hel. Utinam juberet me quoque interpres deûm
Abrumpere ense lucis invisæ moras,
Vel Achillis ante busta, furibunda manu
Occidere Pyrrhi, fata comitantem tua,

Po-

& donata quidem illi à Venere. Suprà vers. 66. *Farnabius. Iudicem iratum puta Habitura*] Lipsius è suo, *iratum mea Habitura causa est.* Opponit, quos viderit, codices Delrius: & *τὸ puta* hic esse notam irrisionis. Certe admodum intempestivæ. Gruterus Lipsianum notat esse in Pall. uno: quem se secuturum, nisi vereretur esse allitum: nam cur, quæso, inquit, abiissent à voce notissima & plana tot libri, sine causa? Hoc argumentum quanti sit, multis jam documentis patuit. Causa autem evidens est, quia è corrupto exemplari sunt propagati. Flor. *mea.* Gron. *Paridi.*] Qui datum sibi à Dea munus vindicavit jure suo. *Farn. Iudicem*] Quod vero meum peccatum spectat pœnamque, severum satis habebo judicem Menelaum, nempe læsum, iratum. *Idem.*

924. *Nunc*] Polyxenam ad nuptias tu flecte, namque ego vix lacry. &c, *Idem.*

926. AN. *Quantum*] Magnum certe aliquod imminet malum, quod Helenam malis induratam in lacrymas cogat. *Idem.*

932. *Altum vadosos Sigeon spectans sinus?*] Mare potius speculatur quam sinus suos Sigeum. Flor. *vadoso sinus.* Lege: *latere quas scisso levat Altum vadoso Sigeon spectans sinu.* Nam ipsum mare *Altum* vocat. *Vadoso sinu*, quia Simois & Scamander concurrentes in campis multum terræ hauriunt, cæcumque os & lacus marinos & paludem efficiunt circa Sigeum, teste Strabone lib. 13. *Gronov. Sigeon*] Troiæ promontorium. *Farnabius.*

935. *Quam*] Quam ut Polyxena nubat patris sui interfectori. *Idem.*

938. *Interpres*] Calchas. Suprà vers. 192. & vers. 359. *Idem.*

944. *Cam-*

Polyxene miseranda; quam tradi sibi,
Cineremque Achilles ante mactari suum,
Campo maritus ut sit Elysio, jubet.
Andr. Vide, ut animus ingens lætus audierit necem.
Cultus decoros regiæ vestis petit,
Et admoveri crinibus patitur manum.
Mortem putabat illud, hoc thalamos putat.
At misera luctu mater audito stupet.
Labefacta mens succubuit. assurge, alleva
Animum, & cadentem misera firma spiritum.
Quam tenuis anima vinculo pendet levi!
Minimum est, quod Hecubam facere felicem potest.
Spirat. revixit. prima mors miseros fugit.
Hec. Adhuc Achilles vivit in pœnas Phrygum?
Adhuc rebellat? ô manum Paridis levem!
Cinis ipse nostrum sanguinem ac tumulus sitit.
Modo turba felix latera cingebat mea.
Lassabar in tot oscula, in totum gregem
Dividere matrem. sola nunc hæc est super,

Vo-

944. *Campo*] Sede & domicilio beatarum animarum corpore exutarum. ἀπὸ τῆς λύσεως, id est, solutione, aliis ab ἠλύσιος, id est, profectione, quem campum sub terra locant nonnulli, in orbe Lunæ alii, alii in Sphæra, quæ ἀπλανὴς dicitur, in insulis fortunatis & Atlanticis alii, in Hispania Homerus, &c. Quum vero amœnitatem & gaudia Paradisi (cujus cognitionem ab Ægyptiis & literis sacris habuere) Philosophi & hos secuti poëtæ ad Elysium suum transtulerint, cur non & nomen indidem ex אשל אל id est, Dei nemus? *Farnabius.*

945. *Vt animus ingens*] Non patior hanc libertatem in secunda regione, quam excusat Gruterus. Suspicor fuisse: *Vide ut animi ingens hilaris audierit.* Tacitus 1. ann. *Sed fœmina ingens animi munia ducis per eos dies induit.* Gronovius. *Animus*] Polyxenæ, quæ muta inducitur persona, quasi virginem ingenuam deceat silentium. Quæ tamen apud Euripidem θανεῖν, inquit μοι ξυντυχία κρείσσων ἐκύρησεν. *Farnabius.*

953. *Minimum*] Facilis mors & unus quasi spiritus evolans Hecubam servitute ac miseriis liberare valet. *Id.*

954. *Prima mors*] Mors vero maxime fugit miseros. *Idem.*

956. *Levem!*] Quæ Achillem non in totum interfecerit. sup. v. 346. *Id.*

957. *Cinis ipse*] Translatus de Ovidio locus est, ex Metamorphosi. ubi hæc querela Hecubæ legitur, — *cinis ipse sepulti In genus hoc sævit tumulo quoque sensimus hostem, Æacidæ fœcunda sui.* —— Fabritius.

960. *Matrem.*] Affectus & officia materna. *Idem. Sola*] Supererat quidem Cassandra, aliis Alexandra, sed non comes matris. *Namque trahebatur*

passis

Votum, comes, levamen, afflictæ quies.
Hæc totus Hecubæ fœtus. hac solâ vocor
Jam voce mater. dura & infelix, age,
Elabere anima. denique hoc unum mihi
Remitte funus. irrigat fletus genas,
Imberque victo subitus è vultu cadit.
Lætare, gaude, gnata. quam vellet tuos
Cassandra thalamos, vellet Andromache tuos!
Andr. Nos, Hecuba; nos nos, Hecuba, lugendæ sumus,
Quas mota classis huc & huc sparsas feret.
Hanc chara tellus sedibus patriis teget.
Hel. Magis invidebis, si tuam fortem scias.
Andr. An aliqua pœnæ pars meæ ignota est mihi?
Hel. Versata dominos urna captivis dedit.
Andr. Cui famula tradar, ede. quem dominum voco?
Hel. Te sorte prima Scyrius juvenis tulit.
Andr. Cassandra felix! quam furor sorte eximit,
Phœbusque. *Hel.* Regum hanc maximus rector tenet.
Hec. Estne aliquis, Hecubam qui suam dici velit?
Hel. Ithaco obtigisti præda nolenti brevis.
Hec. Quis tam impotens ac dirus, & iniquæ ferus
Sortitor urnæ regibus reges dedit?

Quis

passu Priameïa virgo Crinibus à templo Cassandra adytisque Minervæ. infra vers. 960. & 975. *Farnabius.*

962. *Sola vocor*] Cassandræ solius. *Id.*

963. *Dura*] Difficilis ad exeundum. *Idem.*

965. *Genas,*] Polyxenæ. *Idem.*

968. *Thalamos,*] Mori, ut tu. *Id.*

972. *Magis*] Invidendo fœlicitati illius, tuam dolebis. *Idem.*

974. *Versata*] Sup. v. 58. *Idem.*

975. *Cui famula tradar, ede.*] Flor. *trador.* Gronovius.

976. *Scyrius*] Pyrrhus Achillis filius ex Deidamia Lycomedis Scyri regis filia. *Farnabius.*

977. *Cassandra*] Alio nomine dicta Alexandra, teste Pausania in Lacon, Natarum Priami pulcherrima, si credimus Homero Iliad. y'. *Delrius. Felix!*] Propter divinationem & sacerdotium Phœbi sorte exempta. *Farnab. Quam furor sorte eximit*] Flor. *sorti.* Gronovius.

978. *Regum*] Agamemnon Cassandram extra sortem habet. *Farnab.*

979. *Hecubam*] Quia vetulam. sup. 68. *Idem.*

980. *Præda*] *Prædæ malæ sors quam victor Vlysses Esse suam nolles.* Idem. *Brevis.*] Cito enim ab Vlysse dimissa ad Thracas fugit, ubi in canem conversa, id est, rabidis conviciis omnes impetens, lapidibus obruta est. *Idem.*

982. *Regibus*] Nonnullis placet lectio, *haud regibus reges.* Idem.

985. *Et-*

Quis tam sinister dividit captas deus?
Quis arbiter crudelis, & miseris gravis,
Eligere dominos nescit? & sævâ manu
Dat iniqua miseris fata? quis matrem Hectoris
Armis Achillis miscet? ad Ulyssen vocor.
Nunc victa, nunc captiva, nunc cunctis mihi
Obsessa videor cladibus. domini pudet,
Non servitutis. Hectoris spolium feret,
Qui tulit Achillis? sterilis, & sævis fretis
Inclusa tellus non capit tumulos meos.
Duc, duc, Ulysse. nil moror. dominum sequor.
Me mea sequentur fata. non pelago quies
Tranquilla veniet. sæviet ventis mare,

Et

985. *Eligere*] Dignos eligere nescit, sed cæca sorte indigne miscet. *Farnabius.*

986. *Quis matrem*] Vt eidem Vlyssi, cui adjudicata sunt Achillis arma, contingat Hecuba; *cujus rationem subjungit* v. 988. Hect. sp. &c. *Idem.*

987. *Armis Achillis*] Quæ Vlyxi obtigere, judicibus vel Græcis, juxta Ovidium, Antipatrum, Asclepiadem, & Sophoclem; vel captivis Trojanis, juxta Homerum, Q. Smyrnæum & alios. *Ad Vlyssem vocor*] Flor. *Vlyssen*: ut & vers. 1096. *Ipsumque Vlyssen.* Gronovius.

988. *Nunc victa,*] Postquam Vlyssi sorte contigerim. *Farnabius.*

990. *Hectoris spolium feret,*] Vir doctissimus hæc desumpsisse putat Senecam è Troadibus Euripidis, ubi Talthybius Andromachen, quia cum properante Pyrrho conscendere navem compulsa fuerit, Hecubæ narrat mandasse curam sepeliendi Astyanactis, & quidem in clypeo Hectoris. Hunc clypeum appellari censet ille *spolium Hectoris.* & inde capit ansam reprehendendi auctoris. nam apud Euripidem clypeum illum esse in potestate Hecubæ, cui tradi curaverat Andromache: at cum ista loquebatur apud Senecam Hecuba, etiamnum penes Andromachen fuisse. quare non posse hic se non desiderare judicium Senecæ, qui ista Hecubæ tribuat, quum non esset penes eam Hectoris clypeus. *Hi motus animorum atque hæc exordia tanta Pulveris exigui jactu.* nam *Hectoris spolium* Senecæ non est clypeus ejus, sed ipsa mater Hecuba. *Gronovius. Hectoris spolium*] Me matrem Hectoris. spolium autem proprie vestis corpori detracta dicitur. *Farnabius.* Quia gessit in utero Hectorem, inquiunt alii. Ego simplicius, quia parens & filius reputantur unum & idem, neque possit triumphari mater, nisi dehonestetur in matre etiam natus. *Gruterus.*

992. *Num capit tumulos*] Florent. sine interrogatione: *non capit tumulos meos.* Et recte. Præsagit enim se non morituram in Græcia: & putatur obiisse in Thracibus, cui loco Cynossema nomen. *Gronovius.*

993. *Nil moror.*] Sequar tamen, ut & infortunia mea Vlyssem comitentur. *Farnabius.*

994. *Me mea sequantur fata.*] Ita & nostri Pall. aliquot, ut sit optantis. Vulgo, *sequentur*, minus bene: neque enim id ipsa scire ac polliceri sibi poterat Hecuba. *Gruterus.*

997. *In-*

Et bella, & ignis, & mea, & Priami mala.
Dumque iſta veniunt, interim hoc pœnæ loco eſt:
Sortem occupavi, præmium eripui tibi.
Sed incitato Pyrrhus accurrit gradu,
Vultuque torvo. Pyrrhe, quid ceſſas? age,
Reclude ferro pectus & Achillis tui
Conjunge ſoceros. perge mactator ſenum;
Et hic decet te ſanguis: abreptam trahe,
Maculate Superos cæde funeſta deos,
Maculate Manes. quid precer vobis! precor
His digna ſacris æquora. hoc claſſi accidat
Toti Pelaſgæ, ratibus hoc mille accidat,
Meæ precabor, cum vehar, quidquid rati.

CHO-

997. *Interim hæc pœna in loco eſt:*] Florentinus: *interim hoc pœnæ loco eſt, Sortem occupavi, præmium eripuit tibi.* Totidem apicibus ille ſanctæ vetuſtatis codex. In quo gaudere mihi licet, quippe qui ſic olim difficillimum hunc locum de conjectura reſtituerim, lib. 2. Obſerv. cap. 9. Vulgo etiam, *eripuit mihi*: quod ſenſum admittebat nullum. Sed & præcedentia verba in futuro, *ſequentur, veniet, ſæviet*; non *ſequantur, veniat, ſæviat*, ut magis vaticinari, quam imprecari, aut certiſſima imprecari videatur. Sumpſit autem hæc Seneca ex perſona Caſſandræ apud Euripidem, quæ ſe cladem & calamitatem fore Agamemnonis domui canit. Quod ad marginem quoque notaverat Grotius cum eadem emendatione, quam, ni fallor, in alio exemplari manu ipſius adſcriptam nos olim vidiſſe apud Voſſios candide prodidimus. Denique Flor. *Dumque iſta veniunt.* non *venient.* hoc quoque bene, & rem præſentiorem certioremque facit. Sententia: Omnes iſtæ calamitates mecum in te incident, & dum exſpectantur illæ, præſentem pœnam habes, quod ego ſortem tuam invaſi, & prohibui, ne præmium acciperes, ſi enim ceſſaſſet nomen meum, excidiſſet alia tibi fœmina vel jucunda vel utilis: ita cum ſorte habuiſſes præmium. Nunc ego cæteras anteverti, ut ſortem haberes, nec iterum trahere poſſes; præmio careres, quippe nactus anum nulli uſui. *Gronovius.*

1001. *Reclude*] Me ut nuper Priamum confice, conjungeque nos per mortem ſoceros in his funeſtis nuptiis patris tui. *Farnabius.*

1002. *Mactator*] Suprà verſ. 45. *Idem.*

1003. *Hic decet*] Meus ſenilis hic cruor. *Idem. Abreptam trahe,*] Polyxenam. *Idem.* Cruſerianus, *abreptam trahe*, pro *trahite.* Et quare non ſequar, præſertim cum Pyrrhum ſolum alloquatur Hecuba? quin & præcedat numero eodem, *reclude, conjunge, perge.* Pontan. Nec aliter Flor. & Voſſ.

1005. *Manes*] Inferos. *Vel* Achillis umbram. *Farnabius.*

1006. *Digna*] Sæva, tumida, infeſta. *Idem.*

1008. *Meæ*] Suprà verſ. 992. *Id.*

1013. *De-*

CHORUS TROADUM.

Chorus occasione sumpta ab Helenæ dicto supra vers. 911. vos levat tanti mali comitatus, *solatur se communi malo, quasi* solamen miseris socios habuisse doloris; *quod tamen solatium ipsis sortito disjunctis ablatum fore.*

Dulce mœrenti populus dolentum,
Dulce lamentis resonare gentes.
Lentius luctus lacrimæque mordent,
Turba quas fletu simili frequentat.
Semper, ah, semper dolor est malignus:
Gaudet in multos sua fata mitti,
Seque non solum placuisse pœnæ.
Ferre, quam sortem patiuntur omnes,
Nemo recusat.
Nemo se credit miserum, licet sit.
Tolle felices. removeto multo
Divites auro. removeto centum
Rura qui scindunt opulenta bubus.
Pauperi surgent animi jacentes.
Est miser nemo, nisi comparatus.
Dulce in immensis posito ruinis
Neminem lætos habuisse vultus.

Ille

1013. *Dolor ipse magnus:*] Versum hunc adulterinum judicat optimus Gruterus, quia pro eo toto membranæ numero novem, *dolor & magnus:* nisi quod unus recentioris scripturæ: *Semper ah semper dolor & magnus:* hactenus, ut eadem manu exprimatur altera lectio ad oram, tanquam sincerior. Rursus ergo præclare Florentinus: *Semper, ah semper dolor est malignus. Gaudet in multos.* Nam quid est malignum esse, nisi velle aliis & facere, ubi possis, male? At dolere malum est. Qui autem dolet ipse, multos vult secum dolere. Ergo est malignus, qui vult aliis quoque esse male. *Gronovius.*

1014. *Gaudet*] Gaudet sua mala in multos mitti, communicari. *Farnabius.*

1015. *Seque non solum patuisse pœnæ.*] Tandem non Mog. modo, non Florent. sed omnes Gruteri quoque *placuisse:* sed ubi debebant exorasse, nihil impetrarunt. Agamemnone: *Et cum in pastus armenta vagos Vilia currunt, placet in vulnus Maxima cervix.* Hippolyto: *a meo primum toro Et scelere tanto placuit ordiri virum?* Gron.

1018. *Nemo*] Sic nemo dives; & ipsi pauperes non videbuntur miseri. *Farnabius.*

1020. *Centum*] *Terram qui centum vertebat aratris.* Virgil. de Galeso. 7. Æneid. *Idem.*

Ille deplorat, queriturque fatum,
Qui secans fluctum rate singulari
Nudus in portus cecidit petitos.
Æquior casum tulit, & procellas,
Mille qui ponto pariter carinas
Obrui vidit tabulâque littus
Naufragâ spargi, mare cum coactis
Fluctibus Corus prohibet reverti.
Questus est Hellen cecidisse Phryxus,
Cum gregis ductor radiante villo,
Aureo fratrem simul & sororem
Sustulit tergo, medioque jactum
Fecit in ponto. tenuit querelas
Et vir, & Pyrrhe, mare cum viderent.
Et nihil præter mare cum viderent,
Unici terris homines relicti.

Sol-

1027. *Singulari*] Vnica, sola, singula. μονόκωπος ἀνὴρ. *Farnabius.*

1028. *Nudus*] E naufragio enatans. *Idem.*

1031. *Tabulâque littus Naufragâ spargi,*] Quid sibi vult Etruscus: *Naufraga terris mare cum coactos.* Cogitandum. *Gronovius.*

1033. *Corus*] Thyest. v. 576. *Farn.*

1034. *Hellen*] Phryxus & Helle & patrem Athamanta & novercam Ino fugientes ariete aurei velleris conscenso pontum transfretare aggressi sunt. quod ille quidem fecit, Helle vero submersa nomen puto reliquit. *Idem.*

1035. *Gregis*] Aries aureo vellere radians.

1037. *Iactum*] Iacturam Helles. *Farnabius.*

1038. *Tenuit*] Contra, Deucalion & Pyrrha non conquerebantur malum late patens. *Idem.*

1039. *Et vir,*] Deucalion Promethei filius juxta Hellanicum, Hesiodum, & Apollonium. *Delrius.* *Pyrrhe,*] Epimethei filia, auctore Proclo in Hesiodic. enarrationibus. *Idem.*

1040. *Et nihil*] Multa olim fuêre diluvia. primum generale temporibus Noachi, de quo in sacris litteris Genes. 7. ad perdendam tollendamque ex orbe terrarum malitiam, ut ait Lactantius lib. 2. quod pulchre describit Alcimus lib. 4. cetera peculiaria, primum in Ægypto, Promethei & Herculis tempore menstruum apud Diodorum lib. 1. secundum in Atticâ bimestre rege Attico Ogyge, Pausan. in Attic. & Diodor. lib. 6. Tertium in Thessaliâ ætate Deucalionis, quod integra hyeme duravit, Aristot. in Meteor. Virgilio in Georg. Ovidio, & ceteris poëtis, & de hoc noster, & fere semper ceteri poëtæ intelligendi; etsi de eo loquantur, quasi generale fuisset. Quartum Pharonium in Ægypto imperante Proteo, de quo Lucanus lib. ult. *Tunc, claustrum pelagi, cœpit Pharon. insula quondam In medio stetit illa mari, sub tempore vatis Proteos; at nunc est Pellæis proxima muris.* Accuratissimam diluvii descriptionem invenies apud Sene-

Solvet hunc cœtum, lacrimasque nostras
Sparget huc illuc agitata classis,
Et tubâ jussi dare vela nautæ,
Cum simul ventis properante remo
Prenderint altum, fugietque littus.
Quis status mentis miseris, ubi omnis
Terra decrescet, pelagusque crescet.
Celsa cum longe latitabit Ide?
Tum puer matri, genitrixque gnato,
Troia qua jaceat regione monstrans
Dicet, & longe digito notabit:
Ilium est illic, ubi fumus alte
Serpit in cœlum, nebulæque turpes.
Troës hoc signo patriam videbunt.

Senecam lib. 3. Natur. quæst. cap. 27. *Delrius.*

1042. *Hunc*] Nostrum, captivarum. vid. argumentum hujus Chori. *Farn.* *Cœtum,*] Vulgo, *quæstum.* M. s. o. & Interpres, *cœtum*, i. omne societatis solatium auferetur. *Delrius.*

1044 *Et tubâ*] Imitatur Euripidem, qui in Rhœso, Πόντος δ' ἔχοντας ἐρέτην μιᾶς τυρσηνικῆς Σάλπιγξ' ἐώδων. & in Heraclidis; — Ἐσήμηρ ὄρθριον τυρσηνικῆ Σάλπιγξι. Sophocles tamen & Euripidis scholiastæ tradiderunt neque Græcos neque Barbaros Trojani belli tempore tuba usos fuisse, quibus Euripides & Seneca, ut videtis, alii etiam poëtæ repugnant. vid. Trag. Agamemn. v. 428. *Idem.*

1045. *Cum semel ventis properante remo*] Iamdudum correxeram: *Cum simul ventis.* & ita plane Florentinus. *Simul ventis*, ut apud Silium lib. 5. *avulsa est nam protenus hosti Ore simul cervix.* Gronovius.

1048. *Fugietque*] In altum è portu vectis terra recedere videtur. *Provehimur portu, terræque urbesque recedunt.* Oculus enim quiescere nos judicans, motu conspecto, quasi semet retractans terram retro tendere opinatur. *Farnabius.*

1054. *Nebulæque*] Ascendentis fumi. *Idem.*

ACTUS QUINTUS.

NUNCIUS. ANDROMACHA. HECUBA.

Nuncius matribus narrat, ut è turri præcipitatus fuerit Astyanax, & Polyxena ad tumulum Achillis cæsa.

Nunc. O dira fata, sæva, miseranda, horrida,
Quod tam ferum, tam triste bis quinis scelus
Mars

1056. *O dira*] Incrementum Rhetoricum. *Farnabius.*

1057. *Tam triste*] Cujusmodi non vidimus bello decennali. *Idem.*

Mars vidit annis? quid prius referens gemam?
Tuos ne potius, an tuos luctus, anus?
Hec. Quoscunque luctus fleveris, flebis meos.
Sua quemque tantum, me omnium clades premit.
Mihi cuncta pereunt. quisquis est, Hecubæ est, miser.
Nunc. Mactata virgo est. missus è muris puer.
Sed uterque letum mente generosa tulit.
Andr. Expone seriem cædis, & duplex nefas
Prosequere. gaudet magnus ærumnas dolor
Tractare totas. ede, & enarra omnia.
Nunc. Est una magna turris è Troia super,
Assueta Priamo; cujus è fastigio
Summisque pinnis arbiter belli sedens
Regebat acies. turre in hac blando sinu
Fovens nepotem, cum metu versos gravi
Danaos fugaret Hector & ferro & face,
Paterna puero bella monstrabat senex.
Hæc nota quondam turris, & muri decus,
Nunc sæva cautes, undique affusa ducum
Plebisque turba cingitur. totum coit
Ratibus relictis vulgus. his collis procul
Aciem patenti liberam præbet loco;
His alta rupes, cujus è cacumine

Ere-

1058. *Quod prius referens gemam?*] Florent. *quid prius.* ut è margine Basil. notavit Delrius. *Gronovius.*

1059. *Tuosne*] Tuosne ô Andromacha, an tuos ô Hecuba? *Farnab.*

1062. *Mihi cuncta*] Reginæ, & in omnes miserias superstiti. *Idem.*

1066. *Gaudet animus ærumnas meus*] Flor. per gnomen: *gaudet magnus ærumnas dolor Tractare totas.* Gronovius. *Animus*] Indutatus jam, malis insensatus & insanus. *Farnabius.*

1068. *Est una*] Supereſt è Troia turris una portæ Scææ, quod ad sinistram esset dictæ, è qua Priamus, Antenor, &c. prœlia & exercitus spectabant, ut Iliad γ'. *Idem.*

1071. *Regebat*] Signo è mœnibus dato congrediendi cum hoste, vel receptus. *Idem. Turre*] *Mittitur Astyanax illis de turribus, unde Pugnantem pro se proavitaque regna tuentem Sæpe videre patrem monstratum à matre solebat.* Idem.

1073. *Face,*] Quam in naves impulit. *Idem.*

1077. *Totum*] Confluunt universi à classe ad miserandum hoc spectaculum. *Idem.*

1079. *Aciem patenti, &c.*] Prospectum. *Idem.*

1081. *Li-*

Erecta summos turba libravit pedes.
Hunc pinus, illum laurus, hunc fagus gerit,
Et tota populo silva suspenso tremit.
Extrema montis ille prærupti petit,
Semiusta at ille tecta, vel saxum imminens
Muri cadentis pressit. atque aliquis (nefas)
Tumulo ferus spectator Hectoreo sedet.
Per spatia late plena sublimi gradu
Incedit Ithacus, parvulum dextra trahens
Priami nepotem: nec gradu segni puer
Ad alta pergit mœnia. ut summa stetit
Pro turre, vultus huc & huc acres tulit,
Intrepidus animo. qualis ingentis feræ
Parvus tenerque fœtus, & nondum potens
Sævire dente, jam tamen tollit minas,
Morsusque inanes tentat, atque animis tumet:
Sic ille dextra prensus hostili puer
Ferox, supernè moverat vulgum ac duces,
Ipsumque Ulysses. non flet è turba omnium,

Qui

1081. *Libravit*] In pedum digitos erecta. *vel* sedens lib. ped. *Farnab.*

1082. *Hunc pinus*] Describit concursum illum vulgi, omnia, ad aspectum Astyanactæi supplicii, occupantis. *Lipsius. Hunc fagus tegit,*] Emendaverat è suo Lipsius: *gerit.* Intercedit cohors codicum Gruteri. At in ordinem coget illam Florentinus, qui clare *gerit.* Nam quod objicitur, non posse hoc placere ob versum sequentem, tanquam heic scilicet agat arbor, ibi patiatur, quid rationis sit, vel ignoro, vel non libet dicere. *Gronov. Gerit,*] Ascendentes, sc. ut Astyanacta projectum spectarent. *Farnabius.*

1085. *Vel saxum imminens*] Manus illustris: Forte, *eminens.* Non putem necessarium. Medea: *ipsa tecti parte præcipiti imminet.* Agamemnone: *Arx imminet prærupta.* Dein eadem *prensat* pro *pressat.* Sed utcunque dissimulent, qui veteres libros tractarunt, non optimus modo, sed & multi alii, *pressit.* Nos certe in Vossiano, Heinsianis, nostro, duobusque in Germania notavimus. Et verum est, multoque elegantius. Sic in Thyeste: *præda cum propior fuit, Cervice tota pugnat.* Hippolyto: *juvit aut amnis vagi Pressisse ripas.* Quod utrumque sollicitavit Gruterus. Sed est usus elegans præteriti pro præsente, quem idem vir præstans in Prosis Senecæ adsecutus non est, ut ibi notavimus. Mela lib. 1. cap. 1. *Vbi primum se coarctat, Hellespontus vocatur: Propontis, ubi se expandit: ubi iterum pressit, Thracius Bosporus: ubi iterum effundit, Pontus Euxinus.* Gronovius.

1093. *Ingentis*] Leonis catulus *Farn.*

1098. *Superne*] E turri sc. *Ferox,*] alto animo mortem despiciens. *Idem.*

1099. *Non flet*] *Ille solus non flet* pro

Qui fletur: ac dum verba fatidici & preces
Concipit Ulyſſes vatis, & ſævos ciet
Ad ſacra ſuperos, ſponte deſiluit ſuâ
In media Priami regna.
Andr. Quis Colchus hoc, quis ſedis incertæ Scytha
Commiſit? aut quæ Caſpium tangens mare
Gens juris expers auſa? non Buſiridis
Puerilis aras ſanguis aſperſit feri.
Nec parva gregibus membra Diomedes ſuis
Epulanda poſuit. quis tuos artus teget,
Tumuloq; tradet? *Nunc.* Quos enim præceps locus
Reliquit artus? oſſa disjecta & gravi
Eliſa caſu, ſigna clari corporis,
Et ora, & illas nobiles patris notas
Confudit imam pondus ad terram datum.
Soluta cervix. ſilicis impulſu caput
Ruptum, cerebro penitus expreſſo. jacet
Deforme corpus. *Andr.* Sic quoque eſt ſimilis patri.

Nunc.

quo omnes flebant. *At populus lacrymas, quas ille tenebat, non tenet.* Farn.

1101. *Concipit*] Prout à Chalchante vate inſtructus & edoctus fuerat. *Id. Vlyſſem*] De Vlyſſis morte, hæc Sex. Empyricus cap. 16. contra Mathematicos: quidam ſcribunt eum à Telegono filio per imprudentiam interemptum; alii à Laro, qui matinæ tutturis ſtimulum immiſerat, occiſum; alii in equi formam mutatum. Sane in Italia ſepultum docet Ariſtoteles in Peplo, ubi illum collocat in Tyrrhenia; ἐπὶ Ὀδυσσέως, κειμένῳ ἐν Τυρρηνίᾳ: quo pervenerat, poſtquam eum Neoptolemus, ne à cognatis occideretur, Cephallenia & Ithaca cedere juſſerat. vide Iſacium & Canterum in Lycophron. *Idem.*

1102. *Sponte*] Projecit ſe in medium urbis, vel populi illic adſtantis. Sunt qui ſuffertum eunt hoc hemiſtichium, adduntque; *non trepidus puer.* verum citra autoritatem libri unius. *Id.*

1104. *Quis Colchus*] Quis immaniſſimus è Colchis Medeæ crudelitate famoſis? *Idem. Sedis*] Herc. Fur. 532. & Thyeſt. v. 628. & 1045. *Idem.*

1105. *Quæ Caſpium*] Hyrcani, barbari & crudeles. *Idem.*

1106. *Buſiridis*] Herc. Fur. 484. *Id.*

1108. *Parva*] Puerorum. *Idem. Gregibus*] Equis. Herc. Fur. 225. *Id.*

1110. *Quos enim*] Neque enim ſepultura opus erit laceris & diſperſis artubus. *Quid enim ſupereſt de corpore; quis membra, quis oſſa Invenit? obtritum pueri perit omne cadaver More animæ.* Idem.

1115. *Silicis incurſu caput*] Sic Pall. Vulgati, *incuſſu.* Lipſii codex *impulſu.* Se prætuliſſe conſenſum plurium ait Gruterus. At litem ſecundum Lipſium dat Ettuſcus. *Gronovius.*

1117. *Hic quoque eſt ſimilis patri.*] Quod conjecit Gruterus: *Sic quoque eſt ſimilis*

Nunc. Præceps ut altis cecidit è muris puer,
Flevitque Achivûm turba, quod fecit, nefas;
Idem ille populus aliud ad facinus redit,
Tumulumque Achillis. hujus extremum latus
Rhœtea leni verberant fluctu vada.
Aversa cingit campus, & clivo levi
Erecta medium vallis includens locum
Crescit theatri more. concursus frequens
Implevit omne littus. hi classis moras
Hac morte solvi rentur. hi stirpem hostium
Gaudent recidi. magna pars vulgi levis
Odit scelus, spectatque: nec Troës minus
Suum frequentant funus, & pavidi metu
Partem ruentis ultimam Troiæ vident.
Cum subito thalami more præcedunt faces.
It pronuba illic Tyndaris, mœstum caput
Demissa. tali nubat Hermione modo,
Phryges precantur. sic viro turpis suo
Reddatur Helene. terror attonitos tenet
Utrosque populos. ipsa dejectos gerit

Vul-

similis patri; id expressum habet Florentinus. *Gronov. Hic quoque*] Etiam in hoc similis patri, quem lacerum raptarat bigis Achilles. *Farnabius.*

1120. *Aliud*] Polyxenæ cædem. *Idem.*

1121. *Tumulumque*] Qui ad Rhœteum Troiæ promontorium. *Id.* Achillis tumulum statuunt in Propontide Homerus Odyss. ω'. & in Peplo Aristoteles. *Delrius.*

1123. *Adversa cingit campus,*] Flor. *Aversa.* Recte: nam frons promontoriorum respicit mare: altera igitur pars *aversa*, & tergi instar. *Gronov.*

1126. *Moras*] Sup. vers. 358. 550. & 811. *Farnabius.*

1129. *Odit scelus, spectatque:*] Satis hoc ad arguendam vanitatem vulgi: exsecrari & tamen spectaculo frui, nam viri graves in his, modo liceat, parcunt oculis. Ipse Nero, teste Tacito, *jussit scelera, non spectavit.* Itaque nihil mutandum. *Gronovius.*

1132. *Thalami*] Nuptiali ritu. sup. 360. *Farnabius. Faces.*] Thebaid. 263. & 507. *Idem.*

1133. *Pronuba*] Sup. 861. *Idem.*

1134. *Hermione*] Helenæ & Menelai filia postea à Pyrrho rapta, verum ab Oreste, cui prius desponsata fuerat, repetita, cæso Pyrrho. *Idem. Modo*] Nece. *Idem.*

1135. *Turpis*] Adultera. *Idem.*

1136. *Terror attonitos movet.*] Flor. *attonitos tenet.* quod convenientius stupore defixis & immobilibus. *Gronovius.*

1137. *Vtrosque*] Trojanos & Græcos. *Farnabius. Ipsa*] Polyxena. *Id.*

Vultus pudore; sed tamen fulgent genæ,
Magisque solito splendet extremus decor.
Ut esse Phœbi dulcius lumen solet
Jam jam cadentis, astra cum repetunt vices,
Premiturque dubius nocte vicinâ dies.
Stupet omne vulgus; & fere cuncti magis
Peritura laudant. hos movet formæ decus,
Hos mollis ætas, hos vagæ rerum vices.
Movet animus omnes fortis, & leto obvius.
Pyrrhum antecedit. omnium mentes tremunt:
Mirantur, ac miserantur. ut primum ardui
Sublime montis tetigit, atque alte edito
Juvenis paterni vertice in busti stetit,
Audax virago non tulit retro gradum;
Conversa ad ictum stat truci vultu ferox.
Tam fortis animus omnium mentes ferit.
Novumque monstrum est, Pyrrhus ad cædem piger.
Ut dextra ferrum penitus exacta abdidit,
Subitus recepta morte prorupit cruor
Per vulnus ingens, nec tamen moriens adhuc
Deponit animos, cecidit, ut Achilli gravem
Factura terram, prona, & irato impetu.

Uter-

1138. *Sed tamen*] In ipsa morte. *Farnabius.*

1143. *Et fere cuncti magis*] Sic & Fl. nec video, cur potius sit: *ut fere.* Et hoc naturale est, inquit, ut quæ salva transirent homines ac pro mediocribus ducerent, ea præ aliis efferant extollantque, cum vident brevi defutura vel interitura. *Gronovius.*

1144. *Peritura laudant*] Per γνώμην adjunctam narrat & effert, Omne vulgus attonitum stetit in formâ Polyxenæ: & eò magis, quod insitus nobis mos laudandi peritura. Nihil verius. vel loca suppliciorum nostrorum adi. Itaque velut parentheſi quâdam hæc legenda. *Lipsius.*

1148. *Miserentur, ac mirantur.*] Flor. cum Lipsiano: *Mirantur, ac miserantur.* Gronovius.

1150. *Juvenis*] Pyrrhus. *Farnabius.*

1153. *Ferit.*] Dolore, stupore, commiseratione. *Idem.*

1158. *Cecidit,*] Euripides & Ovidius sollicitam faciunt, nequid intercadendum astantium oculis aperiretur, quod natura tectum voluit. Euripides: ——ἡ δ' ἐς ξυστηκυῖ' ὄμως Πολλὴν ἀτεγνοιαν εἶχεν ἀχήμους πεσεῖν, Κρύπτειν δ' ἀκρυπτεῖν ὁμως μᾶλλ' ἐθέσεων χρεών. Ovidius: *Tunc quoque cura fuit partes velare pudendas Cum caderet, castique decus servare pudoris.* Delr. *Gravem*] Hippolyt. 1274. *Farnabius.*

1160. *Vict-*

Uterque flevit cœtus. at timidum Phryges
Misêre gemitum. clarius victor gemit.
Hic ordo sacri. non stetit fusus cruor,
Humove summa fluxit. obduxit statim,
Sævusque totum sanguinem tumulus bibit.
Hec. Ite, ite Danai; petite jam tuti domos,
Optata velis maria diffusis secet
Secura classis. concidit virgo, ac puer.
Bellum peractum est. quo meas lacrimas feram?
Ubi hanc anilis exspuam leti moram?
Gnatam, an nepotẽ; conjugem, an patriam fleam?
An omnia? an me? sola mors votum meum.
Infantibus violenta, virginibus venis,
Ubicumque properas, sæva: me solam times,
Vitasque. gladios inter ac tela & faces
Quæsita totâ nocte, cupientem fugis.
Non hostis, aut ruina, non ignis meos
Absumpsit artus: quam prope à Priamo steti?
Nunc. Repetite celeri maria, captivæ, gradu.
Jam vela puppis laxat, & classis movet.

1160. *Uterque*] Troum & Grajorum. *Farnabius.*

1163. *Obduxit*] Hausit, ebibit. *Id.*

1164. *Tumulus*] Noster vult in Troade ad bustum Achillis immolatam Polyxenam, ut Virgilius: sed Euripides in Chersoneso ad tumulum honorarium. vide Turneb. lib. 11. adversar. cap. 19. de illa Ausonius: *Troas Achilleo conjuncta Polyxena busto, Maluerat nullo cespite functa tegi. Non bene discordes tumulos miscetis Achivi: Hoc violare magis, quam sepelire fuit.* Pelrius.

1167. *Concidit virgo,*] Ab aliis Philostratus dissentit, scribens Polyxenam, stante Troia, Achillis desiderio egressam urbe ad ipsius tumulum mortem sibi conscivisse. credo ut à Græcis tantæ crudelitatis notam amoveret. *Idem.*

1169. *Exspuam*] Cum indignatione emittam. Sen. de ira, lib. 3. cap. ult. *Iam ipsum spiritum expuimus interim dum trahimus.* Farnabius.

1172. *Infantibus*] Vt Astyanacti. *Id.* *Virginibus*] Vt Polyxenæ. *Idem.*

1173. *Me solam*] *Quo me servas damnosa senectus! Quo Dii crudeles nisi, ut nova funera cernam, Vivacem differtis anum?* eadem apud Ovid. 13. Metam. *Idem.*

1177. *Quam prope*], Cum ad aras ipse occideret, nec tamen cæsa fui. *Idem.*

1179. *Movet.*] Se movet, movetur. *Idem.*

L. ANNÆI SENECÆ
*MEDEA.

DRAMATIS PERSONÆ.

MEDEA. JASON. CREON. NUTRIX. CHORUS CORINTHIORUM. NUNCIUS.

ARGUMENTUM.

Iason cum uxore & liberis post interfectum Peliam Corinthi exsulabat. Vbi quum Creon rex illum generum legisset, Medea res suas sibi habere à marito, ab rege aliud exsilium quærere jubetur. Illa unius diei impetrata mora, Creusæ sponsæ, pallam & monile magicis infecta venenis mittit: quibus indutis ignem corripuit palla, misereque nova nupta, unà cum patre in natæ auxilium accurrente, combusta est, Medea denique filiis, quos Iasoni pepererat, in patris conspectu trucidatis, per aëra aufugit.

ACTUS PRIMUS.

MEDEA.

Medea deserta superos inferosque Iasonis ultores invocat.

Dii conjugales; tuque genialis tori
Lucina custos; quæque domitorem freti

Ti-

* MEDEA.] Euripidis drama imitatur maxime omnium æquale, & elaboratum. Adeo ut nec esse illius Critici antiqui suspicati sint. Quod ad argumentum vero, plurimum permisit sibi. Neque enim usus fuit τῇ κειμένῃ πράξει, quod plerunque solent Tragici, sed aut immutavit pleraque, aut effinxit. Sane ab antiquorum plerisque discessit. Et in iis præsertim, quæ de liberorum cæde. Quod Corinthiorum gratiæ dedisse existimatur; quos istius facti tum adhuc invidia premebat. Chorus hic è viris, ibi è fœminis Corinthiorum. Ibi omnes summo artificio argumentum promovent, & ex ipsa fere resunt petiti. Duo hic συναγωνίζονται, & serviunt subjecto: Epithalamium, quod Corinthii canunt, & qui est de vesania Medeæ. Medii duo, satis longe sunt petiti: non enim tum navigabat Iason. Etiam ἦθος Medeæ ex parte servat. Quamvis Græcus, meo quidem sensu, vincit. Admiranda enim ibi est δριμύτης illa. Pessima enim ea indoles, non quæ erumpit læsa, sed quæ fallit. Ovidius quoque in epistola Medeæ longe magis & sedatum & æquale dedit: Quod & in Tragœdia fecisse verisimile est. Meliore etiam consilio inter iram ejus manifestam & dissimulationem, duos choros inserit. Hic vero subito mutatur. Cætera eruditi contendant. *Heinsius.* Medeas multi scripserunt. apud Græcos occurrunt Eubulus, Stratis & Cantharus, sed horum Medeæ comœdiæ fuerunt, tragœdias hoc nomine invenio composuisse, Græce quidem Euripidem, (quam nonnulli Nicophroni ascribunt) Herillum, Diogenem, Philiscum, & Demologum; Latine vero Ennium, Attium, Pacuvium, Varronem, & Ovidium. *Delrius.*

Vers. 1. *Dii conjugales;*] *Iupiter & Iuno* γαμήλιοι, seu τέλειοι. Πειθὼ seu *Suada* nuptiarum conciliatrix, pronuba. *Diana* sive *Lucina* de qua mox. *Venus* γενετυλλὶς genituræ domina: *Genie* (qui quod una natus sit natosque tueatur, vel quod ut generemur curet, à gignendo nomen habet) & *Hymenæe*, Nuptiarum præses: de quo Thebaid. vers. 262. *Farnabius.* *Genialis*] Qui in Genii (naturæ Dei) honorem, nuptiis sternitur. *Idem.*

2. *Lucina*] Græcis Εἰλείθυια, puer-

Tiphyn novam frænare docuisti ratem;
Et tu profundi sæve dominator maris;
Clarumque Titan dividens orbi diem;
Tacitisque præbens conscium sacris jubar
Hecate triformis; quosque juravit mihi
Deos

puerperii præses *Diana*, partutientibus à Parcis præfecta, quod ipsam sine dolore in utero gestasset mater, & absque sensu in lucem edidisset. *Callimach.* Lucina dicta. Ovid. *dedit hæc tibi nomina lucus, Aut quia principium tu dea lucis habes.* ad pariendum autem confert Luna. *Quæque domitorem freti*] Infrà noster: *Tiphys in primis domitor profundi.* Florent. tamen *domituram freta.* ut de rate sive navi accipiatur. Mare adhuc ferum & intractabile hominibus reddituram obnoxium & morigerum. *Frenare* (quam frustra metaphoram audaciorem vocant) est instruere & regere rudentibus quasi frenis. Eadem audacia Virgilius: *classique immittit habenas.* Valerius Flaccus lib. 1. *volat immissis cava puppis habenis.* lib. 4. *permissu jam fundere rector habenis Vela.* Gron. *Quæque*] Minerva.

3. *Tiphyn novam frænare docuisti ratem;*] Sic Catullus, *currum* pro navi; & Horatius, Eurum per Siculas undas *equitare* dixit. tale illud ex veteri poëta apud Catisium lib. 4. *Tiphyn aurigam celeris fecere carinæ.* quod, si vera refert Iul. Pollux, è Græcâ tragœdiâ fuit expressum. *Delrius. Tiphyn*] Gubernatorem navis in Argonautica expeditione. *Farnab. Novam*] Ovid. epist. Paridis: *Phasida puppe nova vexit Pagasæus Iason.* lib. 3. Trist. *quæ cura pugnacis facta Minervæ Per non tentatas prima cucurrit aquas.* Rader. *Docuisti*] Minervam alloquitur. *Delr.*

4. *Et tu*] Neptune. *Farnabius.*

5. *Titan*] Sol fili Hyperionis, qui unus è Titanibus. *Idem. Dividens orbi diem;*] Alternis uttumque hemisphærium illuminans. *Delrius.*

6. *Tacitisque sacris*] Noctu & in locis secretis fieri solitis, magicis, necromanticis. *Farnabius.*

7. *Quosque juravit*] Ovid. 7. met. *per sacra triformis Ille deæ, locoque foret quod numen in illo, Perque patrem soceri cernentem cuncta futuri, Eventusque suos & tanta pericula jurat.* Epistola Medeæ: *Conscia sit Iuno sacris præfecta maritis, Et dea, marmorea cujus in æde sumus.* Valerius Flaccus 7. Argon. *Per te, quæ superis divisque potentior ima! Perque hæc ergo tuo redeuntia sidera nutu, Atque per has nostri juro discriminis horas.* Vel, inquiunt interpretes, generaliter deos, pro more in contrahendis nuptiis jurejurando testes adhibitos, invocat, vel Sidera & Horas. Vtrumque non sine ineptiis. Falsum est pro more nuptiis jusjurandum interpositum. Vnde enim tam frequentia & quotidiana divortia? & quidem sine resecratione? Si qui jurarunt, proprias fecerunt ob causas, non ex more solenni. Sic Ptolomæus Ceraunus sumptis in manus altaribus inauditis ultimis exsecrationibus adjuravit, se sincera fide matrimonium sororis Arsinoës petere, nuncupaturumque se illam reginam, neque in contumeliam ejus se aliam uxorem habiturum, Iustin. 24. Sic Tiberius equiti Romano jurisjurandi gratiam fecit, ut uxorem in stupro generi compertam dimitteret, quam se nunquam repudiaturum ante juraverat, Suet. 35. Sic Cajus Enniæ Næviæ Macronis uxori, ad stuprum sollicitatæ, de matrimonio suo jurejurando cavit, idem cap. 12. Sic & Iason, ut beneficio Medeæ se dignum ostenderet. Et hi, quique his similia fecerunt, jurarunt non inter solennia nuptiarum, sed ante, ut inducerent speratas ad condicendas nuptias, quæ postea

Deos Iaſon; quoſque Medeæ magis
Fas eſt precari; noctis æternæ chaos
Averſa ſuperis regna, Maneſque impios,
Dominumque regni triſtis, & dominam fide
Meliore raptam, voce non fauſtâ precor:
Adeſte,

poſtea ſolennibus confirmarentur. Fruſtra adſcribunt Lucani locum de repetitis Catonis & Marciæ nuptiis: *ſacriſque deos admittere teſtes.* Nam dii teſtes adhibentur ſacris, quotieſcunque invocantur, ut propitii adſint & annuant litationi. Hoc ex eodem more hic, ex quo Terentianus ſenex: *Abi, deos comprecare, uxor hodie tibi ducenda eſt.* At *horas ſui diſcriminis* quum appellat Iaſon, non jurat per Horas deas, ſed adjurat hoc ſuum tempus, hæc diſcrimina, & ut ait Ovidius, tanta pericula. Cujus formulæ hæc eſt ſententia: *Ita evadam hoc periculum, has tanti diſcriminis horas, ut tibi fidem ſervabo: ſi ſciens fallo, non evadam, aut in idem graviuſve periculum recidam.* Gronovius. Apollodorus lib. 1. de Medea: ἥδε, ὅς τε ὤμοσεν Ἰάσονι θεὺς ἐπιορκήσοντι μὴ. *Delrius.*

8. *Medeæ magis*] Infernis ſacris magicis initiatæ. *Farnabius.*

9. *Chaos*] Hiatum & cæcam voraginem æternæ noctis, id eſt, mortis & inferorum. Vide Hercul. verſ. 609. & Thyeſt. verſ. 830.

10. *Adverſa ſuperis regna,*] Scio, ut interpretentur. Sed Etruſcus: *Averſa Superis.* Et verius puto. Nam frontem inferorum ſpectantem in alium polum, tergum nobis obverſum fingit. Vnde in Agamemnone: *Vos Vmbræ precor, Referate paulum terga nigrantis poli.* Quare etiam apud Lucanum lib. 1. verſ. 54. legas cenſeo: *Nec polus averſi calidus qua vergitur Auſtri:* & lib. 8. verſ. 337. *cœlumque peroſus Averſoſque polos alienaque ſidera quæris.* Similiter apud Statium lib. 8. Thebaid. verſ. 358. *Qualis ubi averſi ſecretus pabula cœli Nilus, & Eoas magno bibit ore pruinas:* & lib. 2. Achill. verſ. 539. *licet ille ſonantibus antris Tethyos averſæ gremioque prematur aquoſo.* Nam noſter polus nobis *adverſus* eſt ſpectare cœlum natis; relinquitur ut alter ſit *averſus.* Ipſi autem inter ſe quum conſiderantur, non Antarcticus magis eſt adverſus Arctico, quam Arcticus eſt adverſus Antarctico. Præiit his omnibus Virgilius: *Non tam averſus equos.* Vbi recte Servius: *non in alio orbe habitamus.* Iuvat & illud in ſexto Æn. *jacet extra ſidera tellus Extra anni ſolisque vias,* &c. Tum Noſtri in Oedipo: *quiſquis ſub hoc In alia verſus ſidera ac ſolem avium Dependet orbis.* Hæc *averſum* alium polum volunt, non *adverſum.* Aliter Cicero, quum in Somnio Scipionis: *Auſtralis ille, in quo qui inſiſtunt adverſa nobis urgent veſtigia.* Et Tibullus ad Meſſalam: *Fertilis hanc inter poſita eſt interque rigentes Noſtraque & huic adverſa ſolo pars altera noſtro.* Horum alia ratio eſt. *Gronovius. Maneſque impios,*] Interpretantur umbras ſeu animas impiorum corpore exutas. At *Manes impii* ſunt inferi immiſericordes, qui nemini parcunt, omnes ad ſe trahunt. Vt Horatio, *Impube corpus, quale poſſet impia Mollire Thracum pectora.* Sic contra *pius* clemens & *pietas* clementia. *Idem.*

11. *Dominumque*] Plutonem. *Farn. Dominam*] Proſerpinam. Virgilius 6. Æneid. *Hi dominam Ditis thalamo deducere adorti.* Delrius.

12. *Meliore*] Raptam, Pluto uxorem duxit; ductam, non repudiavit umquam, ut Iaſon Medeam. *Idem. Raptam*] Hiſtoriam raptus Proſerpinæ tribus lib. Claudianus ſcripſit, brevius Ovid. lib. 5. Metamorph. id cur confictum, ex Firmico didici lib. de myſteriis

Adeſte, adeſte ſceleris ultrices deæ,
Crinem ſolutis ſquallidæ ſerpentibus,
Atram cruentis manibus amplexæ facem,
Adeſte: thalamis horridæ quondam meis
Quales ſtetiſtis. conjugi letum novæ,
Letumque ſocero & regiæ ſtirpi date.
Mihi pejus aliquid, quod precer ſponſo malum:
Vivat.

myſteriis & erroribus prophanarum religion. cap. 7. plures procos habuiſſe Proſerpinam, & inter eos divitem quendam ruſticum, nomine Plutonem; qui cum amoris impatiens, moram non ferret, inventam veſperi, in Ennæ finibus prope Pergum lacum amœniſſimum, vehiculo ſupertimpoſitam avexit. raptorem cum armatorum turmis Ceres perſequitur; qui vitæ ſuæ timens, & prædæ retinendæ ſpem abjiciens, equos per medium lacum impulit; cujus profundis voraginibus uterque demerſus interiit. Poſtea ſolatio matris, Ennenſes ab inferorum Deo Plutone raptam finxerunt. Quæſivit interea toto fere terrarum orbe filiam Ceres, & Atticis frumentum ſecum è Sicilia delatum diviſit, jaciendi ſeminis & frugis colligendæ diſciplinam tradidit: eo devincti beneficio, Cereri natæque illius divinos honores decreverunt. quæ cuncta ample Firmicus, ſcriptor Chriſtianus, alius ab aſtrologo nugaciſſimo. *Delrius.*

13. *Adeſte, adeſte ſceleris*] Flor. *Nunc nunc adeſte ſceleris.* Virgilius 5. Æn. *Nunc nunc inſurgite remis Hectorei ſocii.* Heinſ. minor: *Huc adeſte ſceleris.* Sed videtur illud prius *Adeſte* referendum ad jam rogatos deos, & ita diſtinguendum: *voce non fauſta precor, Adeſte. Adeſte ſceleris.* Quamquam optimi codicis lectio in eandem ſententiam diſtingui poſſit: *voce non fauſta precor, Nunc nunc adeſte. Sceleris ultrices*, &c. *Adeſte.* Monſtrate vos præſentes, vindicta ſcilicet perjurii. *Gronov. Vltrices*] Eumenides, Pœnæ, Furiæ. Hercul. Fur. verſ. 100. Eumenides Athenienſibus dictæ σεμναὶ θεαί, auctoribus Sophocle, Ariſtophane, Plutarcho, ceteris. Inde factum ut Pœnæ dicantur, à Virgilio, in Ciri: *Ergo jam cauſam mortis me dicere juncta Verberibus ſævo cogunt ſub judice Pœnæ.*

14. *Crinem*] Erinnys, Furiæ, excutite *pronam flagranti vertice pinum Strideteſque comas.* Farnabius. *Serpentibus,*] En habitum, quo Furiæ depingebantur: Vetulæ, caput anguibus pro capillitio cinctæ, ſanguineam manu facem geſtantes & flagellum. primus illis Æſchylus angues attribuit, mox cæteri. Catullus: *Eumenides; quibus, anguineo redimita capillo Frons exſpirantis præportat pectoris ignes.* Delrius.

16. *Thalamis*] Nuptiis infauſti exitus furias ſtatuunt auſpices & pronubas. *Nam mihi nec Iuno nec Hymen, ſed triſtis Erinnys Prætulit infauſtas ſanguinolenta comas.* Hypſip. Ovidius. Vide Octav. verſ. 23. & 158. *Farnab.*

17. *Conjugi*] Creuſæ. Al. Glaucæ.

18. *Socero*] Creonti.

19. *Mihi pejus aliquod,*] Non videntur ſana & auctore digna. Interpretantur, date mihi malum longe deterius, quod imprecer perfido Iaſoni. Sed peſſimi ominis eſt ita concipere preces: *date mihi malum.* Gruterus *aliquid*, confirmatum à Flor. & intelligit τὸ eſt: ut dicat: quod ad Iaſonem ſpectat, non indigere ſe opera Furiarum, eſſe enim ſibi ad manum, quod ei imprecetur omni malo pejus. Nondum ſatisfacit. Cogitabam aliquando: *Me pejus aliquid.* Quoniam

me

Vivat. per urbes erret ignotas egens,
Exul, pavens, invisus, incerti laris.
Me conjugem optet; limen alienum expetat,
Jam notus hospes: quoque non aliud queam
Pejus precari, liberos similes patri,
Similesque matri. parta jam, parta ultio est.
Peperi. querelas, verbaque incassum fero.

Non

me dedignatur, date & comparate aliquid pejus. Passim enim sese sceleratam fatetur. Cogitabam etiam: *Nisi pejus aliquid. Quod precer sponso malum? Vivat, per urbes erret.* Certe Florentinus τὸ *malum* subjicit notam interrogationis. Fortassis denique: *Me pejus aliud quod precer sponso malum?* Gronovius.

20. *Ignotas*] Et inimicas. *Farn.*

21. *Laris.*] Domus, loci habitandi. *Idem.*

23. *Jam*] Namque & hic apud Creontem hospes est. *Idem.*

24. *Similes*] Perfidos.

25. *Similesque*] Veneficos, crudeles. *Farnabius. Parta jam, parta ultio est. Peperi.*] Ad mentionem liberorum, quasi Ositi invento, sic exclamat. *Peperi.* id est, habeo liberos ex ipso, per quos punietur, haud dubie futuros patri matrique similes, id est proditores ac desertores: ut ille conjugis, hæc patris. Hactenus enim tum, & nihil gravius cogitabat: necdum ei in mentem venerat, ut sua manu illos trucidaret. Nihilominus facit hoc ei verbum excidere Seneca adhuc ignaræ, quasi omen futuræ cædis. Statim tamen quasi tarda illa vindicta & inani gaudio, increpat se frustra querentem: quamvis nihil ultra proficiat, nisi quod intelligit spem vindictæ unicam esse in ipsa sibi, & sibi faciendum esse. Quam autem viam & rationem ulciscendi velit tentare, hoc nondum cantico exputat. Raderus mavult ad liberos ex Creusa gignendos referre. Sed, *Similesque matri*, non convenit Creusæ, quæ nullo scelere infamabatur: dein isti jam optaverat letum, priusquam pareret. Corrigit idem, *Peperi.* At nondum repererat, sed quasi infimum tetigerat gradum struendi sceleris. Et illa ipsa, *parta jam, parta ultio est. peperi*, pars sunt inanium querelarum. Itaque nec in illis, quæ sequutus quicquam certi, sed vagæ comminationes & prolusio gravis quidem iræ, sed quo vergat, nondum decernentis. Pariter ominosa sunt vers. 33. *curribus patriis*, & vers. 39. fax *pronuba* cum *sacrificis precibus* & *supplicium per viscera*: in quibus aliquid desidero in interpretibus: sic enim loquuntur, quasi directo Medea innuat intelligatque medicatum ignem & incantationes & liberos occidendos. At ars est Poëtæ jubentis eam adhuc ignaram imprudentemque & necdum intelligentem, quid ominetur, præsagire & turbatam dictitare, quod futuris ejus consiliis congruit, etsi nondum ipsa verbis hos sensus imponat. Nam currus petit, non tanquam abducturos se post scelus peractum, sed quasi Phaëthon orbem terrarum, Corinthon & Isthmum crematura. At vers. 39. intelligit: Restat, ut ego quoque his nuptiis aliquid solennitatis addam & efficiam, ut sint celebriores mea vindicta. Denique per viscera quære supplicio viam, est, vel, peri, dum perdas. Vt Clytæmnestra in Agamemnone: *per tuum, si aliter nequit, Latus exigatur ensis, & perimat duos.* Tantum intelligit persona, quæ loquitur. Sed poëta, observans vim naturæ & animi in præsagiendo, quod instat, ejusmodi verbis hanc mentem ejus explicat, quæ etiam significare

Non ibo in hostes? manibus excutiam faces,
Cœloque lucem? spectat hoc nostri sator
Sol generis! & spectatur, & curru insidens
Per solita puri spatia decurrit poli?
Non redit in ortus, & remetitur diem?
Da, da per auras curribus patriis vehi.
Committe habenas, genitor, & flagrantibus
Ignifera loris tribue moderari juga.
Gemino Corinthos littori opponens moras,
Cremata flammis maria committet duo.
Hoc restat unum: pronubam thalamo feram

Ut

gnificare possint, quod illa postquam deliberaverit, & explorata habebit consilia, peractum est. *Gronovius.*

27. *Hostes?*] Creontem, Creusam, Iasonem. *Farnabius. Manibus excutiam faces,*] Ex manibus δαδοῦχον illas Creusæ nuptiis præferentium. de facibus, vide quæ ad v. 263. & v. 507. Thebaid. infr. vers. 112. *Idem.* Apud Romanos solebant δαδοῦχεῖν, hoc est, faces præferebant pueri patrimi matrimique, easque numero quinque. Festus: *Facem* (inquit) *in nuptiis in honorem Cereris præferebant, aquaque spargebatur novæ nuptæ; sive ut casta puraque ad virum veniret, sive ut ignem atque aquam cum viro communicaret.* Idem: *rapi solet fax, qua prælucente nova nupta deducta est, ab utrisque amicis: ne aut uxor eam sub lecto viri ea nocte ponat, aut vir in sepulchro eam comburendam curet: quo utroque mors propinqua alterius utrius captari putatur.* Delrius.

28. *Cœloque lucem?*] Inducamque extinctis facibus tenebras? *Farnabius. Nostri sator*] Æetes enim Medeæ pater fuit, Solis ex Persa Neptuni filia natus.

29. *Sol generis! & spectatur,*] Merito Lipsianum *spectatur* contra Delrium tuetur Gruterus. Hippolyto: *tuque sidereum caput Radiate, tantum ne nefas stirpis tuæ Speculere, lucem merge, & in tenebras fuge.* Idem recte defendit *puri* contra Lipsianum *curvi*. Martialis 8, 14. *Specularia puros Admittunt soles.* lib. 4, 64. *Puris leniter admoventur astris Celsa culmina delicata villæ.* Gronovius. *Et spectatur,*] Annon horrens refugit, vultusque suos regit?

30. *Puri*] Non mutati, nulla nube maculati, nec in ortum redeuntis, ut in scelere Thyestæo? vide Act. 4. cum Choro, & Act. 5. Thyest.

32. *Patriis*] Avitis, ut Phaëtonta quondam paterno curru.

34. *Iuga.*] Equos Solis ignipedes, flammivomos.

35. *Gemino Corinthus littori opponens moras,*] Florent. *Corinthos.* Videtur etiam scribendum *littore.* Non enim littori opponit moras Corinthus, sed per littus utrumque mari. Plancus ad Senatum apud Ciceronem lib. 10. *ut aut celeriter pollicendo magna in spe ad proficiendum impedimenta opponerem.* Gronovius. *Gemino*] Et comburam Corinthiacum Isthmon cum urbe in qua Creon, Iason, Creusa. Sic: *Qui secat & geminum gracilis mare separat Isthmos, Nec patitur conferre fretum; si terra recedat, Ionium Ægæo frangat mare.* Nam à dextra habet mare Ionium, à sinistra Ægæum.

37. *Pronubam thalamo feram Ut ipsa pinum;*] Facem è pinu. vid. infr. vers. 111. & Thebaid. vers. 263. Sunt qui

Ut ipsa pinum; postque sacrificas preces
Cædam dicatis victimas altaribus.
Per viscera ipsa quære supplicio viam,
Si vivis, anime: si quid antiqui tibi
Remanet vigoris, pelle fœmineos metus,
Et inhospitalem Caucasum mente indue.
Quodcunque vidit Phasis aut Pontus nefas,
Videbit Isthmos. effera, ignota, horrida,
Tremenda cœlo pariter ac terris mala,
Mens intus agitat; vulnera, & cædem, & vagum
Funus per artus. levia memoravi nimis.

Hæc

qui *Spinum* legunt: nam & è Spina alba faces nuptiales fieri solitæ. Catullus: —— *manu Pineam quate tædam.* quo loco Palladius, Parthenius, Muretus, & Beroaldus in Apuleium, ex Festo & Plinio reponunt *Spineam.* Scaliger in Conjectaneis, unum Varronis & alterum Ovidii locum eodem pacto emendavit. ejusdem opinionis est Alexander Sardius lib. 1. de moribus & ritibus gentium cap. 7. Me autem valde movent omnia Senecæ exemplaria, quæ & hîc & paullo inferius semper *pinum* continent. Virgilius etiam, in Citi scripsit; *Pronuba nec castos incendet pinus odores.* Et vero ex diversis arborum generibus hæ faces confici potuerunt. Plinius sane suis temporibus ex corylo confici consuevisse scribit. Quamobrem Barnabæ Brissonio assentior, existimanti tam pinum, quam spinam albam huic usui solitam accommodari. Vt ea summorum virorum emendatione scriptoribus illis opus non sit. *Delrius.*

41. *Si vivis,*] Se ad vindictam incitat.

43. *Caucasum*] Feritatem & crudelitatem Heniochorum & Scytharum qui ad Caucasum: nam illic solent hospites mactare. Thyest. vers. 1046. vel etiam meam, quæ è Colchide. *Farnabius.*

44. *Quodcunque vidit*] Tale hic in Corintho patrabo facinus, quale olim in Colchis; cujus Phasis fluvius est, quæque Ponto contermina. ubi scil. fratrem Absyrtum discerpsi dispersique, ut patri me insequenti moram injicerem, dum artus dissipatos colligeret. *Idem. Phasis*] Teste Ptolomæo, ex montibus Caucasiis; teste Strabone, ex Armenia; teste Plinio, ex Moschis nascens, Hippum, Glaucum, Cyaneum, & alios amnes recipit, & antequam prope Phasim urbem mari illabatur, centum & viginti pontibus jungitur. Hecatæus Milesius putavit influere in Oceanum, sed errorem confutavit Artemidorus Ephesius, & Eratosthenes, vere enim illabitur in Euxinum pontum, ut Apollonii Scholiastes tradidit. Prius *Arcturus* vocabatur, mutati nominis causam, sed fabulosam, narrat Plutarchus ἐν τῷ περὶ ποταμῶν. Procopius libro 2. de bello Persico indicat, circa fontem vocari, *Boas. Delrius. Pontus*] Euxinus, per ἀντίφρασιν; cum prius ob incolarum immanem crudelitatem ἄξεινος dicereturr. vide Ammianum Marcellinum lib. 22. *Idem.*

46. *Tremenda*] Diis & hominibus abominanda. *Farnabius.*

47. *Vagum Funus per artus.*] Funus vagum, quia colligendum fuit dispersis longe lateque Absyrti lacerati membris. *Fabritius.*

49. *Hæc*

Hæc virgo feci. gravior exsurgat dolor.
Majora jam me scelera post partus decent.
Accingere ira, teque in exitium para
Furore toto: paria narrentur tua
Repudia thalamis. quo virum linquis modo?
Hoc quo secuta es. rumpe jam segnes moras:
Quæ scelere parta est, scelere linquenda est domus.

49. *Hæc virgo feci.*] Hæc in fratre Absyrto feci virgo nondum assueta tot malis, ut Iasoni nuberem, cui nuptæ & ex eo matri factæ, ne dimittar; vel etiam in repudii vindictam, majora sunt scelera excogitanda. *Farnabius.*

51. *Paria*] Æquè crudelia & scelesta. Nuptias proditione patris & cæde fratris conciliavi; repudium cæde superinductæ Creusæ & propriorum liberum ulciscar. *Farnabius.*

55. *Quæ scelere parta est, scelere linquetur domus.*] Speciosè corruptus hic est Lipsianus codex: *Quæ scelere pacta est, scelere rumpetur fides.* Ex minis uni personæ convenientibus generalem sententiam fabricarunt: quo genere sæpe in poëtis est peccatum. Vt alia taceam, notissimum Ovidii: *Cuncta prius tentanda:* quum manifesta ratio suadeat Nasonem scripsisse: *per flumina juro Infera, sub terras Stygio labentia luco, Cuncta prius tentata: sed immedicabile vulnus Ense recidendum est, ne pars sincera trahatur.* Iurat ipse Iupiter se omnia miliora tentasse, sed frustra. Sic Agamemnone vers. 507. *Nil ratio & usus audet in magnis malis*, fecerunt pro Senecæ, *audet: ars cessit malis.* Et intellexit fraudem Gruterus, etsi pro corrupto starent omnes ejus codices. Is hic fecit utrimque mixtum: *Quæ scelere pacta est, scelere linquetur domus.* Sed Florentinus: *Quæ scelere parta est, scelere linquenda est domus.* Nec minus doctis & verbis & sensibus. Domum comparant connubium ineuntes & linquunt dissolventes. Terentius Andria: *Domus, uxor, liberi inventi invito patre.* Catullus in epithalamio Mallii & Iuliæ: *Et tibi domus ut potens Et beata viri tui, Quæ seni tibi serviet.* Iuvenalis Sat. 6. *Permutat quæ domos & flammea conterit.* Heinsianus quoque minor: *Quæ scelere parta est, scelere linquenda domus.* Si alterutrum est fastidimus, priori tutius carebimus. *Gronovius.*

CHORUS.

Chorus è mulieribus Corinthiis Iasonis & Creusæ nuptiis Epithalamium præcinit.

Asclepiadei, Glyconici, & Hexametri.

Ad regum thalamos numine prospero,
Qui cœlum superi, quique regunt fretum,
Adsint, cum populis rite faventibus.
Primus sceptriferis colla Tonantibus

56. *Ad regum*] Ad Iasonis & Creusæ nuptias. *Farnabius.*

58. *Rite faventibus.*] In sacris, adstantes favebant linguâ, id est, malis verbis abstinebant, bona dicebant εὐφήμως: votis & acclamationibus fausta lætaque ominati. Vide Octav. vers. 693.

Tau-

Taurus celſa ferat tergore candido.
Lucinam nivei fœmina corporis
Intentata jugo placet. &, aſperi
Martis ſanguineas quæ cohibet manus,
Quæ dat belligeris fœdera gentibus,
Et cornu retinet divite copiam,
Donetur tenerâ mitior hoſtiâ.

Et

60. *Taurus*] Neptuno, Apollini, Marti taurum immolari, Iovi nequaquam vult Servius. Has itaque infauſtas fore nuptias ominatur. Sed τῷ Διὶ ἤγοντο ταῦροι πάγκαλοι εἰς τέσσαρας. Xenophon Cyripæd. Et ἔθυσα τῷ Διὶ βασιλικῶς ταῦρον λευκόν. Iulian. ad Libanium. *Farn.*

61. *Lucinam*] *Iunonem ante omnes, cui vincla jugalia curæ, Candida & intacta placet cervice juvenca.* Idem. *Fæmina*] Vacca candida, quæ nunquam ſubjecta fuerit jugo, injugis.

63. *Quæ cohibet*] Pax ſeu Concordia, *unde fluit pleno cunctorum copia cornu:* alluditque ad κέρας Ἀμαλθείας ſeu Acheloi. *Farnabius.* Pax invocatur, δέσποινα χορῶν, δέσποινα γάμων, ut ait Ariſtophanes. Eam cum Copia & hujus cornu jungit & Horatius in carmine ſeculari. *Raderus.* Nullus Senecæ melior hic commentarius quam nummi antiqui, ex quibus ille hanc deſcriptionem petivit. Duos apponam, alterum Auguſti, alterum Veſpaſiani. *Gronovius.*

66. *Tenerâ*] Ove. nam hæc Pacis hoſtia, quæ illi cædebatur ſeorſum extra conſpectum Deæ, cujus nec aram ſanguine licebat aſpergere, quia neces & ſanguinis effuſiones Paci adverſantur. docent Ariſtophanes, ejuſque Scholiaſt. in comœd. *Pax.* Delrius. *Hoſtiâ.*] Ovidius: *Hoſtibus à domitis hoſtia nomen habet.* Proprie ergo *hoſtia*, quæ devictis hoſtibus mactatur. Verum Sex. Pompeius, hoc nomen omni victimæ, quæ feritur, commune docet. quia ferire, veteres *hoſtire* dixerunt, & ab hoſtiendo *hoſtia.* Servio auctore, *Hoſtiæ* dicuntur ſacrificia eorum, qui in hoſtem pergunt; *victimæ*, ſacrificia quæ poſt victoriam fiunt. ſed hæc (ait) licenter confundit auctoritas. Servio aſſentit D. Iſidorus lib. 6. Orig. cap. de offic. & addit: *alii victimam*

Et tu, qui facibus legitimis ades,
Noctem discutiens auspice dextera,
Huc incede gradu marcidus ebrio,
Præcingens roseo tempora vinculo.
Et tu, quæ gemini prævia temporis
Tarde stella redis semper amantibus:
Te matres avidæ, te cupiunt nurus,
Quam primum radios spargere lucidos.
Vincit virgineus decor
Longe Cecropias nurus:
Et quas Taygeti jugis
Exercet juvenum modo,

Muris

mam dictam putaverunt, quia ictu percussa cadebat, vel quia victa ad aras ducebatur. Delrius.

67. *Et tu, qui facibus*] Hymenæe, Deus nuptialis, quem noster, Bacchi Filium, Asclepiades Apollinis, alii Magnetis volunt; Deus nuptialis, pingebatur juvenis marcidus, voluptate dissolutus, temulentus, coronatus rosis, ut noster innuit, vel amaraco, ut Catullus, dextra faces, sinistra flammeum ostentans, in pedibus soccos luteos gerens. Catullus in Epithalamio Iuliæ & Mallii. *Farnabius.*

68. *Noctem discutiens*] Face quam præfers nocturnas tenebras dispellens. *Auspice*] Vide Troad. versu 861. *Dextera,*] Qua auspicium præbes nuptiis, & facis ut auspicato contrahantur. auspicia enim attendi in nuptiis monuit Turneb. lib. 3. adv. cap. 14. Seneca; *Per ego auspicatos regii thalami thoros.* Delrius.

69. *Marcidus*] Namque *marcentes gaudet vibrare coronas, Et quassare faces & noctem ducere ludo.* Farnabius. Temulentum Hymenæum fingebant; an quia sine Cerere & Baccho friget Venus? *Marcidus,* hoc est enervatis & fractis viribus, languens ac titubans præ vinolentia. hunc gradum & marcotem in somnolentis cernimus, somno nondum plene discusso. hinc Plinius Cæcilius, *somno marcidos* dixit. *Delr.*

71. *Et tu, quæ*] Veneris stella, noctis prævie Hesperе, diei prænuncie Phosphore. Hippol. vers. 748. *Farn.*

72. *Tarde stella*] *Vt nox longa quibus mentitur amica,* &c. Ita sponsorum; noveque nuptarum desiderio, tardè procedere videtur dies, nuptiis dictus.

75. *Virgineus*] Virginis sponsæ, Creusæ seu Glauces. *Farnabius.*

76. *Cecropias*] Atticas puellas nubiles. Cecrops autem primus erat Athenienſium rex. *Idem.*

77. *Et quæ Taygeti jugis Exercent*] Sic Fabricius, quum antea vulgaretur: *Et quas Taygeti jugis Exercet:* improbante Delrio. Gruterus revocavit Fabricianum auctoribus codicibus suis. Quis autem non videt commodius dici: *Sparta exercet virgines suas in jugis Taygeti:* quam, *Virgines in Taygeto exercent Spartam.* & quidem *juvenum modo?* Nam quod defendi hoc putat vers. 214. rursum illuditur à membranis parum castis. non enim *exercet* ibi, sed *exterret* legendum. Statim liber optimus: *Alpheæsque.* Gronov. *Taygeti*] Laconiæ montis, Spartæ imminentis. *Virginibus Bacchata Lacænis Taygeta.* De Spartanis virginibus loquitur,

Muris quod caret, oppidum:
Et quas Aonius latex,
Alpheosque sacer lavat.
Si formâ velit aspici,
Cedent Æsonio duci;
Proles fulminis improbi,
Aptat qui juga tigribus:
Nec non qui tripodas movet,

Frater

quitur, de quibus sunt illa antiqua, *Nihil horum simile apud Lacænas virgines, Quàm magi' palæstra, Eurota, sol, pulvis, labor, Militia in studio est, quam fertilitas barbara.* de his etiam integra exstat Propertii eleg. lib. 3. ubi inter cetera legitur: *Et modo Taygeti crines aspersa pruinis, Hortatur patrios per juga longa canes.* Delrius.

79. *Muris quod*] Quod tamen postea muris cingi cœpit. prius ἀνδρῶσι δὲ τὸν πολίνθοις περιεκόμισεν. Strabo.

80. *Et quas*] Vincitque Thebanas virgines. Bœotia autem prius Aonia dicta est, ab Aone Neptuni filio. *Aonius latex*] Dirce fons Bœotiæ prope Thebas. *Farnabius.*

81. *Alpheusque*] Thyest. vers. 116. *Idem. Sacer*] Quia fluvii, teste Theocrito, θείων ῥείθρων. & quia, ut ait Pausanias ἡλιακὸς ἀ. Alphei aqua Iovi Olympio grata putabatur; iccircoque Elei hac sacrificiorum cineres abluebant, iisque Iovis Olympii simulacrum illinebant, teste Mosco & Pausania. *Delrius.*

82. *Si formâ velit aspici, Cedent Æsonio duci;*] Mallet Delrius hos versus transponi, posteriorem loco prioris. Me non adsentiente, inquit Gruterus: innuit enim non captare Iasonem laudes à forma. At eum sensum non exstinguit transpositio Delrii: quam tamen nec ego necessariam judicarem, nisi vidissem eundem in Florentino ordinem versuum. *Si velit*, inquit, quasi dubitans: nam fortes pulcritudinis laudem dedignantur. Statius de Parthenopæo: *Nec formæ sibi laude placet, multumque severis Asperat ora minis.* Gron. *Æsonio*] Hic Æsonis filius, Æson Crethei, Cretheus Æoli. de matre non constat. Andron, Theogniten; Herodotus, Polyphemen; Stesichorus, Eteoclymenem; Pherecydes, Alcymedem Philaci filiam; Apollonius, Alcymeden, sed Clymenes filiam autumat. Iason παρὰ τὸν ἴωνα, quod medicinam à Chirone didicerit, vocatus. hæc Apollonii & Pindari Scholiographi. Ad formam Iasonis indicandam facit illud Attatini Cælium vocantis Iasonem pulcellum apud Fortunatianum lib. 2. Rhetor. Scholicæ. *Delrius.*

84. *Proles*] Hercul. Fur. vers. 455. pulcher, Hipp. vers. 751. *Farnabius.* Bacchus à Iove fulminante & flammis Semelem comburente genitus. notates. Sic Colutus Paridis formam Bacchi formositati præponit. *Delrius. Improbum* autem *fulmen*, non quia mortalibus noxium & fontes punit, sed temerarium quia plus ausum quam debuit & decuit, Iovis delicias absumpsit. Vt infrà Argo: *dedit illa graves Improba pœnas.* quæ scilicet ausa est rumpere fœdera mundi, quamque postea vocat *audacem carinam.* Gron.

85. *Aptat*] Oedip. vers. 425. & Hipp. 752. *Tigribus*] Nam Bacchus dicitur vehi curru junctis tigribus.

86. *Qui tripodas*] Phœbus, qui responsa reddebat per vatem stantem super tripode, hoc est, mensa tribus fulta pedibus, ideo ait movere tripodas. *Delr.*

87. *Vir-*

Frater virginis aſperæ.
Cedet Caſtore cum ſuo
Pollux cæſtibus aptior.
Sic ſic, Cœlicolæ, precor,
Vincat fœmina conjuges,
Vir longe ſuperet viros.
Hæc cum fœmineo conſtitit in choro,
Unius facies prænitet omnibus.
Sic cum Sole perit ſidereus decor;
Et denſi latitant Pleïadum greges,
Cum Phœbe ſolidum lumine non ſuo

Orbem

87. *Virginis aſperæ*] Dianæ venatricis, montivagæ, perpetuæ virginis.

88. *Caſtore cum ſuo*] Κάστωρ δ' ἱππόδαμος καὶ πὺξ ἀγαθὸς Πολυδεύκης, pulcherrimi, Iove quippe cygno geniti. *Farnabius.*

89. *Cæſtibus*] De cæſtuum certamine conſule Virgilium lib. 4. Æneid. *Delrius.* Inſtrumentum erat, quo Palæſtritæ utebantur nihilque aliud erat, quam lorum ex corio bubulo manibus circumvolutum: quo & ictum minus ſentirent, & adverſarium gravius ferirent. ideo Pollux erat armatus cæſtibus, quia pugnarat. *Bernardus.*

91. *Fœmina*] Creuſa.

92. *Vir longe ſuperet viros.*] Lipſianus liber, *Vir longe ut ſuperat:* nec damnaturum ſe ait Gruterus, niſi damnarent ad unum omnes Pall. videreturque Chorus dicere, ſufficere ſi ita inter humanas nuptas excellat ſponſa, ut inter viros ipſe ſponſus. Vix aſſequor quid velit: ſed ſi vovet Chorus ita ſponſam excellere inter nuptas, ut ſponſus inter viros, non video, quemadmodum excludi poſſit Lipſiana ſcriptura. Nam vulgata non ponit hoc, excellere ſponſum inter viros, ſed optat ut excellat. Ferrem eam libentius, ſi fieret: *Sic ſit, cælicolæ, precor: Vincat*, &c. Laudavit prius virginem eminentem inter virgines; ſponſum inter pulcros: nunc optaret illam pariter excellere inter matronas, hunc inter maritos: hoc eſt, ut Creuſa Iaſoni ſit probatiſſima uxor, Iaſon Creuſæ indulgentiſſimus maritus. *Gronov.*

93. *Hæc cum virgineo*] Iam prædicavit illam ſupra cæteras virgines verſ. 75. & ſex ſequentibus. Igitur valde placet, quod Flor. *Hæc cum fœmineo conſtitit in choro.* Nam & novas nuptas circumdabant matronæ & parabant ſponſis. Stat. lib. 2. Theb. *ſonat aula tumultu Fœmineo. caſta matres cinxere corona Argolides. pars virginibus circum undique fuſæ Fœdera conciliant nova ſolanturque pudorem.* Idem.

95. *Sic cum Sole perit ſideribus decor;*] Flor. *ſidereus decor.* Vt ſuprà, *Virgineus decor.* Idem.

96. *Denſi*] Alludit ad etymon ſideris ſeptiſtellii ἀπὸ τοῦ πλείστου, id eſt, à pluralitate & vicinitate ſtellarum; aliis autem ἀπὸ τοῦ πλεῖν, quod ortæ, navigandi tempus deſignent Atlantides, Vergiliæ. *Farn. Pleïadum*] Synecdoche, pro omnibus ſideribus. Pleïades etiam *Pleïones* dictæ. de his multa Schol. in Apollonii lib. 3. verſ. 225. & nos alibi in Hercul. Fur. Latinus Callimachus; *Pleïadum ſpiſſo cur coit igne chorus.* ideo noſter; *denſo.* Delrius.

97. *Cum Phœbe ſolitum*] Immo *ſolidum*, ut Flor. *O bis ſolidus* in plenilunio. Ovidius: *poſtquam pleniſſima fulſit, Et ſolida terras ſpectavit imagine*

Orbem circuitis cornibus alligat.
Oſtro ſic niveus puniceo color
Perfuſus rubuit: ſic nitidum jubar
Paſtor luce novâ roſcidus aſpicit.
Ereptus thalamis Phaſidos horridis,
Effrenæ ſolitus pectora conjugis
Invitâ trepidus prendere dexterâ,
Felix Æoliam corripe virginem
Nunc primum ſoceris, ſponſe, volentibus.

Con-

luna. Circuitis cornibus dixit paullo audacius, quæ quaſi circumierunt orbem lunæ protendendo ſe utrimque donec jungerentur. Sic *obitos*, qui obierunt vel mortui ſunt. Appuleius de mundo & de morali philoſophia: & male mutant: *Sed occaſus*, qui occidit: *placitum*, quod placuit: *ſucceſſa*, quæ ſucceſſerunt: *ſocietas coita*, quæ coiit; *pax conventa*, quæ convenit: *conſpirati*, qui conſpiraverunt. *Gronov. Lumine non ſuo*] Lumine notho & mutuato à ſole lucens. Vide Hippol. verſ. 741.

98. *Orbem*] Hippol. verſ. 742.

99. *Oſtro*] Id eſt, purpura, conchylii cruore. ὡς δ' ὅτε τις τ' ἐλέφαντα γύνη Φρύνιχι μιήνη, &c. *Fulget ebur veluti, Tyrio quod tinxerit oſtro Mæonis, aut Paphius lilia miſta roſis.* Idem. *Phœniceo color*] Flor. *puniceo*: ut & nonnulli ſcripti Delriani. *Gronovius.* Thyeſt. verſ. 344. Nonnulli manuſcripti legunt *puniceo*. utrumque recipi poteſt, nam Phœnicius color, puniceus eſt, ut docent Ant. Thyleſius lib. de colorib. cap. 10. Cæſar Scaliger, de ſubtilitate ad Cardanum, exercit. 325. num. 13. Claudianus: *Album puniceo pectus diſcriminat oſtro.* de oſtro Vitruvius lib. 7. Archit. cap. 13. *Delrius.*

101. *Roſcidus*] Rore nocturno madens; vel *luce nova*, id eſt, Aurora roſcida, *Hypallage.* Farnabius.

102. *Phaſidos*] Medeæ ad Phaſim natæ. ſuprà verſ. 44. barbaræ, crudelis, veneficæ. cujus ſcil. thalamos Iaſon merito horreat. *Idem.*

105. *Felix Aoniam prendito*] Flor. *Felix Æoliam corripe virginem.* Æolo Hellenis filio (cum Doro & Ionis patre Xutho, fratribus, unde Hellenes, Æoles, Dores, Iones, Græciæ populi) Deucalionis nepoti, ex Enarete Deimachi filia, natus Siſyphus, Ephyres, quæ poſtea Corinthus, conditor & rex, pater Creontis, cujus filia Creuſa Iaſonis ſponſa. Inde igitur *Æolia virgo.* quemadmodum etiam legendum præclare conjecerat D. Henſius. *Gron.*

106. *Nunc primum ſoceris ſponte volentibus.*] Scaliger, *ſponſe.* At Gruterus: Quibus hæc potius videtur, *ſponſe*, non attendunt odioſe tunc iterari verſu ſequenti, *juvenes.* Immo nequaquam odioſe: neque enim, *juvenes*, ſunt ſponſus & ſponſa, ſed ſponſæ æquales ad officium nuptiale advocati. *Soceros* alii faciunt Creontem & Æeten, qui nunc gaudeat filiam à marito repudiatam & in exſilium miſſam; alii Æſonem & Creonta. At *ſoceri faventes*, ut verba cadunt ſonantque hic eſſe non poſſunt alii, quam Creon & uxor ejus, ſponſæ parentes: ut ſupra *ſceptriferis Tmantibus*, nihil aliud eſt quam Iovi & Iunoni Reginæ. At interpretes Neptunum & Platonem addunt. Tranſeo de Neptuno: ſed Plutoni ſacrificari in nuptiis, quod quæſo omen? Deinde, an etiam Plutoni taurus *tergore candido?* Si quia altum de matre ſilentium, eam pridem obiiſſe vis, numerum pluralem accipe pro ſingulari: aut ita loqui Poëtam,

Concesso, juvenes, ludite jurgio.
Hinc illinc, juvenes, mittite carmina.
Rara est in dominos justa licentia.
Candida thyrsigeri proles generosa Lyæi,
Multifidam jam tempus erat succendere pinum.
Excute solemnem digitis marcentibus ignem.
Festa dicax fundat convicia Fescenninus.
Solvat turba jocos. Tacitis eat illa tenebris,
Si

tam, ut esset, si viveret. Non ut fuit cum Medeæ sponsum egit Iason, non quum Hypsipyles. *Gronov. Nunc primum*] Namque in priores non consenserat Æson; Æeta certe invito. *Farnabius.*

108. *Hinc illinc*] Epithalamium à virginibus & adolescentibus alterne cantatum, ante thalamum: ne compressæ à viro puellæ audiretur vox.

109. *Rara est in dominos justa*] Nihil mutandum. *Rara* pro raro, ut passim Poëtæ. Licentia in dominos raro est justa, legitima & legibus moribusque concessa. Raro justum est licere dominos liberis dictis figere. Vt apud Romanos Saturnalibus, & triumphis. Proprie enim hic *domini* reges. *Gron. Justa licentia.*] Raro jure ac legibus permittitur dominis conviciari. ad hunc locum attendit Claudianus ita canens; *Permissique joci, turba licentior, exsultet tetricis libera legibus.* quamquam Claudius de militibus agat. Spargi autem in sponsum & sponsam quædam convicia consuevisse, inficiâ docet, aiens: *Festa dicax fundat convicia Fescenninus.* (quo loco convicium in bonam partem sumitur) Fescennina carmina sunt illa Catulliana; *Diceris male te à tuis Vnguentate glabris marite Abstinere: sed abstine, &c.* nec aliud illustrius invenire potui exemplum hujusmodi conviciorum; idque addi potest illi Senecæ exemplo, quod refert Briss. de ritu nuptiar. *Delr.*

110 *Thyrsigeri proles*] Hymenæe fili Bacchi, qui *Quod solvit curis corda, Lyæus erit; à λύω. thyrsi* autem hastæ, quas pampiniis intextas Bacchides in Orgiis gestabant. Supr. v. 67. *Farn.*

111. *Multifidam*] In modum spicarum incisam, quo facilius flammam concipiat. *Idem.* Papinian. 3. Thebaid. *Multifida attollens antiquâ lumina cedro.* veteres *inspicare* dicebant. Virgilius: — *ferroque faces inspicat acuto.* Delrius. *Pinum.*] Suprà vers. 38. *Facem è pinu.*

112. *Excute*] Iacta facibus accensis flammas, à silice sumta tralatio, è cujus proprie venis ignis excutitur. *Delrius. Marcentibus*] Suprà vers. 69. *Ignem.*] Fax in nuptiis prælata in honorem Cereris; ignis & aqua adhibita, quod fœtus animantium calore & humore corporentur atque animentur ad vitam. *Farnabius.*

113. *Convicia*] Dicta jocularia. *ῥημάτα αἰσχρὰ καὶ ἀσχημοσύνης γέμοντα.* Chrysost. & Lucan. *Nec more Sabino Excepit tristu convicia festa maritus.* Idem. *Fescenninus.*] Pueri versus Fescenninos omni verborum lascivia, imo obscœnitate refertos canebant, ut novæ nuptæ aures returarent; sed posita prius prætexta, cujus purpura verecundiæ symbolum. dict. à Fescennio Hetruriæ oppido. aliis à *fascino*, quod ad nimias laudes (quæ in Epithalamio occinebantur) à Nemesi vindicandas & arcendum fascinum, adjiciebantur Fescennini. *Idem.*

114. *Eat tenebris*,] Deducatur ad maritum illa absque facibus, Epithalamio, Fescennino; quæ domo patris

Si qua peregrino nubit fugitiva marito. 115

profuga, peregrinum secuta, raptori clam & inconcesso nupsit. quod fecerat Medea, in quam hoc obiter jactum est convicium. *Farnabius.*

115. *Peregrino*] Auget odium. nam cum peregrinis nuptiæ improbabantur; de quo in Thebaide. & peregrinæ usque adeo male audiebant, ut pro scortis earum nomen acciperetur, quod fuit à Donato observatum in Terent. Andria, Eunucho, & Phormione: quotquot etiam à patria procul degebant, vix improbitatis aut ignominiæ nota se eximere poterant, ut indicat Ennius apud Ciceronem lib. 7. epist. ad Trebatium. *Delrius. Nubit fugitiva marito.*] Non facile auctores attentius locuti *fugitivos* dixerunt, nisi de servis; liberos *profugos* vocabant in pari facto. Itaque inclino in *fugitura*, quod plerique habent codices. *Gron. Fugitiva*] Sic vocat Medeam, quia domo patris profuga raptorem secuta; atque ita fugitiva Iasoni peregrino nupsit. sed ubi nupsit? Timæus, Apollonius, & Orpheus in Corcyra insula tradunt; Dionysius Milesius lib. 2. Argonaut. Byzantii; Antimachus in Lyde, prope fluvium nescio quem; Phileras, Telepho, in domo Alcinoi; Timonax lib. 1. hist. Scythicæ, in ipsa Colchide Æëta sciente; Valerius Flaccus canit in Peuce insula cœptas nuptias, adventu Absyrti impeditas, ne perficerentur. Quidam manuscripti *fugitura*, pro *fugitiva*. Delrius.

ACTUS SECUNDUS.

Medea. Nutrix.

Audito Hymenæo furit Medea, quam sedare nutrix laborat, sed frustra.

Med. Occidimus. aures pepulit Hymenæus meas.
Vix ipsa tantum, vix adhuc, credo malum.
Hæc facere Iason potuit? erepto patre,
Patriâ atque regno, sedibus solam exteris
Deserere? durus merita contempsit mea,
Qui scelere flammas viderat vinci, & mare?
Adeóne credit omne consumptum nefas?

In-

116. *Aures pepulit*] Ovidius in epist. Medeæ: *At subito nostras ut Hymen cantatus ad aures Venit. Hymeneus*] Epithalamium, carmen nuptiale, chori sc. præcedentis.

117. *Vix ipsa tantum*,] Ovidius: *Pertimui: nec adhuc tantum scelus esse putabam.*

118. *Erepto patre*,] Postquam eripuit me patri, patriæ, regno. *Farnab.*

120. *Durus*] Ingratus, immemor. *Idem.*

121. *Qui scelere flammas*] Herbis & incantamentis illi à me datis vicit æripedes & ignivomos tauros. *Idem. Flammas*] Flammam taurorum sacris magicis; mare, lacerato fratre. hæc autem duo nominat, quia ex tribus quæ Græci mala existimant, duo sunt, mare & ignis, tertium est mulier. *Delr. Mare?*] Mare pacatum artubus lacerati fratris. *Farnab.*

122. *Adeone*] Itane exhaustam mihi credit omnem malarum herbarum scientiam,

Incerta, vecors, mente vesana feror
Partes in omnes, unde me ulciſci queam?
Utinam eſſet illi frater! eſt conjux. in hanc
Ferrum exigatur. hoc meis ſatis eſt malis?
Si quod Pelaſgæ, ſi quod urbes Barbaræ
Novere facinus quod tuæ ignorant manus,
Nunc eſt parandum. ſcelera te hortentur tua;
Et cuncta redeant. inclitum regni decus
Raptum; & nefandæ virginis parvus comes
Diviſus enſe, funus ingeſtum patri.
Sparſumque ponto corpus; & Peliæ ſenis
Decocta aheno membra. funeſtum impie
Quam ſæpe fudi ſanguinem! at nullum ſcelus
Irata feci. ſævit infelix amor.
Quid tamen Iaſon potuit alieni arbitrii
Juriſque factus? debuit ferro obvium

Offerre

ſcientiam, & magicas artes ad ſcelera potentes, ut nihil reliqui ſit in ipſius vindictam? *Farnabius.*

123. *Mente non ſana feror*] Flor. *mente veſana.* Gronovius.

125. *Vtinam eſſet illi*] Quem diſcerperem, ut meum olim ſup. v. 44 in notis.

128. *Tuæ*] O Medea. *ſuas innuit.* Farnabius.

129. *Scelera*] Ad animum revoces priora ſcelera, atque ab iis exempla capias & conſilia de futuris. *Idem.*

130. *Inclytum*] Vellus aureum arietis, quo vectus Phryxus è Bœotia in Colchos transfretavit. *Idem.*

131. *Raptum;*] Ab Iaſone, mea arte, conſilio, auxilio. *Idem. Parvus comes*] Abſyrtus frater, ex eodem patre, matre autem Aſteri, aliis, Ipſea, à me diſcerptus. ſup. v. 44. *Idem.*

132. *Funus incertum patri.*] A Deltio eſt & Lipſio. Alii *inceſtum* vel *infectum.* Flor. *ingeſtum*, ut divinarat Gruterus. Gravius enim trucidare filium ſpectante patre, & ne oculis quidem ejus parcere. Virgilius ſecundo Æneidos: *Natum ante ora patris, &c.* Suetonius Calig. 27. *Parentes ſupplicio filiorum intereſſe cogebat.* Thyeſte: *ingeſta orbitas In ora patris.* Gronovius.

133. *Ponto*] Mari, ut modo v. 121, vel regione Ponti, *Vnde Tomos dictus locus eſt, quia fertur in illo Membra ſoror fratris conſecuiſſe ſui.* Farnab. *Peliæ*] Patrui Iaſonis, inf. v. 257. *Idem.*

135. *Quam ſæpe fudi ſanguinem! at nullum*] Fl. *& nullum.* Quot cædes feci? & tamen ſine ira, nec offenſa illis, qui peribant. Terrigenas in mutua vulnera egerat, non illis indignata, ſed Iaſoni metuens. Abſyrtum laceraverat, nullo etiam odio, ſed ut patrem moraretur. Pelian ſuſtulerat in Iaſonis gratiam. *Gronov. At nullum*] Emphaſis. Iam autem irata in ſcelus accingor. *Farnabius.*

137. *Quid tamen*] Excuſat veluti Iaſonem. *Alieni*] Huc à Creonte coactus. *Farnabius.*

138. *Debuit ferro*] Potius quam me deſerere. *Idem.*

Offerre pectus. melius, ah melius, dolor
Furiose, loquere. si potest, vivat meus,
Ut fuit, Iason; sin minus, vivat tamen,
Memorque nostri muneri parcat meo.
Culpa est Creontis tota, qui sceptro impotens
Conjugia solvit; quique genetricem abstrahit
Natis; & arcto pignore adstrictam fidem
Dirimit. petatur solus hic; pœnas luat,
Quas debet, alto cinere cumulabo domum.
Videbit atrum verticem flammis agi
Malea, longas navibus flectens moras.
Nut. Sile obsecro, questusque secreto abditos
Manda dolori. gravia quisquis vulnera
Patiente & æquo mutus animo pertulit,
Referre potuit. ira, quæ tegitur, nocet.
Professa perdunt odia vindictæ locum.

Med.

139. *Melius*,] Epanorthosis.

142. *Muneri parcat meo.*] Deltrius *parcas.* Malim: *vivat tamen, Memorque nostri. muneri parcam meo.* Gron.

143. *Sceptro*] Imperio suo. *Farn.*

144. *Conjugia*] Mei & Iasonis. *Id.* *Genitricem*] Medeam. *Idem.*

148. *Videbit altum verticem*] Ovidius lib. 7. *Colchis arsit nova nupta venenis, Flagrantemque domum regis mare vidit utrumque.* Ita enim legendum. *Gronovius.* *Videbit*] Quia ex altera parte Corinthi est Malea. *Atrum verticem*] Nigrum regiæ vel Corinthi fumum sinuoso flexu ascendentem. *Farnabius.*

149. *Malea,*] Malea promontorium per quinque millia passuum in mare protenditur: ubi quia, propter continuas ventorum procellas, periculi plena est navigatio, natum est proverbium, Μαλέαν δὲ κάμψας ἐπιλάθου τῶν οἴκαδε: in cujus explicatione multa ab Erasmo adducuntur. iis addo Ovidii carmen, è libro 2. Amorum eleg. 16. *Nec timeam vestros curva Malea sinus.* adde & ea quæ Plutarchus, in vita Arati, scripsit. Facit itaque moram navibus Malea, dum prætervehentes tempestatibus & inquietæ fluctuum, ac sinuosis longissimisque excurrentium & recedentium litorum spaciis detinet atque moratur. Simile illud Lucani lib. 6. *Et ratibus longa flexum donare Maleæ.* Delrius.

152. *Patiente & æquo immotus*] Lipsii est, cum vulgo *mutus.* Sed Gruteri conjecturam, *mutus*, adfirmat Florentinus. *Gronovius.*

153. *Referre*] Par pari reddere, ulcisci. *Farnabius.*

154. *Professa produnt odia*] Mirum est sic in omnibus Mss. Delrii fuisse, quum vix in uno hæserit apud Gruterum. Atqui si nullus haberet liber (& nos autem quoque in pluribus, maximeque in Flor. invenimus) tamen esset scribendum *perdunt.* Sed Delrius alterum probat, Raderus aptius, Gruterus hoc etiam ineptum ait. Quomodo ineptum, ô bone? An *perdere locum*, seu amittere occasionem non dicitur? Cur igitur mox: *si locum virtus habet?* Cur post paullo: *causa detur egregiè locu-*

Med. Levis est dolor, qui capere consilium potest,
Et clepere sese. magna non latitant mala.
Libet ire contra. *Nutr.* Siste furialem impetum,
Alumna. vix te tacita defendit quies.
Med. Fortuna fortes metuit, ignavos premit.
Nutr. Tunc est probanda, si locum virtus habet.
Med. Nunquam potest non esse virtuti locus.
Nutr. Spes nulla monstrat rebus afflictis viam.
Med. Qui nil potest sperare, desperet nihil.

Nutr.

cus? Quid Cicero, *locum nullum ad pacem sibi reliquum facere? servare alium locum ad demonstrandum?* Si *habetur, datur, servatur, reliquus sit locus,* quidni & *perdatur? Perire tam bella occasio non debet*, inquit iste. Si *perit*, etiam *perditur*. Denique eques ille Romanus, ad quem in spectaculis bibentem misit Augustus, qui diceret: *Ego si prandere volo, domum eo; Tu enim non times, ne locum perdas*, haud profecto inepte, sed urbane respondit, teste Fabro 6. Instit. 4. *Gronovius. Perdunt*] Corn. Tacitus libro 4. Annal. *aperta*, scribit, *odia, armaque palam depelli, fraudem & dolum obscura, eoque inevitabilia.* & Sallustius monet Cæsarem, haut difficile esse homini strenuo hostem adversum opprimere: occulta pericula, neque facere, neque vitare bonis in promptu esse. Noster ab Euripide accepit, apud quem Creon Medeæ ferme eadem dicit; inquiens, quo se illa pacatiorem simulet, eo sibi amplius cavendam. Seneca pater, initio Declamationum: *Magis nocent insidiæ, quæ latent.* Delrius.

156. *Clepere*] Tegere, celare. κλεπεῖν. vid. Herc. Fur. v. 798. *Farnab.*

157. *Ire contra.*] Aperte occurrere.

158. *Vix te tacita*] Etiamsi tacita quiescas, vix tuta eris; multo minus si quod moveas. *Farnabius.*

160. *Tunc est probanda, si locum*] Raphelingius ex quibusdam codd. *Nunc*: quasi dicat, si ullum apud te locum virtus habet, commoda jam sese occasio offert. Quod cum rejecisset Delrius, recte interpretatus, & tamen in novem Pall. τὸ *Nunc* invenisset Gruterus, eo decurrit, ut neutrum approbaret: certe *Tunc*, ait, incommode applicatur sequenti *Si*: & aut omnia me fallunt, aut vox *probanda*, aliave, quæ sincerior nunc exsul, respicit magis ad fortunam quam ad virtutem. Certe fallebant omnia hic doctissimum virum. Virtus utique est fortitudo: & ea non aliter laudanda, quam quoties loco & tempore exseritur, quoties non aggreditur, quæ ὑπὲρ ἄνθρωπον & φοβερὰ παντὶ τῷ νοῦν ἔχοντι, ut loquitur Philosophus, quorumque exitus ne timida quidem spe præsumi potest. Sed parvula causa oculis doctorum hominum obstitit: neque enim recordabantur, particulam *Si* interdum idem quod *Cum* exprimere. Vt apud Catullum: *Nam, si luxerit, ad librariorum Curram scrinia.* Virgilius: *si nona diem mortalibus almum Aurora extulerit, &c. Prima citæ Teucris ponam certamina classis.* Gronovius. *Tunc est probanda,*] Tunc quidem fortitudo est probanda, ubi te aliquid per virtutem consequuturum speres, alioqui furor est, stupor, desperatio, &c. ultra spem & vires niti. *Farnabius.*

163. *Desperet nihil.*] Ludit autem in vocis similitudine: sensus: ei cui cuncta sunt adversa, in omnem eventum intrepide tentanda omnia. quid enim

metuat

Nutr. Abiêre Colchi, conjugis nulla est fides,
Nihilque supereſt opibus è tantis tibi.
Med. Medea ſupereſt. heic mare & terras vides,
Ferrumque & ignes, & deos & fulmina.
Nutr. Rex eſt timendus. *Med.* Rex meus fuerat pater.
Nutr. Non metuis arma? *Med.* ſint licet terrâ edita.
N. Moriere. *M.* Cupio. *N.* Profuge. *M.* Pœnituit fugę.
Medea fugiam? *Nutr.* Mater es. *Med.* Cui ſim, vides.
Nutr. Profugere dubitas? *Med.* Fugiam: at ulciſcar prius.
Nutr. Vindex ſequetur. *Med.* Forſan inveniam moras.
Nutr. Compeſce verba; parce jam demens minis,
Animoſque minue. tempori aptari decet.
Med. Fortuna opes auferre, non animum, poteſt.
Sed cujus ictu regius cardo ſtrepit?
Ipſe eſt Pelaſgo tumidus imperio Creon.

CRON.

metuat in extremâ fortunâ? quid malis ejus adjici queat? lucrari poteſt, perdere non poteſt, qui nihil poſſidet: ex deſperatione nata non raro victoria. *Delrius.*

164. *Abiere Colchi.*] Id eſt, Colchi longe, puta & loco & animis. Alludit quod de relictis loquebantur, quaſi ipſa nos reliquiſſent. Agamemnone: *terras, Quantum recedunt velo, fugientes.* Silius: *rapiente carina Conſumpſit pontus viſus, telluſque receſſit.* Tum quod *longe eſſe* & *abeſſe* dicebant, quæ non juwarent. de quo ad Hippolytum. *Gronovius. Conjugis*] Iaſonis. *Farnab.*

166. *Medea ſupereſt.*] Cui cum nocendi peritia, potentiaque, voluntas ſuppetit: quæ quantum nocere poteſt, tantum nocere deſiderat. *Delrius. Heic mare*] Quæ omnia hæc arte ſua poteſt perturbare inque ſuam opem vocare. *Farnabius.*

168. *Rex meus*] Neque tamen eum timui, verum pro Iaſone contra eum ſteti. *Idem.*

169. *Sint licet terra edita.*] Non, etiamſi ſint Gigantea & terra è dentibus ſerpentinis edita. Namque & hæc mea arte fretus debellavit Iaſon. *Idem.* Ex Ovidio: *Quodque magis mirum eſt, ſimul edita concutit arma.* Raderus.

171. *Medea*] *Emphaſis.* Egone tam magicis potens? tam prius pertinax & pericula contemnens? *Farnabius. Mater*] In liberorum tamen gratiam fuge. vel reſpicit ad v. 25. ſup. *Idem. Cui ſim,*] Ex quo tamen ſim vides, Iaſone ſc. *Idem.*

173. *Moras.*] Vt cum me ſequeretur pater. ſup. v. 44. & 133. *Idem.*

175. *Animoſque*] Animi pertinaciam & ferociam. *Idem.*

177. *Sed*] Sed, crepuêrę fores regiæ, quis egreditur? *Idem.*

CREON. MEDEA.

Creon Medeam in exilium propere abire imperio urget: illa diei unius moram vix impetrat.

Creon. Medea, Colchi noxium Æëtæ genus,
Nondũ meis exportat è regnis pedẽ?
Molitur aliquid: nota fraus. nota est manus.
Cui parcit illa? quemve securum sinit?
Abolere properè pessimam ferro luem
Equidem parabam; precibus evicit gener.
Concessa vita est. liberet fines metu;
Abeatque tuta. fert gradum contra ferox,
Minaxque nostros propius affatus petit.
Arcete, famuli, tactu & accessu procul.
Jubete, sileat. regium imperium pati
Aliquando discat. vade veloci via,
Monstrumque sævum, horribile, jam dudum avehe.
Med. Quod crimen, aut quæ culpa multatur fugâ?
Creon. Quæ causa pellat, innocens mulier rogat.
Med. Si judicas, cognosce: si regnas, jube.
Creon. Æquum atq; iniquum regis imperium feras.
Med. Iniqua nunquam regna perpetuo manent.
Creon. I, querere Colchis. *M.* Redeo. qui advexit, ferat.

Creon.

179. *Æëtæ genus*,] Colchorum regis. Medeæ pater Æëtas, ut scripserunt Herodotus, Dionysius Milesius & ceteri; Solis filius: varias uxores duxit, ideo nescitur quæ Medeæ mater, plerique credunt Idyiam (ut alias docui,) Epimenides Ephyren, Dionysius Milesius Hecaten: auctor Naupacticorum Euryliten: Sophocles, Neæram: Apollonius, Asterodiam, Eumelus & Diophanes, Antiopen. Vide Scholiast. Apollonii lib. 3. & Diodorum Siculum lib. 4. Biblioth. Ceterum hæc scena cum actu 11. Euripidis conferenda, unde desumta. *Delr.*

182. *Cui parcit illa?*] Qui non patri pepercit, non fratri. *Farnabius.*

183. *Abolere*] Medeam de medio tollere statuerant. *Idem.*

184. *Gener.*] Iason. *Idem.*

190. *Vade veloci*] Hoc dicit conversus ad aliquem satellitum. *Idem.*

193. *Innocens*] Ironic. q. d. nocentissima. *Idem.*

194. *Si judicas*,] Si rex justus es, de causa mea, prius cognosce; si tyrannice pro lubidine imperas, inaudita causa ejice.

195. *Æquum atque*] Regiæ subjecta potestati ne disputes de imperio æquo aut iniquo, sed quod regi jubet feras. *Farnabius.*

197. *I, querere Colchis.*] Apage, Monstrum, & querelas tuos apud populares

Creon. Vox constituto sera decreto venit.
Med. Qui statuit aliquid parte inaudita altera,
Æquum licet statuerit, haud æquus fuit.
Creon. Auditus à te Pelia supplicium tulit.
Sed fare. causæ detur egregiæ locus.
Med. Difficile quam sit animum ab ira flectere
Jam concitatum; quamque regale hoc putet,
Sceptris superbas quisquis admovit manus,
Qua cepit, ire; regiâ didici meâ.
Quamvis enim sim clade miserandâ obruta,
Expulsa, supplex, sola, deserta, undique
Afflicta; quondam nobili fulsi patre,
Avoque clarum Sole deduxi genus.
Quodcumque placidis flexibus Phasis rigat;
Pontusque quidquid Scythicus à tergo videt;
Palustribus quà maria dulcescunt aquis;

Arma-

pulares, barbaros, Scythas, Sarmatas, Moschos depone. *Raderus. Redeo.*] Repeterem sane patriam, si comes is esset, qui huc me adduxit.

198. *Vox constituto*] Cognita causa latâque sententia, sera venit expostulatio. *Farnabius.* Intelligo. serotina tua verba, & post decretum, quod non muto. Tamen Veteri est, *Nox:* suâ quoque & bonâ sententiâ. *Lipsius.*

199. *Qui statuit*] Tyrannicum est, unâ tantum parte audita judicare. hoc enim pacto defensio, quæ juris naturalis est, & nemini debet adimi, tollitur. ideo inauditi damnati non possunt. Apuleius lib. 10. de asino: *Nec ad instar barbaricæ feritatis, vel tyrannicæ impotentiæ, damnaretur aliquis inauditus, & in pace placida tam dirum sæculo proderetur exemplum.*

201. *Auditus à te Pelia*] Non est vocativus pro nominativo *Pelia*, ut hic jam non semel notant, sed ipse nominativus Latinus: nam *Pelias* græcissat. Sed cur *Auditus à te?* Neque enim periit Pelia, quia auditus est à Medea, sed quia audiit Medeam, & supplicem recepit. Vtrum igitur, *Auditor?* Apollonius Rhodius lib. 4. ad Apollin. τύνη ϑ' ἑκὰς ἐόντος ἐμεῖο πατρὸς Ῥίμφα μελαίνῃσιν ἀερίνῳ. An *Auditus* vult ipsum Pelian orantem, ut sibi mutaret ætatem Medea, ab ea audire & exorari simulate interfectum. Hoc non dicit fabula, sed ipsam quasi supplicem audisse ac suscepisse. Numquid, *Audiit, & à te Pelia supplicium tulit.* Gronovius.

203. *Difficile*] Quam pertinaciter reges iram de levi qualicunque injustave causa conceptam foveant urgeantque, & ipsa rege orta novi. *Farnabius.*

212. *Pontusque*] Mare Euxinum ab Occidente Colchida claudit. dulcius quam cætera matia, ut quod Mæotidi commiscetur, atque in quod Tanais innumerique alii fluvii influunt. *Idem.*

213. *Palustribus*] Quia tot fluminum affluxu Pontus limo impletur & aggere: adeo ut Strabonis ævo, sinistra jam Ponti pars, inde in paludem fuerit conversa. Videndi Strabo lib. 1. & Polybius lib. 4. Neoterici tamen

oculati

Armata peltis quidquid exterret cohors
Incluſa ripis vidua Thermodontiis:
Hoc omne noſter genitor imperio regit.
Generoſa, felix, decore regali potens
Fulſi. petebant tunc meos thalamos proci,
Qui nunc petuntur. rapida Fortuna ac levis,
Præcepſque regno eripuit, exilio dedit.
Confide regnis, cum levis magnas opes
Huc ferat & illuc caſus. hoc reges habent
Magnificum & ingens, nulla quod rapiat dies;
Prodeſſe miſeris, ſupplices fido lare
Protegere. ſolum hoc Colchico regno extuli;
Decus illud ingens, Græciæ florem inclitum,
Præſidia Achivæ gentis, & prolem deûm

Ser-

oculati teſtes id verum eſſe negant: ſed Seneca ſui ævi ſcriptores ſecutus fuit. *Delrius. Dulceſcunt*] Ingreſſu tot fluviorum, quot affluunt, vincitur ſal, ait Plinius: idem in libris de Ponto teſtatur Ovid. De Ionio mari quid ſimile, ad Acherontis fluvii oſtium, prodit Strabo lib. 7. *Idem.*

214. *Peltis*] Scutis brevibus, quorum extrema lunantur in cornua. *Farn. Quidquid exercet cohors*] Lipſianus (ſi tamen ille eximius fuit Meliſſeus: nam & alio ſe uſum nonnunquam oſtendit) & Mog. abeunt ab optimo & à vero. Non enim Amazones rus exercebant. Florentiæ, ut in olim impreſſis, *exterret*. Et præclare dictum eſt: qua imperii ſui terrorem & vim & reverentiam porrigit. Hinc Iuriſconſultis *territorium*, quod definit Pomponius, *univerſitatem agrorum intra fines euſuſque civitatis; dictum ab eo, quod magiſtratus ejus loci intra eos fines terrendi, id eſt, ſubmovendi, jus habeat.* Sic & *terrere* pro reverentiam facere Troad. *qualis deo Percuſſa Mœnas entheo ſilvas gradu Armata thyrſo terret.* Gronovius. *Cohors*] Amazonidum lunatis agmina peltis, &c. Vide Agamemn. verſ. 217. *Farnabius.*

215. *Vidua*] Vide Hipp. verſ. 620. *Idem. Thermodontiis:*] Vide Herc. Fur. verſ. 245. *Idem.*

218. *Meos thalamos viri,*] Flor. *petebant tunc meos thalamos proci, Qui nunc petuntur.* Numerus pluralis pro ſingulari. Iaſonem enim deſignat. *Gronovius. Proci*] Per indignationem Synecdochicam, Iaſon. *Farnabius.*

225. *Solum hoc*] Quod Argonautas ſervavi.

226. *Græciæ florem inclitum,*] Fl. *gloriæ florem.* Et ſic Mſſ. plerique & Bernardini editio, immo & aliæ, ut obſervavit Delrius. Mox malit Nic. Heinſius: *Geminique munus Caſtor & Pollux meum eſt.* Gronovius. *Græciæ florem*] ἄνθος Ἀργείων juvenum nobilium, Heroum florem. *Farnabius.* Θεῖον ἄνθος, ut Theocritus, ut alii ἄνθος ἡρώων.

227. *Prolem Deûm*] Argonautas, Heroas, diis genitos, quorum pleroſque enumerat. *Farn.* Theocritus in Gemin. Ἡρώων φίλα τέκνα, *Dilecta Deorum proles.* Mira porro varietas eſt apud Græcos, de Argonautarum reditu in patriam. Timaget. ἐν τῷ α΄ περὶ λιμνῶν, ſcribit iſtrum ex Germaniæ montibus ortum, in Germanicam paludem

Servasse memet. munus est Orpheus meum,
Qui saxa cantu mulcet, & silvas trahit;
Geminumque munus Castor & Pollux meum est;
Satique Borea; quique trans Pontum quoque
Summota Lynceus lumine immisso videt;
Omnesque Minyæ. nam ducum taceo ducem:
Pro quo nihil debetur. hunc nulli imputo.
Vobis revexi cæteros, unum mihi.
Incesse nunc, & cuncta flagitia ingere;
Fatebor. obici crimen hoc solum potest,
Argo reversa. virgini placeat pudor,
Paterque placeat. tota cum ducibus ruet
Pelasga tellus. hic tuus primum gener
Tauri

ludem magnam defluere: mox in duo scindi brachia, & unum in Germanicum mare, & alterum in Euxinum porrigere, & per prius illud navigasse Argonautas, & in Hetruriam pervenisse, idem Apollonius refert. Herodotus Ephesius, quâ venerant viâ rediisse. *Delrius.*

228. *Munus est*] Mei muneris est quod vivit Orpheus. Horat. *Arte materna rapidos morantem Fluminum lapsus, celeresque ventos, Blandum & auritas fidibus canoris Ducere quercus.*

230. *Castor*] Sup. v. 88. *Farnàb.*

231. *Satique Borea;*] Calais & Zetes Ὅς ποθ' Ἑλλήσποντον Βορέη τέκεν Ὠρείθυια. *Idem.*

232. *Lynceus*] Fuit hic visus acutissimi, πάντων ἀνθρώπων ὀξυωπέστατος, qui ex Taygeti cacumine totam Peloponnesum fertur prospexisse; Castorem & Pollucem in cava quercu latitantes vidisse. *Idem.* Valerius Flaccus *possit qui rumpere terras Et Styga transmisso tacitum deprendere visu. Fluctibus è mediis terras dabit illa magistro, Et dabit astra rati, cumque æthera Iupiter umbra Perdiderit, solus transibit nubila Lynceus. Immisso*] Radiis emissis ab oculo in ipsum objectum. Stoici enim visionem fieri emissione radiorum credebant, non per speciei introsumptionem beneficio externi luminis, ut Aristoteles. *Delrius.*

233. *Minyæ.*] Thessali comites Iasonis in expeditione Colchica, ab Orchomeno Thessaliæ fluvio, qui prius Minyeus, dicti. *Farnabius. Ducem:*] Iasonem. *Idem.*

236. *Cuncta flagitia ingere;*] Sic & Flor. *Flammis, Flamina, Fulmina.* nugæ meræ. *Gronovius.*

238. *Argo*] Quod ἀργὸς velox. *vel* ab Argo fabricatore: *vel*, quod ea vecti *Argivi*, *delecti viri.* Farnabius. *Virgini placeat*] Quod si mihi magis pudor paterque placuisset quam Iason, periissent Thessali, Argivi, universæ denique Græciæ flos: nec Iasoni ignivomos Tauros effugisset.

240. *Pelasga tellus.*] Tota Græcia, potissimum tamen Thessalia, propte enim *Pelasgi* sunt Thessali & Argivi. Sophocles in Inacho, Argivos vocat *Pelasgos.* Staphylus Naucratites tradidit *Pelasgum* Argivum in Thessaliam venisse, eamque ab illo dictam Pelasgiam. sed & Tyrrheni, *Pelasgi* vocati. *Argivi* vero sic dicti, vel à Pelasgo Neptuni aut Inachi filio, vel à Pelasgis quibusdam Barbaris, qui Argos & Thessaliam occupârunt. *Delrius.*

Hic

Tauri ferocis ore flammanti occidet.
Fortuna causam, qua volet, nostram premat.
Non pœnitet servasse tot regum decus.
Quodcunque culpa præmium ex omni tuli,
Hoc est penes te. si placet, damna ream:
Sed redde crimen. sum nocens, fateor, Creo.
Talem sciebas esse, cum genua attigi,
Fidemque supplex præsidis dextræ petii.
Terra hac miseriis angulum & sedem rogo,
Latebrasque viles. urbe si pelli placet,
Detur remotus aliquis in regnis locus.
Creon. Non esse me, qui sceptra violenter geram,
Nec qui superbo miserias calcem pede,

Testa-

Hictuus primus gener] Flor. *primum gener Tauri ferocis ore flammanti occidet.* non *flagranti.* Gronovius.

241. *Tauri*] Duos fuisse refert Apollonius ταύρω χαλκόποδε στόματι φλόγα φυσιόωντε quos non effugisset, tibi gener futurus. vide inf. v. 466. *Farnabius.*

242. *Fortuna causam, qua volet,*] Flor. *quæ volet.* Et rectius. Phœdrus: *Quemcumque dederit exitum casus, feram.* Pessime interpretantur: Vtcunque causa mea iniqua sit. Immo, utcumque fortuna mihi iniqua sit. *Gron. Fortuna*] Vtcunque mea causa iniqua sit. *Farnabius.*

244. *Præmium*] Iasonem.

246. *Crimen.*] Iasonem.

247. *Talem*] Cum tuum præsidium supplex imploravi, fugiens Acastum Peliæ filium, qui me persequitur, sibique in patriæ necis ultionem dedi poscit. *Farnabius. Cum genua attigi,*] Troad. vers. 689. Medea, apud Euripidem: Ἀλλ' ἄντομαί σε τῆσδε πρὸς γενειάδος, Γονάτων τε τῶν σῶν — Olim, Plinio teste, lib. 11. cap. 45. supplices genua attingebant, quia illis vitalitas inest. *Delrius.*

248. *Præsidis dextræ petii.*] Flor. *dextra.* ut manus intelligatur Medeæ, qua genua Creontis attigerat. Troadibus: *ad genua accido, Supplex Vlysse, quamque nullius pedes Novere dextram, pedibus admoveo tuis. Præsidis*, id est, defensoris ac vindicis ipsius Creontis. Ovidius lib. 1. met. *Quod si sola times latebras intrare ferarum, Præside tuta deo nemorum secreta subibis.* Gronov. *Præsidis dextræ*] Merito ait præsidis: quia, ut alibi docui, dexteræ fidei pignus sunt. Cicero, in Philippicis: *Dextræ, quæ fidei testes esse solebant.* Plinius, ubi supra: *Dextra osculis aversa aperitur, in fide porrigitur.* ejus rei ratio fortassis fuit, quod omnis veterum auctoritas dextræ manus virtute constaret. videor enim mihi hoc nescio ubinam legisse. *Delrius.*

249. *Terra hac miseriis angulum*] Flor. *Terram miseriis angulum ac sedem.* Fortasse: *Terræ miseriis angulum ac sedem.* Ἐν Διὰ δυοῖν, angulum terræ, in quo misera consideam & lateam. Cicero 2 Catil. *Nemo non modo Romæ, sed nec in ullo angulo totius Italiæ fuit.* Horatius: *Ille terrarum mihi præter omnes Angulus ridet.* Gron.

252. *Qui sceptra violenter geram,*] Florent. *violentus.* Idem.

253. *Miserias calcem pede,*] Grave autem crimen miserorum oppressio.

Teſtatus equidem videor haud clare parum,
Generum exulem legendo, & afflictum, & gravi
Terrore pavidum. quippe te pœnæ expetit
Letoque Acaſtus, regna Theſſalica obtinens.
Senio trementem debili atque ævo gravem
Patrem peremptum queritur, & cæſi ſenis
Diſciſſa membra; cum dolo captæ tuo
Piæ ſorores impium auderent nefas.
Poteſt Iaſon, ſi tuam cauſſam amoves,
Suam tueri, nullus innocuum cruor
Contaminavit. abfuit ferro manus,
Proculque veſtro purus à cœtu ſtetit.
Tu tu malorum machinatrix facinorum,
Cui fœminea nequitia, ad audendum omnia
Virile robur, nulla famæ memoria eſt,

Egre-

Plato in Minoë monet, ne quis calamitoſos & pauperes deſpiciat, eo quod Deum ſolum adjutorem habent: nec ullum tam ſevere inimicum ulciſci, ac Deus ſolitus ſit miſerorum oppreſſores. *Delrius.*

255. *Generum exulem*] In exilium fugientem propter tuum facinus. tu enim præ te ferens velle te medicamine Peliam juventuti reſtituere (quod prius in Æſone feceras) Peliæ injurias in Iaſonem ulta, feciſti pie impias Peliadas patrem ſuum jugulare non reviſturum uti promiſeras, utque illæ expectaverunt. *Farnabius.*

256. *Quippe te pœnæ expetit*] Flor. *pavidum quem pœnæ.* Lege: *Terrore pavidum. quippe quem pœnæ expetit. Pœnæ letoque* rurſus ἐν Δοῖν δυοῖν, ad pœnam capitalem. *Gronovius.*

257. *Acaſtus*,] Peliæ filius Rex Theſſaliæ, niſi Medea ſibi in ultionem paternæ necis dederetur, bellum Corinthiis indixerat. *Delr. Theſſalica*] Nota Græciæ portio Theſſalia, cujus primus Rex Deucalion Promethei F. Iapeti N. juxta Apollon. 3. Argonaut. ab hujus uxore Pyrrha vocata etiam *Pyrrhodia*, vel juxta Rhianum, *Pyrrha*; ab Hæmone Pelaſgi F. *Hæmonia*; à Theſſalo Hæmonis F. *Theſſalia.* Rhiani verſus ſuppeditat Scholiaſt. in lib. 3. Apollonii. Alii à Theſſalo Phidippi dictam volunt. dividitur in Πελασγιῶτιν, Θεσσαλιῶτιν, Ἰωλκίτιν, Φθιῶτιν, teſte Apollodoro in Catalogo. Acaſtus ſecundæ portioni jure imperabat; Iaſoni jure tertia debebatur, ſed Pelias illam quoque uſurparat: ideo dicitur filius ejus *regna Theſſalica obtinens.* Idem.

259. *Patrem*] Peliam. Ovidius in Metamorph. latiſſime hiſtoriam illam proſequitur. *Idem.*

260. *Diſciſſa*] Dilaniata: nam ipſum juſſit membratim dividi, ut coqueretur.

261. *Piæ*] Piſidice, Pelopea, Hippote, & Alceſtis filiæ Peliæ, quarum *ut quæque pia eſt* Medeæ *hortatibus impia prima eſt*, *Et ne ſit ſcelerata facit ſcelus*, &c. Ovid. 7. Metamorph. *Farnabius.*

266. *Sed tu malorum machinatrix*] Efficacius liber optimus: *Tu tu malorum.* Gronovius.

269. *Pur-*

Egredere, purga regna; letales simul
Tecum aufer herbas. libera cives metu.
Alia sedens tellure sollicita deos.
Med. Profugere cogis? redde fugienti ratem,
Vel redde comitem. fugere cur solam jubes?
Nor sola veni. bella si metuis pati,
Utrumque regno pelle. cur fontes duos
Distinguis? illi Pelia, non nobis jacet.
Fugam, rapinasque adice; desertum patrem,
Lacerumque fratrem. quidquid etiamnum novas
Docet maritus conjuges, non est meum.
Toties nocens sum facta, sed nunquam mihi.
Creon. Jam exisse decuit. quid seris fando moras?
Med. Supplex recedens illud extremum precor,
Ne culpa natos matris insontes trahat.
Creon. Vade, hos paterno, ut genitor, excipiam sinu.
Med. Per ego auspicatos regii thalami thoros,
Per spes futuras, perque regnorum status,
Fortuna variâ dubia quos agitat vice,

Pre-

269. *Purga*] Purga mea regna tam lethali monstro. *Farnabius.*

270. *Herbas.*] Quibus ad veneficia uteris. à Medea nomen accepit herbæ illud genus Ephemerum, adeo deleterium & lethale, ut eodem die enecet, unde dictam vult Theophrastus; est hellebori folio, radice rotundâ, Latinis dicitur *bulbus agrestis*: diversum ab alio Ephemero, cui oblonga radix, caulis lilio similis, *Iris agrestis* dictum. Nicander in Alexipharm. hanc ergo præcipuè jubetur herbam secum asportare. cum enim plurima nascatur in Colchide & prope Tanaim, teste Græco Nicandri scholiaste (qui perperam cum naphtâ confundit) verisimile est hanc quoque secum attulisse & asservasse Medeam, ut colligitur ex vers. infrà 677. de eadem herba Tibull. intelligo lib. 1. *Sola tenere malas Medeæ dicitur herbas.* Delrius.

271. *Solicita*] Carminibus, imprecationibus, veneficiis, sceleribus vexa & incanta sidera. infrà vers. 424. & vers. 672. *Farnabius.*

274. *Bella*] Ab Acasto. *Idem.*

276. *Illi Pelia.*] In Iasonis gratiam & ultionem, cui autem scelus est bono, nocens ille est. Infrà vers. 500. *Farnabius.*

277. *Fugam,*] A patre. *Id. Rapinas*] Aurei velleris. *Idem.*

278. *Lacerumque*] Suprà vers. 44. in notis. *Idem. Novas conjuges,*] Invidiosè plurali numero utitur. *Relinque matres.* sic alibi sæpius: ubi egregii censores singulatem substituerunt. *Comel.*

281. *Seris*] Exilium verbis protrahis. *Farnabius.*

285. *Auspicatos*] Bono auspicio cœptas Iasonis & filiæ tuæ nuptias, non inauspicatas ut meas sup. v. 114 *Id.*

Precor, brevem largire fugienti moram,
Dum extrema gnatis mater infigo oscula,
Fortasse moriens. *Creon.* Fraudibus tempus petis.
Med. Quæ fraus timeri tempore exiguo potest?
Creon. Nullum ad nocendū tempus angustū est malis.
Med. Parumne miseræ temporis lacrimis negas?
Creon. Etsi repugnat precibus infixus timor,
Unus parando dabitur exilio dies.
Med. Nimis est; recidas aliquid ex isto licet.
Et ipsa propero. *Creon.* Capite supplicium lues,
Clarus priusquam Phœbus attollat diem,
Nisi cedis Isthmo. sacra me thalami vocant,
Vocat precari festus Hymenæo dies.

294. *Repugnat precibus infelix timor,*] Flor. *infixus timor.* Cicero post reditum ad Quirites: *Hæc cura erit infixa animo meo sempiterna.* Gronovius.

296. *Nimis est; & ex hoc aliquid abscindas*] Flor. *Nimis est. recidas aliquid ex isto licet.* Nota sunt, *recidere* & *amputare sarcinas*, *recidere & circumcidere sumptus*, quæ alibi Plinio & Latino Pacato restituimus. *Idem. Nimis*] Vltra votum mihi moram indulsisti, namque in rem meam est fugam accelerare, ac proinde & ipsa propero. *Farnabius.*

297. *Capite*] Εἰ σ' ἡ 'πιοῦσα λαμπὰς ὀψεται θεὸς, &c. Θανῆ. Euripid. *Idem.* Ennius in Medea: *Si te secundo lumine hic offendero, Moriere.* Raderus.

299. *Isthmo.*] Corinthiaco. *Farn. Sacra*] Nuptiarum sacra. *Idem.*

300. *Vocat*] Dies Hymenæo sacra, vocat me ad preces & vota. *Idem.*

CHORUS.

Chorus in audaciam navigantium invectus primos nautas dignum audacia sua retulisse præmium canit. Scilicet Medeam.

Anapæstici.

Audax nimium, qui freta primus
Rate tam fragili perfida rupit;

Ter-

301. *Audax*] Locus in Navigationem, concinens Horatiano: *Illi robur & æs triplex circa pectus erat, qui fragilem truci commisit pelago ratem Primus. Qui freta primus*] Censent poëtæ primum Iasonem cum Argonautis navigasse. Manil lib. 1. — *tum nobilis Argo In cœlum subducta, mari quod prima cucurrit, Servando Dea facta Deos* — Ovidius: *Per mare non notum primâ petiere carinâ.* & inde mutuatus noster infrà, vers. 363. *Mercet primâ digna carinâ.* idem Sallustius tradit apud Priscian. lib. 6. idem quotquot Argonautica scripserunt. quidam primum navigasse Erythram, quidam Mysos,

Terrasque suas post terga videns,
Animam levibus credidit auris;
Dubioque secans æquora cursu,
Potuit tenui fidere ligno,
Inter vitæ mortisque vias
Nimium gracili limite ducto.
Nondum quisquam sidera norat;
Stellisque, quibus pingitur æther,
Non erat usus: nondum pluvias
Hyadas poterant vitare rates:
Non Oleniæ sidera capræ:
Non quæ sequitur flectitque senex
Arctica tardus plaustra Bootes:

Non-

Mysos, Dionysius Afer Ægyptios, Tibullus & Mela Phœnices, Diodorus Cretenses. *Delrius.*

303. *Terrasque*] E portu solvens in altum, videt terras recedere, Troad. vers. 1044.

304. *Animam*] Vitam credit fallacibus Austris. *Farnab.* Lucil. Sat. 28. *Vitam ac fortunas quoi crediderim meas.*

306. *Tenui*] *I nunc & ventis animam committe, dolato Confisus ligno, digitis à morte remotus Quattuor, aut septem, si sit latissima tæda.* Farnab.

307. *Inter*] Anacharsis ubi didicisset navis crassitudinem esse quatuor digitos, τοσοῦτον (inquit) οὗ θανάτου οἱ πλέοντες ἀπέχουσι. *Idem.*

311. *Nondum Pleiadas Hyadas*] Scaliger, *Pleiades hibernas*, aut epitheton navium deesse putabat. Gruterus è suis vitium auget, *Pleiadas Hyadasque* faciendo. Delrius & Grotius conjiciunt *pluvias Hyadas.* Et hoc firmat Florent. ita exhibendo: *Nondum pluvias Hyadas poterat vitare ratis.* Gron. *Nondum*] Hyades ortu & occasu suo pluvias tempestatesque excitant. Vide Thyest. 851. *Farnabius.*

312. *Hyadas*] In fronte tauri septem sunt stellæ, quæ suculæ appellantur Latinis.

313. *Non Oleniæ sidera capræ:*] Fl. *Non Oleniæ lumina capræ.* Et sufficit paullo ante positum *sidera.* Cicero in Arateis: *Argolicam retinet crebro cum lumine navem.* Sequenti liber idem, *Nec qui sequitur defletque senex:* ut, Lipsianus quoque & Moguntinus. *Gron. Non Oleniæ*] *Non Oleniæ sidus pluviale capellæ*, id est, Amaltheæ inter sidera relatæ, quod Iovi lac præbuisset prope Olenum Achaiæ oppidum. *Farnab.*

314. *Flectitque senex*] Germanicus: *Inde Helicen sequitur senior, baculoque minatus Arctophylax.* Satis autem apparet, Senecam eorum opinionem sequi, qui putant Booten, esse Icarium Erigones patrem. Germanici interpres, Bootes, inquit, qui & Arcturus, fertur esse custos plaustri, eo quod sequitur plaustrum, hoc est Septentriones. Cicero: *Arctophylax, vulgo qui dicitur esse Bootes, Quod quasi temone adjunctam præ se quatit Arcton.* Delr. *Senex*] Rectum est, de Boote. At Vetus, *defletque senex.* ideone quia matrem conatus interficere, ad aspectum ejus memoriâ rei lacrimat? *Lipsius.*

315. *Arctica*] Quia polo vicinior. *Farnabius. Bootes:*] Bubulcus, Arctophylax, quod ursæ minori adjunctus plaustrum insequi videtur, οὕνεχ' ἁμα-

Nondum Boreas, nondum Zephyrus
Nomen habebant.
Auſus Tiphys pandere vaſto
Carbaſa ponto, legeſque novas
Scribere ventis. nunc lina ſinu
Tendere toto: nunc prolato
Pede tranſverſos captare Notos:
Nunc antennas medio tutas
Ponere malo: nunc in ſummo
Religare loco, cum jam totos
Avidus nimium navita flatus
Optat, & alto rubicunda tremunt
Suppara velo.
Candida noſtri ſæcula patres
Vidêre, procul fraude remota.

Sua

ἁμαξαίης ἐπαφώμενος εἴδεται Ἄρκτου. *Farnabius.*

318. *Auſus*] Argonautas primum navigaſſe canunt poëtæ, Typhin primum velis & ſtellis in navigando uſum fuiſſe. *Idem.*

319. *Carbaſa*] Vela carbaſina. *Id. Legeſque*] Quomodo oporteat navim regere.

320. *Lina*] Secundo uſos vento. Hiſp. *Viento à la popa, largar la vela.* Farnabius.

321. *Prolato*] Obliquatis ad captandum flantem à latere ventum velis, ποδεῶνα, id eſt, imum veli angulum, producto altero, reducere. *Idem.*

322. *Pede*] Parte veli infima, quæ ad navis latus religatur, quam nautæ, prout tempeſtas poſcit, aut contrahunt, aut laxant. Catull. —*ſive utrumque Iuppiter Simul ſecundus incidiſſet in pedem.* quo ex loco duos hos eſſe nauticos pedes colligit Turnebus, & Pimpuntius multa ad illud Virg. lib. 5. Æneid. *Vna omnes fecere pedem.* ubi Servius, Podiam (lego *pedem*, vel *podeona*) hoc eſt, funem quo tenditur velum, quod Græci πόδα vocant, ut eſt apud Pindarum & Ariſtophanem. Hæc Servius. Ego vero etiam apud Homerum Odyſſ. ε'. & Euripidem, in Taurica Iphigenia, idem invenio. Plinius quoque ſcripſit: *Iiſdem ventis in contrarium navigatur, ſimul prolatis pedibus.* Delrius.

323. *Medio tutas*] Hoc faciunt nautæ, quando vel non ſatis vehemens ventus, vel totum excipere nolunt: attollunt autem antennas, cum plenis velis auram volunt infundi, ut mox ait.

324. *Summo*] In ſummitate mali.

326. *Avidus nimium*] Non eſt cupidus corradendæ pecuniæ, ut explicat Delrius, ſed nimis indulgens voto ad properandum iter. *Gronovius.*

327. *Tremunt*] Vento impulſa. *Farnabius.*

328. *Suppara*] Lintea annexa ſupra acatium & antennam. *Summaque pandens Suppara velorum perituras colligit auras.* Vide Turneb. lib. 21. Adv. cap. 4.

329. *Candida*] Nulla avaritiæ livoriſque labe polluta. *Farnabius.*

331. Pi-

Sua quisque piger littora tangens,
Patrioque senex factus in arvo:
Parvo dives, nisi quas tulerat
Natale solum, non norat opes.
Bene dissepti fœdera mundi
Traxit in unum Thessala pinus,
Jussitque pati verba pontum;
Partemque metus fieri nostri
Mare sepositum. dedit illa graves

Im-

331. *Piger*] Otio & pace fretus. *Farnabius.*

332. *Patrioque senex*] His omnino contraria & de navigationis fructu ejusque laudibus veriora Aristides in oratione Isthmicâ. In nostri tamen sententiam Schol. antiquus in Iuvenal. Sat. 14. *Apollinis oraculo declaratus est felicissimus Aglaus Arcas; qui nunquam patrium agellum excesserat, cum a Deo quæreretur, quis fidem veræ felicitatis implesset.* Delrius.

333. *Parvo dives,*] Secundum philosophos loquitur. Turpilius in Lindia: *Profecto ut quisque minimo contentus fuit, Ita fortunatam vitam duxit maxime: Ut philosophi aiunt isti, quidvis satis.* Idem.

335. *Bene dissepti*] Sic & Flor. non *dissetti*, nec *discerpti*: probarunt que jamdudum, sed ita, ut non aliunde doctum parum juvent. Nam quum notassent, *dissepire* esse septa disjicere & dividere, *dissepti* ergo, inquiunt, divisi, distincti, in quo sua cuique loca & officia assignata. Fortassis utrumque verum: sed male alterum ex altero colligitur, quia contraria sunt. Nam qui disjicit dividitque septa, is non facit divisa & distincta, sed tollit quod dividebat distinguebatque, & continuum unumque facit, quod ante septo discretum ac duplex erat. Ita *disseptus mundus* esset indivisus jam nec septus, sed in quo quæ fuerant septa, erant disjecta. Sic alter de eadem familia homo doctus: *Dissepio*, contrarium sepio, claudo, intercludo: *dissepio*, aperio divido, distinguo, dispertior. At si *dissepio* contrarium est τῷ *sepio*, si est aperio, non est claudo, divido, distinguo, dispertior. Debebant igitur distinctius agere. *Dissepire* Lucretio est idem quod sepire, septo vel limite dividere. Lib. 1. *Aër dissepit collu atque aëra montes, Terra mare & contra mare terras terminat omnis.* Et lib. 6. *dissepta domorum saxea* vocat, quæ Plinius *membra*, parietibus discluſas diætas. Sic Seneca *Disseptum mundum* dicit terras medio mari sejunctas & separatas. At Papinio Statio dissæptum est rescissum & destructum, Lib. 10. Thebaid. *dissæptoque agere rursus Vtitur, & truncas rupes in saxa domosque Præcipitat.* Hic locus ab Seneca est alienus. Potest tamen excusari, ut *infractus* tam non fractum quam fractum significat, *recludere* reserare & claudere, *obesus* gracilem & crassum. Nisi Statius scripsit, *deseptoque*, quemadmodum *detendi tabernacula* dicuntur. *Gronov.* *Bene*] Confundit hæc bene distincti mundi fœdera, & mari commiscuit terras, quas *Deus abscidit Prudens Oceano dissociabili.* Farnabius.

336. *Thessala*] Thessalæ silvæ filia nobilis navis è pinu. *Idem.*

337. *Verbera*] Remorum ictus.

338. *Partemque*] *Terra parum fuerat satis, adjecimus undas, Fortunæ miseras auximus arte vias.* Farnabius.

339. *Illa*] Argo. *Idem.*

Improba pœnas, per tam longos
Ducta timores: cum duo montes,
Clauſtra profundi, hinc atque illinc
Subito impulſu, velut ætherio
Gemerent ſonitu; ſpargeret aſtra
Nubeſque ipſas mare deprenſum.
Palluit audax Tiphys, & omnes
Labente manu miſit habenas:
Orpheus tacuit torpente lyra;
Ipſaque vocem perdidit Argo.
Quid! cum Siculi virgo Pelori,

Rabi-

341. *Cum duo montes,*] Cyaneæ, Symplegades, quas tranſmiſere Argonautæ, Phinei monitu præmiſſa viæ duce columbâ, non ſine periculo, mutilata ſumma puppis parte. *Farn.* Symplegades vel Cyaneæ inſulæ ſunt ſeu ſcopuli in Ponti Euxini oſtio: quæ finguntur concurrentes; eo quod non multum à ſe diſtantes, navigantibus modo disjungi, modo coire videantur, quingentis paſſibus ab Europa diſtantes.

342. *Clauſtra*] Maris enim Ponticiaditus claudere videntur. *Farnabius.* *Hinc atque illinc Subito impulſu,*] Suſpicor legendum, *impulſi.* Cum duo ſcopuli, utrimque moti & concurrentes, inſtar tonitrus ederent. *Pergeret depreſſum*, quod indigniſſimum Lipſio excidit, ſatis refutatum eſt. Flor. ut cæteri, *ſpargeret*, & *deprenſum.* De poſterioris verbi elegantia ad Philoſophumena Senecæ. Nec cum Delrio opus *aſpergeret.* nam ſic Virgil. Ecl. 5. *Spargite humum foliis.* Æn. 6. *Spargit corpus aqua.* Vetus poëta: *Saxa ſpargens tabo.* Gronovius.

343. *Impulſu*,] Colliſione. unde & nomen habent. ἀπὸ τῆ συμπλήκτεσθαι. dicto verſ. Hercul. Fur. *Farnabius.*

344. *Sonitu;*] Velut tonitru. *Id.*

345. *Deprenſum.*] Quando hi ſcopuli collidebantur, in medio deprehenſum & compreſſum mare ſic exprimebant, ut ejus guttæ in cœlum ipſum exſilirent. ſimillima illa Herc. Fur. actu 5. — *cumque revocatâ vice In ſe coibunt, ſaxaque in cœlum expriment, Actis utrinque rupibus, medium mare.*

346. *Palluit audax*] Expreſſit illa Horatii; — *& ſcatentem Belluis pontum mediaſque fraudes Palluit audax.* Delrius.

347. *Habenas:*] Clavum. *Farnabius.*

348. *Orpheus*] Metu ſtupefactus ipſe tacuit Orpheus, & lyra prius vocalis. *Idem.*

349. *Ipſaque*] Cujus cantus præſaga, garrula, fatidica dicitur, ut quæ ex Dodonæa quercu, πολυγλώσσῳ, λαλητικὴν εἶχε τὴν τροφὴν ἐκ τῆ δωδώνης δρυὸς, in qua duæ columbæ, ſeu mulieres *Columbæ* vocatæ reſponſa reddebant. *Idem.*

350. *Virgo*] Scylla Phorci filia, quam cum Glaucus Circe ſpretâ amaret, illa veneficiis dum ſe in fonte lavaret, in monſtrum canibus inguina ſuccinctum mutavit: eſtque in mari Siculo ad promontorium Pelorum humana figura ſaxum cavernoſum, ad quod maris æſtuoſi fluctus refracti latratum canum repræſentant. *Argonautæ vero, à Iove propter diſcerptum Abſyrtum irato immiſſa tempeſtate, errantes hæc loca appulerunt.* Idem.

351. *Suc-*

Rabidos utero ſuccincta canes,
Omnes pariter ſolvit hiatus,
Quis non totos horruit artus,
Toties uno latrante malo ?
Quid ! cum Auſonium diræ peſtes
Voce canora mare mulcerent;
Cum Pieria reſonans cithara
Thracius Orpheus ſolitam cantu
Retinere rates pene coëgit
Sirena ſequi ? quod fuit hujus
Pretium curſus ? aurea pellis;

Ma-

351. *Succincta canes,*] Lucretius: *Aut rapidis canibus ſuccinctas ſemimarinis Corporibus Scyllas.* Tibullus: *Scyllaque virgineam canibus ſuccincta figuram.* Virgil. in Ciri: *Quid loquar aut Scyllam Niſi, aut quam fama ſecuta eſt Candida ſuccinctam latrantibus inguina monſtris Dulichias vexaſſe rates.* Delrius.

354. *Toties uno latrante malo*] Hoc eſt, uno monſtro tot ſimul latratus edente: quot canibus Scylla ſuccingebatur. *Idem.*

355. *Auſonium*] Italicum ab Auſone Vlyſſis & Calypſus fil. *Farnabius.* *Diræ peſtes*] Sirenes, ſive Acheloi & Terpſichores, ſecundum Nonnum & Iſacium; ſive Acheloi & Steropes, juxta Homeri ſcholiaſten, ſive Acheloi & Melpomenes, ex Nicandri ſententia; ſive Acheloi & Calliopes, ut Servius 3. Æneid. voluit. Quæ nomina habuerint, non ſatis conſtat. Sunt qui vocitent Aglaopen, Thelxiopeian, Piſinoën: Apollonii vero ſcholiaſtes, Thelxinoën, Molpen, Aglaophonen; Chærylus, Thelxiopen, Molpen, Aglaophonem; Dionyſius Halicarnaſſæus, Solinus, & alii plerique, Parthenopen, Ligiam, Leucoſiam. Hæ Iunonis inſtinctu Muſas cantu provocarunt, à quibus victæ, implumes abierunt; earumque plumas Muſæ capitibus ſuis impoſuerunt, ideo indignatæ Sirenes, cantus ſuos in perniciem hominum converterunt: aliam tamen cauſam reddit Claud. lib. 3. de raptu Proſerp. *Diſcedunt aliæ rapidis Acheloides alis Sublatæ, Siculi latus obſedere Pelori, Accenſæque malo, jam non impune canoras In peſtem vertere lyras. Vox blanda carinas Alligat, audito frenantur carmine remi.* Delrius.

356. *Voce canora*] Harum una voce, teſte Servio ſuper 5. Æneid. circa finem, alia tibiis, alia lyra canebat.

357. *Pieria*] Quam à Calliope matre acceperat.

358. *Pene*] Παρθενικὴν δ' ἐνοπὴν ἐβιήσατο φόρμιγξ. Apollon. *Farn.*

361. *Aurea pellis;*] Phryxi arietem aureo inſignem vellere ex Mercurii contactu Apollonius, Orpheus, Catullus, & plerique ſcribunt; Simonides aliquando candidum, aliquando purpureum vocat, πορφυροῦν; ſed opinor more Græco, quibus albus color quandoque dicitur purpureus. Acuſilaus maris contactu hunc purpureum colorem credit accepiſſe. Mythologiam tradit Dionyſius Mytilenæus: Crion (ſic vocant illi arietem) Phryxi pædagogum fuiſſe, & cum eo in Colchos navigaſſe. addunt alii navigii in prora pictam fuiſſe arietis effigiem, forte auratam. plura Higynus in Fabulis cap. 188. & Lucillius Tharræus in Apollon. libro primo, verſu 256. *Delrius.*

Majusque mari Medea malum,
Merces primâ digna carinâ.
Nunc jam cessit pontus, & omnes
Patitur leges. non Palladia
Compacta manu regum referens
Inclita remos quæritur Argo.
Quælibet altum cymba pererrat,
Terminus omnis motus, & urbes
Muros terra posuêre nova.
Nil, qua fuerat sede, reliquit
Pervius orbis.
Indus gelidum potat Araxem:
Albim Persæ, Rhenumque bibunt.
Venient annis sæcula seris,
Quibus Oceanus vincula rerum
Laxet, & ingens pateat tellus,
Tethysque novos detegat orbes;
Nec sit terris ultima Thule.

ACTUS

363. *Merces*] Effera, audax, temeraria mulier, merces digna primâ illâ temerariâ nave. *Farnabius.*

365. *Non Palladia*] Neque tantum Argo Minervæ operâ confecta, heroum principumque remigio impulsa quæritur ad navigandum, sed, &c. *Id.* Argo Minervæ operâ confectam fuisse primus Simonides scripsit. idem postea Seneca, Claudianus, aliique permulti tradiderunt. *Delrius.*

366. *Regum*] Iasonis, & sociorum regum.

367. *Argo.*] Pindarus Thebanus in Magnesia oppido ædificatam scribit, Callimachus ad templum Actii Apollinis. *Cajet.*

369. *Vrbes*] Vrbes novæ ædificari cœptæ in terris aliis, novæque deductæ coloniæ. *Farnabius.*

370. *Vrbes Muros terra posuêre novos.*] Flor. *novas.* Lege, *nova.* Vrbes, inquit, se propagaverunt coloniis: velut Tyrii in terra sibi nova condiderunt Carthaginem. Horatius: *certus enim promisit Apollo Ambiguam tellure nova Salamina futuram.* Gronovius.

373. *Araxem:*] Armeniæ fl. *Farnabius.*

375. *Venient annis*] Veniet tempus inter posteros, cum Oceanus, qui nunc circumligat terram, hominesque illum navigare timentes tenet conclusos, aperietur transitu, & vastissimæ, quæ nunc etiam latent, deprendentur terræ in ipso mari. Nam Flor. *Tethysque novos Detegat orbes.* non *Tiphysque.* Gronovius.

376. *Vincula*] Terminos suos, quibus terras cingit. *Farnabius.*

377. *Et ingens*] Non tam acceptum hoc Platoni in Phædone de orbe incognito differenti refert Abrahamus Ortelius, quam poëtæ Hispani de America à suis inventa vaticinio. *Idem.*

378. *Thule.*] Oceani Septentrionalis insula. *Tylemarke.* Virgil. *tibi serviat ultima Thule.* Idem.

382. *En-*

ACTUS TERTIUS.

NUTRIX. MEDEA.

In vindictam præceps fertur Medea, nutrice incassum eam dehortante.

Nutr. Alumna, celerem quo rapis tectis pedem?
Resiste, & iras comprime, ac retine impetū.
Incerta qualis entheos cursus tulit,
Cum jam recepto Mænas insanit deo,
Pindi nivalis vertice, aut Nysæ jugis;
Talis recursat huc & motu effero,
Furoris ore signa limphati gerens.
Flammata facies spiritum ex alto citat.
Proclamat: oculos uberi fletu rigat.
Renidet. omnis specimen affectus capit;
Hæret,

382. *Entheos*] Τὸ ἔνθεον apud hunc Poëtam, pro sacro & furioso. *Enthei* sunt qui impetu quodam divino rapiuntur. In sacris ut Bacchi, ut hic, & Oedipo, *Vibrate thyrsos, enthea potius manu Lacerate.* In sacris Apollinis; in Agamemnone, *Effrena Phœbus entheus laurus quatit.* In sacris Cybeles, Martialis, *Cum furit ad Phrygios enthea turba modos.* Fabritius.

383. *Mænas*] Baccha. ἀπὸ τοῦ μαίνεσθαι. Oed. 436. *qualis vertice Pindi Odonis Ogygio decurrit plena Lyæo.* Farnab.

384. *Pindi*] Thessaliæ montis, in quo solitæ bacchari Mænades. Lucan. lib. 1. —— *nam qualis vertice Pindi Odonis Ogygio decurrit plena Lyæo, &c. Delrius. Nysæ*] Græci quidam Νύσσην, alii Νίσσειον, alii Νύσσειον scribunt. Nysæ porro tam urbes, quam montes nominantur à Stephano & reliquis Geographis decem: hîc agitur, vel de altero Parnassi vertice, vel de urbe Indicâ, ad radices montis Meri, in cujus antro Dithyro Bacchus fuit educatus. Q. Curtius lib. 8. de rebus gest. Alex. *Sita est* (Indiæ urbs Nisa) *sub radicibus montis, quem Meron incolæ appellant. Inde Græci mentiendi traxêre licentiam, Iovis femine Liberum patrem esse celatum.* quod ab Arriano. *Delrius.*

386. *Lymphati*] Mente alienati propter visam forte in fonte Nympham. Nymphæ itaque iratæ spiritu correpti, νυμφολήπτους. Sic *Cerritos* & *Larvatos* dicebant, qui Cereris aut Larvæ incursione animo vexarentur; nisi rectius *Lymphatos* dicamus, qui ab humentis cerebri exuperantia insaniunt, ὑγροκεφάλους & cum humoribus Luna præsit, *Lunaticos.* Farnab.

387. *Flammata*] Spiritus è corde excitus & per faciem diffusus, turbulentos ipsius motus arguit. *Idem. Ex alto*] Id est profundo pectore.

388. *Proclamat: oculos*] *Super*, Flor. prorsus, ut voluit Lipsius: *Proclamat: oculos uberi fletu rigat.* Frustra prædicat alterius vehementiam Delrius. Iuvenalis Sat. 6. *aut ficta pellice plorat Vberibus semper lacrimis.* Gron. *Oculus*] E dolore. *Farnabius.*

389. *Renidet.*] Vindictæ spem sibi gratulata

Hæret, minatur, æstuat, queritur, gemit.
Quo pondus animi verget? ubi ponet minas?
Ubi se iste fluctus franget? exundat furor.
Non facile secum versat aut medium scelus,
Se vincet: iræ novimus veteres notas.
Magnum aliquid instat, efferum, immane, impium.
Vultum furoris cerno. Dii fallant metum!
Med. Si quæris odio, misera, quem statuas modum,
Imitare amorem. regias egon' ut faces
Inulta patiar? segnis hic ibit dies,
Tanto petitus ambitu, tanto datus?
Dum terra cœlum media libratum feret,
Nitidusque certas mundus evolvet vices,
Numerusque arenis deerit, & solem dies,
Noctem sequentur astra; dum siccas polus

Versa-

gratulata ridet. *Farn.* *Omnis*] Signa & argumenta omnium cogitationum. *Idem.*

390. *Hæret,*] Cogitabunda & dubia. *Idem.* *Minatur,*] Vultu truci, quassato capite. *Id.* *Æstuat*] Irata. *Id.*

391. *Quo pondus istud verget?*] Flor. *Quo pondus animi verget?* Gronov.

392. *Fluctus*] Iratum. *Farnabius.*

393. *Non facile secum versat aut medium*] Ne literam quidem hic mutat Etruscus. Euripidis est: Οὐκ ἔστιν ὅπως ἐν τινι σμικρῷ Δέσποινα χόλον καταπαύσει. Livius lib. 5. *delectum nihilo accuratiorem quam ad media bella haberi solitus erat.* Pro eo Iustinus lib. 7. *bellum facile & mediocre.* Ovidius 9. met. *media de plebe Galanthus.* & lib 11. *mediæ quoque commoda plebi Nostra patent.* Hippolyto: *Mediumque sanos vulgus affectus tenet.* Abeant Lipsii, *ludit scelus*, & *rude scelus.* Gronovius. *Non facile*] Non leve meditatur & vulgare scelus. *Farnab.*

394. *Si vincit:*] *Emphasis.* priora facinora. *Idem.*

396. *Dii fallant*] Dii faxint ut falsum sit quod metuo. *Idem.*

397. *Si quæris*] *Medea nutrici non attenderat, atque hæc secum.* Idem.

398. *Imitare*] Non sunt hæc referenda ad alium amorem, quam unius Medeæ. Itaque supervacua illi, qui vim amoris ad hunc locum multis stabiliunt. Dicit enim ita extremo odio habendum Iasonem, quemadmodum immoderate amarat, quippe cujus gratia omnia divina & humana jam confuderat. *Gruterus.* *Regias*] Tædas, in Iasonis cum regis filia nuptiis, accensas. vid. Thebaid. 507. *Farnabius.*

400. *Petitus*] Vix à Creonte impetratus. sup. v. 295. *Idem.*

401. *Dum terra*] *Dum circumfuso pendebit in aëre tellus, Ponderibus librata suis.* Idem.

402. *Nitidusque*] Cœlum stellatum. *Idem.* *Vices,*] Anni tempestates. *Idem.*

403. *Deerit,*] Nostra quidem ignoratione, in se autem finita est & numero circumscripta, cum ipse mundus neutra quantitate sit infinitus. *Id.*

404. *Siccas Arctos;*] Vrsam majorem & minorem, quæ, quia nunquam occidunt, siccæ dicuntur.

405. *Flu-*

Versabit Arctos; flumina in pontum cadent;
Nunquam meus cessabit in pœnas furor,
Crescetque semper. quæ ferarum immanitas,
Quæ Scylla, quæ Charybdis, Ausonium mare
Siculumque sorbens, quæque anhelantem premens
Titana, tantis Ætna fervescit minis?
Non rapidus amnis, non procellosum mare,
Pontusque Coro sævus, aut vis ignium
Adjuta flatu, possit inhibere impetum
Iraque nostras. sternam & evertam omnia.
Timuit Creontem, ac bella Thessalici ducis?
Amor timere neminem verus potest.
Sed cesserit coactus & dederit manus;
Adire certe, & conjugem extremo alloqui
Sermone potuit: hoc quoque extimuit ferox.
Laxare certe tempus immitis fugæ
Genero licebat. liberis unus dies
Datus duobus. non queror tempus breve:
Multum patebit. faciet, hic faciet dies;

Quod

405. *Flumina in pontum*] Sic Virg. 1. Æneid. *In freta dum fluvii current.*

406. *Furor,*] In vindictam ira. *Farnabius.*

408. *Scylla,*] Sup. vers. 350. *Idem. Charybdis, Ionium mare Siculumque*] Optimus: *Ausonium mare Siculumque sorbens.* Sane *Ausonium* mare censent eruditi, quod inter fretum & Adriaticum sive Superum mare interluit usque ad Salentinos, ut proprie loquendo melius conveniat quam *Ionium:* etsi poëtæ his vocabulis laxius utantur. *Gronovius. Charybdis,*] Nihil aliud quam vorticosum mare flante præcipue Austro.

410. *Titana,*] Typhoëum *ut volunt plerique. secundum alios inter quos noster, Herc. Fur. v.* 80. Enceladum.

412. *Pontusque*] Euxinus, in quo procellas excitat Corus, Ventus ab occasu solstitiali flans adversus Aquilonem. de quo Thyest. 576. *Farnabius.*

415. *Thessalici ducis?*] Acasti. sup. vers. 257. *Idem.*

416. *Amor timere, &c.*] Audacia amantium pleni sunt poëtarum libri. Propert. *Solus amans novit, quando periturus, & à qua Morte; neque hic Boreæ flabra nec arma timet.* Delrius.

417. *Sed cesserit convictus*] Cujus quæso criminis? quibus indicibus? quo teste? qui ne quidem accusatus est. Scribe cum optimo: *Sed cesserit coactus & dederit manus.* Gronovius. *Sed cesserit*] Sed fac eum cessisse, huc coactum. *Farnabius.*

419. *Hoc quoque*] Et me alloqui forte timuit, alias ferox. *Idem.*

421. *Genero*] Cum Creonti gener sit. *Idem. Liberis unus dies Datus duobus.*] Flor. *Datus est duobus.* Gron. *Liberis*] Quo liberis valedicam. *Farnabius.*

424. *In-*

Quod nullus unquam taceat. invadam deos,
Et cuncta quatiam. *Nutr.* Recipe turbatum malis,
Hera, pectus. animum mitiga. *Med.* Sola est quies,
Mecum ruina cuncta si video obruta.
Mecum omnia abeant. trahere, cum pereas, libet.
Nutr. Quam multa sint timenda, si perstas, vide.
Nemo potentes aggredi tutus potest.

424. *Invadam deos,*] Imprecationibus. Suprà vers. 271. & infrà v. 672. *Farnabius.*

425. *Et cuncta*] Omnia movebo, *& flectere si nequeo superos, Acheronta movebo.* Idem.

427. *Mecum*] Ἐμοῦ ϑανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί. *Idem.*

430. *Potentes*] Late enim patens est ira; longæ manus regum. *Idem.*

JASON. MEDEA.

Iasonem gravatim Medeam deserentem seque excusantem aggreditur Medea, opprobriis, precibus, simulata conciliatione.

Ias. O dura fata semper, & sortem asperam,
Cum sævit & cum parcit, ex æquo malam!
Remedia quoties invenit nobis deus
Periculis pejora? si vellem fidem
Præstare meritis conjugis, leto fuit
Caput offerendum: si mori nolim, fide
Misero carendum est. non timor vicit virum,
Sed trepida pietas. quippe sequeretur necem

Pro-

431. *Sortem*] Conditionem Fortunæ meæ.

432. *Ex æquo malam!*] Flor. *mala.* Certe in vulgatis oratio indecore hiat. Forte: *& sortem asperam? Cum sævit & cum parcit, exæquat mala.* Gronov.

433. *Remedia toties*] Flor. per interrogationem & admirationem: *Remedia quoties invenit nobis deus Periculis pejora?* Idem. *Remedia*] In expeditione Colchica ut effugerem tauros, draconem, serpentigenas, jurisjurandi reus duxi Medeam: hîc, ne ab Acasto petitus, Creontis insidiis peream, violata priore fide, ducenda est Creüsa. *Farnabius.*

437. *Non timor vincit virum,*] Flor. *non timor vicit fidem.* Sed ingrata est repetitio vocis. Forte vers. 434. fuit: *si vellem vicem Præstare meritis conjugi.* Vt infra: *redde supplici felix vicem.* Gronovius. *Non timor*] Nec tamen mori refugio, animo parum vitili de me solicitus. *Farnabius.*

438. *Sed trepida*] Sed pietas in filios me trepidum facit, ne & illi meam necem comitentur. *Idem. Sequeretur necem*] Flor. *quippe sequeretur neci Proles parentum.* An ἐπαναίζει, ut & in Oedipo: *sequitur & Bacchis lacer Pentheus.* Sic enim idem liber. An. *sequeretur nece Proles parentem.* Gron.

439. *San-*

Proles parentum. ô sancta, si cœlum incolis,
Justitia, numen invoco ac testor tuum.
Nati patrem vicére. quin ipsam quoque,
Etsi ferox est corde, nec patiens jugi,
Consulere natis malle, quam thalamis, reor.
Constituit animus precibus iratam aggredi.
Atque ecce, viso memet, exsiluit, furit.
Fert odia præ se, totus in vultu est dolor.
Med. Fugimus Iason, fugimus. hoc non est novum
Mutare sedes. causa fugiendi nova est.
Pro te solebam fugere. discedo, exeo,
Penatibus profugere quam cogis tuis.
Ad quos remittis? Phasin & Colchos petam,
Patriumque regnum, quæque fraternus cruor
Perfudit arva? quas peti terras jubes?
Quæ maria monstras? Pontici fauces freti?
Per quas revexi nobiles regum manus,
Adulterum secuta per Symphlegadas?

Par-

439. *Sancta,*] Astræa. Thyest. 855. *Farnabius.*

441. *Nati patrem*] Amor natorum coëgit me vivere. *Idem. Ipsam*] Medeam. *Emphasis.* Idem.

442. *Etsi ferox*] Ait Horatius, in epist. ad Pisones, de arte poëtica: *Sit Medea ferox* ———

443. *Consulere*] Malle vitam natorum servare, quam meis thalamis frui. *Farnabius.*

446. *Totus in vultu est dolor.*] Vultus dolorem integrum, quantus quantus est, exprimit. nihil illa necesse est iram profiteatur, ex vultu manifeste deprehendas. *Dolorem* pro irâ etiam, Herc. Oet. actu 2. & Agamemn. actu 2. posuit. *Delrius.*

447. *Fugimus.*] In exilium mittor, ô Iason, in exilium mittor. *Iron.* Farn. *Hoc non*] Fugi enim è Colchide patris mei iram verita: rursus è Thessalia, Acasti Peliam patrem interfectum ulturi. Sed hæc propter te. *Idem.*

451. *Phasin*] Supr. v. 44 & 133. *Id.*

453. *Quas peti terras jubes?*] Citantur hæc verba à Fabio libro 9. Instit. Orat. cap. 2. Senecæ nomine, ἀπὸ τοῦ ὠός, quod de alio quam philosopho minime accipiendum. est autem hæc interrogatio apta concitandæ invidiæ, ex iis, quæ responsione carent. multiplex enim interrogatio. nam vel instamus eâ; vel commiserationem aut invidiam movemus; vel ridemus; vel scire aliquid cupimus, quod nescimus. *Delrius.*

455. *Nobiles regum manus,*] Scaliger *nobilem regum manum.* Vt Ovid. *Mota manus procerum est.* Cui tamen, nisi & in Fl sic invenissem, liberius repugnassem. Fingebam enim in illo, *nobiles regum manus*, aliquid magis conveniens Argonautis. nam manuariam operam præstabant ipsi reges, remigum officio fungendo. *Manus* autem dici ministros notavimus ad Statii Silvas. *Gronov.*

456. *Adulterum*] Te, tum raptorem;

Parvamne Iolcon, Theſſala an Tempe petam?
Quaſcunque aperui tibi vias, cluſi mihi.
Quo me remittis? exuli exilium imperas,
Nec das. eatur. regius juſſit gener.
Nihil recuſo. dira ſupplicia ingere;
Merui. cruentis pellicem pœnis premat
Regalis ira, vinculis oneret manus,
Cluſamque ſaxo noctis æternæ obruat;
Minora meritis patiar. ingratum caput!
Revolvat animus igneos tauri halitus,
Interque ſævos gentis indomitæ metus,
Armifero in arvo flammeum Æëtæ pecus,
Hoſtiſque ſubiti tela: cum juſſu meo
Terrigena miles mutua cæde occidit.
Adice expetita ſpolia Phrixei arietis,

Somno-

rem; jam deſertorem. *Farnabius. Symplegadas?*] Supra v. 342. *Idem.*

457. *Tempe*] Tempe dicta, quævis ſitu amœna loca; quædam Bœotiæ, quæ Teumeſſia; quædam Siciliæ, quæ Eloria; quædam Theſſaliæ, quæ ſimpliciter *Tempe* vocari conſuevêre à ſcriptoribus: deſcribuntur ab Æliano lib. 3. var. hiſt. in princ. & Ovidio lib. 1. Metamorph. *Delrius.*

458. *Quaſcunque*] Namque & patriam & Theſſaliam mihi infeſta atque inimica reddidi, tibi ut placerem. *Farnabius.*

460. *Regius*] Iaſon. *Scoptice* Creontis jam gener. *Idem.*

461. *Dira ſupplicia ingere;*] Quæ bene de te merendo, perfide, meruerim. *Idem.*

462. *Pellicem*] Me velut filiæ ſuæ pellicem. *Idem.*

463. *Regalis*] Creontis. *Idem.*

464. *Saxo noctis*] Specu tenebroſo; ſaxeo. Siſyphius ipſe. infr. verſ. 512. *Idem.*

465. *Meritis*] Malis meritis in patrem, fratrem meum & Peliam: bonis erga te. *Idem.*

466. *Revolvat*] Recordare, te, cum non liceret aureum vellus auferre, niſi tauris ignivomis domitis jugoque junctis campum ſulcaſſes Martium & dentes ſerpentis ſeminaſſes, è qua ſemente, &c. *Idem.*

468. *Pecus,*] Tauros.

468. *Terrigena miles*] Armatorum meſſis. *Farnabius.* Obſervavi Iaſonem ſeminaſſe dentes draconis, non illius Colchici, ſed ejus quem Cadmus prius in Bœotia occiderat. Nam Apollonius & Pherecydes ſcribunt, Bœotii illius dentes æquis partibus à Minervâ diviſos Cadmo & Æetæ: hos Ætas Iaſoni ſeminandos dedit. Hunc draconem Pherecydes & Herodotus autumant occiſum ab Iaſone; Antimachus vero, Apollonius & Valerius dumtaxat veneficiis Medeæ conſopitum memorant. *Delrius.*

461. *Adjice*] Lege *adice*, more Manilii, Martialis, aliorum, primâ correpta. Vide Lud. Carrionem comment. in lect. antiq. cujuſmodi multa noſter exempla paſſim ſuggerit. *Idem. Phrixei arietis*] Quem Marti Phryxus ſacravit.

472. *Somno-*

Somnoque jussum lumina ignoto dare
Insomne monstrum: traditum fratrem neci;
Et scelere in uno non semel factum scelus;
Jussasque natas fraude deceptas mea,
Secare membra non revicturi senis.
Aliena quærens regna, deserui mea.
Per spes tuorum liberûm, & certum larem,
Per victa monstra, per manus, pro te quibus
Nunquam peperci, perque præteritos metus;
Per cœlum, & undas, conjugii testes mei,
Miserere: redde supplici felix vicem,
Ex opibus illis, quas procul raptas Scythæ
Usque à perustis Indiæ populis petunt,
Quas quia referta vix domus gazas capit,
Ornamus auro nemora, nil exul tuli,

Nisi

472. *Somnoque*] Draconem pellis aureæ custodem fefellisses: te, inquam, Prometheo, confectione venenata, infra 707. à me donatum taurorum flammis restitisse, lapidem à me acceptum in medios terrigenas jecisse, quo facto seges illa armata mutuis vulneribus cecidit; succo denique Lethæo ubi à me dato vigilem draconem sopivisse. *Farnabius.*

473. *Traditum*] Suprà vers. 44: & 33. *Idem.*

475. *Natas*] Peliæ filias. Suprà vers. 256. *Idem.*

477 *Aliena sequens regna*] Locus vexatus. Editores fecerunt, *Alienaque sequens.* Quod probat Scaliger ita ut subaudiatur τὸ *quod.* Sed nec sermo Latinus hoc patitur in tali oratione, & particula *que* omnibus antiquis codicibus ignoratur. Lipsius, *sequeris*, cum interrogatione, refutatum amico ejus & Grutero. Ipsi, alter conjicit, *Alienasectans*, alter *Sequens aliena.* Hic iterum Florentinus meliorem se aliis ostendit. Habet enim sine ulla ambiguitate: *Aliena quærens regna deserui mea.* Pacuvius aut Ennius dixissent forte περισσολογως *sequiens*; nunquam Seneca. De ordine nihil video commodius sententia Delrii transponentis versum post v. 487. *Gronovius.*

481. *Per cœlum*] Cœli sidera. Nocturnus autem Medeæ contractus objectus supra in Epithalamio, v. 114. *Farnabius. Vndas,*] Celebratas Iasonis & Medeæ nuptias alii in mari scribunt; in Peuce insula alii, alii in Corcyra. *Id.*

484. *A perustis*] Thyest. 600. & Oed. 122. Indo-Scythas loquitur. *Id. Indiæ*] De Indo-Scythis agit, quos Gedrosiæ & Arachosiæ Ptolomæus opponit. *Delrius.*

485. *Referta quasque vix domus*] Vidit Scaliger hæc male cohærere cum superioribus. Itaque prorsus de illius sententia Etruscus: *Quas quia referta.* Gronovius. *Referta quasque*] Propter vellus aureum in luco Martis quercui appensum. *Farnabius.*

486. *Ornamus auro nemora,*] Plinius de Soanis gente Colchica scribit, eorum regi fuisse aureas camaras, trabes, columnas, & paraslatas argenteas. Turderanis Strabo præsepia argentea tribuit. *Delrius.*

Nisi fratris artus. hos quoque impendi tibi.
Tibi patria cessit, tibi pater, frater, pudor.
Hac dote nupsi. redde fugienti sua.
Iaſ. Perimere cum te vellet infestus Creo,
Lacrimis meis evictus, exilium dedit.
Med. Pœnam putabam; munus, ut video, est fuga.
Iaſ. Dum licet abire, profuge, teque hinc eripe.
Gravis ira regum est semper. *Med.* Hoc suades mihi,
Præstas Creusæ. pellicem invisam amoves.
Iaſ. Medea amores obicit? *Med.* & cædem, & dolos.
Iaſ. Objicere crimen quod potes tandem mihi?
Med. Quodcunque feci. *Iaſ.* Restat hoc unum insuper,
Tuis ut etiam sceleribus fiam nocens.
Med. Tua illa, tua sunt illa. cui prodest scelus,
Is fecit. omnes conjugem infamem arguant;
Solus tuere, solus insontem voca.
Tibi innocens sit, quisquis est pro te nocens.
Iaſ. Ingrata vita est, cujus acceptæ pudet.
Med. Retinenda non est, cujus acceptæ pudet.
Iaſ.

489. *Hac dote nupsi.*] Horum impendii & damni dote, quæ omnia tu mihi restitue, quoniam tua culpa intervenit divortium. *Anachronismus. legem Roman. respiciens.* Farnabius.

490. *Perimere*] Supra v. 184. *Idem.*

495. *Præstas Creüsæ.*] Pulchre sane consulis superinductæ novæ nuptæ, me tanquam pellice amota. *Idem.*

496. *Medea*] Objicisne mihi novos Creüsæ amores. *Idem.*

498. *Restat*] Quasi dicas hæc meis consiliis facta, culpamque in me rejicias. *Idem.*

500. *Cui prodest*] Supr. v. 276. Cicero pro Roscio Amerino: *L. Cassius, ille quem Populus Romanus verissimum sapientissimumque judicem putabat, identidem in causis quærere solebat, cui bono fuisset. Sic vita hominum est, ut ad maleficium nemo conetur sine spe atque emolumento accedere.* Nullus dubito, quin Seneca huc respexerit. *Raderus.*

501. *Omnes conjugem*] *Vt culpent alii, tibi me laudare necesse est, Pro qua sum toties esse coacta nocens.* Farnabius.

504. *Ingrata vita est,*] Quod ait tam effreni vitam acceperim, idque veneficiis malisque artibus obnoxius, pudet me pigetque. *Idem.* Curtius lib. 6. *Quædam beneficia odimus, meruisse mortem consiteri pudet. Superbi, ut malit videri injuriam accepisse quam vitam.* Raderus. Cæsar 3. de bello civili: *Eum ingressum in sermonem Pompeius interpellavit, & loqui plura prohibuit. Quid mihi, inquit, aut vita aut civitate opus est, quam beneficio Cæsaris habere videbor?* Vide quæ ad Senecæ consolationem ad Marciam cap. 20. notavimus. *Gronovius.*

505. *Retinenda non est,*] Est itaque in

Ias. Quin potius irâ concitum pectus doma.
Placare natis. *Med.* Abdico, ejuro, abnuo.
Meis Creusa liberis fratres dabit?
Ias. Regina gnatis exulum, afflictis potens.
Med. Non veniat unquam tam malus miseris dies,
Qui prole fœda misceat prolem inclitam;
Phœbi nepotes Sisyphi nepotibus.
Ias. Quid, misera, meque teque in exitium trahis?
Abscede quæso. *Med.* Supplicem audivit Creo.
Ias. Quid facere possim, eloquere. *Med.* pro me? vel scelus.
Ias. Hinc rex, & illinc. *Med.* Est & his major metus,
Medea. nos confligere certemus; sine,
Sit pretium Iason. *Ias.* Cedo defessus malis.

Et

in tua manu, simul te vita ac pudore exsolvere. *Farnabius.*

507. *Natis.*] Propter natos, amoris pignora & spes. *Idem.*

509. *Regina gnatis*] Imo decori erit his afflictis & matris exulis filiis habere ὁμοτρόφους ἀμφιμήτορας κάσεις. *Idem.*

512. *Phœbi nepotes*] Filios meos, quæ Phœbi nepris sim. *Id. Sisyphi*] Creusæ natis, cui pater Creon, filius Sisyphi. *Idem.*

514. *Creo.*] Etiam mihi infensus. suprà vers. 395. *Idem.*

515. *Pro me? vel scelus.*] Namque te mihi obstrinxi sceleribus. *Idem.* Quærit Iason, quid in gratiam Medeæ fieri à se possit. Respondet illa, Omnia, imo & scelus. Sceleribus enim obstrictus erat Iason. In sequentibus ostendit, se magis quam utrumque regem esse metuendam. Nihil magis planum. *Heinsius.* Cicero pro Cælio de Catilina: *servire temporibus suorum omnium pecunia, gratia, labore corporis, scelere etiam, si opus esset, & audacia.* Quatenus autem pro utilitatibus amicorum delinquendum sit, vide Gellium lib. 1. cap. 3. *Gronovius.*

516. *Hinc rex & illinc.*] Creon & Acastus. *Farnabius. Est & heic major metus, Medea.*] Sic Gruterus ex aliquot suis. Delriani codd. *Hinc.* Parum interest: sed tamen Flor. *Est & his.* Gronov. *Est & his major*] Vtroque tamen major ego, quam vel propter merita vereatis, vel propter magicas artes metuas. *Farnabius.*

517. *Nos confligere certemus; sine,*] Locus omnium judicio interpolatus: Aldus, *nos conflige.* Lipsius, *neu conflige.* A quo diversum ut diceret amicus ejus postea se fulcire ait: *non conflige.* Scaliger, *nos conligere.* Gruterus, *nusquam est fugere, certemus.* Grotius, *nos conlide; certamen sine.* Deserit hic nos optimus liber, nihil à vulgatis diversus. Conjiciebam aliquando & ipse: *nos conferre certamen sine.* Lucretius lib. 4. *At contra conferre manu certamina pugnæ Ante fuit multo, quam lucida tela volarent.* Nisi malis, *conficere.* Gronovius.

518. *Sit pretium Iason.*] Asinius Pollio, cum se post Brundusinam pacem continuisset in Italia, neque aut vidisset unquam reginam, aut post enervatum amore ejus Antonii animum

Et ipsa casus sæpe jam expertos time.
Med. Fortuna semper omnis intra me stetit.
Iaſ. Acastus instat, propior est hostis Creo.
Med. Utrumque profuge. nolo ut in socerum manus
Armes, nec ut te cæde cognata inquines,
Medea cogit. innocens mecum fuge.
Iaſ. Et quis resistet, gemina si bella ingruant?
Creo atque Acastus arma si jungant sua?
Med. His adice Colchos, adjice Æetem ducem.
Scythas Pelasgis junge. demersos dabo.
Iaſ. Alta extimesco sceptra. *Med.* Ne cupias, vide.
Iaſ. Suspecta ne sint, longa colloquia amputa.
Med. Nunc summe toto Juppiter cœlo tona.
Intende dextram. vindices flammas para,
Omnemque ruptis nubibus mundum quate:

Nec

mum partibus ejus se miscuisset, rogante Cæsare, ut secum proficisceretur ad bellum Actiacum, *Mea*, inquit, *in Antonium majora merita sunt; illius in me beneficia notiora: itaque discrimini vestro me subtraham, & ero præda victoris.* Gronovius.

520. *Fortuna semper omnis intra me stetit.*] Ipsa apud Ovidium: *Maximus intra me deus est.* Sed hic *deus* Cupido. Senecæ autem videtur, ut Floro, *intra esse*, idem quod minorem esse. Fortuna nunquam potuit, quantum ego ipsa: semper me minor fuit: & ego illam, non illa me, in potestate habuit. Propertius in contrarium, alio tamen sensu: *Intra fortunam qui cupis esse tuam.* Qui te minorem facis tua fortuna: cumque ea tibi præturas, consulatus, triumphos, ingerat, ea repellis, & in equestri ordine manes. Nec fere aliter Ovidius: *& intra Fortunam debet quisque manere suam.* hoc est, non vel excedere sortem suam, secum habitare & contrahere se, certe non extendere, ultra quam status & conditio fert. *Idem. Fortuna*] Meam ego semper fabricavi fortunam, fortunæ victrix fuit semper mea sapientia. *Farnabius.*

522. *Socerum manus*] Creonta. *Id.*

523. *Cognata*] Patruelis tui, Acasti; cujus pater Pelias Æsonis frater. *Idem.*

527. *His adice*] Sic apud Valerium Flaccum ultimo libro inchoati operis inquit Medea: *An fratris te bella mei, patriæque triremes Terrificant, magnoque impar urgeris ab hoste? Fingeret alias, & adhuc majora coire Agmina.* & quæ sequuntur. *Colchos,*] Quibus imperat pater meus, id est, veniant adversus nos cum Græcis Colchici, ante tamen mea evincam. *Farnabius.*

529. *Alta*] Attamen regum potentiam metuo. *Idem. Ne cupias,*] Vide potius ne perfide me repudies, ut regnum obtineas dotale cum Creusa. *Idem.*

533. *Ruptis*] Tonitru, quod efficitur ab exhalatione sicca & calida nube inclusa, quam per antiperistasin accensa illa exhalatio vehementer concutit dissumpitque. *Idem.*

534. *Nec*

Nec diligenti tela librentur manu.
Vel me, vel istum: quisquis è nobis cadet,
Nocens peribit. non potest in nos tuum
Errare fulmen. *Ias.* Sana meditari incipe,
Et placida fare. si quid ex soceri domo
Potest fugam levare, solamen pete.
Med. Contemnere animus regias, ut scis, opes
Potest, soletque: liberos tantum fugæ
Habere comites liceat, in quorum sinu
Lacrimas profundam. te novi gnati manent.
Ias. Parere precibus cupere me fateor tuis;
Pietas vetat. namque istud ut possim pati,
Non ipse memet cogat & rex, & socer.
Hæc causa vitæ est. hoc perusti pectoris
Curis levamen. spiritu citius queam
Carere, membris, luce. *Med.* Sic gnatos amat?
Bene est. tenetur. vulneri patuit locus.
Suprema certe liceat abeuntem loqui
Mandata. liceat ultimum amplexum dare.
Gratum est & illud. Voce jam extrema peto,

Ne

534. *Nec diligenti*] Nec refert utrum è nobis ferias, uterque nocens est. *Farnabius.*

535. *In me, vel istum:*] Videtur magis convenire turbulentæ iræ mutata, nec tamen incommoda oratio, quam habet Fl. *Vel me, vel istum.* Scilicet, *feri.* Vox Domitiani, quum multa fulgura fierent: *Feriat jam quem volet.* Gronovius.

543. *Novi gnati*] E nova conjuge. *Farnabius.*

545. *Istud haud possim pati, Non si ipse*] Flor. *namque istud ut possim pati, Non ipse memet cogat.* Fortassis etiam: *Non ipsemet me.* Nisi accipias per diæresin: *Non ipse me met:* ut, *quo nos cunque.* Gronovius.

546. *Et rex,*] Creon. *Idem.*

547. *Hæc causa*] Vt sup. vers. 438. *Idem.*

Perusti] Hinc *curæ* Etymon ingerunt, quasi quæ *cor urat.* quod alii à κηραίνω κηρῶ, id est, animo anxie verso. *Idem.*

549. *Sic gnatos*] *Hæc secum,* itane? siccine gnatos amat? habeo quo cum uram, quo ulciscar. *Idem.*

550. *Tenetur*] *Metaph.* à venatoribus. *Idem. Vulneri*] *Metaph.* à gladiatoribus sumpta, qui detegunt aliquod membrum adversarii ictui. *Id.*

551. *Suprema*] *Hæc ad Iasonem conversa.* Idem. *Voce*] Simulat se ad placidiorem rediisse mentem, quo melior sit fraudi locus: Sic apud Euripidem: —— αἰτοῦμαί σε τῶν εἰρημένων συγγνώμον' εἶναι. ——

553. *Gratum est & illud.*] Et hic fere consentitur de mendo. Lipsius, *Ratum est.* Delrius mutatis personis: IAS. *Gratum est.* MED. *Et illud.*

Ne si qua noster dubius effudit dolor,
Maneant in animo verba; melioris tibi
Memoria nostri subeat. hæc iræ data
Oblitterentur. *Iaſ.* Omnia ex animo expuli.
Precorque, & ipsa fervidam ut mentem regas,
Placideque tractes. miserias lenit quies.
Med. Discessit. itan' est? vadis oblitus mei,
Et tot meorum facinorum? excidimus tibi?
Nunquam excidemus. hoc age, omnes advoca
Vires & artes. fructus est scelerum tibi,
Nullum scelus putare. vix fraudi est locus.

Time-

Gruterus distinctione tentat expedire: *Gratum est? & illud.* Sane distinctione tantum, etsi non ista, & interpretatione opus est. Dedimus utramque ad illud Statii in Glaucia Meliotis: *Gratum est, Fata, tamen.* Gronovius.

554. *Ne si qua noster*] Quemadmodum Medea, ut possit liberos necare, se ad meliorem mentem rediisse simulat: sic plane Sophocleus Aiax à priore sententia recessisse se fingit, Tecmessæ à se removendæ causa, ne se interficere volenti impedimento foret. illaque Sophoclis fictio sic Virgilio placuit, ut in divinum opus lib. 4. eam transtulerit. ibi namque Dido certa jam mori, & deliberata morte fortior, *consilium vultu tegit, & spem fronte serenat.* Delrius.

555. *Sed meliar tibi Memoria*] Multo delicatius Flor. *Maneant in animo verba. melioris tibi Memoria nostri subeat.* Ovidius in Epistola Canaces: *Nubite felices Parca meliore sorores, Amissæ memores sed tamen este mei.* Sic certe occurrit nobis in Mſſ. ubi vulgus *Admissi.* Nam de docti Fr. Sanctii lege, Genitivos, *mei, tui, sui, nostri, vestri,* non admittere adjectiva, alias videbimus. Græcis quidem nihil frequentius: & hos imitatum Senecam sufficit. Virgilius lib. 12. *& tu Saturnia Iuno Iam melior.* Gronovius.

556. *Iræ*] Quæ mihi iratæ excederint. *Farnabius.*

559. *Miserias lenit quies.*] Leniores videntur miseriæ, si leviter illas quis ferat, nec querendo exasperet: augescunt iracundiâ & impatientiâ. Horatius: *levius fit patientiâ Quicquid corrigere est nefas.* Delrius.

562. *Nunquam excidemus.*] Id agam, ut semper memineris mei. sup. v. 413. *Farnabius. Hoc age,*] Loquelare verbum: quo sacrificantes & sacrificio adstantes monebantur, ut, curis aliis exclusis, huic uni rei animo attenderent. formulæ mentio fit apud Senecam lib. 1. de clementia; usum & significationem Plutarchus tradidit in Numa, & in Coriolano. videndus adagio, *hoc age*, & Brisson. libro 1. de formul. noster actu 5. —— *hoc age & faxo sciant.* Item: *Nunc hoc age animo non occulto, &c.* Delrius.

564. *Nullum scelus putare.*] Vide quæ scripsimus ad librum de tranquill. an. cap. 10. *Gronovius. Vix fraudi est locus. Timemur.*] Difficile est eum fallere, qui falli timet: è contra, facile est illum circumvenire, qui se decipi non posse confidit. plane confidentia insidiis exposita: metuentem non nisi aperto Marte opprimere queas. ideo in Thyeste dictum: —— *sed quibus captus dolis Nostros dabit perductus in laqueos pedem? Inimica credit cuncta.* Delrius.

565. *Quic-*

Timemur. hac aggredere, qua nemo poteſt
Quicquam timere. perge. nunc aude, incipe
Quidquid potes, Medea, quidquid non potes.
Tu fida nutrix, ſocia mœroris mei,
Variique caſus, miſera conſilia adjuva.
Eſt palla nobis, munus ætheriæ domus,
Decuſque regni, pignus Æëtæ datum
A Sole generis. eſt & auro textili
Monile fulgens; quodque gemmarum nitor
Diſtinguit aurum, quo ſolent cingi comæ.
Hæc noſtra nati dona nubenti ferant,
Sed ante diris illita ac tincta artibus.
Vocetur Hecate. ſacra luctifica appara.

Sta-

566. *Quicquam*] Nonnulli; *Fraudem.* Delrius.

567. *Quidquid*] Proni enim ſtudii certius indicium eſt ſupra vires niti, quam viribus ex facili uti, *& Cic.* non ſolum debeo quæ poſſum: ſed ea quoque quæ non poſſum. *Farnabius.*

570. *Munus*] Οὔν ποθ' ἥλιος Πατὴρ πατρὸς δίδωσιν ἐκγόνοισιν οἷς. Pignus ſcilicet quo teſtetur, ſe illum genuiſſe. *Idem.*

572. *A Sole. Gemmis eſt, & auro*] Et ſine hac mentione gemmarum ſatis intelligimus hoc monile pretioſum fuiſſe. Flor. *A Sole generis. Eſt & auro.* Ovidius de Ægeo & Theſeo: *Cum pater in capulo gladii cognovit eburno Signa ſui generis.* Idem de Phaëthonte: *Pignora da genitor, per quæ tua vera propago Credar.* Gronovius. [*Textili*] Intertexto. *Farnabius.*

573. *Quodque gemmarum nitor*] Tria hic agnoſcunt dona Delrius & Raderus, pallam, monile, aurum crinale. Euripides duo tantum agnoſcit: verſu 786. Λεπτόν τε πέπλον καὶ πλόκον χρυσήλατον. & rurſum verſ. 949. Λεπτόν τε πέπλον καὶ στέφος χρυσήλατον. & mox verſ. 960. Δοκεῖν σπανίζειν δῶμα βασίλειον πέπλων, Δοκεῖς δὲ χρυσοῦ. denique verſ. 1160. Λαβοῦσα πέπλους ποικίλους ἠμπέσχετο, χρυσοῦν τιθεῖσα στέφανον ἀμφὶ βοστρύχους Λαμπρῷ κατόπτρῳ σχηματίζεται κόμην. Apollodorus ſolius pepli, Higynus ſolius coronæ aureæ meminit. Et ſane monile illud non erat aliud quam corona aurea gemmis diſtincta. Itaque ſecutus Euripidem Seneca ſcripſerat: *Eſt & auro textili Monile fulgens, quique gemmarum nitor Diſtinguit aurum, quo ſolent cingi comæ.* Monile fulgens, inquit, auro textili & nitentibus gemmis aurum diſtinguentibus. Virgilius lib. 10. *Qualis gemma micat, fulvum quæ dividit aurum Aut collo decus aut capiti. Nitor* gemmarum proprie. Phædrus fab. 57. *Nitor ſmaragdi collo præfulget tuo.* Mæcenas: *nec ſmaragdos, Beryllos mihi, Flacce, nec nitentes.* Manilius lib. 5. *lapidumque nitori Vix uſquam eſt locuples, oneratur terra profundo.* Gronovius.

574. *Aurum,*] Aureum crinale gemmis diſtinctum. *Farnabius.*

575. *Nubenti*] Creüſæ.

576. *Diris illita*] Veneficiis.

577. *Hecate.*] Vid. Hippol. v. 411. *Farnabius. Sacra*] Magica. *Idem.*

Statuantur aræ. flamma jam tectis sonet.

578. *Struantur aræ.*] Flor. *Statuantur.* Iustinus lib. 11. *duodecim aras deorum in belli vota statuit.* lib. 12. *urbem Barcen condidit, arasque statuit.* Ovidius lib. 7. *statuitque aras è cæspite binas.* Frontinus Strateg. lib. 9. *aram in castris statuit.* Sed & præcedenti versu: *sacra loetifica appara.* Quasi voluerit, *letifica*, pro mortiferis. *Gronovius.*

CHORUS.

Canit Chorus *Rejectæ uxori quot amore dolores Polluto, notumque furens quid fœmina possit*, & cum cæteri Argonautæ pœnas dederint violati maris, Iasoni bene precatur.

Nulla vis flammæ, tumidique venti,
Tanta, nec teli metuenda torti: 580
Quanta, cum conjux viduata tedis
Ardet

579. *Nulla vis flammæ,*] Chorus elegantissimus. Græci Tragici, autores habebant suos, è quibus dramata sua constituebant. Qualis erat ὁ ἐπικὸς κύκλος. Qualia τὰ κύπελα, ut ab Aristotele vocantur, aut κυπελλικά, ut ab aliis. Quæ nonnulli, teste Procio, Salaminio Hegesiæ, alii Stasino asscripsere. Talis erat ὁ τῆς νόστος ποίησις. Qui quæ singulis in reditu Argonautis evenissent, diligenter collegerat. Sophocles plurimum τῷ ἐπικῷ κύκλῳ tribuere solebat, sicut Græci Critici nos docent. ideoque in multis ab Eutipide & aliis abibat. Quasdam quoque παραμυθείας penitus virarat. Quæ de nuptiis Iasonis cum filia Creontis, tradidit Eutipides, unde constitutum est hoc drama, multi veterum non admittebant. qui heroëm illum ad extremam usque senectutem cum Medea ætatem egisse, tandemque ejus opera repubuisse, volebant. Simonides & Pherecydes antiquissimi scriptores, & ὁ ἐπικὸς κύκλος, ita hoc tradebant. Quare omnia è quibus drama suum Eutipides conflavit, penitus tollebant. Ideoque nusquam παραγωγείαν istam apud Sophoclem invenisses. Multo minus Æschylum; tanto antiquiorem. Ab iis abibat ὁ τῆς νόστος ποίησις. quem cum Apollodorus tum alii laudant, qui hoc Æsoni evenisse volebat. Cætera autem sine dubio admittebat. Nam in hanc sententiam ab antiquis citatur. Hunc secutus est Eutipides. Eutipidem, Ovidius, Seneca: & qui ante Eutipidis drama converterant. Seneca totum hunc chorum ex autore isto confecit. Qui tum temporis adhuc sine dubio extabat (neque enim admodum antiqui sunt, qui ex eo versus adducunt.) Quid enim aliud hic docet, quam quid singulis evenerit, qui primum illud iter suscepissent? Eo facilius ab alio inseri potuerunt, quæ prætermissa videbantur. Qua de re postea agemus. *Heinsius.*

581. *Quanta, cum conjux*] Adulterium virorum mulieres maxime exasperat. Eutipides, Medea: — γυνὴ γὰρ πέλλει μὴν φύσει πλέα, ἠχὴ δ' ἐς ἀλκὰς, κἀς σίδηρον εἰσορᾷ, ὅταν δ' ἐς εὐνὴν ἠδικημένη κυρῇ, ἥκιστα φρένας μὴ φοναίσεσθαι. ideo noster Hercule Oetæo: *O quam cruentus fœminas stimulat dolor, Cum patuit una pellici & nuptæ domus! Scylla & Charybdin Sicula contorquens freta Minus*

Ardet & odit.
Non ubi hibernos nebulosus imbres
Auster advexit; properatque torrens
Ister, & junctos vetat esse pontes,
Ac vagus errat.
Non ubi impellit Rhodanus profundum;
Aut ubi in rivos nivibus solutis
Sole jam forti, medioque vere
Tabuit Æmus.
Cæcus est ignis stimulatus ira,
Nec regi curat, patiturve frenos.
Haud timet mortem. cupit ire in ipsos
Obvius enses.
Parcite, ô divi. veniam precamur,
Vivat ut tutus, mare qui subegit.
Sed furit vinci dominus profundi
Regna secunda,
Ausus æternos agitare currus

Im-

Minus est timenda, nulla non melior fera est. Delr. *Viduata*] Deserta, repudiata. *Farnabius.*

582. *Ardet*] Amore. *Idem. Odit.*] Ob repudium. *Idem.*

583. *Non ubi hibernos nebulosus imbres*] Phavorinus apud Gellium lib. 2. cap. 22. Auster, inquit, Græce νότος nominatur: quia est nebulosus atque humectus. Horat. *Albus ut obscuro deterget nubila cælo Sæpe Notus, neque parturit imbres Perpetuos: sic tu, &c.* Delrius.

585. *Ister*,] Danubius, Germaniæ fl. *Farnabius. Junctos*] Compages pontium rumpit *pontem indignatus.* Idem.

586. *Vagus errat.*] Exundat ripas. *Idem.*

587. *Rhodanus*] Galliæ fl. *Idem.* Notus amnis Lugdunensis Galliæ, quem accuratissime describit Ammianus Marcellinus libro 15. ubi Ararim, *Sauconnam* dicit vocari, melius fortassis legeretur, *Saonnam.* De ostiis ejus non consentiunt; Polybius & Ptolomæus, duo faciunt; Artemidorus & Plinius, tria; Diodorus & Timæus, quinque: prudenter Livius scribit pluribus in mare ostiis divisum incurrere. Vide Strabonem lib. 4. *Delrius. Profundum;*] Mare Massilioticum, dum inter se maris fluctus & rapidissimi amnis fluenta decertat. *Farnabius.*

590. *Tabuit*] Liquefacta, dissoluta est nix è monte Thracio. *Idem.*

591. *Ignis*] Amor. *Idem.*

596. *Mare qui subegit.*] Iason, quem primum cum Argonautis navigasse concinunt poëtæ. vid. sup. vers. 518. *Idem.*

597. *Sed furit*] Sed inique fert Neptunus maria quæ sibi obtigerant secunda sorte (Herc. Fur. v. 598.) vinci jam, navibusque pervia fieri. *Idem.*

599. *Currus*] Solis currus. *Idem.*

Immemor metæ juvenis paternæ,
Quos polo ſparſit, furioſus ignes
Ipſe recepit.
Conſtitit nulli via nota magno.
Vade, qua tutum populo priori:
Rumpe nec ſacro, violente, ſancta
Fœdera mundi.
Quiſquis audacis tetigit carinæ
Nobiles remos, nemoriſque ſacri
Pelion denſa ſpoliavit umbra:
Quiſquis intravit ſcopulos vagantes,
Et tot emenſus pelagi labores,
Barbara funem religavit ora,
Raptor externi rediturus auri;

Exitu

600. *Iuvenis*] Phaëthon. *Farnabius.* Phaëthon, Apollinis & Clymenes, ut volunt Ovid. & Lucianus; vel Apollinis & Protes, ut Tzetzes; vel Cephali & Auroræ, ut Heſiodus & Pauſanias, filius: cujus mors Apollonii 4. Argonaut. Tzetzæ Chiliad. 4. hiſtor. 137. Ovidii 2. Metam. notior eſt, quam ut debeat inculcari. ea docet adoleſcentes quomodo remp. capeſſere debeant. *Delrius. Paternæ,*] Phœbo obſervatæ filioque præſcriptæ. *Farnabius.*

601. *Quos polo*] Quod igneos Phœbi currus expatiari paſſus eſt, fulminatus eſt igne Iovis, qui *ſævis compeſcuit ignibus ignes.* Idem.

603. *Conſtitit nulli*] Nemini nocuit per viam notam iviſſe. *Idem.*

605. *Nec ſancti, violente, mundi Fœdera ſancta.*] Sic fecit Gruterus ex aliquot ſuis, cum legeretur: *Fœdera ſæra:* quod ejeci, inquit, quia paullo poſt repetitur, & videbatur aliquid ſubeſſe venuſtatis in repetitu *ſancti mundi* & *fœderum ſanctorum.* Sed multo major venuſtas in Florentino: *Rumpe nec ſacro, violente, ſancta Fœdera mundi.* Per diæreſin pudenter audacem. *Gronovius.*

606. *Fœdera*] Sup. verſ. 335. *Farnabius.*

607. *Carinæ*] Argus temerariæ. *Id.*

608. *Nobiles remos, nemoriſque ſacri*] Sic & Flor. non *ramos*, non *ſacrati.* Sed cur *nobiles?* an quia ex luco dedicato? an quia ab regibus & ſemideis ducti? An ſimplicius: *Mobiles remos.* Gronovius.

609. *Pelion*] Montem Theſſaliæ, è quo exciſa materia ad fabricandam Argo. *Farnabius.*

610. *Scopulos*] Cyaneos ſup. v. 341. & Herc. Fur. 1210. *Idem.*

612. *Barbara*] Redituru funem ſolvit, vel anchoram barbara Colchidos ora, inquit, interpres. Quis illum docuit *religare* eſſe ſolvere? Immo quiſquis ad barbaricum litus applicuit, Virgilius 7. Æn. *Cum Laomedontia pubes Gramineo ripæ religarit ab aggere claſſem.* Ovid. 13. met. *Littore Threicio claſſem religarat Atrides, Dum mare pacatum, dum ventus mitior eſſet.* Noſter Agamemnone de Delo: *Reſpuit auras religatque rates Aſſueta ſequi.* Gronovius.

614. *Auri;*] Velleris aurei. *Farnabius.*

614. *Exitu*

Exitu diro temerata ponti
Jura piavit.
Exigit pœnas mare provocatum.
Tiphys in primis domitor profundi
Liquit indocto regimen magistro,
Littore externo procul à paternis
Occidens regnis, tumuloque vili
Tectus, ignotas jacet inter umbras.
Aulis amissi memor inde regis
Portubus lentis retinet carinas
Stare querentes.

Ille

614. *Exitu diro*] Iason sane; de quo hic non tradit, quod eo vivo hæc agi fingantur; mala morte periit: animi scilicet dolore, juxta Diodorum Siculum, quia cuncti eum, ob ingratitudinem in Medeam, calamitatibus, quibus premebatur, dignum judicabant, necem sibi ipsi consciscit. Euripides tamen, in fine Medeæ, innuit illum ruina Argus, sub qua dormiebat, vetustate collabentis oppressum. idque eo loco Scholiastes probat. *Delrius.* *Temerata*] Dedit pœnas violati fœdetis ponti. *Farnabius.*

617. *Tiphys*] Sup. v. 2. & 318. *Id.* Subito, clavum manu tenens, mortuus, teste Valerio Flacco lib. 3. sed incertum, an id antequam Colchos pervenirent Argonautæ, an in reditu. quia Nymphis & Herodotus dissentiunt, ut refert Schol. Apoll. in lib. 2. *Delrius.*

618. *Indocto*] Non à Minerva docto, ut Tiphys fuerat. v. 2. sup. *Farn.* *Magistro,*] *Ancæo* ut nonnullis placet, aliis *Euphemo*: sed Apollonio & Val. Flacco, *Ergyno.* Idem.

619. *Littore*] Tiphys clavum tenens dum Mariandynum in Bithynia Acherusia specu famosum appelleret, mortuus est, ibidemque sepultus. *Idem.*

621. *Aulis amissi memor inde regis*] Viri literarum harum principes, quibus libentes adsurgimus, & hæc & alia hujus Chori pro suppositiciis delent, quippe partim historiæ heroum repugnantia, partim tempori argumenti male congruentia. Quia tamen omnibus in codicibus habentur, videbimus, num quis illis excusandis reperiri possit color. Aulis ex quo morata est Græcos Troiam petentes, infamatur pro mala statione navium. Lucanus lib. 5. *ad iniquam classibus Aulin.* Id fingit eleganter, non tum primo contraxisse crimen illum portum, sed statim post expeditionem Argonautarum, quod inter illos regem suum navigantem perdiderit. Sive ille designetur Tiphys (nam hujus quoque agnoscit *paterna regna*) sive Erginus: uterque enim Bœotus, & in Bœotia Aulis. Neque quærendum, an aliquis prodiderit, ob regis Orchomenii vel Bœoti mortem detentum fuisse Agamemnonem. Hujusmodi enim causas fingere Poëtæ cuivis licet: atque hoc est illud concessum vatibus laudatumque παραλογίζεσθαι. *Gronovius.* Aulis portus Euboicus, memor regem suum Tiphyn cum Argonautis navi vectum abiisse, neque unquam repedasse, naves omnes moratur & detinet: alludit autem ad moram quam Græci in Aulide traxerunt. *Delrius.*

625. *Ille*

Ille vocali genitus Camœna,
Cujus ad chordas modulante plectro
Restitit torrens, siluêre venti;
Cui suo cantu volucris relicto
Adfuit tota comitante silva,
Thracios sparsus jacuit per agros.
At caput tristi fluitavit Hebro.
Contigit notam Styga, Tartarumque,
Non rediturus.
Stravit Alcides Aquilone natos.
Patre Neptuno genitum necavit,
Sumere innumeras solitum figuras.
Ipse post terræ pelagique pacem,
Post feri Ditis patefacta regna,
Vivus ardenti recubans in Oeta,
Præbuit sævis sua membra flammis,
Tabe

625. *Ille vocali*] Musa Calliope natus Orpheus.

626. *Cujus*] Suprà vers. 229. & Hercul. Oet. 103. *Farnabius.*

630. *Thracios*] A Thraciis mulieribus, quod cœlibem ageret vitam discerptus. caput autem projectum in fluv. Oeagrium. *al.* in Hebrum. *Idem.*

631. *Ad caput tractus fluvialis*] Scio *caput* significare non modo scaturiginem, sed etiam exitum amnis in mare. Cæsar lib. 4. de Rheno: *multisque capitibus in Oceanum influit.* Virgilius 4. Georg. *ad extremi sacrum caput adstitit amnis.* Sed quis dixit Orphea tractum ad ostium Hebri? Caput solum ejus in Hebrum projectum testantur. Flor. *tristiu fluitavit.* Scribe igitur: *At caput tristi fluitavit Hebro.* Agamemn. *Hæc lacera & omni decore populato levis Fluitat,* Gronovius.

632. *Notam*] Quam prius in vivis adierat repetendæ Eurydices gratia. Hercul. Fur. vers. 570. *Farnabius.*

634. *Aquilone natos*] Zetem & Calaim. Supr. 232. *Idem.* Propert. lib. 1. El. 20. *Hunc duo sectati fratres, Aquilonia proles, Hunc super & Zetes, hunc super & Calais.* Occidit eos Hercules in Teno insula, & ad rei memoriam sepulchro duas columnas imposuit, quarum alteram ferunt flante Borea solitam moveri. causam necis prodit Apollonius, quod Argo navem in Mysiam, Herculis recipiendi causa, redire prohibuissent: Nicander, quod pater illorum Boreas Herculem in Co insula tempestate afflixisset: Stesimbrotus, quia cum Hercule de datis ab Iasone muneribus contendissent: Æneside mus, quod exceptum hospitio Herculem conati fuissent occidere. Vide Scholiast. Apollonii in lib. 1. à v. 211. ad v. 1300. *Delrius.*

635. *Patre*] Periclymenum: qui Neptuni patris dono in varias formas versus ab Hercule tandem occisus est, cum in aquilam se mutaret, ut alii, in apem vel muscam. *Farnabius.*

638. *Feri Ditis*] Herc. Fur. v. 887. *Idem.*

639. *Vivus*] Hercul. Oet. act. 4. *Id.*

641. *Ge-*

Tabe consumptus gemini cruoris
Munere nuptæ.
Stravit Ancæum violentus ictu
Setiger. fratres, Meleagre, matris
Impius mactas; moreriſque dextra
Matris iratæ. meruëre cuncti.
Morte quod crimen tener expiavit
Herculi magno puer irrepertus?
Raptus eſt tutas puer inter undas.
Ite nunc fortes; perarate pontum
Fonte timendo.
Idmonem, quamvis bene fata noſſet,

Con-

641. *Gemini*] Hydræ & Neſſi centauri. *Farnabius.*

642. *Nuptæ.*] Deianeiræ. Hercul. Oet. verſ. 570. *Idem.*

645. *Setiger.*] Aper vineam ingreſſus, Ancæo & poculo jam labris admoto nece interveniens. notum eſt tritum illud Ancæo à ſervo objectum, Πολλὰ μεταξὺ πέλει κύλικος καὶ χείλεος ἄκρου. Idem. *Fratres,*] Plexippum & Toxea avunculos tuos, ô Meleagre, quod Atalantæ invidi male volebant. *Idem.*

645. *Moreriſque*] Quod ubi audiviſſet mater ejus Althæa, ſtipitem filii ævo fatalem in ignem conjecit, natumque ſimul extinxit. *Idem.*

646. *Meruêre cuncti*] Tiphys, Orpheus, Zetes, Calais, Periclymenus, Hercules, Ancæus, & Meleager male mortui ſunt. quod quia dici poſſet ob alia crimina quam maris violationem illis contigiſſe: ſubjungit de Hyla, de quo id ſuſpicari non liceat. apparet enim illum propter nullum aliud crimen interemtum, quam quia cum Argonautis una navigarat; cum igitur Hylas, in cujus ætatem nullum ſcelus morte dignum cadebat, in tutis undis Bithyni fontis ſit interemtus; ite vos, qui fortes haberi vultis, & navigate. *Delrius.*

648. *Puer irrepertus?*] Hylas Thiodomantis fil. Herculi dilectus puer, quem, cum aquatum miſſus in Myſia in Aſcanium fluv. decidiſſet, Hercules quæſivit clamans, ut *litus Hyla Hyla omne ſonaret.* Farnabius.

649. *Irrepertus? Raptus eſt tutas*] Melius leges diſtingueſque cum Flor. *irrepertus, Raptus heu tutas puer inter undas?* Male Delrius hic verſus tranſponit. *Gronovius.*

650. *Ite nunc*] Epitrope Ironica. *Farnabius.*

651. *Sorte timenda*] Flor. *Ponte timendo.* Clamat nimirum ſcripſiſſe Senecam: *Fonte timendo.* Ite nunc, inquit, homines temerarii ac male fortes, & mare navigate, tanquam periculi expers, quum Hylæ exemplum oſtendat, ne fonti quidem fidendum, etiam tenuem ſcaturientis aquæ venam mergere poſſe. *Gronovius.*

652. *Idmonem, quamvis*] Neque hic tantum peccaſſe auctorem, quantum librarios cenſeo, poſt tot prodigioſas corruptelas ex optimo libro detectas. Qui tamen utinam ſibi par eſſet! Veſtigium certe labis oſtendit ſatis pro *ſerpens* exhibendo *ſepi.* Quis hoc oſtentum procurabit? In Mariandynis à fero ſue morſum Apollonius, Apollodorus, Higynus, morbo Valerius Flaccus

Condidit serpens. Libycis arenis
Omnibus verax, sibi falsus uni
Concidit Mopsus, caruitque Thebis.
Ille si verè cecinit futura,

Exul

Flaccus periisse volunt. Amm. Marcell. lib. 22. *Post quos terras patentes Eyzares obtinent, & Sapires, & Tibareni & Mossynæci & Macrones & Philyres, populi nulla nobis assuetudine cogniti. A quibus brevi spatio distant virorum monimenta nobilium, in quibus Sthenelus est humatus & Idmon & Tiphys: primus Herculis socius Amazonico bello letaliter vulneratus; alter augur Argonautarum; tertius ejusdem navis cautissimus rector.* Itaque timide conjiciebam: *Condidit Saspir.* id est, non in majorum tumulis humarunt sui, sed longe ab domo barbarorum Sapirum terra tegit. Etsi enim Mariandyni ad Parthenium, Sapires ultra Thermodonta ponantur, tamen ipsa longinquatum & barbararum gentium confinia & nomina, utique à Poëtis, facile confunduntur: & similia tradentem auctorem Ammianus secutus videtur. Nec me terret Apollonii: Ἐξείης ἵ Σάπειρες. nam & Herodotus Sasperes nominat, & Stephanus; Βέχειρ, ἔθνος Σκυθικὸν, ὡς Σάπειρ, ἢ μετὰ Σ, Σάπειρ. Sed repente, dum poscunt hanc chartam operæ, venit in mentem, totum, quod est in scripto, servari posse: *Idmonem quamvis bene fata nesset Condidit; sepi Libycis arenis*, &c. *Concidit Mopsus.* Mopsus, inquit, condidit Idmonem; ipse tabifici sepis venenato ictu in Libya concidit. Quod in communi Argonautarum luctu Idmonem potissimum Mopsus condidisse dicitur, ejus erga symmysten & pio maxime & grato manibus officio datur. Sic & apud Valerium Flaccum *flens arma revellit Idmonis è celsa Mopsus rate.* Ipsum autem in Libya κατὰ ὄφεος δηχθέντα periisse passim tradunt. Quod sequitur, *caruitque Thebis*, significat interfuisse Mopsi, ut Thebis potius obiret quam alibi. Hoc non convenit Mopso Ampyci & Chloridos filio, Titaresio, Argonautæ, sed alteri Mopso Apollinis & Mantûs filio, Tiresiæ Thebani nepoti, qui in Cilicia sedes & mortem invenit. Hic Senecæ accidit, quod aliis, qui duas Scyllas, duos Cygnos, duas Atalantas, binos Philippos miscent, & de alteris tradunt, quod de alteris verius est. Similiter in Mopsis erravit Ammianus lib. 14. Vide ad utrumque locum Cl. Valesium. *Gronovius.*

Bene fata] Sic enim apud Apollonium. ὡς τὸν ἐμοὶ γενέειν συνερῆ ἐπὶ δαίμονι οἵσῃ Τηλόθι πᾶσι πεπρωτμένῃ ἐπ' Αἴσῃ ἠπειρῶτιν. *Farnabius.*

656. *Ille qui verè*] Liquido adfirmare Gruterus poterat hoc nuperum esse. *Si vere*, non modo editio Bernardini & Fabricii, non modo Gruteri omnes scripti, meusque & Vossiani Heinsianusque, sed & princeps omnium Etruscus. Deltium mutasse video; qua auctoritate, ipse viderit. Interpretantur tamen de Amphiarao, sed quid illi, aiunt, cum Argonautis? Immo cum Argonautis illi omnia, atque adeo ipsum ex Argonautis fuisse testes Apollodorus & Scholiastes Pindari & Deïochus apud Scholiast. Apoll. Neque tamen admittimus istam interpretationem: quasi ad invidiam Idmonis & Mopsi solus vere dicatur cecinisse futura. Nemo dixit eum magis quam istos. Nihil certius quam veterem lectionem retinendam & explicandam de ipso Mopso, quem bene fingit ceciniisse illa futura, quæ Chorus scire nondum poterat, Poëta noverat. Et nunquam felicius Gruterus, quam cum vidit verba futuro tempore ponenda esse, *errabit, cadet, pendet.* Quæ sequun-

Exul errabit Thetidis maritus.
Igni fallaci nociturus Argis
Nauplius præceps cadet in profundum.
Patrioque pendet crimine pœnas
Fulmine & ponto moriens Oileus.

Con-

sequuntur ad vers. 664. omnia erant postera, & nondum facta, quo tempore Iaso Corinthi ducebat Glaucen sive Creusam. Quum tamen ad institutum Poëtæ pertinerent (ille enim probare instituit, omnium, qui mare primi tentaverunt, infelices fuisse exitus) fingit elegantissime Chorum ea scire ex prædictione vatis Mopsi. Hæc ratio necessario requirit, verba sequentia, *erravit*, *cadit*, *pependit*, *impendit*, reformari ex præterito in futurum tempus. Et fieri potest parvula minimeque violenta mutatione, ducuntque eo Mss. Denique hoc pacto consilescunt omnes illæ turbæ, quas summi viri ad hos versus dederunt. Scribatur igitur primum *errabit* & *cadet*. Gronovius.

658. *Igne fallaci*] Eubœæ rex ulturus indignam filii sui Palamedis falsa Vlyssis criminatione oppressi mortem, redeuntri Græciæ classi atque tempestate actæ in Caphareo promontorio ignes accendit, quo Græci velut in portum cursum suum dirigentes perirent naufragi, ipse vero postquam Vlyssem & Diomedem evasisse intellexit, se ex iisdem saxis præcipitem dedit. *Farnabius.*

660. *Crimini pœnas patrio pependit*] Et hæc integra atque ita concepta, ut ab auctore exierunt, quis præstabit? Haud scio, an ullo in codice sic reperiatur. Omnes certe quos ego vidi: *Patrioque pendit crimine pœnas:* præter Etruscum, qui, *Patrioque pendet crimine pœnas.* Quemadmodum & cætera verba inflexa ab auctore fuisse diximus. Secus poterat vulgatum ita juvari: *Crimini pœnas patrio rependet.* Gron.

661. *Moriens Oileus.*] Offendit summos viros *Oilea* vocati, qui erat *Ajax Oilei.* Nam Græci filium patris nomine non facile appellabant: sed nomini filii patris nomen apponebant: ut Θρασυδίδης Ολόρυ, Τιμόθεος ὁ Κόνωνος, intelligentes υἱὸς. Romani, quoniam filii patrum nomina & cognomina usurpabant, nunquam in suis, raro in externis (aliquando tamen, ut monuimus ad Livium) hoc loquendi genere sunt usi, ut dicerent, *Herodem Attici*, *Apionem Plisthonicis*: sed aut addebant, *Filius*, aut suo quodam more modoque pronunciabant: *Herodes Atticus*, *Apion Plisthonices*, *Apollonius Molo*, qui erant Ἀττικὸς Ἡρώδης Μαραθώνιος, ut est in veteri epigrammate, Ἀπίων ὁ Πλειστονίκου, Ἀπολλώνιος ὁ Μόλωνος. Vide Salmasium ad dedicationem statuæ Regillæ. Et sic *Ajax Oileus*, qui *Ajax Oilei*: deinde & *Oileus*, quasi omisso altero nomine. Hactenus de vocabulo: nunc ad rem. Tradunt omnes hunc Oilea vel Ajacem Olei fulminatum in tempestate maritima, quod Cassandram ante aram statuamque Pallados stupraset. Sed non impedit hoc quo minus Senecæ liceat uti communi jure omnium Poëtarum, quod est παραλογίζεσθαι, & falsam causam verisimilem pro vera supponere, ut olim docuit Aristoteles. Sic Ovidius ab incendio Phaëthontis, Æthiopes nigrum colorem traxisse, Idem carere fontibus, Nilum occuluisse caput, cavillatur. Sic non occidere Arctos ob iram Iunonis. Homero Penelope spem conjugii sui facit, si quis procorum possit arcum Vlyssis tendere, tantummodo ut eos eluderet, quippe non dubia fore ut nemo posset. Ovidius calumniatur, hoc Penelopen fecisse, ut eligeret robustissimum & maxime

Conjugis fatum redimens Pheræi
Uxor impendes animam marito.
Ipse, qui prædam spoliumque jussit
Aureum prima revehi carina,
Ustus accenso Pelias aheno
Arsit angustas vagus inter undas.
Jam satis, divi, mare vindicastis.
Parcite jusso.

ACTUS

xime nervosum. Quod nemo negat esse festivissimum. Cur vitio vertatur Senecæ hoc modo παροιμιάζεσθαι, & comminisci Ajacem Oilea petiisse fulmine & ponto, quia pater ejus cum cæteris Argonautis mare, rem sacram & diis sepositam, temeravit? An inauditum est liberos plecti ob scelera parentum? Tali παροιμιασμῷ in hac tragœdia Medea inducitur dicens aureum vellus in luco suspensum, tanquam abundantiam divitiarum regia non caperet. *Gronovius.*

665. *Conjugis*] Alcestis Peliæ filia, impium patris imperium luens, sua morte Admetum maritum suum & Thessaliæ (in qua Pheræ oppidum) regem, redemit. *Farnabius.*

663. *Vxor impendit animam*] Gruterus *impender*. Bene ad sententiam. Sed liber optimus mitius consulit, atque ita, ut nec in versu quidquam excusandum sit. Præfert enim, *impendens*. Ergo Seneca per apostrophen, *Vxor impendes animam marito*. Vt in Oedipo defendimus: *Petitis fontes*. *Gronovius.*

666. *Vstus accenso*] Plautus Sticho: *Dabitur homini amicæ, noctu quæ accendat senem.* Quod recte interpretantur, calefaciat. Silius Italicus lib. 5. *Vt multo accensis fervore exuberat undis Clausus ubi exusto liquor indignatur aheno.* Sic in Thyeste *succensa stagna.* Sic Propertius *urere ahena.* Idem.

669. *Parcite jusso.*] Hoc veniæ & clementiæ lenocinio etiam Iason utitur apud Æëten, tam Apollonio quam Valerio Flacco. Illi, ἀλλά με δαίμων Καὶ κρυερὴ βασιλῆος ἀπειθείη ὤρσεν ἐφετμή. huic, *Nec tua, Thessalici, quanquam inclita nomina terris, Sponte sequor; cui non jusso tot adire voluptas Monstra maris?* Nec refutat Lipsius, sed quia in veteri *Parcite vivo*, acris, inquit, mihi libido legere *divo*. & oblique vult ad Claudium aspectum: qui & ipse cum ignotum oceanum intrasset, tamen parci à divis æquum divo: & hanc rectam vocat ingeniosamque adulationem. Ego vero impudentissimam, & si quando unquam intempestivam. Feras utcumque de Iasone domitore maris quædam hic legi belle dicta, quæ etiam ad Claudium possint referri; quale illud, *Vivat ut tutus, mare qui subegit:* at in Medea de Claudio dici quod nullo modo aptari possit Iasoni, & ad solum Claudium pertineat, quis potest pati? Nam quomodo Iason *divus? Semideos & deum natos* Argonautas dictos memini; deos nunquam, dum quasi de viventibus narratio est. Hoc nulla potest figura excusari. Tamen qui curva corrigeret, exstitit homo optimus, faciendo, *Parcite, Divi.* Sed hoc si recipimus, quid nos compellet, ut hoc *Parcite*, intelligamus de Claudio: addit enim hæc quoque verba, ut (rem magnæ temeritatis) annum, quo Seneca scripsit hanc tragœdiam, inveniat. *Parcite vivo*, forer, parcite superstiti. Vt ille: *De multis minimam, posco, clamares, & unam.* Sed longe efficacius impensiusque *jusso*, quod & servat Florent. *Idem.*

Immane

ACTUS QUARTUS.

NUTRIX.

Quid agat Medea, quid paret, narrat Nutrix.

Pavet animus, horret; magna pernicies adest.
Immane quantum augescit, & semet dolor
Accendit ipse, vimque præteritam integrat.
Vidi furentem, sæpe & aggressam deos,
Cœlum trahentem. majus his, majus parat
Medea monstrum. namque ut attonito gradu
Evasit, & penetrale funestum attigit;
Totas opes effudit, & quidquid diu
Etiam ipsa timuit, promit; atque omnem explicat
Turbam malorum: arcana, secreta, abdita.
Et triste læva comprecans sacrum manu,
Pestes vocat, quascunque ferventis creat

Arena

671. *Immane*] Mirum quam augescat dolor. Sic Horat. *Immane quantum discrepat.* Farnabius.

672. *Vimque*] Ex diutina intermissione acriorem, ad veneficas artes impellit. *Idem.*

673. *Deos,*] Lunam, & cetera sidera, quæ antiquis ex sententia Stoicorum dii. vide Thyest. 890. *Idem.*

674. *Trahentem.*] Incantationibus devocantem, solicitantem. sup. v. 271. & 424. *Idem.*

676. *Penetrale*] Conclave suum, ubi magicas artes exercet. *Idem.*

677. *Totas*] Vires magicas, venificas copias. *Idem.*

679. *Arcana*] Sup. 577. *Idem.*

680. *Læva complicans sacrum manu,*] Quid est *complicare sacrum?* Delicio loquitur ajunt, quod huic rei sagæ adhibebant, ut apud Theocritum & Virgilium in pharmaceutria. At, ô bone, illæ tentabant ingenerare amorem; hæc in eo erat, ut incantaret dona, quæ destinarat ferenda novæ nuptæ. Ocius lege cum Flor. *comprecans sacrum.* Qui orabant ad aras superum, dextram solebant illis imponere. Ovidius: *Tange manu mensam, tanguntque precantes.* Inde finxit scite in sceleste sacro Medeam non dextram, sed sinistram aræ imponere ad precandos scilicet tristes ac lævos deos. Oed. vers. 566. *fundit & Bacchum manu Læva.* Stat. 4. Thebaid. *Lævaque convulsæ dedimus carchesia terræ.* Gronov. *Læva*] Quæ, tristibus, infaustis, δυσφημίσις convenit. *Farnabius.*

681. *Pestes vocat,*] Venena perniciosa. *Idem. Ferventis creat Arena Libyæ,*] Herbarum autem & animantium venenatorum feracissimæ sunt terræ, vel æstu torridæ, vel frigore rigidæ. *Idem.* Libya Africæ regio Ægypto ab occasu contermina, tota arenis, æstu, siccitate squalet. Lucanus *æstiferam* vocat & *sitientem;* Claudianus, *perustam, & nimio calore munitam, squalentem, anhelantem, semper solibus torridam,* lib. 2. in Rufin. & libro

Arena Libyæ, quasque perpetua nive
Taurus coërcet frigore Arctoo rigens;
Et omne monstrum. tracta magicis cantibus
Squammifera latebris turba desertis adest.
Heic sera serpens corpus immensum trahit,
Trifidamque linguam exertat, & quærens quibus
Mortifera veniat, carmine audito stupet,
Tumidumque nodis corpus aggestis plicat,
Cogitque in orbes. parva sunt, inquit, mala,
Et vile telum est, ima quod tellus creat:
Cœlo petam venena. jam nunc tempus est
Aliquid movere fraude vulgari altius.

Huc

bro de bello Gildon. Sunt qui nomen deducant ἀπὸ τῦ λείπεσθαι τὸ ὕειν, quod sit pluviæ indiga; licet alii malint à *Libya* Epaphi filia: vel quod inde Libs ventus spiret. Serpentes in Libya nasci solitas describit, Nicandrum imitatus, Lucanus lib. 9. *Delrius.*

683. *Taurus*] Ptolomæus libro 5. & 6. Geograph. & Mela libro 1. c. 15. montem Asiæ tradunt, orbis maximum, si Eustathio fides à magnitudine nomen sortitus (nam à veteribus omnia quæ robore, aut mole corporis præstant, ταῦροι dicuntur) universam Asiam discriminat. In Lycia Taurus vocatur, deinde Hæmodes, mox supra Iberiam in Bactris Caucasus, tum Paropamisus, inde Caspiæ pilæ, mox Niphates, tum Armeniæ pilæ, & ubi jam nostra maria attingit, iterum Taurus, ut scribit Pomponius: numerosis & novis nominibus quacunque incedit insignem dicit Plinius: Proprie *Taurus* dicitur, qua Pamphyliam & Ciliciam ab Armeniâ minore & Cappadociâ distinguit. Ovid. Metam. 2. *Ardet Athos, Taurusque Cilix* — Seneca non tam de Tauro proprie dicto, quam de Boreali ejus parte agit, quæ Caucasus dicebatur; perpetuis nivibus obsessa, unde & teste D. Isidoro d. c. 8. nomen nacta. quæ pars tum frigidissima, tum venenorum feracissima. Valer. lib. 5. Argonaut. Claud. l. 1. in Ruffin. *Idem.*

684. *Tracta magicis*] Serpentes latebris incantatione evocat, ut infrà vers. 704. *Farnabius.*

685. *Squammea latebris*] Flor. numerosius: *Squammifera latebris.* Lucanus: *Squammiferos ingens hæmorrhois explicat orbes.* Sequenti versu sane optimus liber *sæva:* sed recte puto correctum, *sera:* non quæ sero propter immensam suam molem advenit; aut quæ frigore pigra, quod alii allinunt, sed annosa; ideo in molem excreverat. Tibullus: *premeret cum serior ætas.* Ovidius: *seris venit usus ab annis.* Vide lib. 2. Observ. 19. *Gronovius.*

687. *Trifidamque*] Ita visum ob celerem motum. *Farnabius.* Ovid. Metamorph. 3. *Martius anguis erat cristis præsignis & auro, Igne micant oculi, corpus tumet omne veneno, Tresque micant linguæ.* Delrius. *Et quærens*] Et quærens quibus noceat, demum incantata à Medea sopitur. *Farnabius.*

689. *Tumidumque*] *Corpus tumet omne veneno.* Idem.

692. *Cœlo petam*] Serpentes devocabo cœlestes. *Idem. Iam nunc tempus est*] Flor. ignorat τὸ *nunc.* Nempe librarius emisit repetendam vocem: *jam, jam tempus est.* Gronovius,

694. *Vallis*

Huc ille vasti more torrentis jacens
Descendat anguis; cujus immensos duæ
Major minorque sentiunt nodos feræ;
Major Pelasgis, apta Sidoniis minor.
Pressasque tandem solvat Ophiuchus manus,
Virusque fundat. adsit ad cantus meos
Lacessere ausus gemina Python numina.
Et hydra, & omnis redeat Herculea manu
Succisa serpens, cæde se reparans sua.
Tu quoque relictis pervigil Colchis ades,
Sopite primum cantibus serpens meis.
Postquam evocavit omne serpentum genus,
Congerit in unum frugis infaustæ mala:
Quæcunque generat invius saxis Eryx;

Quæ

694. *Vasti more*] Qui sinuosus instar fluminis flexuosi utramque Arcton amplectitur, minorem collo & capite, majorem cauda. *Farnabius.*

696. *Major*] Ἑλίκη γέ μὲν ἄνδρες Ἀχαιοὶ εἰν ἁλὶ τεκμαίρονται, ἵνα χρὴ νῆας ἀγινεῖν. τῇ δ' ἄρα (Κυνοσούρᾳ) Φοίνικες πίσυνοι περόωσι θάλασσαν. *Namque Helice Grajos, Tyrios Cynosura per altum Dirigit.* Id.

698. *Pressasque*] Quibus anguem premere videtur sidus illud quod Æsculapius, Carnabutas, Phorbas, Triopas, Hercules, Prometheus, &c. fuisse fingitur. *Idem.*

700. *Numina.*] Apollinem & Dianam recens à Latona editos. de Pythone multa Nicander & Scholiastes ejus in Theriacis, & Ovid. Metamorph. 1. *Delrius.*

701. *Hydra.*] Herc. Fur. v. 240 *Farn. Et omnis Herculea manu*] Hæc non intelligenda de Hesperidum custode, neque de illis, quos infans elisit Hercules, ostendit sequenti versu adjectum: *cæde se reparans nova.* quod de sola Hydra verum est. Cujus & centum dracones agnoscit Hercules Oetæus. *Gronovius.*

702. *Serpens.*] Hesperidum custos, quosque in cunis ipse elisit. Herc. Fur. 239. & 215. *Farnabius.*

704. *Sopite*] Draconem intelligit, pellis aureæ custodem. Sup. v. 472. *Id.* Pherecydes occisum vult, sed Antimachus & Apollonius sopitum dumtaxat. *Delrius.*

706. *Frugis infaustæ*] Herbarum, fructuum, seminum. *Farnabius.* Cujusmodi sunt selectæ deliriis illarum herbæ, coriacesia, calicia, apraxis, agaophotis, achemænidon, & similes, quas sparsim Plinius & Apulejus recensent. *Delrius.*

707. *Invius saxis Eryx;*] Lege: *inviis saxis.* Gronovius. *Invius*] Propter rupes inaccessas. *Farnab. Eryx;*] De quo vide Herc. Fur. 482. *Idem.* Nobilis mons Siciliæ, dictus ab Eryce, quem Hercules cæstubus superavit; mari imminet ad Italiæ prospectum, & inter Drepanum & Panormum alte eminet, præruptis undique rupibus circinatus: in summo planicies jacet duodecim millium passuum pervia & culturæ aptissima. maritimis auris præclare expositus est, & mortiferarum ferarum omnino expers. à mari & Mediterranea regione rupes habet inaccessas. hæc Polybius. unde intelligitur

Quæ fert opertis hieme perpetua jugis
Sparsus cruore Caucasus Promethei;
Pharetraque pugnax Medus, aut Parthus levis;
Et queis sagittas divites Arabes linunt;
Aut quos sub axe frigido succos legunt
Lucis Suëvi nobiles Hercyniis.
Quodcunque tellus Vere nidifico creat;
Aut rigida cum jam Bruma decussit decus
Nemorum, & nivali cuncta constrinxit gelu;
Quodcunque gramen flore mortifero viret,
Dirisve

cur ab Italico dicatur lib. 14. *Nec non altus Eryx* — nam (teste Pompon.) post Ætnam est Siciliæ montium altissimus. item cur ab Ovid. lib. 4. Fastor. dictum: —— *Zephyro semper apertus Eryx.* cur denique noster *invium saxis* vocarit. Herbas noxias & veneficiis aptas gignere, nusquam legi, nisi hoc loco. *Delrius.*

708. *Quæ fert*] *Quibusdam aconitum: aliis herba Promethei*, quam ex sanie & cruore in terram stillante nasci ferunt, dum Promethei jecur aquila seu vultur lancinans in Caucaso, depasceretur. *Farnabius.*

710. *Pharetraque pugnax*] Præponendus huic qui vulgo sequitur versus: *Et queis sagittas.* Et venena, inquit, quibus sagittas inficiunt Arabs & Medus aut *Parthi leves.* nam & sic Flor. non *Parthus levis:* etsi parum interfit. *Gronov. Pharetraque*] Τοξοφόρων Μήδων. sunt autem, qui ἀναχρονισμὸν non levem poëtæ objiciant, quod Medeæ nutricem de Media locutam induxerit, quam à Medo Medeæ & Ægei filio nominatam volunt. Sed antiquior Mediæ appellatio à *Madaï* Japheti filio. *Farnabius. Parthus levis;*] Fidens fuga Parthus, Thyest 383. *Id.* Veloces enim Parthi equites. utebantur veneno patrio, quod *Scythicum* nominatum, teste Atistotele lib. de admirand. audition. dicti *Parthi*, quia sic Scythæ *fugaces & exules* vocant. Iustinus, lib. 41. & Strabo lib. 15. & Ptolomæus lib. 6. Teste Plinio lib. 6. cap. 25. Parthia Asiæ majoris regio est circa Persas, inter flumen Indum & Arios ab Oriente, Tigrim & Mediam ab occasu, desertum Carmaniæ à meridie, & Hyrcaniam à septentrione, sita. *Delrius.*

710. *Et queis*] A quo barbarorum more qui solent *ungere tela manu, ferrumque armare veneno*, toxicum diduci videtur πικρὸν τὸ τόξον, arcus, telum. *Farnabius. Divites Arabes*] Ex Arabia Felici. *Idem.*

712. *Frigido*] Ad septentrionem vergente. *Idem.*

713. *Suevi*] Germaniæ populi Danubii accolæ, *Alemanni.* Idem. Vel hinc patet Suevorum fines olim quam hodie latiores fuisse, siquidem teste Strabone libro 7. intra & extra Hercyniam habitabant. *Delrius. Hercyniis*] Hercynia Sylva Germaniæ nobilissima. *Farnabius.* Græci hanc silvam Orcyniam appellarunt, auctore Cæsare lib. 6. de bello Gallico. optime describit Irenicus lib. 7. Exeges. c. 16. *Delrius.*

714. *Nidifico*] Quo nidos ponunt volucres. *Farnabius.*

715. *Bruma dissussit decus*] Lege, *decussit.* Ovidius: *Et subita frondes decutiuntur aqua.* Horatius: *Hic tertius December, &c. Silvis honorem decutit.* Gronovius. *Decus*] Frondes. *Farnabius.*

717. *Gramen*] Herba. *Idem.*

720. *Arbor;*]

Dirisve tortis succus in radicibus
Caussas nocendi gignit, attrectat manu.
Æmonius illas contulit pestes Athos;
Has Pindus ingens; illa Pangæi jugis
Teneram cruenta falce deposuit comam;
Has aluit altum gurgitem Tigris premens;
Danubius illas; has per arentes plagas
Tepidis Hydaspes gemmifer currens aquis,
Nomenque terris qui dedit Bætis suis,
Hesperia pulsans maria languenti vado,
Hæc passa ferrum est, dum parat Phœbus diem;
Illius alta nocte succisus frutex:
At hujus ungue secta cantato seges
Mortifera carpit gramina, ac serpentium
Saniem exprimit; miscetque & obscœnas aves,

Mœsti-

720. *Athos;*] Thessaliæ mons editissimus Athos. *Farnab. Pestes*] Has herbas venenosas. *Idem.*

721. *Pindus*] Herc. Fur. v. 1285. *Id. Pangæi*] Oed. 435. *Idem.*

722. *Cruenta*] Cædis instrumento, vel cruore tincta, sed aënea: æri enim supta alia metalla medicatam vim tribuunt: *Falcibus & messæ ad lunam quæruntur ahenis Pubentes herbæ.* Idem.

723. *Tigris*] Herc. Fur. vers. 1323. *Idem.* Mesopotamiam amplectitur, ortus in Armenia, تير hodieque Persis *sagittam* denotat. ita appellatus, teste Curtio, ob rapidam velocitatem.

724. *Danubius*] Stephanus scribit *Istrum* aliquando *Matoam* vocatum: sed cum Scythæ eum prædas acturi trajecissent, à damno hoc, cujus ille auctor videbatur δανὸν dictum, & postea δανούβιον. idem memorat Eustathius. Plinius censet à capite ad Illyricum usque vocari Danubium, inde Istrum dici incipere, & ex auriferis fluminibus censeri. *Delrius.*

725. *Hydaspes gemmifer*] Indiæ fluvius, in cujus alveo magna gemmarum copia reperitur, veluti lychnis, adamas, beryllus, achates, & alii innumerabiles. *Idem.*

726. *Bætis*] Fluvius à quo regio illa Hispaniæ Bætica, dicta *Granata.* Farn. Hodie *Guadalquivir*, Arabice, Latini *magnum amnem* dicerent.

727. *Hesperia*] Per ampla spatia lacui similis in Oceanum Occidentalem labitur. *Farnabius. Languenti vado,*] Nam dimissus ex Tarraconensi provincià divisaque Hispania, priusquam in mare labatur, efficit magnum lacum, unde fit ut minore impetu in Oceanum incidat. *Delrius.*

728. *Hæc passa*] Incisa est falce ferrea, vel ahenea. *Synecdoc.* Farnab. *Dum parat*] Sub ortu solis: namque & tempore suo lectis herbis, plus efficaciæ inesse credebant, maxime autem lucente luna, ut quæ veneficiorum præses, *plena aut propior despumet in herbas.* Luc. 6. qua de causa subjicitur: *Illius alta nocte succisus frutex.* Id.

729. *Nocte*] Quo videlicet tempore, luna, medio itinere confecto, totam nostro se infert hemisphærio. *Delrius.*

732. *Obscœnas*] Ferales, inauspi-

Mœstique cor bubonis, & raucæ strigis
Exsecta vivæ viscera. hæc scelerum artifex
Discreta ponit. his rapax vis ignium;
His gelida pigri frigoris glacies inest.
Addit venenis verba, non istis minus
Metuenda. sonuit ecce vesano gradu,
Canitque. mundus vocibus primis tremit.

Me-

catas, Hercul. Fur. v. 686. *Farnabius.*

733. *Mœstique cor bubonis & raucæ strigis*] Quæduæ, mali ominis & diri eventus aves, plerumque conjungi solent. Papin. libro 3. Thebaid. *Monstra volant, diræ stridentes in nube volucres, Nocturnæque gemunt striges, & feralia bubo Damna canens* —— est in hoc numero Incendiaria avis, seu Spinturnix, de qua Plinius l. 10. Nat. hist. c. 13. Bubo quidem solivaga est avis & nocturna, gemens verius quam cantans. ideo mœstum vocat. Ovidius de Ascalapho, 5. Metamorph. *Fœdaque fit volucris, venturi nuncia luctus, Ignavus bubo, dirum mortalibus omen. Strix*, seu *stridula*, & ipsa volucris funesta, quæ sit, & qualis, non satis notum, Rob. Constantinus in supplemento linguæ Latinæ eandem putat cum Captimulgo; qui αἰγοθήλας Aristoteli & Æliano, Gallis *effraye*; colore & magnitudine haut absimilem cuculo resupinam, pedibusque conversis in altum volare. Græcis στρίγξ, & κέρκνη, vel κερκνὶς, sic describitur ab Ovidio 6. Fastor. *Grande caput, stantes oculi, rostra apta rapinis, Canicies pennis, unguibus hamus inest. Nocte volant, puerosque petunt nutricis egentes, Et vitiant cunis corpora rapta suis. Carpere dicuntur lactentia viscera rostris, Et plenum poto sanguine guttur habent. Est illis strigibus nomen; sed nominis hujus Causa, quod horrendâ stridere nocte solent.* Alii venenata sua ubera infantibus præbere existimant, atque ita perimere specie pietatis. Serenus: *Præterea si forte premit Strix atra puellos, Viroſa immulgens exsertis ubera labris.* Delrius.

734. *Exsecta*] Quod in magicis rituale. Thyest. 763.

736. *Pigri frigoris*] Nam reddit frigus torpentes, quia ut dicit Xenophon *abigit & deducit ingenitum calorem ad penitas corporis partes.* Et frigus (ut inquit Contarenus lib. 3. de element.) congregat tam homogenea, quam heterogenea, constipatque omnia, & unum quodque reddit suâ naturâ immobile, ac veluti mortuum. Etenim sicut motus indicium est vitæ, ita immobilitas mortis & interitus. Ideo calor collatus frigori, rationem habet naturæ & vitæ; frigus vero, interitus. Sunt alia præterea multa frigoris incommoda, quæ refert Cornel. Celsus lib. 1. Medicinæ cap. 2. Unde fit, ut frigidus pro noxio ponatur, ut accipit Servius illud Virgilii: *Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.* Delrius.

737. *Ista minus*] Quam ista venena. *Farnabius.*

739. *Canitque.*] Incantationes concipit. *Idem.*

740. *Vel*

MEDEA.

Invocatis manibus & rite conceptis incantationibus, Medea veneficiis illitam pallam cum monili, aureoque crinali, dono mittit ad Creüsam per filios suos.

Comprecor vulgus silentũ, vosq; ferales deos,
Et Chaos cœcum, atque opacam Ditis umbrosi domum,
Tartari ripis ligatos squallidæ Mortis specus,
Suppliciis animæ remissis currite ad thalamos novos.
Rota resistat membra torquens; tangat Ixion humum.
Tantalus securus undas hauriat Pirenidas.
Gravior pœna sedeat conjugis socero mei:
Lu-

740. *Vos precor vulgus silentum*,] Flor. *Comprecor vulgus silentum.* Melius. *Gronovius. Vos precor*] Furibunda fertur, & dithyrambico more vario carminis genere abutitur. *Delrius. Vulgus*] Animas, manes. *Ferales*] Plutonem & Proserpinam. *Dii quibus imperium est animarum, umbræque silentes, & Chaos, &c.* Farnabius.

741. *Chaos*] Suprà vers. 9. *Idem.*

742. *Tartari ripis*] Hippol. v. 841. *Idem. Mortis specus,*] Circumdatos, & quodammodo inclusos ripis Tartari, hoc est infernorum fluminum. sic Virgil. de umbris dixit 4. Georg. *Quos circum limus niger & deformis arundo Cocyti, tardaque palus innabilis undâ.* Delrius.

743. *Thalamos*] Iasonis & Creüsæ. *Farnabius.*

744. *Rota resistat*] Hercul. Fur. vers. 749. *Idem. Ixion*] Herc. Fur. vers. 751. Thyest. vers. 152. *Idem.*

745. *Securus*] Non deceptus, non frustra captans. *Idem. Pirenidas.*] Pirenes fontis prope Corinthum è Pirenes Nymphæ lacrymis propter obitum filii Cenchriæ. *Idem.*

746. *Gravior pœna sedeat*] Laborat hic versus defectu pedis: itaque Fabricius suffragantibus, qui nominare illum non audent: *Longe gravior.* Sed quomodo recte, quum nullis in libris antiquis vestigium sit ejus vocis. Majori jure invehuntur in amicum suum Lipsium, cui jam ante satis emendatas has esse tragœdias exciderat. Nam quod non dubiam Senecæ mentem pronunciant, ipsi deprehenderunt eam prorsus nullam. Itaque perperam amplectuntur *cedat* pro *sedeat*. Nihilo felicius transponunt duos versus, aut ille alter, qui *usto* interponit. Grutertus bene vidit, non imprecari Medeam Creonti: sed de Sisypho socero Iasonis, somnium. Emendandus est locus, ante quam explicari possit. Pal. *Gravioruni pœna.* Grotius adscripserat margini: *Graiorum pœna fileat conjugis socerum mei.* Liber optimus: *Graviorum pœna.* Legendum: *Gravior Tityi pœna sedeat.* Tityi gravior, quam nominata proxime Tantali, pœna cesset, quiescat, resideat, in gratiam Creontis, ut adsit & ei faveat pereunti. Semper fere in his tragœdiis conjunguntur hæ pœnæ, Ixionis, Tantali, Tityi, Sisyphi, Danaïdum. Sic Hercule Furente v. 755. & sequentibus, Thyeste in initio, Hippol. vers. 1230. Agamemnone vers. 15. Hercule Oetæo vers. 946. Sola autem Tityi mentio in vulgatis hic deerat: nec attinet dicere, quam facile ductus literarum vocis *tityi*,

Lubricus per saxa retro Sisyphum volvat lapis.
Vos quoque, urnis quas foratis irritus ludit labor,
Danaides, coite; vestras hic dies quærit manus.
Nunc meis vocata sacris noctium sidus veni,
Pessimos induta vultus, fronte non una minax.
Tibi more gentis vinculo solvens comam,
Secreta nudo nemora lustravi pede.
Et evocavi nubibus siccis aquas;
Egique ad imum maria, & Oceanus graves
Interius undas æstibus victis dedit.
Pariterque mundus lege confusa ætheris
Et Solem & astra vidit; & vetitum mare

Te-

tii, possint corrumpi in *uni*. Gronov. *Sedeat*] Creontem maneat pœna longe gravior Tantali supplicio. *Socero*] Creonti. *Farnabius.*

747. *Sisyphum volvat*] Immo *solvat*. i. dimittat ab inani labore. Neque enim placet in uno tam misericors an immisericors Medea, ut huic quod pater Creontis fuerit, cum cæteras animas eximi pœnis velit, continuationem supplicii imprecetur, quod fingunt interpretes. *Gronovius.*

748. *Vos quoque,*] Belides. Hercul. Fur. vers. 424. & 756.

749. *Coite;*] Ad nuptias hasce convenite. *Farnabius. Vestras*] Vt vestro exemplo nupta maritum prima nocte interficiat. *Idem.*

750. *Noctium*] Luna. νυχία dicta θεὰ, cui quod nocte luceat, noctu litatur, aut quod inferis maxime & proxime dominetur. *Idem.*

751. *Pessimos*] Hippol. vers. 411. & infrà, vers. 787. *Idem*

752. *Tibi more gentis*] Tibi ritu nocturnis magicisque sacris operantium peragravi secreta loca *veste recincta*, *Nuda pedem, nudos humeros, diffusa capillos*. Idem. Solebant magæ nudis pedibus & passo capillo sacra sua peragere. apud Virg. Æneid. 4. magicis sacris operatuta unum exuta pedem inducitur. apud Valer. Flacc. vates idem facturis. — *Vincula solvere monstrat Prima pedum.* — Horatius scribit se vidisse: *Canidiam pedibus nudis, passoque capillo.* Ovid. lib. 7. Metamorph. *Egreditur tectis vestes induta recinctas; Nuda pedem, nudos humeris infusa capillos.* Delrius.

754. *Et evocavi*] Quid possit, quid effecerit per vim magicam enumerat, in quibus pleraque falsa. Quæ enim vel per motum localem, vel res naturales accelerando vel impediendo, vel sensibus illudendo fieri possunt, operatur Dæmon per magos suos: Vniversi autem ordinem à Deo constitutum movere non valet: Non itaque Solem aut Lunam deducere, non orbium cœlestium cursum mutare. *Farnabius.* Vi carminis magici elicui. hoc enim ut plurimum significat verbum *evocandi*; ἀνιάμειν, & imperium quoddam. ideo tribuitur vel Diis, Virgilius 4. Æneid. *Manes evocat orco*, vel Magis, ut hic; vel dominis, ut frequenter in Comœd. vel Magistratibus & Imperatoribus. unde & *Evocati* milites. Vide Oedip. actu 3. *Delrius.*

757. *Pariterque*] Vno eodemque tempore. *Farnabius. Lege confusa*] Cœli cursu. *Idem.*

758. *Et solem & astra vidit;*] Si-

mul

Tetigistis Ursæ. temporum flexi vices.
Æstiva tellus floruit cantu meo,
Messem coacta vidit hibernam Ceres.
Violenta Phasis vertit in fontem vada;
Et Ister in tot ora divisus truces
Compressit undas, omnibus ripis piger.
Sonuëre fluctus. tumuit insanum mare
Tacente vento. nemoris antiqui domus
Amisit umbram vocis imperio meæ.
Die relicto Phœbus in medio stetit.
Hyadesque nostris cantibus motæ labant.
Adesse sacris tempus est, Phœbe, tuis.
Tibi hæc cruenta serta texuntur manu,
Novena quæ serpens ligat:
Tibi hæc, Typhoëus membra quæ discors tulit,

Qui

mul nempe uno eodemque tempore, cum alioqui lucente Sole astra non apparèant. *Delrius. Et vetitum mare*] Thyest. vers. 476. *Farnabius.* Ovid. 2. Metamorph. *Et vetito rursum tentarunt æquore tingui.* Claudianus 2. de raptu: —— *vitito se proluit Arctos Æquore* —— de fabula alias. Vide Hygin. lib. 2. & 3. Astron. *Delrius.*

760. *Æstiva*] In æstate, sicca alias & arida. *Farnabius.*

763. *Et Ister*] Fluvios alios retro egi versus fontes, alios sistere feci. *Id. Tot ora*] Quinque, *aliis* septem. Vide Troad. vers. 9. *Idem.*

766. *Nemoris antiqui domus*] Flor. *nemoris antiqui decus domus*, pede superfluo. Vnde apparet utramque scripturam esse antiquam. Idem codex, *umbras. Nemoris antiqui domus* esset silva ita implexa ramis & convestita frondibus, ut pro tecto esse possit. *Nemoris antiqui decus* est silva eximia & antiqua. Et illud audacius. *Gronov.*

767. *Amisit*] Vel frondibus excussis, vel translatis in alium locum sylvis, hunc nudavi. *Farnabius.*

769. *Hyadesque*] Sidera *Synecd.* de Hyadibus. Vide Thyest. vers. 851. *Idem.*

770. *Phœbe,*] Luna. *Idem.*

771. *Serta*] Non amœnis floribus, sed venenatis ex herbis. *Delrius.*

772. *Novena*] Serta, quæ serpens novena numero, vel novies circundata ligat. Numerus autem novenarius Pythagoreis sacer & perfectissimus, quia ab impari unitate est primo quadratus, tribusque constat ternariis, è quibus trias singula in tres dividitur unitates. In sacris autem ex superstitiosa veterum ceremonia, *numero Deus impare gaudet.* Farnabius.

773. *Typhoëus*] Thyest. v. 807. *Id. Membra qui discors*] Scripsi *quæ.* Haud dubie vere. Tibi hæc, quæ membra tulit Typhoëus. Nec de alia re accipiendus hic quam duo versus præcedentes. Tibi vel in tuum honorem hoc sertum è novem anguibus implicitis texo; tibi, inquam, hoc ex anguibus, quos pro membris habuit Typhoëus. Nic. Heinsius hic quoque, *dissors.* Sed hæc melius uberiusque ex ipso discemus. *Gronovius. Membra*] Vel quia ut cæteri Gigantes γηγενεῖς

Qui regna concussit Iovis.
Vectoris istic perfidi sanguis inest,
Quem Nessus exspirans dedit.
Oetæus isto cinere defecit rogus,
Qui virus Herculeum bibit.
Piæ sororis, impiæ matris facem,
Ultricis Altheæ vides.
Reliquit istas invio plumas specu
Harpyja, dum Zeten fugit.
His adice pennas sauciæ Stymphalidos,
Lernæa passæ spicula.
Sonuistis αἶ. αἶ. tripodas agnosco meos,

Fa-

anguineos habuit pedes: vel quod ἐκδὲν οἱ ὤμων ἦ ἕκατον κεφαλαὶ ὄφιος, δεινοῖο δράκοντος, &c. *Farn.*

775. *Vectoris*] Nessi Centauri, qui præstita Herculi opera in trajicienda per Evenum fluv. Deianira vim illi intulit, propter quod sagittis ab Hercule confossus est, &c. Hercul. Oet. vers. 500. *Idem. Sanguis*] Etiam ultima in *sanguis*, producta. Virg. *Vna eademque viâ sanguis animusque sequuntur.* Tibull. *sanguis est tamen illa tuus.* Gruterus.

776. *Quem Nessus*] Quam violentus iste cruor fuerit, ostendit Oetæus Hercules: item quia flumen, in quod defluxit, tam tetri odoris factum, ut ab eo accolæ Ozolæ dicti, testes Strabo lib. 1. & Eustath. Iliad. β'. *Delr.*

777. *Oetæus*] Cinis hic est è rogo quo Hercul. in Oetæo monte combustus est, imbibitque virus quo infectus est. *Farnabius.*

779. *Piæ sororis*,] Suprà vers. 644. *Melior germana parente, Et consanguineas ut sanguine leniat umbras Impietate pia est.* Idem. *Facem*,] Apud Homerum Meleager Altheæ imprecationibus confixus moritur. Quidam stipitem fatalem fuisse aiunt è rogo raptum, cujus interitus secum Meleagri necem trahebat: alii fuisse non è rogo raptum stipitem, sed oleastri ramum scribunt: vide Isacium in Lycophronem, & Antonin. Liberalem in Metamorph. *Delrius.*

782. *Harpyia*,] Thyest. vers. 153. *Farnabius. Dum Zetem*] Harpyias Zetes & Calais Boreæ filii, alati in Plotas insulas fugarunt, quod Phineus benigne Argonautas excepisset. *Idem. Zetem*] Expulsa è Phinei regia, Apollon. & Valerius. *Delrius.*

783. *Stymphalidos*,] Hercul. Fur. vers. 243. *Farnabius.*

784. *Lernæa*] Herculis sagittas Hydræ felle tinctas. *Idem.*

785. *Sonuistis aræ. tripodas*] Rem inexspectatam hic quoque lector cognoscet. Optimus ille liber distinctis literis, punctis, accentibus: *Sonuistis á. é.* Quid dicam, nisi hoc esse lugubre illud αἶ αἶ· quod inter agendum velut inferna turba inconspecta post siparium ederet simul cum verbo Medeæ *Sonuistis.* Eutipides Troadibus, Αἶ αἶ αἶ αἶ. Πικρὸν ὄδυρμα γαῖα σ', ὦ τέκνον, Δέξεται· στέναζε μῆτερ. Εκ. Αἶ αἶ· Χο. νεκρῶν ἴακχον· Notum αἶ λίνον. Ovidius lib. 10 *Ipse suos gemitus foliis inscribit*, & αἶ αἶ *Flos habet inscriptum.* Cum dicto *Sonuistis* auditur post aulæa resonans αἶ αἶ, vel αἶ αἶ· Hæc vox, subjecit illa, tam certum mihi signum est faventium deorum, quos adoro, quam motus sonitusque

Favente commotos dea.
Video Triviæ currus agiles,
Non quos pleno lucida vultu
Pernox agitat; ſed quos facie
Lurida mœſta, cum Theſſalicis
Vexata minis, cœlum freno
Propiore legit. ſic face triſtem
Pallida lucem funde per auras;
Horrore novo terre populos;
Inque auxilium, Dictynna, tuum
Pretioſa ſonent æra Corinthi.
Tibi ſanguineo cæſpite ſacrum
Solenne damus. tibi de medio
Rapta ſepulchro fax nocturnos

Su-

tuſque tripodum Apollinem venerantibus. *Gronovius. Tripodas*] Oracula mihi non minus certa quam tripodas Delphicos, unde vaticinantur Phœbades. Oedip. 230. *Farnabius.*

787. *Triviæ*] Dianæ, Lunæ, Hippol. verſ. 411. *Idem. Agiles*] Veloces, propter minorem orbem. Thyeſt. verſ. 837. *Idem.*

791. *Vexata*] Incantata. Hipp. 420.

792. *Propiore*] Quaſi cœlo deducta, aut præ motu arctius conſtricta eſſet Luna, ex opinione vulgi. *vel* in hypogæo, *vel* Menoides, nec tota lucens nocte: ut opponatur illi, quod prius dixerat, *Pleno lucida vultu Pernox.* Farnabius.

795. *Inque auxilium*] Hipp. v. 789. *Idem. Dictynna,*] Quod nomen ſibi aſſumere dignata eſt Diana in memoriam comitis ſuæ Britomartys, quæ cum amatorem ſuum Minoëm fugiens in mare ſe præcipitaret, incidit in piſcatoria δίκτυα, id eſt, retia, unde *Dictynnæ* nomine culta, à Diana in Deorum numerum relata. *aliis* Dictynna dicitur Luna, ἀπὸ τοῦ διήκειν τὰς ἀκτῖνας. *Idem.*

796. *Precioſa*] Anachroniſmus, quo poëta Romanam ſcenam ſuumque tempus reſpicit. etenim A. V. DCVII. conflatis ſtatuis & ſimulachris in Corinthi incendio, confluxere æris, auri, argentique venæ: unde æs Corinthium miſtum generoſius, & laudabilius. *Idem. Sonent*] Ne ſcilicet Luna, incantatione audita, cœlo detraheretur. *Idem. Æra*] Quia æri Corinthio nonnihil erat auri admiſtum. Muretus lib. 3. variar. lect. cap. 5. & prius Leonicus lib. 1. var. hiſtor. cap. 58. *Delrius. Æra Corinthi.*] Hoc eſt, pelves ex hoc ære confectæ. nominat autem hoc æs, vel quia ſonus ejus acutior, vel quia Corinthi hæc agebantur. *Idem.*

797. *Sanguineo*] Ex fovea perfuſa nigræ agnæ ſanguine, egeſto ceſpite in morem aræ quadrato, atque ipſo ſanguineo. vide Oedip. v. 550. *Scalpere terram, Vnguibus & pullam diducere mordicus agnam.* Horat.

798. *Tibi mota medio*] Olim ſepulcris, buſtis, vel rogis eruta, ad maleficia deligebantur. Horat. epod. ode 17. *Iubet ſepulchris caprificus erutas, Iubet cupreſſus funebres.* Lucanus autem hoc ad nauſeam uſque plus 40. verſibus perſequitur, lib. 6. *Delrius.*

799. *Rapta ſepulchro*] In maleficis magi-

Sustulit ignes. tibi mota caput
Flexâ voces cervice dedi.
Tibi funereo de more jacens
Passos cingit vitta capillos.
Tibi jactatur tristis Stygia
Ramus ab unda. tibi nudato
Pectora Mænas sacro feriam
Brachia cultro.
Manet noster sanguis ad aras.
Assuesce, manus, stringere ferrum,
Carosque pati posse cruores.
Sacrum laticem percussa dedi.
Quod si nimium sæpe vocari
Quereris, votis ignosce, precor.
Caussa vocandi, Persei, tuos
Sæpius arcus, una atque eadem
Semper, Iason. tu nunc vestes
Tingue Creusæ, quas cum primum
Sumpserit, imas urat serpens
Flamma medullas. ignis fulvo
Clusus in auro latet obscurus;
Quem mihi, cœli qui furta luit

Visce-

magicisque sacris adhibuerunt faces bustis ereptas. vide Oedip. vers. 550. *Farnabius.*

800. *Mota caput*] Rotans caput more Corybantum, *vel* supplex. *Id.*

802. *Funereo*] Troad. v. 82. *Id.*

803. *Passa vincit vitta capillos.*] Flor. *Passos cingit vitta capillos.* Ovidius 4. Trist. el. 4. *Cinxerat & Graias barbara vitta comas.* Virgilius lib. 5. *cingitur viridanti tempora lauro.* Gron.

804. *Tristis*] Taxus, cupressus & arbores ad Stygem natæ veneficiis idoneæ habitæ. *Farnabius.*

805. *Nudato*] More sacerdotum *quos Bellona potens quos Dea magna movet. Ipsa bipenne meos cædo violenta lacertos.* namque in sacris Cybeles & Bellonæ, sacerdotes cultris sibi lacertos, humeros, pectusque sauciabant. Lucan. 1. *Quos sectis Bellona lacertis sæva movet.* & Vide Tibullum lib. 1. Eleg. 6. *Idem.*

810. *Carosque*] Nunc quidem emittere meum cruorem, ut mox valeam effundere sanguinem filiorum meorum. *Idem.*

814. *Persei,*] Hecate, filia Persei regis, Iovis neptis. *aliis* autem Aristei: *aliis* Iovis & Asteriæ f. *Idem.*

815. *Arcus,*] Radios, influentiam, opem in magicis. *Idem.*

820. *Auro*] Monili seu crinali aureo. sup. v. 574. *Idem.*

821. *Cœli*] Ignis cœlestis à Iove surrepti. Herc. Fur. 1206. *Idem.*

122. *Visce-*

Viscere fœto, dedit, & docuit
Condere vires arte Prometheus.
Dedit & tenui sulphure tectos
Mulciber ignes. & vivacis
Fulgura flammæ de cognato
Phaëthonte tuli. habeo mediæ
Dona Chimæræ.
Habeo flammas usto tauri
Gutture raptas; quas permisto
Felle Medusæ, tacitum jussi
Servare malum.
Adde venenis stimulos, Hecate,
Doniisque meis semina flammæ
Condita serva. fallant visus,
Tactusque ferant. meet in pectus
Venasque calor. stillent artus,
Ossaque fument; vincatque suas

Fla-

822. *Viscere*] Iecore in pœnas assidue renascenti, ubi aquila illud depasta fuerit. Hercul. Fur. ibid. *Farnab.*

823. *Vires arte*] Vires ignis. *Idem. Prometheus.*] Alludit ad vulgatam traditionem Hesiodi, Horatii, aliorum, Prometheum subduxisse furto ignem cœlestem, atque mortalesignis usum docuisse. Plato, de hac re latè agens in Protagorâ inter cætera; *Cumque aliam salutis humanæ viam consultans Prometheus non inveniret, surripuit Vulcani Minervæque artificiosam pariter cum igne sapientiam. neque enim fieri poterat, ut ea sine igne quis potiretur, vel etiam uteretur. Eum itaque sic hominum generi Prometheus intulit, atque ita sapientiam, quæ victum suppeditat, consecuti sumus.* Delrius.

824. *Dedit.*] Vulcanus dedit suos ignes inextinctos. *Farnabius.*

826. *Flammæ*] Qua fulminatus in Eridanum decidit. *Idem. Cognato*] Soli enim Phaëton filius: Medea neptis. *Idem.*

828. *Dona*] Ignem: namque πρόσθε λέων, ὄπιθεν ὐ δράκων, μέσση ὐ χίμαιρα Δεινὸν ἀπαυείκουσα πυρὸς μένος, *flammisque armata Chimæra.* Idem.

829. *Tauri*] Colchici à Iasone subjugati. sup. vers. 240. & 465. *Id.*

831. *Medusæ,*] Gorgonis; cui aliæ duæ sorores Sthenyo & Euryale, quibus unicus oculus, quo per vices utebantur; crines ex anguibus; alæ; ungues æreï; hanc Perseus occidit. *Idem. Tacitum*] Occultum. *Idem.*

833. *Stimulos,*] Vires. *Idem.*

834. *Semina flammæ*] Pindarus dixit σπέρμα φλογὸς, & Virgil. in 6. —— *quærit pars semina flammæ.* Delrius.

835. *Fallant*] Ne qua videntibus tangentibusve oriatur suspicio. *Farnabius.*

838. *Vincatque*] Ardens ex venenato crinali coma novæ nuptæ exuperet flammas tædarum nuptialium. *Idem.*

840. *Vo-*

Flagrante comâ nova nupta faces.
Vota tenentur; ter latratus
Audax Hecate dedit, & sacros
Edidit ignes face luctifera.
Peracta vis est omnis. huc gnatos voca,
Pretiosa per quos dona nubenti feras.
Ite, ite nati, matris infaustæ genus,
Placate vobis munere & multa prece
Dominam & novercam. vadite, & celeres domum
Referte gressus, ultimo amplexu ut fruar.

840. *Vota*] Exaudior, annuit, votaque rata fecit Hecate, meque audere jubet. nam φοβοῦμαι δ' ἀπειρέσιον δαὶ σέλας, ἀμφὶ δ' πήγαι Ὀξείη ὑλακῇ χθόνιοι κύνες ἐφθέγξαντο· vers. 569. Oedip. *Farnabius.*

841. *Audax Hecate*] De hac Cælius libro 20. antiq. lect. cap. 6. & Natalis Mytholog. lib. 3. cap. 15. *Delrius.*

Sacros edidit ignes] Nam illâ adventante, solum tremebat, & rhedarum fulgur cernebatur, auctor Scholiast. Apollonii, & Turn. lib. 15. cap. 8. *Delrius.*

843. *Gnatos voca,*] Siste mihi huc, ô nutrix, natos meos. *Farnabius.*

845. *Infaustæ*] Repudiatæ, & in exilium missæ. *Idem.*

CHORUS.

Furorem Medeæ Chorus timet, malitiam ejus execratus.

Quonam cruenta Mænas
Præceps amore sævo
Rapitur? quod impotenti
Facinus parat furore?
Vultus citatus ira
Riget, & caput feroci
Quatiens superba motu
Regi minatur ultro.
Quis credat exulantem?
Flagrant genæ rubentes,
Pallor fugat ruborem.
Nullum vagante formâ
Servat

849. *Mænas*] Furens Baccha. Oedip. vers. 436. *Farnabius.*

851. *Impotenti*] Effreni. *Idem.*

853. *Vultus*] Sic suprà vers. 384. & deinceps. *Idem.*

857. *Quis credat exulantem?*] Exminaci vultu gestuque superbo quis credat illam in exilium ire jussam. *Id.*

863. *Ti-*

Servat diu colorem.
Huc fert pedes & illuc,
Ut tigris orba gnatis
Cursu furente lustrat
Gangeticum nemus: sic
Frenare nescit iras
Medea, non amores.
Nunc ira amorque causam
Junxere. quid sequetur?
Quando efferet Pelasgis
Nefanda Colchis arvis
Gressum: metuque solvet
Regnum, simulque reges?
Nunc, Phœbe, mitte currus
Nullo morante loro.
Nox condat alma lucem.
Mergat diem timendum
Dux noctis Hesperugo.

ACTUS

863. *Tigris*] Quâ catulis à venatore surreptis nullum animal truculentius, nullum velocius, vide quæ nos ad Martial. epigr. XVIII. lib. spect. *Farn.* De tigridis amore in catulos & arte quâ capitur, de furore relictæ in litore, de speculo quo retardatur, de spontaneâ morte multa, præter Claudianum Plinius lib. 8. cap. 10. Solin. Polyhist. cap. 21. D. Ambros. lib. 4. Hexamer. & Eucherius eò refert illud Iobi, juxta Hebræorum contextum: *Tigris periit, eo quod prædam non fuerit assecuta.* fusissimè omnium Wottonus lib 5. de different. animal. c. 81. *Delr.*

865. *Gangeticum*] Indiæ nemora, fecat Ganges fluv. max. *Farnabius.*

869. *Quid*] Vtri succumbet locumve dabit? iræ-ne, an amori? *Idem.*

871. *Colchis*] Medea à Colchide patria. *Idem.* *Arvis*] Ex imperio Creontis. Suprà vers. 269. *Idem.*

873. *Reges?*] Creonta & Iasonem. *Id.*

874. *Mitte*] Vt ex præscripto illi diei termino in exilium proficiscatur. Suprà vers. 295. *Idem.*

878. *Hesperugo.*] Veneris stella, noctis prævie Hespere, diei prænuncie Phosphore. Hippol. vers. 541. & suprà vers. 71. *Idem.* Lucifer, Eous, Phosphorus, Hesperus, Vesperus, Hesperugo, Vesperugo, una eademque stella est. *Hesperus*, quod Bernardino placuit, versum facit claudicare. Plautus: *Nec jugula, neque Vesperugo, neque Virgiliæ occidunt.* Terentius Varro lib. 6. de Ling. Latina: Vesperugo, stella quæ vespere oritur; à quo etiam Opilius scribit vesperum. Vitruvius Pollio lib. 9. de Architectura, de hoc astro ita scripsit: *Cum Solem sequitur, post occasum apparens in cœlo, clarissimeque lucens, vesperugo vocatur: aliis autem temporibus, eum antecurrens, & oriens ante lucem, lucifer appellatur.* Delrius.

881. *Re-*

ACTUS QUINTUS.

NUNCIUS. CHORUS. NUTRIX. MEDEA. JASON.

Narrat nuntius Creüsam cum patre regiaque tota flagrasse pernicioso Medeæ munere, Medea filios suos trucidat & aufugit.

Nunc. Periëre cuncta. concidit regni status.
Gnata atque genitor cinere permisto jacent.
Chor. Qua fraude capti? *Nutr.* qua solent reges capi;
Donis. *Chor.* In illis esse quis potuit dolus?
Nunc. Et ipse miror; vixque jam facto malo
Potuisse fieri credo. *Chor.* Quis cladis modus?
Nunc. Avidus per omnem regiæ partem furit,
Ut jussus, ignis: jam domus tota occidit;
Urbi timetur. *Chor.* Unda flammas opprimat.
Nunc. Et hoc in ista clade mirandum accidit,
Alit unda flammas, quoque prohibetur magis,
Magis ardet ignis. ipsa præsidia occupat.
Nutr. Effer citatum sede Pelopea gradum,
Medea. præceps quas libet terras pete.
Med. Egon' ut recedam? si profugissem prius,
Ad hoc redirem. nuptias specto novas.

Quid,

881. *Reges*] Δωροφάγοι & δωροβόροι, quandoque δωρόληπτοι: ut pisces hamo, quem captantes capiuntur. *Farnabius.*

885. *Per omnem regiæ partem furit, Vt jussus, ignis:*] Nugæ de mandato & præscripto ex quo ignis furat. Fabricius, *Emissus.* Deltiani cod. quidam, *Et jussus.* Gruteri, *Vt missus*, quemadmodum & Vossianus. Lege: *furit Immissus ignis.* Aridus, inquit, & cuncta consumens ignis per omnem regiam furit immissus, id est, quasi immissis habenis, irrevocabilis, restingui & reprimi nescius. Vide quæ notamus ad lib. 3. de ira cap. 6. *Gronovius.*

889. *Alit*] Augetur ignis superjecta aqua φάρμακον ἀσφαλτῶδες καὶ θειῶδες, incantatum. Supr. v. 820. *Farnabius.*

890. *Magis ardet*] Constabat hoc pharmacum sulphure & asphalto humectiore: vide Cælium lib. 15. cap. 13. Comitem lib. 6. Mythol. cap. 7. *Delr.*

891. *Sede Pelopeia*] Corintho in faucibus Peloponnesi, Pelopi quondam regnata. Herc. Fur. v. 1164. *Farn.*

892. *Medea.*] Μήδεια, φεῦγε, φεῦγε μήγε ναίαν Λιπῶσ' ἀπήνην μήτ' ὄχον πεδοστιβῆ. Eurip. *Idem.*

894 *Ad hoc*] Ad hoc facinus vel spectaculum. *Idem.*

897. *Ad-*

Quid, anime, cessas? sequere felicem impetum.
Pars ultionis ista, qua gaudes, quota est?
Amas adhuc, furiosa, si satis est tibi
Cœlebs Iason. quære pœnarum genus
Haud usitatum. jamque sic temet para.
Fas omne cedat. abeat expulsus pudor.
Vindicta levis est, quam ferunt puræ manus.
Incumbe in iras, teque languentem excita,
Penitusque veteres pectore ex imo impetus
Violentus hauri. quidquid admissum est adhuc,
Pietas vocetur. hoc age. & faxo, sciant
Quam levia fuerint, quamque vulgaris notæ,
Quæ commoda vi scelera. prolusit dolor

Per

897. *Adhuc furiosa? sic satis est*] Gruterus ex Pal. primo affert: *furiosa? num satis*: ex reliquis, *furiosa, si satis tibi*: addit que hærere se, utrum præferat: adeo utrimque causas suas: & tamen judicii lancem inclinare in antecessus. At tu, ne quid hæreas, scito in Flor. *furiosa, si satis est tibi*. Non vides, insana, te adhuc amare Iasona, quem pessime debes odisse, si satis ad vindictam tuam putas, quod eum cœlibem reddidisti. vers. 126. *Gronov.*

898. *Cœlebs*] Quod Creüsa uxore excidit. *Farnabius.*

901. *Quam ferunt parvæ manus.*] Licet utcumque explicare parvorum sive puerorum manus, ob exitialia munera ab illis perlata. Sed quam parum hoc sit pro magnitudine rei fatentur ipsi interpretes alium sensum commenti, leves, non in vindictæ modo graves. Subjecerunt & *pravæ*, quos rejiciens Raderus accipit inermes, puellares, delicatas, parvas comparatione virorum, qui robustiores fœminis: neque aliud hic secretum latere. Sed Etruscus aruspex adeundus erat: is elegantissime, *quam ferunt puræ manus*. Hoc est, quæ servat modum, neque punit, nisi quos pium fasque est punire. *Puræ manus* sunt eorum, qui aut parcunt, aut non occidunt, nisi hostes vel supplicium meritos. Menelaus apud Euripidem: Ἁγνὸς δ' εἰμὶ χεῖρας. Et admirabilis ille Titus, *Pontificatum maximum ideo se suscipere professus, ut puras servaret manus.* Alterum genus non minus piaculi immune intelligitur ex formula veteri apud Livium: *Puro pioque duello quærendas censeo.* Et sic hactenus in Creonte ac Creüsa se *puram* interpretatur Medea, quia hostem & pellicem interfecerat. Nunc præfatur hoc merito, profectura ad facinus, quod *puris manibus* peragere non poterat. Lucanus lib. 7. *Vulnera pars optat, pars terræ figere tela. Ac puras servare manus.* Gronovius.

904. *Violentus hauri.*] Et lex versus & Flor. vult legi: *Violentus hauri.* Et referendum est ad animum: *Quid, anime, cessas?* Nisi malis contraxisse duas ultimas syllabas, quod satis durum. *Idem.*

905. *Pietas*] Præ iis quæ admittenda restant. *Farnabius. Hoc age.*] Rituale verbum, attende. *Idem.*

906. *Quæ*] Quæ prius admisi in Iasonis gratiam. Suprà vers. 276. *Id. Prolusit*] Hæc virgo feci. Supr. v. 49. Hercul. Fur. vers. 221. & inf. v. 908. mox notan. *Idem.*

Per iſta noſter. quid manus poterant rudes
Audere magnum? quid puellaris furor?
Medea nunc ſum. crevit ingenium malis.
Iuvat, juvat rapuiſſe fraternum caput.
Artus juvat ſecuiſſe. & arcano patrem
Spoliaſſe ſacro. juvat in exitium ſenis
Armaſſe natas. quære materiam, dolor:
Ad omne facinus non rudem dextram afferes.
Quo te igitur, ira, mittis? aut quæ perfido
Intendis hoſti tela? neſcio quid ferox
Decrevit animus intus, & nondum ſibi
Audet fateri. ſtulta properavi nimis.
Ex pellice utinam liberos hoſtis meus
Aliquos haberet! quidquid ex illo tuum eſt,
Creüſa peperit. placuit hoc pœnæ genus,
Meritoque placuit. ultimum agnoſco ſcelus.
Anime, parandum eſt. liberi quondam mei,
Vos pro paternis ſceleribus pœnas date.

910. *Medea*] *Emphaſ.* nunc demum par & ſufficiens ſum immanibus ſceleribus patrandis. *Crevit*] Quum fuerint illa præludia & præexercitationes ad nobile hoc ſcelus. *Farnabius.*

913. *Sacro.*] Vellere aureo, Marti ſacrato. *Idem. Senis*] Peliæ, ſuprà verſ. 256. *Idem.*

915. *Non rudem dextram afferens.*] Acrius Florent. *afferes.* Gronovius.

919. *Properavi*] Nec diſtuli iras, donec mater ex Iaſone facta ſuppeditaſſet ulterioris materiam vindictæ. Sed puta tuos (ô Medea) quoniam Iaſonis ſunt, etiam Creüſæ eſſe. *Farnabius.*

923. *Vltimum magno ſcelus Animo parandum eſt.*] Iacens prorſus & languidus ſenſus, ſi conferatur cum eo, quem præbet non obſcure codex Etruſcus, qui pro *magno* habet *agnoſco.* Scribe igitur: *ultimum agnoſco ſcelus. Anime, patrandum eſt.* Vel, ſi mavis, retine *parandum.* nam ille, *parendum,* quod verſus reſpuit. Supra: *Si quod Pelaſgæ, ſi quod urbes barbaræ Novere facinus,* &c. *Nunc eſt parandum.* Hoc ipſo momento demum conſtituit de liberis trucidandis. *Agnoſco*, eſt invenientis deprehenſumque velut tenentis modum, quo ſummam vindictæ manum per ſummum ſcelus imponat. Vt Thyeſte: *haud quid ſit, ſcio. Sed grande quiddam eſt. ita ſit. hoc, animi, occupa.* Nam exſtimulatio illa animi frequens utroque loco, ut & in Agamemnone: *Accingere, animo, bella non levia apparas. Scelus occupandum eſt.* Euripides in hujus nominis fabula: Μὴ δῆτα Θυέστ', ἐμὴ σύγ' ἐργάσῃ τάδε. Quod Gruterus ait nihilo deterius Colonienſem, *properandum eſt*, properavit ipſe. *Gronovius.*

926. *Cor pepulit*] Deliberantem inducit Poëta Medeam poſt Apollonium, Ovidium, Valerium, *dumque vinci affectus ratione laborant*, appetitui tandem ſuccumbentem. *Farnabius.*

927. *Diſcef-*

Cor

Cor pepulit horror. membra torpeſcunt gelu,
Pectuſque tremuit. ira diſceſſit loco.
Materque tota conjuge expulſa redit.
Egon' ut meorum liberûm ac prolis meæ
Fundam cruorem? melius, ah demens furor.
Incognitum iſtud facinus, ac dirum nefas
A me quoque abſit. quod ſcelus miſeri luent?
Scelus eſt Iaſon genitor, & majus ſcelus
Medea mater. occidant: non ſunt mei.
Pereant? mei ſunt. crimine & culpa carent,
Sunt innocentes. fateor: & frater fuit.
Quid, anime, titubas? ora quid lacrimæ rigant?
Variamque nunc huc ira, nunc illuc amor
Diducit? anceps æſtus incertam rapit.
Ut ſæva rapidi bella cum venti gerunt;
Utrimque fluctus maria diſcordes agunt,
Dubiumque pelagus fervet: haud aliter meum
Cor fluctuatur. ira pietatem fugat,
Iramque pietas. cede pietati, dolor.
Huc cara proles, unicum afflictæ domus
Solamen, huc vos ferte, & infuſos mihi
Conjungite artus. habeat incolumes pater,
Dum & mater habeat. urget exilium, ac fuga.
Jam jam meo rapientur avulſi è ſinu,

Flen-

927. *Diſceſſit*] Locum dedit amori materno. *Farnabius.*

928. *Materque*] Maternuſque affectus redit expulſa animo vindictæ cupiditate ob repudiatam me ab Iaſone conjugem. *Idem.*

932. *A me quoque*] *Emphaſ.* etiam à me effreni & vindictæ cupidiſſima. *Idem.*

933. *Scelus*] Tyrannicum, quale illud apud Phœdrum: *Pater hercle tuus, inquit, maledixit mihi:* cum aliam cauſam non inveniret. Satis eſt illis culpæ, quod ſceleſtum habent patrem, quod iratam patri & immiſericordem matrem. Hæc ſunt τὰ τεθέντα ἢ κείμενα. illud, *occidant*, τὸ ἕτερον τῶν κειμένων ἐξ ἀνάγκης σύμβαινον. Thyeſte: *Quid liberi meruere?* A. *quod fuerant tui.* Non aſſequuntur interpretes. *Gronovius.*

936. *Et frater fuit.*] Nec tamen illi peperci, ut Iaſoni prodeſſem. *Farnab.*

939. *Æſtus*] Tanquam maris, ubi ſæva rapidi bella, &c. *Idem.*

948. *Vrget*] Vrget tamen in iras cædeſque inſtans exilium. *Idem.*

949. *Rapientur avulſi ſinu*,] Sic Delrius è Mſſ. pro *evulſi.* Plenius Flor. *rapientur avulſi è ſinu.* Agamemnone:

Flentes, gementes. oſculis pereant patris;
Periëre matris. rurſus increſcit dolor,
Et fervet odium. repetit invitam manum
Antiqua Erinnys. ira, qua ducis, ſequor.
Utinam ſuperbæ turba Tantalidos meo
Exiſſet utero, biſque ſeptenos parens
Natos tuliſſem! ſterilis in pœnas fui.
Fratri patrique quod ſat eſt, peperi duos.
Quonam iſta tendit turba Furiarum impotens?

Quem

Nec rapere puduit è ſinu avulſam viri. Gronovius.

950. *Oſculis pereant patris;*] A libro Lipſii eſt, cum ederetur: *ſed oculis*: ubi τὸ *ſed* inquit Delrius, recentiores addiderunt: quidam *in oculis*. Gruterus quoque omnibus ſuis tantum *oculis*, ſine τὸ *ſed*, fuiſſe notat, uni *occulis*. Quo tamen hic ſive *oculi* ſive *oſcula?* Raderus: tamdiu oſculis fatiget filios Iaſon, donec lacrimis & oſculis exanimentur, ſicut & meis petiere, defecere animo, dum in ſinu meo hærerent. Quid poterat dici apertius ad agnoſcendas ineptias hujus ſermonis? Florentinus: *gementes oculis pereant patri Periere matri.* Scribe: *Flentes, gementes. O ſcelus! pereant patri, Periere matri.* Scelus vocat rapi matri è ſinu liberos. Poſt hoc, inquit, amittat illos & pater. nam egò illos amiſi jam ex quo conſtitutum eſt, ut hic maneant. Itaque ſi peribunt, non mihi, ſed illi peribunt. *Matri* etiam in quinque Pall. invenit Gruterus. *Gron. Pereant*] Refert tamen Euripidis Scholiaſtes corruptum à Corinthiis Euripidem v. talentis tranſtuliſſe in Medeam filiorum ſuorum cædem, quos ipſi Corinthii in matris odium interfecerant. *Farnabius.*

952. *Repetit inviſam manum Antiqua mentis.*] Hæc ſi nugas meras dixero, miraberis, lector: ſed ubi oſtendero tibi, quid Seneca ſcripſerit, mirari deſines. Delrius tamen non male quoſdam habere ait *inviſam domum*, quod ſit pectus Medeæ, antiquum ſuum hoſpitium: contra Gruterus non modo membranis, ſed etiam ratiuncula pugnat pro vulgata. Florentinus: *Antiqua erinnis ira.* Hinc accipe egregium & Tragicum ſenſum: *Repetit invitam manum Antiqua Erinnys. ira, qua ducis, ſequor.* Quamvis nolens ſeque ſubtrahens crudeli miniſterio manus repoſcitur à veteri Furia, ut qualis in fratrem fuit, talis & ſit in filios. Deinde conſentit & ſequitur deteriora, videns probanſque meliora. Adde 4. Obſerv. 12. *Gronovius.*

954. *Vtinam*] Vtinam peperiſſem tot filios quot Niobe Tantali filia. Hercul. Fur. verſ. 389. quæ mihi ampla foret vindictæ ſeges. & tamen duos habeo Mermerum & Pheretem, quos patri meo prodito fratrique cæſo quaſi inferias offeram. infrà verſ. 968. *Farn.*

956. *Natos*] Quot Medea filios habuerit, ex Parmeniſci & aliorum ſententiis refert ſcholiaſtes Eurip. in Medea. hos omnes, uno Theſſalo excepto, à Medeâ necatos ſcribit Diodorus lib. 4. Sed Ælianus lib. 1. ποικιλ. ἱστ. cap. ult. refert eos à Corinthiis interemtos fuiſſe. addit Pauſan. in Corinth. lapidibus obrutos propter allata Creüſæ munera. *Delrius.*

957. *Duos.*] Conſentaneum hoc eſt Euripidis traditioni. Iſacius eos Mermerum & Pheretem, Hyginus Macarium & Pheretum appellat; alii aliter. *Idem.*

958. *Quonam*] Sibi per phantaſiam

Quem quærit? aut quo flammeos ictus parat?
Aut cui cruentas agmen infernum faces
Intentat? ingens anguis excusso sonat
Tortus flagello. quem trabe infestâ petit
Megæra? cujus umbra dispersis venit
Incerta membris? frater est. pœnas petit.
Dabimus. sed omnes fige luminibus faces:
Lania, perure. pectus en furiis patet.
Discedere à me, frater, ultrices deas,
Manesque ad imos ire securas jube:
Mihi me relinque, & utere hac, frater, manu,
Quæ strinxit ensem: victimâ manes tuos
Placemus istâ. Quid repens affert sonus?
Parantur arma, meque in exitium petunt.
Excelsa nostræ tecta conscendam domus
Cæde inchoata. perge tu mecum comes.
Tuum quoque ipsa corpus hinc mecum aveham.

Nunc

sam videtur Furias videre, mox fratris umbras. *Farnabius. Turba*] Hercul. Fur. vers. 101. Thyest. 78. *Idem.*

961. *Ingens anguis*] Thyest. v. 69. Hercul. Fur. vers. 88. & 103. *Idem.* Visis furiis & audito verberum sono, ad insaniam homines adigi credebant, patet hic & Herc. Fur. actu 4. *Flammifera Erinnys verbere excusso sonat*, &c. *Delrius.*

963. *Megæra?*] Μεγαίλη ἔρις, ὁ μεγαίρων. Farnab. *Dispersis*] Vt curas affectusque animi, ita corporis vulnerum indicia post mortem manere fingunt poëtæ. *Idem.*

964. *Incerta*] Quam prima facie vix agnosco. *Idem. Frater*] Absyrtus, quem conveniunt omnes ab impia sorore laniatum: sed Pacuvius & Diodorus Ægyaleum vocant. plerique volunt fuisse germanum fratrem, Sophocles uterinum tantum. Timonax & Apollonius ob formæ præstantiam Phaëthontem nominarunt. Quidam Medea natu majorem faciunt, quibus favet Valerius Flaccus: Pherecydes à Medea ex cunis infantulum sublatum, & in mari postea necatum tradidit. quod tamen in patriis ædibus patratum mavult Sophocles, sed Apollonius prope Istrum, Plinius in insulis quæ ab hoc facinore Absyrtides nuncupatæ. vide Scholiast. Apollonii in lib. 4. *Delrius.*

965. *Omnes*] Furoris mei incitamenta, & quæ in me pietatis maternæ lumina extinguant. *Farnabius.*

968. *Securas*] Nec dubitent quin scelus factura sim. *Idem.*

970. *Strinxit*] In te. *Idem. Victima*] *Atque hoc dicto unum è filiis interficit.* Idem.

971. *Quid*] *Irruit Iason cum armatis.* Idem.

975. *Tuum quoque ipsa corpus mecum aveham.*] Sic prorsus & Florentinus: non *ipse*, non *avehe*. Nihil hic miraculi: nulla opus machina, qua sustolleretur in altum Medea. Cur enim ait, *tecta conscendam domus? Conscen-*

Nunc hoc age, anime. non in occulto tibi est
Perdenda virtus. approba populo manum.
Iaſ. Quicunque regum cladibus fidus doles,
Concurre, ut ipſam ſceleris auctorem horridi
Capiamus. huc, huc, fortis armigeri cohors,
Conferte tela. vertite ex imo domum.
Med. Jam jam recepi ſceptra, germanum, patrem;
Spoliumque Colchi pecudis auratæ tenent.
Rediëre regna. rapta virginitas rediit.
O placida tandem numina! ô feſtum diem!
O nuptialem! vade. perfectum eſt ſcelus;
Vindicta nondum. perage, dum faciunt manus.

Quid

dere non eſt machina elevari. Immo in ſcena interficit alterum filiorum: & audiens rumorem adventantis cum ſatellitio Iaſonis ſecedit ducens vivum altera manu, altera mortuum aſportans. Simulatque ſcena exceſſit, comparet Iaſon, ac mox ipſa in faſtigio domus. *Aveham* eſt aſportabo. Vt Troadibus: *leo Prædam minorem morſibus vaſtis premens Frangit vehitque.* Gron.

976. *Non in*] Non ut prius magicis & veneficiis idque clam, ſed ſpectanti Iaſoni cum Corinthiis ede ſpecimen virium tuarum, in interficiendis filiis. *Farnabius.*

977. *Approba populo manum.*] Contra Horatii præceptum filios coram populo trucidat. quia tantus furor, quantum ſuperius deſcripſit, ſupremo æſtu, quem oportet multum aſſurgere, nuda commemoratione, pro dignitate exprimi nequiviſſet, ſpectandum facinus, non narrandum auditoribus fuit. decorum ergo ſervatum. Aliter Riccius conatur excuſare, lib. 1. de imitat. Mihi videtur melior cauſa, quam dixi. *Delrius.*

978. *Regum eſt cladibus fidus, doles,*] Quanto rotundius Fl. *Quicunque regum cladibus fidus doles.* Statim idem: *fortis armiferi cohors.* Gronov.

982. *Iamjam*] Iam poſtquam injurias ulta ſum, videor mihi abunde omnia priora damna recuperaſſe. *Farnabius.*

983. *Tenent.*] Recepiſſe videri poſſunt in mea vindicta. *Idem.*

986. *Perfectum*] In uno interfecto. *Idem.*

987. *Vindicta*] Reſtat enim alter interficiendus, ne quid Iaſoni ſuperſit quo ſe obiectet. *Idem. Peragedum facinus manu.*] Comicum magis quam Tragicum eſſe exiſtimo. Sic, Ciceroni quoque uſurpatum, *Iteradum eadem iſta mihi.* Plautus in Pœnulo: *memoradum. eſſe aliter liceat.* Truculento: *Circumſpicedum, nequis adſit arbiter.* Reſtitue omnium impreſſorum olim & ſcriptorum: *perage, dum faciunt manus.* Neque enim ad tantum facinus ſemper erunt promptæ: fac dum dolet: dum nullus affectus ira potentior. Hercule Oetæo: *Scelus occupandum eſt: perge, dum fervet manus.* Raderus notat verba obſcurum facere ſenſum, ſi legas, *dum faciunt manus*, minus obſcurum, *perage dum facinus manu*, quamvis *dum* parum ad rem faciat. Nimirum oblitus erat, ut comici eleganter illud *dum* ſoleant addere imperativis. Neque in altero ulla obſcuritas. Non ſemper autem facere manus non aliunde diſcendum quam ex Seneca lib. 2. de clementia cap. 9. exemplo Auguſti: ubi inter alia: *Nox illi inquieta*

Quid nunc moraris, anime? quid dubitas? potes.
Jam cecidit ira. pœnitet. facti pudet.
Quid, misera, feci? misera, pœniteat licet,
Feci. voluptas magna me invitam subit:
Et ecce crescit. deerat hoc unum mihi,
Spectator ipse. nil adhuc factum reor.
Quidquid sine isto fecimus sceleris, periit.
Ias. En ipsa tecti parte præcipiti imminet.
Huc rapiat ignes aliquis, ut flammis cadat
Suis perusta. *Med.* Congere extremum tuis
Natis, Iason, funus, ac tumulum strue.
Conjux socerque justa jam functis habent
A me sepulti. natus hic fatum tulit.
Hic te vidente dabitur exitio pari.

Ias.

quieta erat, cum cogitaret adolescentem nobilem, hoc detracto integrum, Cn. Pompejine potem esse damnandum. Iam unum hominem occidere non poterat: cum M. Antonio proscriptionis edictum inter unam dictarat. Gronovius.

989. *Iam cecidit ira.*] Id est, quæ vindictam habes in manu & potestate tua. *Farnabius.*

990. *Misera,*] Sero miseram me agnosco, sero pœniteat, postquam fecerim. *Idem.*

991. *Voluptas*] Vindictæ voluptas mei etiam reluctantem urget. *Idem. Me invitam subit:*] Flor. *me & invitam:* Vt videatur *τὸ Me* delendum, tanquam ex interpretatione adjectum. Etsi ipsa averser hanc voluptatem, & me propemodum oderim, quia sic gaudeam. Hæ tenues sunt scintillæ nondum omnis consopitæ & leviter admonentis rationis, quæ tamen mox magnitudine iræ ac furoris obruuntur, *Invisam* autem etsi habeant centum enneades, sufficit in Florent. esse *invitam.* Gronovius.

992. *Deerat*] Vt Iason filii prius cæsi spectaret necem. *Farnabius.*

993. *Nihil adhuc factum reor.*] Optimus: *Spectator iste. nihil adhuc facti reor.* Vt apud Ovidium lib. 1. Fastorum: *Non habet officii lucifer omnis idem.* Et in epistola Hypermnestræ: *Et queritur facti sanguinu esse parum.* Sic bene è Mst. Heinsius. Vbi vulgo *officium* & *factum* legitur. *Gronovius.*

994. *Sine isto*] Spectatore. *Farn.*

997. *Suis perusta.*] Quibus ipsa in aliis usa est. *Idem. Congere*] Imo pie & pro tuo officio feceris, si rogum tuis natis à me cæsis construxeris, namque ego conjugi tuæ ac socero pyram accendi. *Sarcasmus.* Farnabius.

999. *Iusta jam funeris habent*] A Scaligero hoc profectum binas jam editiones honestavit. At omnes scripti & editi: *justa jam functis.* Nugæ, inquit vir illustris. Quid ita? *Functos* utique pro defunctis vel mortuis non culpavit. Statius lib. 2. Theb. *functi quamquam & jam lumine casus.* lib. 4. *agras functorum corpore fibras.* Quid ergo? an compositionem illam, *justa functis?* Si hoc, male profecto: nam *justa functis* sunt justa funebria, ea quæ justum & solenne est fieri & præstari functis. Sic Troadibus: *Datusque tumulo debita exanimis tulit.* Eadem *debita exanimis*, quæ *justa functis.* Cepit & Raderus. *Gronovius.*

Iaſ. Per numen omne, perque communes fugas,
Toroſque, quos non noſtra violavit fides,
Jam parce nato. ſi quod eſt crimen, meum eſt:
Me dede morti, noxium macta caput.
Med. Hac, qua recuſas, qua doles, ferrum exigam.
I nunc, ſuperbe, virginum thalamos pete.
Relinque matres. *Iaſ.* Unus eſt pœnæ ſatis.
Med. Si poſſet unâ cæde ſatiari manus,
Nullam petiſſet. ut duos perimam tamen,
Nimium eſt dolori numerus anguſtus meo.
In matre ſi quod pignus etiamnum latet.
Scrutabor enſe viſcera, & ferro extraham.
Iaſ. Jam perage cœptum facinus, haud ultra precor;
Moramque ſaltem ſuppliciis dona meis.
Med.

1002. *Communes fugas,*] E Colchide fugientes Æetam ex Theſſalia patrem tuum. *Farnabius.*

1003 *Quos non noſtra*] Quæ hæc eſt impudentia pariter & imprudentia? negare Iaſonem ſe fidem fefelliſſe? & tunc negare, quum rogat rem tantam? Confeſſis ſolet dari venia, non manifeſta negantibus. Et ipſe confeſſus erat, ſi mori nollet, *fide* ſibi *carendum* eſſe. In quibuſdam Mſſ. abeſt *τὸ non* claudicante verſu. Credibile igitur fuiſſe: *quos heu! noſtra violavit fides.* Nam excuſatio de liberis non poteſt intelligi, ſi non exprimatur. *Gronovius.*

1005. *Me dede morti,*) Notum eſt illud: *Dede neci. vacua melior ſine regnet in aula.* Quo ipſe ſuaviſſime utitur in ludo de morte Claudii. Flor. tamen nec male: *Me dedo morti.* Idem.

1006. *Hac,*] Sumam de te pœnas hac qua te magis urit parte, id eſt, in filio. *Farnabius.*

1007. *Virginum*] Creüſæ nuptias pete, me conjugem factamque ex te matrem defere. Pluralia autem ſæpe per indignationem pro ſingularibus poſita. verſ. 1285. Hercul. Fur. *Idem.*

1009. *Si poſſet*] Si tantum mihi ſuperreſſet pietatis, ut unius cæde me ſatiarem, alteri parcerem; etiam neutrum interficere ſuſtinuiſſem: ſed omnem exui pietatem, itaque vix dolori meo ſufficiunt iſti duo, imo ſi me gravidam ſentirem etiam diſſecto utero fœtum extraherem. *Idem. Cæde ſatiari manus,*] Flor. *ſatiari à manu.* Videtur velle: *ſatiari hæc manus.* Ovidius: *Si manus hæc aliquam poſſet committere cædem.* Gronovius.

1015. *Moramque ſaltem ſuppliciis*] Crux eruditorum. Lipſius tranſpoſitum attribuit Medeæ, & legit, *ſuppliciis.* Gruterus aliquid vidit, ſed pervidere totum non potuit, partim immemor quid eſſet *donare* apud hujus ævi ſcriptores, partim obturbatus ab illis, qui eum nominare faſtidiebant. Recte ait ſuppliciis donata mora, hoc ſenſu, ſupplicia maturari: quia, debuiſſet addere, *donare* eſt remittere, *donare moram* moræ gratiam facere. Sed quum dicit acumen eſſe ſcholaſticum, & inde fictum, quod cum jus donatione in alium transferimus, id non amplius hæreat in donante, evagatur & ſcopum non tangit, ſed circumit. Etiam apud Valer. Maximum lib. 9. 2. *donare ſilentium* eſt gratificari alicui eo quod ſileas. Sed quæ è Seneca & Luca-

no,

Med. Perfruëre lento scelere; ne propera, dolor.
Meus dies est: tempore accepto utimur.
Ias. Infesta memet perime. *Med.* Misereri jubes.
Bene est, peractum est. plura non habui, dolor,
Quæ tibi litarem. lumina huc tumida alleva,
Ingrate Iason. conjugem agnoscis tuam?
Sic fugere soleo. patuit in cœlum via.
Squammosa gemini colla serpentes jugo

Sum-

no, faciunt ad propositum. Itaque cum hoc filum apprehendisset, mirum non exiisse feliciter hoc Labyrintho. Finit dubius, non pertendere se in defensione hujus significationis. Delrius vel cum Bernardino, vult peti ab Iasone moram ad fugiendum, ne tantum scelus spectare cogatur: vel de suo, dicere Iasonem mortuis liberis peragat cœpta, se quoque ipsam interficiat, hoc spectaculum sibi remissionem quandam & moram doloris fore. Scaliger, *supplicii dona mea*, & optari lentum supplicium. Hæc omnia μῖτα Μύθου. Oedipus vero ille, quem optabat Scaliger, fuit Hugo Grotius. Is è Lucano suo meminerat, quid hoc usu esset *donare moram*, nempe remittere, neque mora supplicii & lento cruciatu torquere. Hoc postremum votum est desperantium de salute vel sua vel eorum, pro quibus precantur, ut breviter absolvantur. Sic ille: *Rogo, domina, si quid tristius paras, celerius confice. neque enim tam magnum facinus admisimus, ut debeamus torti perire.* In contrarium ille, *Sic feri, ut mori se sentiat.* Verbi vim alibi plena manu illustravimus & familiarem fecimus. Dixerat hic ὁ πάνυ fefelliſſe eruditos, in primis Scaligerum & Lipsium, quid esset *donare moram*. Ecce homo minime malus, cui Scaliger quidem & cæteri nulla vindicta digni; in Lipsio autem & Delrio tantum libertatis negat ferre. Fortasse, inquit, non fefellit. quid enim? nescierint Lipsius & Delrius, quid esset *donare moram?* At ô bone, & nescierunt illi, & tu quoque nescisses, nisi accepisses ab eo, cujus sermonem reprehendis: nec hoc vel in te vel in illos crimen est. necesse est enim hominem multa nescire, & summos quotidie ab infimis discere, & qui plurimum sciunt, longe plura nescientes mori. Si non fefellit, cur scribit Lipsius tuus pugnare hunc versum priori, & illo cupere Iasonem statim interimi liberos, hoc quærere supplicii moram, & Medeam respondere quasi ex voto Iasonis atque exoratam? Cur Delrius tam multa injuste carpens in amico suo, hoc non modo non carpit, sed etiam laudat? cur quod optimum erat in Grutero, carpit? cur qui petit *donari moram supplicio*, eum censet petere id differri? Nos utrumque de Seneca bene meritum libenter agnoscimus: sed cur aliquid eos fefellisse dicere non liceat, causam nullam videmus. *Gronovius.*

1017. *Meus*] A Creonte mihi datus. Suprà vers. 295. *Farnabius.*

1018. *Misereri jubes.*] Miseris enim mors grata. vide Herc. Fur. vers. 512. *Idem.*

1019. *Bene*] *Cæso jam altero filio.* Idem.

1020. *Lumina*] Attolle oculos tuos meque vide. annon agnoscis me ex solita cæde? prius quidem tibi, jam mihi vindictam poscentem. *Idem.*

1022. *Sic fugere*] Per cædes patrem fugi occiso fratre, Acastum mariti mei patruelem occiso patre suo, te jam conjugem occisis filiis. *Idem.*

Summissa præbent. recipe jam natos parens.
Ego inter auras aliti curru vehar.
Ias. Per alta vade spatia sublimi ætheris:
Testare nullos esse, qua veheris, deos.

1025. *Ego*] Et his dictis vecta curru junctis draconibus avolat Athenas, ubi Theseo nupta. Suprà vers. 973. *Farnabius.*

1027. *Testare*] Testimonium dicas contra deorum justitiam, vel argumento sis nullos esse in cœlo deos, si tibi insigniter sceleste per æthera pateat impune via. *Idem.* Formavit ex dicto Diogenis Cynici, *Scirtalum, qui temporibus illis prædo felix habebatur, contra deos testimonium dicere, quod in illa fortuna tam diu viveret*, Cicero 3. de nat. deorum. *Gronovius.*

L. ANNÆI SENECÆ *AGAMEMNON.

DRAMATIS PERSONÆ.

†Thyestes. Clytæmnestra. Nutrix. Ægisthus. Chorus Argivarum, sive Mycenæarum. Orestes, Muta Persona. Agamemnon. Cassandra. Eurybates. Electra. Strophius. Chorus Iliadum. Pylades, Muta Persona.

ARGUMENTUM.

Thyestiæ umbra ulciscendi injuriarum (de quibus vide Thyestis argumentum) cupida, filium Ægisthum in cædem Agamemnonis incitat. Ille itaque Agamemnonem victorem a Troia reducem in convivio impervia irretitum veste occidit, consilii cædisque participe Clytæmnestra, quam absente marito Agamemnone corruperat. Cassandram deinde Agamemnoni amatam ab aris avulsam occidit. Electram, quod fratrem Orestem amandârat, carceri mancipari jubent.

ACTUS PRIMUS.

Thyestis Umbra.

Thyestis umbra ab inferis adveniens Ægisthum ad vindictam sibi ab oraculo promissam invitat.

Opaca linquens Ditis inferni loca,
Adsum profundo Tartari emissus specu,
Incertus utras oderim sedes magis.
Fugio

*Agamemnon.] Scena Argis, vel Mycenis; utrubi nihil refert, ut in Thyeste notavimus. Duo chori Argivarum & Troadum. quod minus ab aliis animadversum. *Scal.* Agamemnones tragœdias scripserunt Ion & Æschylus, è quo tamen pauca noster fuit mutuatus. Nonius citat L. Pomponii, Agamemnonem suppositum, sed illa vel comœdia vel sane hilarotragœdia fuit. à Latinis Grammaticis nonnullæ tragœdiæ nominantur, quibus venit aliquando mihi in mentem suspicari, hujus fabulæ materiam fuisse tractatam: ex hoc numero sunt Attii Ægisthus, Agamemnonides, Clytæmnestra, Livii Andronici Ægisthus, Nævii Ægisthus, & similes. *Delrius.* Oeconomia Tragœdiæ ex parte ab Æschyli cognomine. Locum enim quem tantopere ibi veteres commendant, de Cassandræ furore, expressit. Ibi Agamemnon in scena mactatur. Hic res partim à Cassandra, partim ab Electra exponitur, sine alia ἀπαγγελίᾳ aut persona Nuncii. Electram quam ignorat ille, è Sophocleis instruxit. Unde illi mores dedit. Est autem frugis bonæ hæc Tragœdia. Quod vel imitatio evincit. Multa enim ex Virgilio non male transtulit, quædam quoque ex aliis. Narratio Nuncii, multa acute, pauca ambitiose, nec pauca eleganter. *Heinsius.*

† Thyestes.] Flor. *THYESTIS VMBRA.* Gronovius.

Vers. 1. *Opaca*] Inferna, umbrosa, quibus interposita terra, quæ Ops, lucem intercludit. *Farnab. Ditis*] Διὸς sed inferni, Plutonis. *Idem.*

2. *Tartari*] Hippolyt. 841. *Idem.*

3. *Utras*] Iuferasne, an superas. *Id.*

4. *Fu-*

Fugio Thyestes inferos, superos fugo.
En horret animus, & pavor membra excutit:
Video paternos, imò fraternos lares.
Hoc est vetustum Pelopiæ limen domus.
Hinc auspicari regium capiti decus
Mos est Pelasgis. hoc sedent alti toro,
Quibus superba sceptra gestantur manu.
Locus heic habendæ curiæ: heic epulis locus.
Libet reverti. nonne vel tristes lacus
Incolere satius? nonne custodem Stygis
Tergemina nigris colla jactantem jubis?
Ubi ille celeri corpus evinctus rotæ
In se refertur; ubi per adversum irritus
Redeunte toties luditur saxo labor;
Ubi tondet ales avida fœcundum jecur;
Et inter undas fervida exustus siti
Aquas fugaces ore decepto appetit,
Pœnas daturus cœlitum dapibus graves.
Sed ille nostræ pars quota est culpæ senex?
Reputemus omnes, quos ob infandas manus

Quæ-

4. *Fugio*] Inferos horreo, superis ipse horribilis. *Farnabius.*

5. *En horret animus,*] Fl. *Inhorret animus.* Gronovius.

6. *Paternos,*] Pelopis patris mei victoris (de qua Thyest. 143.) imo fratris Atrei scelere (de quo in Thyest 4. & 5. act.) claros. *Farnabius.*

8. *Hinc*] Thyest. 655. Troad. 861. In his atriis coronati solent reges. *Id.*

12. *Libet*] Domo festa seu cœnatione visa, succurrit illi de filiis, quos ibi epulatus fuerat. *Idem. Tristes*] Acheronta. ex ἄχος & ῥεῖν. quod luctuosis fluat undis. *vel* ab α, & χαίρειν quasi illætabilis unda: Styga autem à στυγέω. id est, odi. *tristique palus inamabilis unda Styx.* & Cocytum ἀπὸ τοῦ κωκύειν, à lamentando. *Idem.* Potius Acheron ex Hebræo atque extremum locum denotat.

13. *Custodem*] Cerberum. Troad. 403. Herc. Fur. 289. *Farnabius.*

15. *Ubi*] Sisyphus. Hippol. 1228. *Id. Ille celeri*] *Volvitur Ixion, & se sequiturque fugitque.* Idem. *Corpus evinctus rotæ*] Fl. *rota.* ut Gruteri unus. *Gronovius.*

18. *Fœcundum*] Tityi. Hippol. 1228. *Farnabius.*

19. *Exustus*] Tantalus. Thyest. 152. *Idem.*

21. *Pœnas*] Ob Pelopen filium diis appositum. *ibid.* Idem.

22. *Sed ille nostræ*] Ad hunc locum & alios intelligendos, flagitia Pelopidarum enumeranda sunt. In eâ gente Tantalus Pelopem filium Diis epulandum apposuit, & Atreus fratri Thyesti filios tres comedendos dedit. Pater filium egit in exilium, Atreum Pelops: fratrem pepulit frater, Thyestem

Quæsitor urna Cnossius versat reos:
Vincam Thyestes sceleribus cunctos meis.
A fratre vincar. liberis plenus tribus
In me sepultis. viscera exedi mea.
Nec hactenus fortuna maculavit patrem;
Sed majus aliud ausa commisso scelus;
Gnatæ nefandos petere concubitus jubet.
Non pavidus hausi dicta, sed cepi nefas.
Ergo ut per omnes liberos irem parens
Coacta fatis nata fert uterum gravem,
Me patre dignum. versa natura est retro.
Avo parentem, (prò nefas!) patri virum,
Natis nepotes miscui, nocti diem.
Sed sera tandem respicit fessos malis

Post

stem Atreus: genet sustulit socerum, Pelops Oenomaum: pater filium, Atreus Plisthenem: pater item filiam; Agamemnon Iphigeniam: maritus uxorem, Atreus Aëropen: uxor maritum, Clytæmnestra Agamemnonem: filius matrem, Orestes Clytæmnestram, nepotes suos occidère patruos, Ægisthus Atreum, & Orestes Ægisthum: frater necavit germanum, Atreus Chrysippum: patruelis patruelem, ut Tantalum Agamemnon, Aleten Orestes: patruelis filios, Ægisthus Pelopem & Teledamum. Sævierunt ferro in seipsas, Hippodamia uxor Pelopis, & Pelopeia filia Thyestis. Ægisthi nutus numeratur inter eas quæ scelere sunt infames, ab Ovidio de Ponto; de quâ alibi non legi. In eâdem familiâ vitiavit pater filiam, Pelopeïam Thyestes: levir glorem, ut idem Aëropen: patruelis patruelem, ut Orestes Hermionem, patruelis affinem, ut Ægisthus Clytæmnestram. *Fabritius.*

24. *Quæsitor*] Iudex. translatum à consuetudine Romanorum, apud quos, qui judiciis publicis præerat, Quæsitor dicebatur, qui de crimine diligenter inquirebat & vindicabat. *Farnabius.*

28. *Nec hactenus fortuna*] Scaliger putat constare ex sequentibus legendum *Cortina*, quia oraculo auctore Thyestes cum filia coiit. At mihi videtur constare hoc ipso ex versu non posse legi *Cortina*: nullo enim oraculo ad manducanda liberorum corpora accessit. Accipe igitur *Fortunam* pro fato. Fatum dicit inscium se maculasse nefandis epulis: fatum scientem impulisse per Phœbum ad incestum. *Gronovius. Nec hactenus*] Nesciens me comedisse proprios filios atque ex ignorantia peccantem. *Farnabius.*

29. *Majus*] Oraculi monitu, ut cum propria filia concumberem, hinc natum fore ultorem fraterni sceleris. *Idem.*

31. *Non pavidus*] Vindictæ cupidine audax, & obvius sceleri. *Idem.*

32. *Per omnes*] Filios enim mihi ingessi, me filiæ. *Idem.*

33. *Coacta*] Oraculo, ut modo, vers. 30. *Idem.*

35. *Avo parentem,*] Namque ego Ægistho avus & pater filiæ & maritus, sic Ægisthus mihi natus & nepos. *Id.*

36. *Nocti*] *Fugiente per ortus Sole, Thyestæas horret dum cernere mensas.* Thyest. vers. 774. *Idem.*

38. *Post*

Post fata demum sortis incertæ fides.
Rex ille regum, ductor Agamemnon ducum,
Cujus secutæ mille vexillum rates
Iliaca velis maria texerunt suis;
Post decima Phœbi lustra devicto Ilio
Adest, daturus conjugi jugulum suæ.
Jam jam natabit sanguine alterno domus.
Enses, secures, tela, divisum gravi
Ictu bipennis regium video caput.
Jam scelera prope sunt; jam dolus, cædes, cruor.
Parantur epulæ. caussa natalis tui,
Ægisthe, venit. quid pudor vultus gravat?
Quid dextra dubio trepida consilio labat?
Quid ipse temet consulis, torques, rogas,
An deceat hoc te? respice ad matrem; decet.
Sed cur repente noctis æstivæ vices
Hiberna longâ spatia producunt morâ?

Aut

38. *Post fata*] Post meam fratrisque mortem. *Farnab. Sortis inceste fides.*] Vtcumque non Delrio modo, sed & Scaligero placeat illa *incesta sors*, legendum cum Flor. & Lipsiano *sortis incertæ fides*. Hypallage est pro sortis incerta fides. Quia tam tarde apparuit, dubitatum de ea significat. Vt Petronius: *& vatis fides Calchantis atro dubia pendebat metu.* Gronovius.

39. *Rex*] Græcorum exercitus imperator. *Farnabius.*

41. *Iliaca*] *Hyperbole sonantior.* Idem.

42. *Post dena Phœbi*] Flor. *Post decima Phœbi lustra.* Gronovius. *Post dena*] Post decem solatia lustra, id est, annuos solis cursus, hoc est, annos. *Farnabius.*

43. *Jugulum*] Feriendum. infrà vers. 885. *Idem.*

44. *Iam*] Vbi Ægisthus interfecerit Atrei filium, ut meos Atreus. alii intellig. de sanguine alterno Agamemnonis, mox Clytæmnestræ & Ægisthi. sed prius magis placet, neque enim lætaretur etiam impia umbra filii sui morte. *Idem.*

46. *Bipennis*] Quam *dextra lævaque tenens* conjugis incussit capiti Clytæmnestra *fortissima Tyndaridarum.* Idem.

47. *Dolus,*] Vestis, quæ negaret exitum capiti & manibus. infr. v. 885. *Idem.*

48. *Epulæ.*] Simulatæ & funestæ Agamemnoni, ut quondam mihi. *Id. Caussa*] Vltio per te promissa, suprà vers. 30. *Idem.*

49. *Quid pudor*] An te puderuxorem patruelis stupratsse? *Idem.*

50. *Quid dextra*] An dubitas patruelem interficere? *Idem.*

52. *Respice*] Decere proculdubio te hæc scelera fatebere, si memineris te matre incesta natum. *Idem.*

53. *Sed cur*] Sed cur nox hæc æstiva (quam contractiorem esse oporteret) æquat longitudine hybernas? *Idem.*

55. Ca-

Aut quid cadentes detinet ſtellas polo?
Phœbum moramur. redde jam mundo diem.

55. *Cadentes detinet, &c.*] Iam occidere paratas, *vel* quas jamdudum occidiſſe tempus erat. *Farnabius.*

56. *Phœbum*] Mea illi in mora præſentia, meum refugit conſpectum. vid. Thyeſt. verſ. 119. *Idem. Redde jam mundo diem.*] Puto ſcripſiſſe auctorem: *Reddo jam mundo diem.* Dicit, quod facit. Abeo, & diſceſſu meo locum facio ingruenti luci, quam adhuc morabar. *Gronovius.*

CHORUS ARGIVARUM.

Chorus è mulieribus Argivis ſeu Mycenæis (vid. argum. primi Chori Thyeſtæi) *excelſam fortunam queritur inſtabilem, anxiam, periculis obnoxiam; mediocrem itaque illi præfert.*

O Regnorum magnis fallax
Fortuna bonis, in præcipiti
Dubioque nimis excelſa locas.
Nunquam placidam ſceptra quietem,
Certumve ſui tenuëre diem.
Alia ex aliâ cura fatigat,
Vexatque animos nova tempeſtas.
Non ſic Libycis Syrtibus æquor
Furit alternos volvere fluctus;
Non Euxini turget ab imis
Commota vadis unda nivali
Vicina polo;
Ubi cæruleis immunis aquis

Lu-

58. *Bonis*] Splendore quidem, & ſpecie bonis, revera atque exitu plerunque malis, τὸ μὲν πρόσωπον ἡδὺ τ' ἐν δόμοισι ἢ Λυπηρὰ. Eurip. *Farnabius.*

59. *Dubioque nimis excelſa locas.*] Fl. *Dubioque locas excelſos nimis.* Gronovius.

62. *Alia ex alia cura fatigat,*] Flor. *Alia ex aliis:* ut legebatur ante Fabricium. *Idem. Alia*] Herc. Fur. v. 207. *alterius curæ finis gradus eſt futuræ.* Farnabius.

65. *Alternos*] Fluxu refluxuque impetuoſos. *Idem.*

66. *Euxini*] Quibuſdam κατ' ἀντιπερίστασιν dict. rectius quod cum prius ob accolarum inhoſpitalitatem vel latronum immanitatem ἄξενος dicta fuerit regio illa, Herculis tandem opera latrociniis purgata & aliorum gentium commercio emollita εὔξενος nuncupata eſt. *Idem.*

67. *Nivali*] Septentrionali. *Idem.*

69. *Immunis*] Eadem ratione, qua Vrſæ. vid. Thyeſt. 476. *Idem.*

70. *Plau-*

Lucida verſat plauſtra Bootes.
Ut præcipites Regum caſus
Fortuna rotat!
Metui cupiunt, metuique timent.
Non nox illis alma receſſus
Præbet tutos; non curarum
Somnus domitor pectora ſolvit.
Quas non arces ſcelus alternum
Dedit in præceps; impia quas non
Arma fatigant? jura, pudorque,
Et conjugii ſacrata fides,
Fugiunt aulas: ſequitur triſtis
Sanguinolenta Bellona manu,
Quæque ſuperbos urit Erinnys,
Nimias ſemper comitata domos:
Quas in planum quælibet hora
Tulit ex alto. licet arma vacent,
Ceſſentque doli,
Sidunt ipſo pondere magna,
Ceditque oneri Fortuna ſuo.
Vela ſecundis inflata Notis
Ventos nimium timuere ſuos.

Nu-

70. *Plauſtra*] Med. v. 315. *Farn.*

73. *Metuique*] Multos timeat neceſſe eſt, quem multi timent. *Idem.*

75. *Non curarum*] Οὐθ' ὁ πανδαμάτωρ καὶ ὁ παγκρατὴς ὕπνος Λύει πεδήσας. *Soph.*

77. *Arces*] Regias. vid. Thyeſt. 453. & 640. *Farnabius.* *Alternum*] A regibus ſibi mutuo illatum. *Idem.*

78. *Quas*] Arces? *Idem.*

82. *Bellona*] Enyo, bellorum dea, Martis ſoror, auriga. *Idem.*

83. *Erinnys,*] Furia. Erinnyes autem tres θεαὶ σεμναὶ καὶ τιμωρητικαὶ, Tiſiphone, Megæra & Alecto natæ è guttis ſanguinis Saturni verendorum. *Idem.*

84. *Tumidas ſemper comitata domos:*] Quod ex Mſſ. protulit Lipſius, quodque amici ejus poſtea ne mentione quidem dignum habuerunt, verius eſt doctiuſque: *Nimias ſemper.* Sic enim & optimæ membranæ. Tacito frequens. Lib. 3. Hiſtor. *quippe nimius jam Antonius, & certiora ex Mutiano ſperabantur.* Lib. 4. *præferoces initio & rebus ſecundis nimii.* Macrobius lib. 5. Saturnal. *Ignoſcite, nec me nimium vocetis, qui Naturæ rerum Virgilium comparavi.* Claudianus de bello Getico: *Nec pro ſucceſſu nimius.* Gronovius.

88. *Sidunt*] *In ſe magna ruunt.* Farnabius.

92. Nu-

Nubibus ipsis inserta caput
Turris pluvio vapulat Austro.
Densasque nemus spargens umbras
Annosa videt robora frangi.
Feriunt celsos fulmina colles.
Corpora morbis majora patent:
Et cum in pastus armenta vagos
Vilia currant, placet in vulnus
Maxima cervix. Quidquid in altum
Fortuna tulit, ruitura levat.
Modicis rebus longius ævum est.
Felix, mediæ quisquis turbæ
Sorte quietus,
Aura stringit littora tuta;
Timidusque mari credere cymbam,
Remo terras propiore legit.

92. *Nubibus*] Alta, quæ *caput inter nubila condit.* vid. Hippol. chorum ult. à. vers. 1120. qui totus huic choro concinit. *Farnabius.*

96. *Feriunt*] *Plurimaque hujus Montibus in summis vestigia cernimus ignis,* Lucret. 6. *feriuntque summos fulmina montes.* Idem.

97. *Corpora*] Τὰ γὰρ πρῶτα κἀνόνητα σώματα Πίπτειν βαρείαις πρὸς θεῶν δυσπραξίαις Εἰωθε. *Sophoc.* Idem.

99. *Vilia currunt,*] Flor. rectius *currant;* ut Delrium video edidisse. Fabricius ante & postea omnes tenent alterum. *Gronov. Placet*] Eximuntur ad cædem è grege pulcherrimi quique boves. *Farnabius.*

100. *Quidquid*] *Tolluntur in altum, ut lapsu graviore ruant.* Claud. *Idem.*

102. *Modicis*] *Moderata durant. Firma mediocria.* Idem.

103. *Turbæ parte quietus,*] Adfirmat Lipsianum *Sorte* Flor. *Gronov.*

105. *Stringit*] Radit, *utque postea* legit litus. *Farnabius.*

ACTUS SECUNDUS.

CLYTÆMNESTRA. NUTRIX.

Sibi male conscia Clytæmnestra, atque adulterii pœnas, redeunte jam marito, verita, κακὰ κακοῖς ἰᾶσθαι *statuit. meditatur itaque Agamemnoni exitium: dissuadet nutrix.*

Quid, segnis anime, tuta consilia expetis?
Quid fluctuaris? clusa jam melior via est.

Li-

108. *Tuta consilia, &c.*] Honestam receptionem, vel excusationem, deprecationem culpæ, &c. *Farnabius.*

Licuit pudicos conjugis quondam toros,
Et sceptra castâ vidua tutari fide.
Periëre mores, jus, decus, pietas, fides,
Et qui redire, cum perit, nescit pudor.
Da frena, & omnem prona nequitiam incita,
Per scelera semper sceleribus tutum est iter.
Tecum ipsa nunc evolve fœmineos dolos,
Quod ulla conjux perfida, atque impos sui,
Amore cœco; quod novercales manus
Ausæ; quod ardens impiâ virgo face,
Phasiaca fugiens regna Thessalicâ trabe:
Ferrum, venena. vel Mycenæas domos
Conjuncta socio, profuge furtiva rate.
Quid timida loqueris furta, & exilium, & fugas?
Soror ista fecit. te decet majus nefas.
Nutr. Regina Danaûm, & inclitum Ledæ genus,
Quid tacita versas? quidve consilii impotens
Tumido feroces impetus animo geris?
Licet ipsa fileas, totus in vultu est dolor.
Proin quidquid est, da tempus ac spatium tibi.
Quod ratio nequit, sæpe sanavit mora.

Clyt.

111. *Castâ fide.*] Sic Ovidius lib. 7. met. *donisque pudicam Sollicitare fidem.* Gronovius.

114. *Incita,*] Vtitur metaphora ab equis sumpta; quos cum currere volumus, frenum illis permittimus, ut prono, non erecto, collo inciti evolent. falsum autem quod sequitur, sed personæ loquenti accommodatum. *Delrius.*

115. *Fœmineos*] *Emphasis.* nihil inausum intentatumque relinquentes. *Farnabius.*

119. *Ardens*] Medea Iasonis amore ardens. vid. Med. & Hippol. 561. *Idem.*

120. *Phasiaca*] Colchica à Phaside flu. *Idem. Thessalica trabe:*] Argo. vide Med. 609. *Idem.* Sic Horatius ode 1. Cypriam trabem dixit. *Delrius*

121. *Vel Mycenæa domo*] Flor. *vel Mycenæas domos Conjuncta socio profuge.* Omnino rectius. Est enim proprium Senecæ. Consolat. ad Polybiam: *conspectum conversationemque suorum civium profugit.* Sic Hercule Furente: *Profugit Vmbras Tityus.* Hippolyto: *Genus omne profugit.* Gronovius.

122. *Socio,*] Ægistho adulterii & periculi socio. *Farnabius.*

124. *Soror ista fecit.*] Helena soror mea fugit Paridem secuta. *Idem.*

128. *Fortis*] Prodit dolorem vultus. Med. v. 444. *Idem.*

130. *Quod ratio nequit,*] Flor. *non quit.* Gronov. *Quod ratio*] Χρόνῳ μαλάξει, νικᾷ δ' οὐδὲν ἀβάσανον χρόνῳ. Eurip. *Farnabius.*

131. *Quam*

Clyt. Majora cruciant, quam ut moras possim pati.
Flammæ medullas & cor exurunt meum.
Mistus dolori subdidit stimulos timor.
Invidia pulsat pectus. hinc animum jugo
Premit Cupido turpis, & vinci vetat,
Etinter istas mentis obsessæ faces,
Fessus quidem, & dejectus, & pessundatus
Pudor rebellat. fluctibus variis agor:
Ut cum hinc profundum ventus, hinc æstus rapit,
Incerta dubitat unda, cui cedat malo.
Proinde omisi regimen è manibus meis.
Quocunque me ira, quo dolor, quo spes feret,
Huc ire pergam. fluctibus dedimus ratem.
Ubi animus errat, optimum est casum sequi.
Nutr. Cœca est temeritas, quæ petit casum ducem.
Clyt. Cui ultima est fortuna, quid dubiam timet?
Nutr. Tuta est, latetque culpa, si pateris, tua.
Clyt. Perlucet omne regiæ vitium domus.

Nutr.

131. *Quam ut moras possim pati.*] Flor. abest τὸ *Ut*. Itaque trajectum malit Nic. Heinsius: *quam moras possim ut pati.* Interposuerunt enim librarii posteriores non ubi debebant. *Gronovius.*

133. *Dolori*] De pellice Cassandra. *Farnab. Timor.*] Ne deprehensi adulterii pœnas sumat maritus. *Idem.*

135. *Cupido*] Adulteri Ægisthi. *Idem.*

137. *Fessus quidem, & dejectus, & pessundatus*] Vtitur verbis ad luctam pertinentibus. *Pessumdatus rebellat:* ut Hannibal apud Iustinum ait *cum Romano etiam jacente luctandum esse.* Et Cornelius Nepos tradit Epaminondam luctando se exercuisse *ad eum finem, quoad stans complecti posset atque contendere.* Spreto scilicet ultimo voluntantium conatu, quem adjungebant artifices. Quid igitur o. Pal. Vossianusque & meus & duo Germanici, *devictus?* Flor. ut ante Fabricium, *devinctus?* An est ligatus, impeditus? & alludit ad nexus nodosque luctantium, de quibus in Diatriba ad Statium? *Gronovius.*

138. *Rebellat.*] Nec cedit honesto conjugis amori. *Farnabius.* Immo victrici libidini. *Gronovius.*

139. *Vt cum*] *Vtque carina, Quam ventus premit & vento contrarius æstus Vim geminam sentit, paretque incerta duobus.* Farnabius.

141. *Regimen*] Clavum, gubernaculum rectæ rationis. *Idem.*

143. *Fluctibus dedam ratem.*] E Delrii Mog. est. Prius habebatur, *dedi.* Sed numerosius Flor. *fluctibus dedimus ratem.* Gronovius.

146. *Vltima*] In extremo, quo deterius nil potest esse. *Farnabius.*

148. *Perlucet omne*] In omnium oculis & ore positum est. *Tanto conspectius in se Crimen habet, quanto major, qui peccat, habetur.* Idem. Claudianus,

—— *te totius medio tellure in orbe Vi-*

Nutr. Piget prioris, & novum crimen ſtruis;
Clyt. Res eſt profecto ſtulta, nequitiæ modus.
Nutr. Quod metuit, auget, qui ſcelus ſcelere obruit.
Clyt. Et ferrum & ignis ſæpe medicinæ loco eſt.
Nutr. Extrema primo nemo tentavit loco.
Clyt. Rapienda rebus in malis præceps via eſt.
Nutr. At te reflectat conjugii nomen ſacrum.
Clyt. Decem per annos vidua reſpiciam virum?
Nutr. Meminiſſe debes ſubolis ex illo tuæ.
Clyt. Equidem & jugales filiæ memini faces;
Et generum Achillem. præſtitit matri fidem.
Nutr. Redemit illa claſſis immotæ moras,
Et maria pigro fixa languore impulit.
Clyt. Pudet, pigetque! Tyndaris cœli genus,
Luſtrale claſſi Doricæ peperi caput.
Revolvit animus virginis thalamos meæ,
Quos ille dignos Pelopiâ fecit domo,
Cum ſtetit ad aras ore ſacrifico pater,

Quam

vere cognoſcas, cunctis tua gentibus eſſe Facta palam, nec poſſe dari regalibus unquam Secretum vitiis; nam lux altiſſima fati Occultum nihil eſſe ſinit, latebraſque per omnes Intrat & abſtruſos explorat fama receſſus. Delrius.

151. *Quod metuit,*] Scelus, ſceleriſque pœnam. *Farnabius.*

152. *Et ferrum*] Cauterio, candenti ferro obſiſtitur cancris, gangrænis, &c. *Vt redimas corpus, ferrum patieris & ignes.* Idem.

154. *Capienda rebus*] Flor. *Rapienda.* Simplex pro compoſito. Ovidius de equis ſolis: *Corripuere viam.* Gron. *Capienda*] In rebus aſperis & tenuis ſpei fortiſſima quæque conſilia ſunt tutiſſima, ſed in bellicis politiciſque utibile hoc, in peccando minime. *Farnabius.*

156. *Decem*] Egregius ſane conjux, qui me per decem annos reliquit. de vidua autem vid. Hippolyt. verſ. 620. *Idem.*

158. *Equidem*] Et memini quo pacto ſub prætextu nuptiarum cum Achille arceſſierit Iphigeniam, eamque immolaverit Dianæ. Troad. 162. *Id.*

159. *Præſtitit*] Ironia. *Idem.*

162. *Piget, pudetque!*] Solent hæc duo conjungi. Cicero pro domo: *ut me non ſolum pigeat ſtultitiæ meæ, ſed etiam pudeat.* Et *pudere* volunt grammatici ad dedecus, *pigere* ad damnum & dolorem referri. Flor. tamen: *Piget dolet que.* Idem ſequenti verſu, *peperi caput.* Omnino melius quam *peperit*, quod vulgo. *Tyndaris peperi*, ut *Medea fugiam*, ut *Annibal peto pacem.* Gron. *Tyndaris*] Ego filia Tyndari cui Iupabavus. *Farnabius.*

163. *Luſtrale*] Expiativum, ventos redimens. vid. Troad. 161. *Idem.*

164. *Thalamos*] Modo v. 156. *Id.*

165. *Pelopia*] Sæva, crudeli, quæ liberos mactare ſolet, ut Tantalus Pelopem, Atreus tres Thyeſtis filios. *Id.*

166. *Ore ſacrilego pater,*] Immo *ſacrifico,*

Quam nuptiales? horruit Calchas suæ
Responsa vocis, & recedentes focos.
O scelera semper sceleribus vincens domus!
Cruore ventos emimus, bellum nece.
Nutr. Sed vela pariter mille fecerunt rates.
Clyt. Non est soluta prospero classis deo:
Ejecit Aulis impias portu rates.
Sic auspicatus bella, non melius gerit.
Amore captæ captus, immotus prece,
Sminthea tenuit spolia Phœbei senis,
Ardore sacræ virginis jam tum furens.
Non illum Achilles flexit indomitus minis;
Non ille solus fata qui mundi videt,
In nos fidelis augur, in captas levis;
Non populus æger, & relucentes rogi.
Inter ruentis Græciæ stragem ultimam

Sine

crifico, ut jubet liber optimus. Æschylus: ἔτλα δ' οὖν θυτὴρ γενέσθαι θυγατρὸς. Idem: *Quam nuptiales!* quam bene (id est, per ironiam, quam non) convenientes nuptiis, quas apud me simularat. Vulgo *Quasi*. *Gronovius*.

168. *Recedentes*] *Pathos*, sic Thyest. vers. 766.

174. *Cruore*] Vid. Troad. 161. *Farnabius*.

171. *Mille*] Quos tamen Homerus 1080. computat; Dares Phrygius 1140. Dictys 1295. *Idem*.

172. *Deo:*] Numine, vel etiam Diana, vid. Herc. Fur. 384. *Idem*.

173. *Aulis*] Bœotiæ portus, Græcorum statio in Troianos conjurantium. *Idem*.

174. *Sic auspicatus*] Cæde virginis filiæ imperatoris. *Idem*.

175. *Amore*] Astynomes, Chryseidos. Troad. 222. *Idem*. *Prece*,] Patris Chrysæ filiam redempturi. *Idem*.

176. *Sminthea*] Filiam Chrysæ Sacerdotis Apollinis Sminthei, παρὰ τοῦ σμίνθας. i. mures κτείνειν, θεὸς μυοκτόνος. *al.* à Sminthe opp. *Idem*. *Spolia Phœbei ducis*,] Quantus imperator fuerit Chryses, ignoro. Vnum scio melius quadrare, quod est in Fl. *Phœbei senis*. Agamemnon ad ipsum: Μή σε, γέρον, κοιλῆσιν. *Gronovius*.

177. *Iam tum*] Vt nunc rursus Cassandræ. *Delrius*.

178. *Non illum*] Non flexit minis, *vel* Achilles indomitus minis. *Farnab*. *Indomitus*] Talem nobis Achillem Homerus ubique, & Horat. in epist. ad Pisones de arte poëtica depingunt. *Idem*.

179. *Ille solus*] Calchas. οἰωνοπόλων ὄχ' ἄριστος Ὃς ᾔδη τὰ τ' ἔοντα, τὰ τ' ἐσσόμενα, πρὸ τ' ἐόντα. *Idem*.

180. *In nos*] Statim Agamemnoni creditus, ubi Iphigeniam Dianæ immolandam cecinit, quando fatetur reddendam Briseida, fidem ejus elevavit Agamemnon. *Idem*.

181. *Æger*,] Peste laborans. *notum ex Hom. Il. α. Idem*. *Relucentes*] Ἀεὶ δὲ πυραὶ νεκύων καίοντο θαμειαί. *Idem*.

182. *Græciæ*] Hujus Troianæ expeditionis poëtæ semper ita meminerunt,

Sine hoste victus marcet, ac Veneri vacat,
Reparatque amores: neve desertus foret
A pellice unquam barbara cœlebs torus,
Ablatam Achilli diligit Lyrnessida:
Nec rapere puduit è sinu avulsam viri.
En Paridis hostem! nunc novum vulnus gerens
Amore Phrygiæ vatis incensus furit:
Et post tropæa Troica, ac versum Ilium,
Captæ maritus remeat, & Priami gener.
Accingere, anime; bella non levia apparas:
Scelus occupandum est. pigra, quem exspectas diem?
Pelopia Phrygiæ sceptra dum teneant nurus?
An te morantur virgines viduæ domi;
Patrique Orestes similis? horum te mala
Ventura moveant, turbo queis rerum imminet.
Quid misera cessas? en adest natis tuis
Furens noverca. per tuum, si aliter nequit,

Latus

runt, veluti si illi tota Græcia interfuisset. Sed refragatur Artemidorus inquiens: μόνοι οἱ Θηβαῖοι τῶν Βοιωτῶν οὐκ ἐστράτευσαν εἰς Ἴλιον. Invenerat nimirum apud Homerum in Catalogo non ὑπὸ Θήβας, sed Ὑποθήβας, ut testatur Eustathius multos legisse, & parvi oppidi nomen esse, Hypothebas. Tamen Iustinus lib. 28. solos Acarnanas scribit Græcis ad Troiam non ivisse suppetias: nec eos in Bœotiâ expressos invenio. *Delrius.*

183. *Marcet,*] *In Venerem putris.* Farnabius.

185. *Cœlebs*] Hippol. 230. *Idem.*

186. *Ablatam*] Hippodamiam Brisei filiam per præcones Achilli aufert. *Idem. Diligit Briseida:*] Pro vera lectione obtinet locum interpretatio. Scribe cum optimo: *Diligit Lyrnessida.* Homero Briseis, τὴν ἐκ Λυρνησσοῦ ἐξείλετο. *Gronovius.*

187. *E sinu vulsam viri.*] Etruscus: *è sinu avulsam viri.* Vt in Medea: *Iam jam meo rapientur avusi è sinu.* Idem. *Viri.*] Achillis fortis, vel illam maritali amore tenentis. *Farnabius.*

188. *En Paridis*] En pulchrum adulterii vindicem. *Iron.* Idem.

189. *Phrygiæ*] Cassandræ, seu Alexandriæ. vid. Troad. 34. & 966. *Idem. Furit:*] *Eleganter* ἀντανακλᾶται *vatis furori.* Idem.

190. *Tropæa*] Troad. vers. 147. *Idem.*

193. *Scelus*] Antequam meum ulciscatur adulterium Agamemnon, ego illius. Thyest. 203. Herc. Oet. 435. *Id.*

194. *Phrygiæ*] Cassandra. *plural. indignanter pro singulari.* ut Theb. 368. Med. 1005. *Idem.*

195. *An te*] An filiarum innuptarum Electræ, Chrysothemidos, Laodices, & Iphianassæ filiique causa vindictâ abstines? imo horum gratia magis perfice, ne quid gravius patiantur ista superinducta noverca, eaque captiva furore vaticinii percita. Hippol. 602. *Idem.*

199. *Si aliud nequit,*] Quod habuerunt

Latus exigatur ensis, & perimat duos.
Misce cruorem. perde pereundo virum.
Mors misera non est, commori cum quo velis.
Nutr. Regina, frena temet, & siste impetum;
Et quanta tentes, cogita. victor venit
Asiæ ferocis, ultor Europæ: trahit
Captiva Pergama, & diu victos Phrygas:
Hunc fraude nunc conaris & furto aggredi?
Quem non Achilles ense violavit fero,
Quamvis procacem torvus armasset manum.
Non melior Ajax, morte decreta furens;
Non sola Danais Hector & bello mora;
Non tela Paridis certa; non Memnon niger;
Non Xanthus armis corpora immistis gerens,
Fluctusque Simois cæde purpureos agens,

Non

buerunt olim editi, quod unus Pal. quodque cæterorum, non sane optimorum, conspiratione sublatum est, *saliter nequit*, id verum fuisse testatur antiquissimus Florentinus. *Gron.*

202. *Mors misera non est*,] Cum illo, quem perire expetis, mori. Hellen. συνθανεῖν ᾧ ἂν θέλοις. *Farnab.* Valer. Maximus, lib. 6. cap. 8. *Levique vulnere à Thelesino, cum quo commori destinaverat, perstrictum, &c.* Fabricius nobis invexerat, *commori qui cum velis*: eleganter quidem, si ferrent codd. scripti. *Gruterus.*

204. *Victor*] Agamemnon, cui hæc meditaris, redit victor. *Farnabius.*

205. *Asiæ*] Troiæ in Asia minori. vid. Troad. vers. 4. *Idem. Europæ*:] Injuriæ illatæ Græciæ, quæ in Europa. *Idem.*

206. *Captiva*] Reliquias Troiæ, captivas. *Diu victos*] Diutino, lento, decennali bello. *Farnabius.*

207. *Furto*] Clandestinis insidiis. Al. *conaris insana aggredi?* Idem.

208. *Quem non Achilles*] Homerus Iliad. α'. narrat Achillem gladium stringisse, ut Agamemnonem occideret. sed Palladis interventu se abstinuisse: quo monemur iram ratione temperare. *Delrius.*

209. *Procacem*] Cædis & vindictæ immodice appetentem. Procari enim significat immodice & impudenter petere. *Farnabius.*

210. *Melior Ajax*] Telamonius, non Οἰλῆος, τυχὺς, Αἴας μείων. *Idem. Morte*] Deliberata morte ex pudore cæsorum à se pecorum per insaniam, qua correptus est propter adjudicata Vlyssi ab Agamemnone & proceribus Achillis arma. *Idem. Furens*:] Vide Sophoclem σὺ τῷ μαστιγοφόρῳ, & Ovidium 13. Metamorph. *Delrius.*

211. *Sola*] Troad. 31. & 121. *Farn.*

212. *Non tela*] Nec tela Paridis certa, quia ab Apolline directa in Achillem, (Troad. 345.) violaverunt. *Idem. Memnon*] Memnon Æthiops, vid. Troad. v. 10. *Idem.*

213. *Xanthus*] Ὡς ὁπ' Ἀχιλλῆος Ξάνθῳ βαθυδίνῃσιν Πλῆτο ῥόος κελαδὼν ἐπιμὶξ ἵππων τε καὶ ἀνδρῶν. Il. φ. *Idem.*

214. *Fluctusque*] Quem neque qui

Non nivea proles Cycnus æquorei dei;
Non bellicoso Threſſa cum Rheſo phalanx;
Non picta pharetras, & ſecurigerâ manu
Peltata Amazon; hunc domi reducem paras
Mactare, & aras cæde maculare impiâ?
Victrix inultum Græcia hoc facinus feret?
Equos & arma, claſſibuſque horrens fretum
Propone, & alto ſanguine exundans ſolum,
Et tota captæ fata Dardaniæ domus
Regeſta Danais. comprime affectus truces,
Mentemque tibimet ipſa pacifica tuam.

*ÆGI-

tot Simois correpta ſub undis Scuta virum galeaſque & fortia corpora volvit, violavit. *Farnabius.*

215. *Nivea*] Troad. v. 181. *Idem.* *Æquorei Dei*] Neptuni; additum ad differentiam alterius Cycni, Martis filii, ab Hercule ſuperati. *Delrius.*

216. *Non bellicoſo Threſſa cum Rheſo*] Troad. verſ. 8. *Farnabius.* Vide Rheſum tragœdiam incerti auctoris, quæ vulgo perperam Euripidi aſcribitur, & nos vulgus ſecuti ſic eam ſæpe citavimus, & Homerum Iliad. κ'. *Delrius.* Qui ad amnem ſui nominis fuit interfectus, in quem etiam ſe uxor Arganthona, deſiderio mariti projecit. Vide Parthenium Narration. ſuarum cap. ult. *Idem.*

217. *Picta*] Non Pentheſilea, quæ *Ducit Amazonidum Lunatis agmina peltis, Sæva ſecurigeris dextris & picta pharetra.* Med. 214. eſt autem pelta ſcutum in folium hederaceum formatum. *Farnabius.*

219. *Peltata Amazon;*] Peltam ſic deſcribit Pierius Hieroglyph. lib. 42. *ut circulus deſcriptus linea diametrali diſſecetur: pars altera, quantum cubiti, manuſque miniſterio deſerviat, relinquatur: altera duobus a lateribus excavetur: ita ut in medio ſpatium ſit inſertando brachio, cujus hoc ſit propugnaculum. extrema ad ſcuti marginem lunentur in cornua. Orbes illi duo hinc inde exempti, inſertandæ ſi opus ſit haſtæ, alter commodus, alter ad inſpectandum inſerviat.* Conſule Q. Smyrnæum, quem non vulgus tantum, ſed & doctiores nonnulli Q. Calabrum appellant, non bene. *Delrius.* *Hunc*] Talem poſt tot tantaſque res geſtas ſtrenue reducem. *Farnabius.*

220. *Victrix inultum*] Flor. *Victrix inultum.* Nec videtur puerile polyptoton captaſſe Seneca. *Gronovius.*

224. *Regeſta Danais*] Interpretantur reportata in Græciam in vindictam raptæ unius Helenæ. Tu intellige, exempla, quæ in Troiam ſtatuta ſunt, eadem expetitura & recaſura in Argivos ab aliis Græcis per vindictam Agamemnonis, ſi occidatur. Minæ ſunt, non preces. Cogita, inquit, non egregia Agamemnonis facinora, ut interpres, ſed equis & viris & velis vos petitum iri. Sic & *ſanguine exundans ſolum*, non Troianum, ſed Mycenæum exundaturum perinde, ut Troianum. Caſſandra infr. *fata ſe vertunt retro.* Idem.

*ÆGI-

ÆGISTHUS. CLYTÆMNESTRA. NUTRIX.

Clytæmnestram nutricis consiliis cedere paratam, jamque dubiam superveniens Ægisthus avertit rursus atque in præceps trahit.

Ægisth. Quod tempus animo semper ac mẽte horrui,
Adest profecto rebus extremum meis.
Quid terga vertis, anime? quid primo impetu
Deponis arma? crede perniciem tibi,
Et dira sævos fata moliri deos.
Oppone cunctis vile suppliciis caput,
Ferrumque & ignes pectore adverso excipe.
Clyt. Ægisthe, non est pœna sic nato mori.
Ægisth. Tu nos pericli socia, tu Ledâ sata
Comitare tantum: sanguinem reddet tibi
Ignavus iste ductor, ac fortis pater.
Sed quid trementes circuit pallor genas,
Jacensque vultus languido obtutu stupet?
Clyt. Amor jugalis vincit, ac flectit retro.
Referamur illuc, unde non decuit prius

Abire:

* ÆGISTHVS. CLYTÆMNESTRA.] Flor. addit, *NVTRIX.* ut intelligatur κωφὸν adstare πρόσωπον. *Gronovius.*

232. *Adverso*] Opposito, omnia prius tentante quam timide cedas, vertasque terga. *Farnabius.*

233. *Mori.*] Ex incestu nato. sup. vers. 30. *Idem.* Tacitus 6. ann. *Iisdem diebus Sex. Papinius consulari familia repentinum & informem exitum delegit, jacto in præceps corpore. Causa ad matrem referebatur, quæ pridem repudiata, adsentationibus atque luxu perpulisset juvenem ad ea, quorum effugium non nisi morte inveniret.*

234. *Leda*] Hipp. 300. & suprà vers. 160. *Farnabius.*

235. *Comitare tantum:*] Verba male ominata. Sentit ille quidem, ne desere me, sed fida mane socia in eo quod molior. Verum possunt referri ad priora, quasi eam comitem mortis optet, quod postea accidit: simul enim ambos peremit Orestes. *Gronovius.* *Tantum*] Refer ad *comitare*, vel tantum sanguinem, quantus fuit filiæ, non reddet. *Commel.* *Sanguinem*] Sanguine suo rependet sanguinem filiæ tuæ Iphigeniæ ab illo cæsæ, Troad. 161. *Farnabius.*

236. *Ignavus*] Quia ipse dux licet ducum per se nihil gessit fortiter. οὐδέποτ' εἰς πόλεμον ἅμα λαῷ θωρηχθῆναι τέτληκε, amoribus solum indulgens. *Idem.* *Fortis*] In filia immolanda. *Idem.*

240. *Remeemus illuc,*] Flor. *Referemus.* Scribendum: *Referamur illuc.* Sequenti quoque versu dubitant. Alii, *sic nunc*: alii, *sed nunc.* Verum in optimo: *Vel nunc casta repetatur fides.* Vt in Phœnissis: *quam tanti est mihi Genuisse vel sic.* Et in Medea: *pro me vel scelus.*

Abire: vel nunc casta repetatur fides.
Nam fera nunquam est ad bonos mores via.
Quem pœnitet peccasse, pæne est innocens.
Ægisth. Quo raperis amens? credis aut speras tibi
Agamemnonis fidele conjugium? ut nihil
Subesset animo, quod graves faceret metus;
Tamen superba & impotens flatu nimis
Fortuna magno spiritus tumidos daret.
Gravis ille sociis stante adhuc Troia fuit.
Quid rere ad animum suapte natura trucem,
Troiam addidisse? rex Mycenarum fuit.
Veniet tyrannus. prospera animos efferunt.
Effusa circa pellicum quanto venit
Turba apparatu! sola sed turba eminet,
Tenetque regem famula veridici Dei.
Feresne thalami victa consortem tui?
At illa nolet. ultimum est nuptæ malum,
Palam mariti possidens pellex domum.

Nec

scelus. Vides nexum orationis, quem in utroque altero merito sibi displicere notat Gruterus. *Gronovius.*

245. *Vt nihil*] Fac te castam esse, nec adulterii conściam supplicium metuere. *Farnabius.*

249. *Gravis*] Quod exprobrat δημοδόκῳ βασιλεῖ Achilles Il. α. *Idem.* Cicero lib. 4. fam. 9. *An qui in bello, cum omnium nostrum conjunctum esse periculum suo cerneret, certorum hominum minime prudentium consilio uteretur; eum magis communem censemus in victoria futurum fuisse, quam incertis in rebus fuisset?*

251. *Troiam*] Troiæ casum. *Farn.*

254. *Sola sed longe eminet, Tenetque regnum*] Flor. *sola sed turba eminet, Tenetque regem. Regnum* à solo codice est Lipsiano. Delrius dissimulat. Gruterus, quod mirum, admisit contra suos omnes, ob similem locum Tibulli. Et certe non incommode dicitur. Sed juxta tenerum est alterum. Regem in potestate habet. Affinia sunt illud Justini lib. 12. *suis permisit, si quarum captivarum consuetudine tenerentur, ducere uxores.* Et Suetonii in Tiberio: *cum & Agrippinæ consuetudine teneretur, & Iuliæ mores improbaret.* Tò *turba* etiam habuit Lipsianus, sed non loco positum. Sic enim ille: *turba sed longe eminet:* damnante versu. *Gronovius.*

255. *Tenetque*] Imperatque Cassandra vates Apollinis. *Farnabius.*

257. *At illa*] Quod si tu poteris volesve, illa nolet, te itaque tollere tentabit. *Idem.*

258. *Mariti possidens pellex domum.*] Flor. *Palam marita.* Vnde probabiliter Nic. Heinsius: *Palam maritam possidens pellex domum. Domus marita*, in qua sint justi conjuges. Horatius: *prolisque novæ feraci lege marita.* Gronovius.

259. Nec

Nec regna socium ferre, nec tedæ sciunt.
Clyt. Ægisthe, quid me rursus in præceps rapis,
Iramque flammis jam residentem incitas?
Permisit aliquid victor in captas sibi:
Nec conjugem hoc respicere, nec dominam decet.
Lex alia solio est, alia privato in toro.
Quid quod severas ferre me leges viro
Non patitur animus turpis admissi memor?
Det ille veniam facile, cui venia est opus.
Ægisth. Ita est. paciscí mutuam veniam licet.
Ignota tibi sunt jura regnorum aut nova.
Nobis maligni judices, æqui sibi,
Id esse regni maximum pignus putant,
Si quidquid aliis non licet, solis licet.
Clyt. Ignovit Helenæ. juncta Menelao redit,
Quæ Europam & Asiam paribus afflixit malis.
Ægisth. Sed nulla Atriden Venere furtiva abstulit,

Nec

259. *Nec regna*] *Non capiunt dominos regna Venusque duos.* Farnabius.

260. *Rursus in præceps rapis,*] Flor. *in præceps agis.* Gronovius.

261. *Iam residentem excitas?*] Quod Comelinus ait in omnibus fuisse & in Mog. Delrius, *incitas*, nos vidimus in Flor. Vossiano & aliis. Quod autem statim Delrius in omnibus suis constanter legi ait: *Non conjugem hoc respicere, non:* Flor. cum vett. edd. *Nec conjugem hoc respicere, nec dominam decet.* Sequenti adjicit præpositionem: *alia privato in toro.* Idem.

262. *Permisit*] Fac Agam. victorem sibi aliquid indulsisse in captivas. *Farnabius.*

263. *Dominam*] Matrem familias, *Donna.* Lacones autem uxores suas κυέλας vocabant, Thessali δεσποίνας, illæ vicissim maritos κυέλους & δεσπότας dominos. *Idem.*

264. *Lex alia solio*] Regibus, quibus plerumque, quot libet, concubinas habere licet. *Idem.*

267. *Det ille*] Iniquum est, ut conjux à conjuge fidem à se non præstitam exigat. *Idem.*

268. *Ita est.*] Ironia. *Idem.*

269. *Iura regnorum haud nova.*] Non patitur hic Gruterus nonnullorum *aut.* Id tamen est in Florentino. Quamquam hæc duo vocabula tam frequenter in libris antiquis confundantur, ut, utrum stare debeat, sæpius ex sensu, quam ex fide librorum, sit judicandum. Cicero jungere solet, *Novum & inusitatum, novum & inauditum, novum & inopinatum.* Tu sola hæc nescis, an omnino & omnibus nova sunt. *Gronovius.*

271. *Pignus*] Prærogativam. *Farn.*

274. *Europam*] Intelligit Græciam, quæ in Europa. Suprà vers. 205. *Id.*

275. *Sed nulla Atriden*] Florent. *Atriden.* Gronov. Sed nullius concubinæ amor animum Menelai ab Helena alienavit, ut Cassandræ pellicis amor Agamemnonis animum à te. *Farnabius.*

277. *Ille*]

Nec cepit animum conjugi obstrictum suæ.
Jam crimen ille quærit, & caussas parat.
Nil esse crede turpe commissum tibi.
Quid honesta prodest vita, flagitio vacans,
Ubi dominus odit? fit nocens, non quæritur.
Spartamne repetes spreta, & Eurotan tuum,
Patriasque sedes profuga? non dant exitum
Repudia regum. spe metum falsâ levas.
Clyt. Delicta novit nemo, nisi fidus, mea.
Ægisth. Non intrat unquam regium limen fides.
Clyt. Opibus merebor, ut fidem pretio obligem.
Ægisth. Pretio parata, vincitur pretio fides.
Clyt. Surgit residuus pristinæ mentis pudor.
Quid obstrepis? quid voce blandiloquâ mala
Consilia dictas? scilicet nubet tibi

Regum

277. *Ille*] Agamemnon. *Farnab.* *Caussas*] Propter quas te de medio tollat, quo liberius fruatur pellice. *Id.* Immo divortii. Plautus Menæch. a. 4. scen. 6. *Vxor viro si clam domo egressa est foras, Viro sit caussa, exigitur matrimonio.* Cicero Philip. 2. *mimam illam suas res sibi habere jussit, ex XII. tabulis caussam addidit, exegit.* Hoc igitur proprie nunc tantum dicit, etsi postea significet ex hoc alterum sequi. *Gron.*

278. *Nil esse*] Vt suprà vers. 243. *Farnabius.*

279. *Flagitio carens,*] Flor. *flagitio vacans.* Gronovius.

280. *Fit nocens,*] Non inquiritur nocensne quis sit necne, sed pro nocente damnatur, quemcunque rex odit. *Farnabius.*

281. *Spartamne*] Nec spera te repudiatam petituram patriam tuam Spartam; repudiatas enim uxores non sinunt reges abire, verum eas necandas curant. *Idem.* *Spreta, & à tanto viro,*] Quis hic vitium subesse suspicatus est? Tamen si consideres, quam languidum est illud magnam præferens vim, *à tanto viro?* En exemplum nobile, quomodo soliti sint libri corrumpi. Optimus liber habet, *spreta & euro tantum.* Inde fecerunt quidam: *& à viro tanto:* quod nos in quibusdam etiam scriptis vidimus. Accessit corrector alter, legum carminis paullo gnarior, & transpositis duabus vocibus expatravit, quod adhuc semper editum fuit. At ex antiquissima scriptura faciendum fuit: *Spartamne repetes spreta & Eurotan tuum?* Habes hic una litera addita, quicquid in fidissimo libro fuit, & sensum egregium. *Gronovius.*

284. *Delicta*] Adulterio meo conscius est nemo præter quendam fidelem, qui celabit, unde non est cur fugiam. *Farnabius.*

286. *Opibus*] Muneribus. *Idem.* Vide nostra de pecunia vetere lib. 4. cap. 4. *Gronovius.*

288. *Surgit*] Statui autem ad meliorem vitam me recipere, refocillantur enim mihi in animo scintillulæ quædam pristini pudoris. *Farnabius.*

290. *Scilicet nubet tibi*] Vossianus, *nubam.* Et hoc margini adscripserat Grotius. *Gronov. Scilicet*] Egone

Aga-

Regum relicto rege, generosa exuli?
Ægisth. Et cur Atrida videor inferior tibi,
Gnatus Thyestæ? *Clyt.* Si parum est, adde & nepos.
Ægisth. Auctore Phœbo gignor. haud generis pudet.
Clyt. Phœbum nefandæ stirpis auctorem vocas,
Quem nocte subitâ frena revocantem sua
Cœlo expulistis? quid deos probro advocas,
Surripere doctus fraude geniales toros,
Quem Venere tantum scimus illicitâ virum,
Facesse propere, ac dedecus claræ domus
Asporta ab oculis. hæc vacat regi ac viro.
Ægisth. Exilia mihi sunt haud nova. assuevi malis.
Si tu imperas, regina, non tantum domo
Argisve cedo: nil moror jussu tuo
Aperire ferro pectus ærumnis grave.
Clyt. Siquidem hoc cruenta Tyndaris fieri sinam?

Quæ

Agamemnone relicto nubam tibi exuli & ejecto? unde & nomen illi quod ejectus, à capella nutriretur. *Farnabius.*

292. *Atrida*] Atrei filio, qui Thyestæ frater. *Idem.*

293. *Natus Thyeste?* CLYT. *Si parum*] Flor. *Gnatus Thyestæ.* Nec aliter posterior vox potest etiam, uti debet, referri ad id quod sequitur, *nepos.* Itaque & sic ad marginem illustris manus. *Gronov. Si parum*] Nec filius tantum, sed & nepos Thyestæ es, te quippe è filia genuit. *Farnabius.*

294. *Auctore Phœbo*] Thyestæ redditum erat oraculum, quem ex Pelopeia filia sua gigneret, illum ab Atreo pœnas exacturum, ideo filiam suam compressit, eaque illi Ægisthum peperit. Vide Higynum in fabulis. *Delrius.*

296. *Quem nocte*] Reducentem currus, ne videret nefandam patris tui cœnam. Thyest. vers. 774. *Farnab.*

297. *Quid deos probro advocas,*] Fl. *quid deos probro addimus?* Hippolyt. *Titulum furori numinis falsi addidit.* Gronovius.

298. *Surripere doctus fraude*] Videtur eleganter dictum, quasi furto invadere conjugalem lectum. Et nota sunt *furta* Iovis. Sophocles Electra: τοὺς τὰς εὐνὰς ὑποκλεπτομένους. Florent. tamen: *Sub rupe reductus fr. genialis tori.* Vtrum erravit scriptor, an forte fuit: *Subrepere ausus fraude geniali toro.* Idem. *Surripere*] Nuptiales toros violare doctus à patre tuo, qui Atrei fratris sui uxorem corrupit. *Farnabius.*

300. *Secede propere, dedecus*] Flor. *Facesse propere ac dedecus nostræ domus.* Gronovius.

301. *Hæc vacat regi ac viro.*] Flor. torque alii: *hæc vacat regia viro.* Neutrum placet. Conjiciebam: *regia hæc pateat viro.* Idem.

306. *Siquidem*] Misere labascit Clytemnest. *Vel* jam simulatas iras fraudesque aperit. *Farnab. Cruenta*] In tantum crudelis ero ut hoc fieri sinam? non patiar, &c. *Idem.*

307. *Quæ*

Quæ juncta peccat, debet & culpæ fidem.
Secede mecum potius, ut rerum statum
Dubium ac minacem juncta consilia explicent.

307. *Quæ invita peccat,*] Hoc Gruterus fatetur se non capere, nec juvare Mss. quorum unus apud Delrium, *Quæ juncta peccat*, ipsi placens, non sibi. Mavult, *Quæ inulta:* sed & hoc valde coactum, immo nimis, ipse dicit. Immo nihil verius, quam scripsisse Senecam: *Quæ juncta:* vel si conjectura mera fuisset. Cyprianus de lapsis: *tanti facinoris ignari per alios ad consortium criminum jungimur.* Gronovius.

CHORUS ARGIVARUM.

Chorus è virginibus Mycenæis, & Argivis canit Apollinis Pæana ob partam victoriam, interserit autem Iunoni, Minervæ & Iovi laudes suas.

Canite, ô pubes inclita, Phœbum:
Tibi festa caput turba coronat:
Tibi virgineas laurum quatiens
De more comas innuba fundit
Stirps Inachia. tu quoque nostros
Thebais hospes comitare choros,
Quæque Erasini gelidos fontes,

Quæ-

310. *Canite,*] Carmine laudate Phœbum. *Farnabius.*

311. *Coronat.*] Videlicet ex lauro. nam fuit hoc in Apollinis sacris solemne. *Delrius.*

312. *Laurum*] Apollini sacram. Vide Oedip. vers. 16 *Gronovius.*

314. *Stirps Inachia.*] Inachi genus, virgines Argivæ. *Farnabius.* Melissus hiatum volebat sequi post illud *Stirps Inachia*, alteramque pausam incipere ab *Tu quoque*, &c. Idem quoque fieri cupiebat vers. 323. post *Phœbe relaxa:* nec non vers. 356. post *Nata Tonantis.* denique vers. 377. post *Flebile saxum.* Et vero si attendamus nexui sententiarum ac numerorum, alia illa versuum dispositio introducenda est. *Gruterus.*

315. *Thebana manus comitare choros,*] Quid in hac lectione reprehendendum sit, non assequi se aiunt. Dicam. Hoc ipsum, quod ab optimorum codicum fide discedit. Flor. *Thebais hospes:* ut & Lipsianus. Chorus Argivarum vult sibi jungi Thebaides. Sed Farnabio placet neutrum: neque enim hic locum esse Thebanis, qui non sint ad Troiam profecti, & ideo non fuerint participes læticiæ in victoria. At non huc respicit auctor: sed sine delectu invitari facit peregrinas, quæ essent Argis, ad celebrandum solennem ipsis diem. Sic solebant. Livius lib. 4. *Spectaculum comitate hospitii, in quam publice consenserant, advenis gratius fuit.* Sic apud Euripidem in Electra Ægisthus sacrificatus invitat ignotum Orestem pro Thessalo hospite: Νῦν μὲν παρ' ἡμῖν χρὴ συνεστίους ἐμοὶ Θοινὴν γενέσθαι· τυγχάνω γὰρ βουθυτῶν Νύμφαις. Illud mirum, bis appellari Thebanas, hic & dein vers. 316. *quæque virenti Tacitum ripa bibis Ismenon.* Nisi altero Bœotos generatim intelligamus. *Gronovius.*

316. *Quæque Erasini*] Quomodo possunt

Quæque Eurotam, quæque virenti
Tacitum ripa bibis Iſmenon,
Quam fatorum præſcia Manto
Sata Tireſia Latonigenas
Monuit ſacris celebrare deos.
Arcus victor pace relata,
Phœbe, relaxa;
Humeroque graves levibus telis
Pone pharetras; reſonetque manu
Pulſa citata vocale chelys.
Nil acre velim,
Magnumque modis intonet altis:
Sed quale ſoles leviore lyra
Flectere carmen ſimplex; luſus
Cum docta tuos Muſa recenſet.
Licet & chordâ graviore ſones,

Quale

poſſunt Argis, & quidem mulieres, cum Eraſinum ſine alia deſcriptione nominant, alium intelligere, quam quem videbant ante oculos? Quemadmodum nos cum *Salam* dicimus, noſtrum dicimus, non qui in Germania eſt, aut apud Sueones. Strabo poſt commemoratum Inachum lib. 8. Ἄλλος ὁ ποταμὸς Ἐρασῖνος ἐν τῇ Ἀργείᾳ ἐστίν. Fontes erant in Arcadia, exitus in Argolide. Arcades igitur intellige. Abeant in Atticam cum Attico ſuo Eraſino. *Gronovius.*

317. *Eurotam,*] Laconiæ fl. *Farn.* Eurotas Lelegis N. Mileti F.; cum in Laconiâ ſtagnantem in campis aquam, alveo facto in mare deduxiſſet, quod fuit aquarum reliquum in juſti amnis morem defluens, de ſuo nomine nuncupavit Eurotam. Pauſan. in Laconic. *Delrius.*

318. *Iſmenon,*] Herc. Fur. v. 333. *Farnabius.*

319. *Quam fatorum*] Hunc locum explicat illud Ovid. 6. Metam. unde ſumpſit noſter: *Nam fata Tireſiâ venturi præſcia Manto Per medias fuerat divino concita motu Vaticinata vias: Iſmenides ite frequentes, Et date Latonæ, Latonigeniſque duobus. Cum prece thura pia lauroque innectite crinem*, &c. Idem.

322. *Victor*] Laomedonteæ perfidiæ ultor. *Idem.*

323. *Relaxa;*] *Quondam citharam tacentem Suſcitet Muſam, neque ſemper arcum Tendat Apollo.* Idem.

327. *Nil acre*] Nihil bellicum, nil grande quale ubi vates afflatu concitas, ſed pæana lætum, qualem canebas parta à diis victoria de gigantibus. *Id.*

229. *Lyra*] Lyram, citharam, chelyn, barbitum, & phormingem ſolere confundi aſſentior, Polluci, Suidæ, Guarino, Budæo & aliis, & colligitur ex Homero in hymn. Mercurii & Odyſſ. 8. Martiano libro ult. & aliis. Sed tamen illi oportet mihi viciſſim aſſentiantur, proprie loquendo eſſe diverſa. nam ille ipſe Martianus eodem lib. ult. aperte chelyn à barbito, & à tetrachordo diſtinxit. *Idem.*

333. *Ti-*

Quale canebas cum Titanas
Fulmine victos videre dei,
Vel cum montes montibus altis
Superimpositi struxere gradus
Trucibus monstris. stetit imposita
Pelion Ossa. pinifer ambos
Pressit Olympus.
Ades, ô, magni soror & conjux,
Consors sceptri, regia Iuno:
Tua te colimus turba Mycenæ:
Tu sollicitum supplexque tui
Numinis Argos sola tueris;
Tu bella manu pacemque regis:
Tu nunc lauros Agamemnonias
Accipe victrix.
Tibi multiforâ tibia buxo
Solenne canit. tibi fila movent
Docta puellæ carmine molli.
Tibi votivam matres Graiæ

Lam-

333. *Titanes*] Vide Hercul. Fur. vers. 970. & Troad. vers. 827. *Farn.*

334. *Fulmine misso fregere dei.*] Lipsiana lectio, *Fulmine victos videre dei*, quam nemo postea mentione dignam habuit, confirmatur à Florentino. Si nihil est corrigendum, nisi quod ferri non potest, cur ex auctoritate librorum tam multa sustulerunt ipsi, quæ ferri possent? & hoc solum crimine arguebantur, quod nova essent. Nec vero epinicion ante victoriam cecinit Phœbus. *Gronovius.*

338. *Pelion Ossa.*] Virgil. Georg. 1. *Ter sunt conati imponere Pelio Ossam Scilicet, atque Ossæ frondosum involvere Olympum.* Ovidius Metamorph. 1. *Tum pater omnipotens misso perfregit Olympum Fulmine, & excussit subjectum Pelion Ossæ.* Delrius.

342. *Tua te*] Ἡρη γὰρ πολὺ φίλτατοί εἰσι πόληες Ἀργεῖ τε Σπάρτῃ τε, καὶ Οὐρανίῃ Μυκήνῃ. *Farn.*

344. *Argos*] Creditur Argis nata, unde & Ἀργεία dicitur Iuno. *In Iunonis honorem dicet ἱππόβοτον Ἄργος diteſque Mycenas.* Idem.

345. *Tu bella*] Namque & Iunoni τροπαῖα non secus ac Iovi erigebantur spolia, canebatur Pæan (qui tamen primo & proprie Apollini debetur) ut cujus beneficio conversi hostes, parta victoria. *Idem.*

348. *Multiforâ tibia*] Ovidius: *Longaque multifori delectat tibia buxi.* multifora tibia, quæ multa habet foramina. Apuleius in Floridis, multiforatiles tibias dixit. Harum inventionem Osiridi tribuit Scaliger in arte poëtica. *Delrius.*

349. *Fila*] Fides, chordas, quæ ex χόρδαις, id est, intestinis contortis. alii tamen à corde deducunt minus recte. *Farnabius.*

352. *Lam-*

Lampada jactant. ad tua conjux
Candida tauri delubra cadit,
Nescia aratri, nullo collum
Signata jugo.
Tuque ô magni nata Tonantis
Inclita Pallas, quæ Dardanias
Sæpe petisti cuspide turres:
Te permisto matrona minor
Majorque choro colit, & referat
Veniente dea templa sacerdos:
Tibi nexilibus Turba coronis
Redimita venit.
Tibi grandævi lassique senes
Compote voto reddunt grates
Libantque manu vina trementi.
Ette Triviam nota memores

Voce

352. *Lampada jactant.*] Vt in Hercul. Furente: *Eleusin tacita jactabit faces*, & in Hippolito: *Iactare tacitis conscias sacris faces.* Lactantius lib. 1. cap. 21. *iccirco sacra ejus ardentium tedarum jactatione celebrantur.* Λαμπαδηφορία, quam huc applicant, nihil ad rhombum. Ea virorum certamen erat: hic matres jactare faces illas dicuntur. Illa Panathenæis, Vulcanalibus sive Hephæstiis & Prometheis celebrabatur: hæc potius similis est quinto Eleusiniorum diei, quæ & Λαμπάδων ἡμέρα dicebatur, qua matronæ solæ cum facibus incedentes repræsentabant Cererem errantem in quærenda Proserpina. Ejusmodi festum Iunoni Argivæ matronas egisse fingit Seneca; ut apud Statium Iunoni Argivæ fertur peplus, quod Athenis fiebat Minervæ. *Gronov. Lampada*] Λαμπαδηφορίων (à Persis acceptam) Athenienses in festis Panathenaicis, Hephæstiis & Prometheis exercebant (Vulcano enim & Prometheo ex ope Minervæ inventum ignem ferunt) prius quidem Eleusin, postea ex Academia Athenas accensam gestantes lampada currentes certabant, quis primum ad metam perveniret non extincta lampade, quandoque & defatigatus lampada alteri tradebat. Vide Herc. Fur. vers. 86. *Farnab. Conjux*] Iuvenca nivea, injugis. *Idem.*

356. *Nata*] E Iovis cerebro nata. *Idem.*

357. *Quæ Dardanias*] Namque *Omnis spes Danaum & cæpti fiducia belli Palladis auxilio semper stetit.* Id.

359. *Minor*] Omnis ætatis, junior, seniorque. *Idem.*

362. *Nexilibus*] Plectilibus, quæ è ramulis (hîc oleaginis utpote Palladiis) innectebantur plectebanturve, unde dictæ. ut *Serta*, à serendo, *sutiles* quæ è floribus mero imprimis rosarum folio consuebantur; *pactiles*, quæ in torulo rotundo pangebantur. *Id.*

367. *Et te, Trivia, grata memores*] Florent. *Et te Triviam nota memores.* Quod videntur mutasse, qui putarent accusativum casum illic locum non habere. Sed falsi. Infrà: *Et te sororem cuncta pollentis viri, Argolica Iuno.*

Voce precamur. Tu maternam
Siſtere Delon, Lucina, jubes
Huc atque illuc prius errantem
Cyclada ventis. nunc jam ſtabilis
Fixa terras radice tenet;
Reſpuit auras; religatque rates
Aſſueta ſequi. Tu Tantalidos
Funera matris victrix numeras.
Stat nunc Sipyli vertice ſummo
Flebile ſaxum,
Et adhuc lacrimas marmora fundunt
Antiqua novas.
Colit impenſe fœmina virque
Numen geminum. tuque ante omnes

Pater

Troadibus: *Teſtor deorum numen adverſum mihi, Patriaque cineres, teque rectorem Phrygum.* Medea: *Compreor vulgus ſilentum voſque ferales deos.* Hercule Furente: *Fas omne mundi, teque dominantem precor Regno capaci.* Euripides: Σὲ τὸν σκυθρωπὸν ἡ πόσις θυμωδίᾳ Μήδειαν εἶπον τῆσδε γῆς ἔξω περᾶν Φυγάδα. *Nota*, ſignificat aſſiduitatem colendi. *Memores* vero idem quod grati. Ovidius: *vittæ mediam memoreſque tabellæ, Sertaque cingebant, voti argumenta potentis.* Gronov. *Trivia*] Hippol. verſ. 412. *Farnabius.*

368. *Maternam*] Vide Herc. Fur. verſ. 15. *Idem.* Cicero lib. 3. Accuſat. Verrinar. ait Latonam ex longo errore & fuga gravidam, jam ad pariendum vicinam temporibus exactis fugiſſe Delon, atque ibi Apollinem Dianamque peperiſſe. Innixam ſcilicet vel oleaſtro, vel palmæ, ut Homerus tradidit. Virgilius; — *Delon maternam inviſit Apollo.* Delrius.

369. *Lucina, jubes*] Med. 2. *Farn.* Virgilius Æneid. 3. hoc Apollini tribuit Lucianus, in dialogo Neptuni & Iridis, Neptuno. *Delrius.*

373. *Reſpuit*] Rejectat illiſos ventos: quin & ipſa ratibus ſtatio eſt, olim huc illuc acta ut ratis. *Farnabius.*

374. *Tantalidos*] Niobes. Hercul. Fur. verſ. 389. Oed. verſ. 613. & Med. verſ. 952. *Idem.*

378. *Fundunt*] Οἵ σφιν ἐνὶ φρυγίῃ διερῆς λίθοι ἐσήλυτεν Μάρμαρον αὐτὶ γυναικὸς οἰζυρόθυντι χαράσσῃ. *Idem.*

379. *Antiqua novas.*] Poſt hæc verba liber optimus, perinde ut tres apud Gruterum, & membranaceus, quem domi habemus, inſerunt: *lacrimas maſta æternum marmora manant.* Quod & alii duo apud eundem referunt, niſi quod pro *manant* habent *mittunt.* Poſſis ſuſpicari adſcriptum oræ fuiſſe Ovidii verſum: *& lacrimis etiam nunc marmora manant:* inde hæc paullulum immutata in contextum irrepſiſſe. Sed credam potius, quod fere & Grotius in margine notaverat, ipſum auctorem ita concepiſſe: *Et adhuc lacrimas mœſta æternum Marmora manant antiqua novas.* Nam *manare lacrimas* erudite videtur dictum. *Gronovius.*

381. *Numen*] Apollinem & Dianam. *Farnabius.*

383. *Nu-*

Pater ac rector, fulmine pollens,
Cujus nutu simul extremi
Tremuëre poli, generis nostri
Juppiter auctor, cape dona libens:
Abavusque tuam non degenerem
Respice prolem.
Sed, ecce, vasto concitus miles gradu
Manifesta properat signa lætitiæ ferens.
Namque hasta summo lauream ferro gerit.
Fidusque regi semper Eurybates adest.

ACTUS

383. *Nutu*] Ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων, &c. μέγαν δ' ἐλέλιξεν ὄλυμπον. *cuncta supercilio movens.* Farnabius.

386. *Abavusque*] Agamemnonis, cui pater Atreus Iovis nepos. *Idem.*

389. *Signa laticiæ gerens.*] Immo *ferens*, ut Florent. quia sequenti, *gerit.* Gronovius. *Signa*] Victoriam testati Græci capiti, hastis, signis, statuis, curribus, puppibus laurus affigebant, nec non literis, foribus, fascibus, &c. Romani. *Farnabius.*

390. *Lauream*] Romani victoriâ parta multis rebus laurum alligabant, vel præferebant, vel mittebant teste Plinio lib. 15. Nat. hist. cap. 30. præferebantur Imperatori *laureæ virgæ* & *fasces laureati*, Cicerone teste lib. 2. de divinat. Capitolino in Gordiano, mittebantur ad Senatum *laureatæ litteræ*, de quibus Capitolin. in Maxim. Marcellin. Cicero, Ovidius, & alii citati à Pierio lib. 50. Hieroglyph. & Lazio lib. 2. Comment. cap. 4. ubi docet has etiam vocatas *tabellas laureatas*. Sed & lictores lauro ornabantur, ut patet ex epist. Ciceronis ad Atticum. Mittebatur ad Senatum *laurea* in Iovis Capitolini gremio reponenda. nam Geticæ laureæ Claudianus meminit, Pannonicæ Plinius Iunior, & confirmat Pacatus in Theodosii Panegyrico. Redimibantur *hastæ* lauro, ut docet Papinius, de pietate Abascantii lib. 5. Silvar. *Omnia nam latas pila attollentia frondes.* ut expono, lauri. & ad hunc morem alluxit hic Seneca. Item *signa militaria*, ex illo Sidonii, *Atque suas ad signa jubet revirescere lauros.* Delrius.

391. *Eurybates*] Ithacensis præco & nuncius Agamemnonis. *Farnabius.*

ACTUS TERTIUS.

EURYBATES. CLYTÆMNESTRA.

Eurybates narrat Agamemnona reducem advenire, tempestatem à Pallade immissam Naupliique dolo aggravatam; parantur diis victimæ & convivium Agamemnoni, captivæ adducuntur.

Euryb. Delubra & aras cœlitum, & patrios Lares
Post longa fessus spatia, vix credens mihi,
Supplex adoro. vota superis solvite:
Telluris altum remeat Argolicæ decus
Tandem ad penates victor Agamemnon suos.
Clyt. Felix ad aures nuncius venit meas.
Ubinam petitus per decem conjux mihi
Annos moratur? pelagus, an terras premit?
Euryb. Incolumis, auctus gloria, laude inclitus
Reducem expetito littori impressit pedem.
Clyt. Sacris colamus prosperum tandem diem,
Et si propitios, attamen lentos, deos.
Tu pande, vivat conjugis frater mei,
Et pande, teneat quas soror sedes mea.
Euryb. Meliora votis posco, & obtestor deos.
Nam certa fari sors maris dubii vetat.
Ut sparsa tumidum classis excepit mare,

Ratis

392. *Delubra*] Regionem aliquam ingressis, vel etiam in patriam postliminio reversis moris erat genios loci deosque Topicos salutare religiose, atque invocare. *Farnabius.*

393. *Vix credens*] Me incolumem rediisse. *hæc quoque adhuc nostræ non est fiducia vitæ Certa satis.* Idem.

397. *Felix*] Simulate hæc. *Idem.*

402. *Prosperum tandem diem,*] Sic quidem & Flor. Sed rotundius videtur: *prospero tandem die.* eo enim deos coli vult. Metathesis est in illo: *si propitios, attamen lentos deos.* accipiendum enim: si lentos, tamen propitios: etsi tarde, tamen exoratos. Vt solet ludere in τοῖς *Tam quam.* Vide Fabrum 1. Semestr. 23. Sensus idem Sophoclis in Trachiniis: Ὦ τοὺς τὸν Οἴτης ἄτομον ὃς λειμῶν' ἔχεις, Ἐδωκας ἡμῖν, ἀλλὰ σὺν χρόνῳ, χαρὰν. Et in Philoctera: Ὦ φθέγμα ποθεινὸν ἐμοὶ πέμψας, χρόνιός τε φανεὶς. *Gronovius.*

404. *Conjugis*] Menelaus. *Farnab.*

405. *Soror*] Helena. *Idem.*

406. *Meliora*] Votis posco, spero quidem precorque eos in vivis esse; verum propter tempestatem incertus non ausim affirmare ita esse. *Idem.*

408. *Classis excepit mare,*] Vtrum *accepit*: an excusas, ut *dare classibus austros*;

Ratis videre socia non potuit ratem.
Quin ipse Atrides æquore immenso vagus
Graviora pelago damna, quam bello, tulit;
Remeatque victo similis, exiguas trahens
Laceraſque victor classe de tanta rates.
Clyt. Effare, casus quis rates hausit meas?
Aut quæ maris fortuna dispulerit duces.
Euryb. Acerba fatu poscis. infaustum jubes
Miscere læto nuncium. refugit loqui
Mens ægra, tantis atque inhorrescit malis.
Clyt. Exprome. clades scire qui refugit suas,
Gravat timorem. dubia plus torquent mala.
Euryb. Ut Pergamum omne Dorica cecidit face,
Divisa præda est. maria properantes petunt.
Jamque ense fessum miles exonerat latus;
Neglecta summas scuta per puppes jacent;
Ad militares remus aptatur manus;
Omnisque nimium longa properanti mora est.
Signum recursus regiâ ut fulsit rate,
Et clara lentum remigem monuit tuba,

Aurata

auſtros: ἀντὶ τοῦ *mare excepit classem.* Gronovius.

412. *Exiguas*] Paucas easque male multatas. *Farnabius.*

414. *Quis, fare, nostras*] Plenius & tenerioris affectus, quod in Fl. *Effare casus quis rates hausit meas?* Vide Observat. lib. 4. cap. 20. *Gronovius.*

416. *Acerba*] *Infandum regina jubes renovare dolorem.* Farnabius. *Infaustum*] De tempestate. *Idem.*

417. *Læto*] De reditu. *Idem. Refugit*] *Atque animus meminisse horret, luctuque refugit.* Idem.

420. *Dubia*] Non pro certo nota: timentur quippe ne veris majora sient. *Idem.*

427. *Signum*] *Flammas ut regia puppis Extulerat.* quod reliquæ classi legendi anchoras viæque signum est. *Idem.*

428. *Remigem emovit*] Et hic optimum Gruterum ignis fatuus pro Pharo decepit. Et quem non deciperet nihil aliud videntem? Ecce omnes Mſſ. ejus & antiquitus cusi aut *regimen emovit*, aut *remigem emovit.* Nec aliter Vossianus & Heinsianus & noster & alii minorum gentium, quos adhibuimus. Sed quod ille recentiores (hoc est, G. Fabricium & fatetur in plerisque suis esse Delrius) objecisse criminatur, *remigem monuit*, id est longe antiquissimum & habetur in optimo Etrusco. Sed & melior phrasis. non eo tantum, quod *monitorem* dicunt antiqui quemvis exactorem operis. sed vel maxime, quod *Hortator* in navi, qui signum dat nautis movendi brachia. Nonius: *Hortator remigum, qui excussum & hortamenta moderatur.* Plautus Mercatore: *quasi in mari solet hortator remiges hortarier.*

Aurata primas prora designat vias,
Aperitque cursus, mille quos puppes secent.
Hinc aura primo lenis impellit rates,
Allapsa velis. unda vix actu levi
Tranquilla Zephyri mollis afflatu tremit;
Splenderque classe pelagus, & pariter latet.
Juvat videre nuda Troiæ littora,
Juvat relicti sola Sigæi loca.
Properat juventus omnis adductos simul
Lentare remos. adjuvat ventos manu,
Et valida nisu brachia alterno movet.
Sulcata vibrant æquora, & latera increpant;
Diri-

tarier. Ovidius: *& qui requiemque modumque Voce dabat remis animorum hortator Epopeus.* Ita ergo tuba illa hortatrix remigem *monuit.* Sequente quoque versu præstat auctoritatem Florentinus Lipsiano *designat vias:* ubi vulgo, *signavit vias.* Gronov. Vide Troad. vers. 1043. *Farnabius.*

429. *Aurata*] Regia navis, cujus rostrum auratum est. *Idem.*

432. *Vnda vix tactu levis*] Quis hoc intellexit? Et tamen omnes transeunt. Rescribe cum Flor. *unda vix actu levi.* Vnda, inquit, tranquilla, à molli zephyro afflata, vix levi actu tremit, levi agitatione trepidat. Alter ablativus causam, alter modum significat. *Actu levi*, ut Lucanus lib. 9. *rapido victoria Cæsaris actu.* Et eodem: *Pilaque contorsit violento spiritus actu.* Gronovius.

434. *Splendetque*] Auratis, æratisque rostris & puppibus pictis armisque suspensis splendet, tegitur tamen navium numero. *Farnabius. Pelagus, & pariter latet.*] Manus illustris: Forte, *& partim latet.* Gronovius. *Latet.*] Vt vers. 41. suprà. *Farnabius.*

435. *Iuvat*] Iuvat nos discedentes videre desolata atque depopulata à nobis Troiæ litora. *Idem.*

436. *Sigæi*] Promontorii Troadis. *Idem.*

438. *Lentare*] Incurvare & flectere in undis juvenili vi ac desiderio reditus. *lentos incurvant gurgite remos,* Idem. *Adjuvat*] Velificationi remigium addunt. *Idem.*

440. *Et latera increpant;*] Egregie dictum, sed non intellectum commentatoribus. Quorum unus: Vt faciunt læti in navigando, qui clamant in sponda navis: ideo dicit *Increpant*, id est, resonant latera navium. Alius: navium latera increpant remigantium impetu. Οὐδετέρως accipiunt verbum: agendi more positum. Immo æquora sulcata non modo vibrant, sed eadem quoque sulcata æquora *increpant* utrumque latus navium, id est, adsiliunt cum fremitu & alliduntur. Pari translatione Cæsar l. 3. de B. Gallico: *naves totæ factæ ex robore ad quamvis vim & contumeliam perferendam.* Nam & contumeliosæ voces increpantium, seu objurgantium & inclamantium aliquem. Nihil aptius illustrando etiam Flori loco lib. 1. cap. 1. *cujus valli dum irridet angustias remus, idque increpat saltu.* Ovidius de nave Ceycis: *Sæpe dat ingentem fluctu latus icta fragorem: Nec levius pulsata sonat, quam ferreus olim Quum lacerat aries ballistave concutit arces.* Et, *ubi pulsarunt celsi latera ardua fluctus.* Gronovius.

443. *Ten-*

Dirimuntque canæ cærulum ſpumæ mare.
Ut aura plenos fortior tendit ſinus,
Poſuëre tonſas. credita eſt vento ratis:
Fuſuſque tranſtris miles; aut terras procul,
Quantum recedunt vela, fugientes notat;
Aut bella narrat: Hectoris fortis minas,
Curruſque, & empto redditum corpus rogo:
Sparſum cruore regis Herceum Iovem.
Tunc qui jacente reciprocus ludit ſalo,
Tumidumque pando tranſilit dorſo mare
Tyrrhenus omni piſcis exſultat freto,
Agitatque gyros, & comes lateri adnatat,
Anteire naves lætus, & rurſus ſequi.
Nunc prima tangens roſtra laſcivit chorus,
Milleſimam nunc ambit & luſtrat ratem.
Jam

443. *Tonſas.*] Remos. *Farnabius.* Palmulas, imas remorum partes, quibus aqua tunditur. Virgilius: *lento luctantur marmore tonſæ.* niſum ipſum remigantium expreſſit Ennius. *Pone petunt, exin referunt ad pectora tonſas.* Delrius.

444. *Fuſuſque tranſtris*] *Tranſtra*, loca in quibus ſedent remiges: ſpacium vero ſeu iter per quod ad remiges hortator ſolet accedere, quod à puppi ad proram portenditur, dicebatur *Agaium.* Idem. *Aut terras procul,*] Vide Troad. v. 1046. & Med. v. 303. *Farn.*

446. *Hectoris*] Cum flammas Argivæ claſſi inferret. Troad. verſ. 440. *Idem.*

447. *Curruſque,*] Achillis, quibus captabatur Hector. Troad. v. 742. *Id. Redditum*] Patri Priamo. Troad. verſ. 325. *Idem.*

448. *Regis*] Priami cæſi ad aram Hercei Iovis verſ. 45. Troad. *Idem.*

450. *Tranſilit*] Velociſſimus enim Delfin. Attius: *Sicut inciti, atque alacres roſtris perfremunt Delfini.* de piſcium iſtorum prognoſtico accipe, quæ ex Pacuvio Tullius lib. 1. de Divinat. ſcribit. Achivorum exercitum, & tot navium rectores lætos piſcium laſciviam intuitos, nec tuendi ſatietatem capere potuiſſe: ad quem Pacuvii locum noſter hîc videtur reſpexiſſe. *Delrius.*

451. *Tyrrhenus*] Delphin ex fab. Tyrrhenorum piratarum in Delphinas verſorum. Vide Oed. verſ. 449. *Farn. Exſultat*] Delphini in tranquillo mari laſcivientes futuram tempeſtatem portendunt. Hyemali enim procella ingruente, ab imo mari aſſurgunt exhalationes, quæ tempeſtati fomenta ſuggerant, quibus Delphini excitati geſtiunt, atque in maris ſuperficie colludunt. *Idem.*

452. *Agitque gyros,*] Optimus numeroſius: *Agitatque gyros.* Gronov.

454. *Prima*] Primas claſſis naves. *Farnabius. Chorus,*] Delphinum ſaltantium. *Idem.*

455. *Milleſimam*] Æſchylus *claſſem Græcorum mille navium.* idem, Eurip. Virgil. Propertius. ſed Dictys naves autumat MCCXCV. *Delrius.*

Jam littus omne tegitur, & campi latent.
Et dubia parent montis Idæi juga.
Et jam, quod unum pervicax acies videt,
Iliacus atra fumus apparet nota.
Jam lassa Titan colla relevabat jugo;
In astra jam lux prona, jam præceps dies.
Exigua nubes sordido crescens globo
Nitidum cadentis inquinat Phœbi jubar.
Suspecta varius occidens fecit freta.
Nox prima cœlum sparserat stellis. jacent
Deserta vento vela. tum murmur grave
Majora minitans collibus summis cadit,
Tractuque longo littus ac petræ gemunt.
Agitata ventis unda venturis tumet:
Cum subitò luna conditur, stellæ latent.

In

456. *Iam littus*] Iam nobis in altum provectis humiliora Troadis absconduntur, montes vix apparent. *Farnabius.*

458. *Et jam, quod unum*] Florent. *Et id quod unum.* Gronovius.

459. *Iliacus*] Troad. v. 1051. *Farn.*

460. *Iam lassa*] Iam occidente sole nox ingruebat. *Idem.*

463. *Exigua*] Nubibus conspersus sol occidens ventorum & pluviæ prognosticon. *Idem.*

464. *Suspecta varius*] Sol occidens maculis conspersus ventos & pluvias portendit: Virgil. 1. Georg. *Hoc etiam immensò cum jam decedit Olympo, Profuerit meminisse magis. nam sæpe videmus Illius in vultu varios errare colores: Cæruleus pluviam denunciat, igneus Euros. Sin maculæ incipient rutilo immiscerier igni; Omnia tunc pariter nimbis, ventisque videbis Fervere, non illa quisquam me nocte per altum Ire, neque è terra moneat convellere funem.* Delr.

466. *Murmur*] Murmurans à terra venit aura, gravioris venti prænuncia. *Farnabius.*

470. *Luna subito conditur, stellæ cadunt,*] Probavit è suo Lipsius: *stellæ latent.* At illi contra, *cadunt*, in cunctis legi libris, quos viderint. Scimus, & in multo pluribus, quos non videre. Malle alios, addunt, ex uno *latent*, quia verius: fatenturque hoc verius κατ' λόγον, non verius ad scripturam Senecæ. Hic ingens commentarius, & vulgo stellas decidere dici, cum defluunt quædam in altum emissæ & accensæ exhalationes. At de his haudquaquam loquitur Seneca, sed de veris stellis, & nubibus obductis ait omne nocturnum lumen eripi. Sunt etiam lepidi, & in amicum suum dicta jaculantur. Cur ergo, aiunt, putant hic minus recte legi *cadunt* quam *latent*? nimirum quia sæpe tenebræ soli Criticorum offunduntur, & labuntur aliquando quantumvis clara in hoc freto conjectationis sidera. Fontem urbanitatis! Sed ne cum illis certemus, tu lector, si sapis ex Florentino & Lipsiano lege: *stellæ latent.* Florent. quoque Heinsiani & meus: *Cum subito luna conditur.* Ovidius: *Caret ignibus æther, Cæcaque nox premitur tenebris hiemisque sinisque.* Gronovius.

471. *In*

In astra pontus tollitur. cœlum perit.
Nec una nox est. densa tenebras obruit
Caligo, & omni luce subducta fretum
Cœlumque miscet. undique incumbunt simul,
Rapiuntque pelagus infimo eversum solo
Adversus Euro Zephyrus, & Boreæ Notus.
Sua quisque mittunt tela, & infesti fretum
Emoliuntur. turbo convolvit mare.
Strymonius altas Aquilo contorquet nives;
Libycusque arenas Auster ad Syrtes agit.
Nec manet in Austro; fit gravis nimbis Notus,
Imbre auget undas; Eurus Orientem movet,
Nabathæa quatiens regna, & Eoos sinus.
Quid rapidus ora Corus Oceano exerens?

Mun-

471. *In astra*] *Fluctibus erigitur, cælumque æquare videtur Pontus.* Farn. *Cœlum*] Eripiunt nubes cœlum. *Id.*

472. *Nec una*] Non simplices, non noctis solius tenebræ. sic, *Non cœli nox illa fuit.* Et 9. Metam. *Cæcaque non premitur tenebris hyemisque suisque.* Idem.

474. *Cœlumque*] Vt neutrum discerni possit. *Idem.*

476. *Adversus*] *Diversi turbine venti Confligunt Zephyrusque Notusque*, &c. Σὺν δ' Εὖρός τε νότος τ' ἔπεσε ζέφυρός τε δυσαὴς & βορέας αἰθρηγενέτης μέγα κῦμα κυλίνδων. Idem.

477. *Sua quisque mittunt tela,*] Quæ sunt *tela ventorum?* Sed & scripti fere hic aliqua labe infecti: Florent. & Heinsianus: *mittit.* Meus: *mittunt vela.* Heinsianus alter: *omittunt tella.* Hæreo, nisi placeat: *Sua quisque miscent bella.* Ovid. in Ceycis naufragio: *omnique à parte feroces Bella gerunt venti fretaque indignantia miscent.* Gron.

478. *Emoliuntur.*] Molem ejus loco movent, evertunt. *Farnabius.*

479. *Strymonius*] Thracius, è Thracia flans à fluv. usque Strymone. *Idem.*

480. *Libycusque*] Herc. Fur. 322. *Id. Auster ac Syrtes agit.*] Lipsianus, *ad Syrtes*, admisitque Delrius. At Gruterus quid in hac lectione sit lepôris, videre negat: vulgatam dicere Austrum agitasse arenas Syrtium. Sed illi suffragantur liber optimus & Germanicus. Estque, Austrum Syrtes accumulasse arenis, & undas ab illis abegisse. Lucanus lib. 1. *cum turbidus Auster Repulit à Libycis immensum Syrtibus æquor.* Lib. 9. *Auster Insua regna furens tentatum classibus æquor Turbine defendit longeque à Syrtibus undas Egit & illato confregit litore pontum.* Gron.

481. *Nec manet*] Nec manet tempestatis dominium penes Austrum, *vel* in Australi parte. *Farnabius. Fit gravis*] *Madidis Notus evolat alis*, &c. Idem.

483. *Nabathæa*] Arabiam Petream. *Idem.*

484. *Quid rapidus*] Quid autem Corus fecit, &c. de Coro ad Thyest. vers. 576. *Idem. Rapidus ora Corus Oceano*] Florent. *rabidus.* Apuleius de Mundo: *Item occidui sunt tres: Caurus, qui Græce Θρᾴσκιας vocatur. is est adversus aquiloni. item Favonius, Græce Ζέφυρος, Euro contrarius. tertius Africus, λίψ, Vulturno restat.* Ergo

Mundum revelli sedibus totum suis,
Ipsosque rupto crederes cœlo deos
Decidere, & atrum rebus induci chaos.
Vento resistit æstus, & ventus retro
Æstum revolvit. non capit sese mare:
Undasque miscent imber & fluctus suas.
Nec hoc levamen denique ærumnis datur,
Videre saltem, & nosse, quo pereant malo.
Premunt tenebræ lumina, & diræ Stygis
Inferna nox est. excidunt ignes tamen,
Et nube dirum fulmen elisa micat:
Miserisque lucis tanta dulcedo est malæ.
Hoc lumen optant. ipsa se classis premit,
Et prora proræ nocuit, & lateri latus.
Illam dehiscens pontus in præceps rapit,
Hauritque, & alto redditam revomit mare.
Hæc onere sidit. illa convulsum latus
Summittit undis. fluctus hanc decimus tegit.
Hæc lacera, & omni decore populato levis,

Flui-

Oceano ora exserens, intellige, flans ab occidente. nam Ωκεανὸς Poëtis ἡ δύσις. Hinc Lucanus lib. 5. *Primus ab Oceano caput exseris Atlanteo, Core.* Gronovius.

487. *Atrum*] Non quod illi color ullus, sed quia nullus certus. *Farnab. Chaos.*] Hercul. Fur. vers. 609. *Idem.*

488. *Æstus,*] Matis. *Idem.*

489. *Non capit*] Verum tumidis undis æstuque sublatum in aëra *cœlum aquare videtur.* Idem.

491. *Levamen denique ærumnis datum est,*] Flor. *datur.* Quo res fit præsentior. *Gronovius.*

493. *Diræ*] Tartareæ tenebræ. *Farn.*

494. *Excidunt*] Nedum apparent, tantum fulminibus lux redditur, vide Thyest. vers. 1085. *Idem.*

499. *Illam*] *Illum unda dehiscens Torquet agens circum & rapido vorat æquore vortex.* Idem.

500. *Et alto redditam revomit mare.*] Lege: *& alio redditam revomit mari.* Hoc est, & diu sub undis tractam remotissimo ab eo, ubi absorbuit, loco & in alius nominis mari (ut plurima circa insulas habet nomina, Lesbium, Icarium, Carpathium, &c.) rursus evehit ac profert. *Gronovius.*

502. *Fluctus*] Decumanus fl. *Decimæ ruit impetus undæ.* q. d. maximus. Sic enim ova decumana, &c. denarius siquidem numerus perfectissimus, ut qui contineat par & impar, quadratum, quadratale, longum, planum, &c. constetque ex uno, duobus, tribus, & quatuor, proinde Græci ad decem usque numerant & hinc ad unitatem revertuntur. Sphæratum insuper decada mundo tribuebant Pythagoræi. *Farnabius.*

503. *Decore*] Vexillorum, aplustrium. *Idem.*

506. *Sed*

Fluitat; nec illi vela, nec tonsæ manent;
Nec rectus altas malus antennas ferens,
Sed trunca toto puppis Ionio natat.
Nil ratio & usus audet. ars cessit malis.
Tenet horror artus. omnis officio stupet
Navita relicto. remus effugit manus.
In vota miseros ultimus cogit timor,
Eademque superos Troës & Danai rogant.
Quid fata possunt! invidet Pyrrhus patri,
Aiaci Ulysses, Hectori Atrides minor,
Agamemno Priamo. quisquis ad Troiam jacet,
Felix vocatur, cadere qui meruit gradu,

Quem

506. *Sed trunca toto puppis*] Sic etiam Flor. non *fracta*. Idem versu sequenti: *ars cessit malis*, ut dedit Fabricius, injuria ob id ab illo, qui nominare eum non audet, reprehensus. Gruterus recte notat alterum, *in magnis malis*, fictum ab eis qui sententiolam exire cupiebant: tandemque intellexit librum unum optimæ notæ potius sequendum quam decem minus bonos. *Gronovius*.

507. *Ars cessit*] *Tanta mali moles tantoque potentior arte est*. Farnabius.

511. *Eademque*] Vt evadant maris truculentiam, ne submergantur. *Idem*.

512. *Quid fata*] Vide quid deorum fata possunt, quæ in una eademque vota Troas Danaosque adegerint. *vel referas ad sequentia*; vides quid inter fati & mortis genera, cum in aquis perituri his invideant qui vel inimici, vel per insidias & dedecus in terra mortem oppetierant. maxime autem detestabantur fortes hoc mortis genus, qui cum animam igneam esse censerent, aquis illam prorsus extingui putabant, & in quo mortis genere non potest quis suę fortitudinis specimen dare. *Id*.

513. *Atrides*] Menelaus. *Idem*.

514. *Priamo Agamemnon*.] Non optimus modo, sed fere omnes, quos vidi, paullo annosiores, sed & editio vetus Veneta cum Bernardini commentariis: *Agamemnon Priamo*. Damno versus, quod sarciri potest litera extrita: *Agamemno Priamo*. Sic scripserat Seneca. Attius Armorum judicio: *Cur vetera tam ex alto repetissis dissidia Agamemno?* Cicero lib. 13. ad Atticum epist. 47. *Postquam abs te Agamemno*. Statius: *stimulatque Agamemno volentes*. Sic apud Livium lib. 38, 4. *amnis Aretho ex Acarnania fluens*. Sic Mss. non *Arethon*, ut vulgo. Valerius Maximus lib. 8. cap. 9. *amantissimus patriæ Solo*. Ita Mss. non *Solon*. Idem Gellio est lib. 10. cap. 18. *Polemo* Valerio Maximo lib. 6. cap. 9. Silius Oxonii lib. 2. v. 192. *Nec segnis Tero tantæ spe laudis*. non *Teron*. Sic & *Ario* apud Gellium lib. 16, 19. *Gron*. *Quisquis*] Τρὶς μάκαρες Δαναοὶ ἐς τετράκις οἳ πότ' ὄλοντο Τροίῃ ἐν εὐρείῃ. *O terque quaterque beati Queis ante ora patrum Troiæ sub mœnibus altis contigit oppetere*, &c. *Farnabius*.

515. *Cadere qui meruit manu*,] Delrius & Raphelingius afferunt è suis, *qui potuit*. At in optimo est: *cadere qui meruit gradu*. Quod ab illis, qui non capiebant elegantiam, mutatum est. *Gradus* enim quoque ex illis, quibus pugnantes in terra tam miles quam gladiator æstimantur. Vnde *componere ad præliandum gradum*. Livius lib. 2. de Coclite: *neque ille minus obstinatus*

ingenti

Quem fama ſervat, victa quem tellus premit.
Nil nobile auſos pontus atque undæ ferent?
Ignava fortes fata conſument viros?
Perdenda mors eſt. quiſquis es nondum malis
Satiate tantis cœlitum, tandem tuum
Numen ſerena. cladibus noſtris daret
Vel Troia lacrimas. odia ſi durant tua,
Placetque mitti Doricum exitio genus;
Quid hos ſimul perire nobiſcum juvat,
Quibus perimus? ſiſtite infeſtum mare.
Vehit iſta Danaos claſſis? & Troas vehit.
Nec plura poſſunt. occupat vocem mare.
Ecce alia clades. fulmine irati Iovis
Armata Pallas, quidquid aut haſta minax,

Aut

ingenti pontem obtineret gradu. Ovidius lib. 9. *rurſuſque ad bella coimus, Inque gradu ſtetimus.* Noſter infra: *Phœbea nec me tela pepulerunt gradu.* Ciceroni proverbii inſtar, *tumultuantem de gradu dejici*, in Officiis, & ad Atticum: *ex quo mihi videtur* στρατύλλαξ *ille dejectus de gradu.* Adde Lipſii Saturnalia 2, 20. Sic apud Polybium Titus ad Cynoſcephalas μετὰ τῶν εὐζώνων ἐπῄει σοβαρῶς τοῖς πολεμίοις. Hoc in mari non licet. Tacitus lib. 2. hiſtor. *nec perinde nutantes è navibus, quam ſtabili gradu è ripa, vulnera dirigebant.* Idem lib. 1. annal. *Cuncta pariter Romanis adverſa; locus uligine profunda, idem ad gradum inſtabilis, procedentibus lubricus.* Vides prorſus *gradum* eſſe ſtatum. *Cadere meruerunt gradu*, qui in ſolida terra pugnantes inque gradu & in ſtatu ſtantes pulcram petunt per vulnera mortem, non pendentes in fluctibus. *Gronovius.*

516. *Quem fama*] Quod fortiter pugnando occiderit. *Farnab. Victa*] Qui ad Troiam ſepultus eſt. *Idem.*

518. *Ignava*] Vide ſup. notam ad verſ. 506. *Idem.*

519. *Perdenda mors eſt.*] Nec rectum ſine interrogatione *Pudenda*, nec alterum cum interrogatione. Silius l. 4. *Namque inhonoratam Fibrenus perdere mortem Et famæ nudam impatiens.* Statius: *Nil opus arma ultra tentare & perdere mortes.* Gronovius.

521. *Cladibus*] *Pœnas expendimus, & quæ Vel Priamo miſeranda forent.* Farnabius.

524. *Hos ſimul*] Troianos captivos. *Idem.*

525. *Quibus perimus?*] In quorum ultionem. *Idem.*

526. *Claſſis & Troas vehit.*] Diſtinguendum cenſeo: *Vehit iſta Danaos claſſis? & Troas vehit.* Vt in Troadibus: *Tu me ſuperbum, Priame? tu timidum facis.* Si irati eſtis claſſi, quod Græcos vehat, mementote eadem Troianos vehi. *Gronovius.*

528. *Fulmine*] Vide Med. 59. *Farn.*

529. *Armata Pallas*] Cui hinc nomen ſcil. παρὰ τὸ πάλλειν δόρυ. *Id.* Non eſt hoc abs re confictum. nam in libris Hetruſcorum ſcriptum fuit, Manubias, id eſt fulminum jactus, tres deos poſſidere, Iovem, Palladem, & Vulcanum: docet hoc Servius, ad illud Virgilii, *Ipſa Iovis rapidum jaculata è nubibus ignem Diſjecitque rates, &c.* Delrius.

530. *Aut*

Aut ægide & furore Gorgoneo poteſt,
Aut igne patrio, tentat; & cœlo novæ
Spirant procellæ. ſolus invictus malis
Luctatur Aiax. vela cogentem hunc ſua
Tenſo rudente flamma perſtrinxit cadens.
Libratur aliud fulmen. hoc toto impetu
Certum reducta Pallas excuſſit manu,
Imitata patrem. tranſit Aiacem, & ratem,
Ratiſque partem ſecum & Aiacis tulit.
Nil ille motus, ardua ut cautes ſalo
Ambuſtus exſtat, dirimit inſanum mare;
Fluctuſque rumpit pectore, & navem manu
Complexus in ſe traxit, & cœco mari
Collucet Aiax. omne reſplendet fretum.
Tandem occupata rupe, furibundum intonat,

Su-

530. *Aut ægide, Gorgoneo*] Scuto, munimento pectoris, quod τῆς αἰγὸς, id, eſt, captæ Amaltheæ pelle (ſeu potius ſquammoſo draconum corio) contectum Iupiter Palladi dedit, cui poſtea Perſeus caput Meduſæ Gorgonis indidit, cujus aſpectu homines in ſaxa vertebantur. *Farnabius.*

532. *Solus invictus*] Pulchre hoc deſcripſit Cointus Smyrnæus lib. 15. *Delrius.*

534. *Tenſo rudente*] Fl. & alii, *Tento.* Et ſequenti, *Libratur aliud fulmen.* Tertio quoque: *Certum reducta*, non *Tortum*, quod Iovianus Pontanus & Fabricius ſubjecerunt. *Certum* eſt haud dubie percuſſurum ipſum Aiacem, non aberraturum deſtinato. Lib. 1. de ira cap ult. *C. Cæſar iratus cœlo, quod comiſſatio ſua fulminibus terreretur, prorſus parum certis. Reducta*, ut Petronius: *mox reducta cuſpide Vterum notavit.* Gronovius.

530. *Hoc toto*] Quo validius torqueret, Aiacem Oilei f. ultura, quod Caſſandram in templo ſuo violaſſet. *Farnabius.*

537. *Patrem.*] Iovem, qui *dextra libratum fulmen ab aure Miſit* in Phaëthonta. *Idem.*

540. *Dirimit*] Natans. *Idem.*

542. *Et cœco*] Caliginoſo. *Idem.*

543. *Collucet*] Fulmine ardens. *Id.*

544. *Furibundum*] Ὑπερφίαλον ἔπος ἔκβαλε καὶ ἀάσθη φῆ ῥ' ἀέκητι θεῶν φυγέειν μέγα λαῖτμα θαλάσσης, &c. Odyſ. δ. *furias Aiacis Oilei.* Æneid. 1. Quod alii de furioſo amore interpretantur. *Idem.* Periſſe volunt omnes poëtæ cum Homero. idem teſtatur Ariſtoteles in Epitaphiis. & vult in Mycono inſulâ maris Ægæi ſepultum. Tamen evaſiſſe naufragium, docet Timæus Locrus lib. 2. Hiſtoriar. qui ſcribit, paſt captam Troiam, multos Locrenſium naufragio ad Gereas petras interiiſſe, reliquos cum Aiace per ſummas difficultates & pericula tandem in patriam rediiſſe. Sed anno poſtea tertio, quod eorum ditionem fames & peſtilitas, ſimul invaſerant, propter facinus ab Aiace cum Caſſandra nefarie patratum, oraculum conſuluere Locri, quibus reſponſum, debere Troianam Palladem ab illis per mille annos placari; miſſis ſortito quot-

Superasse nunc se pelagus, atque ignes: juvat
Vicisse cœlum, Palladem, fulmen, mare.
Non me fugavit bellici terror Dei.
Et Hectorem una solus & Martem tuli.
Phœbea nec me tela pepulerunt gradu.
Cum Phrygibus istos vicimus. tene horream?
Aliena inerti tela mittis dextera?
Quid si ipse mittat? plura cum auderet furens,
Tridente rupem subruit pulsam pater
Neptunus, imis exerens undis caput,
Solvitque montem; quem cadens secum tulit:
Terraque & igne victus & pelago jacet.
Nos alia major naufragos pestis vocat.
Est humilis unda, scrupeis mendax vadis,

Ubi

quotannis Troiam duabus virginibus Locriis. Mansit illa consuetudo diu postmodum, & Troiani virgines missas obvii capiebant & jugulabant, & jugulatas agrestibus & sterilibus lignis comburebant. ad bellum usque Phocense retenta hæc consuetudo & ritus. tunc demum sacrificii vel impiæ crudelitatis potius immunitas Locrensibus concessa. *Delrius.*

548. *Hectorem*] Alteri Aiaci magis hæc conveniant, quæ tamen hic furens & jactabundus in se transfert. *Farnab.*

549. *Phœbea*] Apollinis, qui à Troianis stetit. *Idem.*

550. *Istos*] Deos, Neptun. Apollin. &c. *Idem. Tandem horream?*] Quam Criticorum vocant (credo, veriti, ne quis ipsorum emendationem putaret) *tene horream*, est duorum optimorum codd. Lipsiani & Florent. scriptura. Quod sequitur, satis commode Lipsius, sive à libro sit, sive ab ipso, *mittis*. Fl. hic vitiatus. habet enim: *inerti tela pepulerunt gradu.* Nic. Heinsius conjiciebat: *tene horream Aliena inerti tela mittentem manu.* Nec repugno, nisi illud *pepulerunt* ostendat forte vocem cum incipientibus literis, *PE:* sic veniebat in mentem, *perdentem.* quod foret, incassum mittentem. Sumpsit autem Seneca sensum hunc ab Ovidio lib. 9. in pugna Herculis & Acheloi: *Quid fore te credis, falsum qui versus in anguem Arma aliena moves? quem forma precaria celat?* Confitentur tamen Criticorum emendationem esse vehementiorem. Eoque magis me viri optimi miseret, qui nihil variantes obducit quoque membranas suas & suo sensu fortiora esse ait ista eis quæ substituuntur. Nec intellexit frivolum & ineptum sermonem: *horream mitti tela:* &, *tandem horream.* Sed putavit opinor illud, *tandem*, narrantis, non Aiacis esse. *Gronovius.*

551. *Aliena*] Iovis fulmina. *Farn. Inerti*] Fœminea. Palladis. *Idem.*

552. *Ipse*] Iupiter. *Idem.*

553. *Tridente*] Τοῦ δὲ Ποσειδάων μεγάλ' ἔκλυεν αὐδήσαντος Αὐτίκ' ἔπειτα τρίαιναν ἑλὼν χερσὶ στιβαρῇσιν ἤλασε. *Idem.*

555. *Montem;*] Γυραίην πέτρην, &c. δ' ἀπὸ δ' ἔχισε. discidit rupem. *Idem. Secum*] Rupe obrutus, fulmine ambustus, undis submersus. *Idem.*

560. Ca-

Ubi saxa rapidis cluſa vorticibus tegit
Fallax Caphareus. æſtuat ſcopulis fretum,
Fervetque ſemper fluctus alterna vice,
Arx imminet prærupta, quæ ſpectat mare
Utrimque geminum. Pelopis hinc oras tui,
Et Iſthmon, arcto qui recurvatus ſolo
Ionia jungi maria Phrixeis vetat;
Hinc ſcelere Lemnon nobilem; hinc & Chalcida;
Tardamque ratibus Aulida. hanc arcem occupat
Palamedis ille genitor, & clarum manu
Lumen nefanda vertice è ſummo efferens,
In ſaxa duxit perfida claſſem face.
Hærent acutis rupibus fixæ rates.
Has inopis undæ brevia comminuunt vada.
Pars vehitur hujus prima, pars ſcopulo ſedet.
Hanc alia retro ſpatia relegentem ferit,
Et fracta frangit. jam timent terram rates,

Et

560. *Caphareus.*] Mons Eubœæ. Vid. Med. verſ. 659. *Idem.* Hoc loco Nauplius Palamedis pater Græcos in cæca ſaxa pertraxit. unde Pacuvius;

—— *pater In Caphareis ſaxis pleros Achivos perdidit.* Delrius.

561. *Alterna*] Reſpicit ad Euripum.

563. *Tui*] Avi ſcil. Agamemnonis mariti tui. *Farnabius.*

564. *Iſthmon*,] Herc. Fur. v. 335. *Idem.*

565. *Phrixeis*] Helleſponto, quæ Ægæi pars. Theb. verſ. 611. à Phrixo. Vid. Troad. verſ. 1124. Med. verſ. 744. *Idem.*

566. *Scelere*] Fœminarum, quæ à maritis ſpretæ viros omnes interfecerunt, præter Hypſipylem, quæ patrem Thoantem clam navi amandavit. *Id. Lemnon nobilem; hinc & Chalcida;*] Vix puto exſtare codicem vetuſtiorem, in quo ſic ſcriptum reperiatur. Certe quicquid mihi videre contigit, *Chalcedona.* Neque vero mihi fit ſimile adſpiratione ad poſitionem hic uti Senecam voluiſſe. Verſus ex Octavia, nec ejuſdem eſt auctoris, & ſine dubio etiam vitiatus. Forte legendum: *Hinc ſcelere Lemnon nobilem, hinc Anthedona.* Etenim Ἀνθηδὼν πόλις λιμένα ἔχουσι, ἐχομένη τῆς Βοιωτικῆς παραλίας τῆς πρὸς Εὔβοιαν, ut eſt apud Euſtathium: unde Homerus ἐχατόεσσαν appellat. *Gronov. Chalcida;*] Eubœæ civ. *Farnabius.*

567. *Tardamque*] Quæ bis morata erat claſſem Græcam exituram. Troad. verſ. 161. & redituram. ibidem. *Idem.*

568. *Palamedis ille genitor,*] *Emphaſis.* Nauplius. Medea verſ. 659. *Id.* Quem, ut id faceret, impulſum volunt cupiditate ulciſcendi Agamemnonem & Vlyſſem, qui Palamedem occiderant juxta pleroſque. nam Dares à Paride interfectum fuiſſe ſcribit. ut ut eſt, Xenophon in Cynegetico tradit, mortem Palamedis deos vindicaſſe. *Delr.*

570. *Perfida*] Tutos præ ſe ferenti portus. *Farnabius.*

576. *Ma-*

Et maria malunt. cecidit in lucem furor.
Postquam litatum est Ilio, Phœbus redit,

Et

576. *Maluntque maria. cedit in luctum*] Variant libri. Alii, *Maluntque*, vel *Noluntque maria*. Optimus cum uno è Pal. *Et maria malunt*. Etiam quæ sequitur clausula, valde ambigua est. Mss. fere omnes & edd. nonnullæ: *cecidit in lucem furor*. Nuperi, *cedit in luctum*, etiam ex quibusdam antiquis editionibus. Sed illud reduxit Lipsius, interpretaturque ut olim Bernardinus, sub lucem desiisse tempestatem. Sic in Medea, *Iam cecidit ira: pœnitet facti, pudet*. *In lucem* Suetonio *ad lucem*, Iulio: *quum luminibus exstinctis deceptisset via, diu errabundus, tandem ad lucem duce reperto*. *Ad noctem* Lucano, quem locum olim tuebamur adversus summum virum, l. IV. *quo tempore primas Impedit ad noctem iam lux extrema tenebras*. Et siquidem hæc lectio probanda est, (ut utique probanda est) hæc quoque unica ejus probanda est sententia. Nam duæ aliæ interpretationes, quas homo acutus protulit (prior, quum horrerent litus naves tenderentque in altum, furorem & veluti fatum eas repressisse ad terram sive facem à Nauplio accensam; altera, *furor* Græcorum *cecidit in lucem*, esse, Nauplius eos luce sive face sua decepit) nihil habent sani. Gruterum quo minus hic ferat illud *lucem*, movet, quod id statim repetitur versu sequenti, ac bis idem dicitur. Sed nec bis idem dicitur, & quia hic commodum sensum facit illud *lucem*, sequenti non nisi ineptum; acquiescere debuit hic dumtaxat scriptis, in sequenti vero remedium quærere. Manus illustris, *cœlitum cedit furor*. Gron.

577. *Postquam litatum est, Phœbus in lucem redit*,] Iubet Scaliger notari morem vetustissimum, pelagus iratum placandi. At, rogo, ubi, quando, quomodo fieri potuit in tanta trepidatione, tumultu, tempestate nocturna? Gruterus conjungit sensum cum versu præcedenti, scribitque: *cecidit in luctum furor, Postquam litatum est*. quasi dicat Nauplium misertum esse Græcorum, ut undique oculis ejus naufragium infame patuit: aut, *Postquam litatum, ac Phœbus*, sensu planissimo, ut ille putat. Sed hæc Andabatarum sine vetustatis luce. Quid autem, *Phœbum in lucem redire?* qui ipse lux est & lucis omnis diurnæ auctor? In laudato illo Etrusco legebatur: *Postquam litatum est illo Phœbus redit*. Hic quum viderent male constare versum, ex præcedenti inseruerunt *in lucem*, ejecto *illo*: quia autem insuavis repetitio sine ulla orationis majore efficacia, illic alii fecerunt *luctum*. At accipe jam levi opera ipsius Senecæ manum: *Postquam litatum est Ilio, Phœbus redit*. Significat his pœnis suppliciisque Græcos satisfeciisse Ilio & Troianis pro injuriis illatis: & postquam abunde magnas miserias & calamitates perferendo ad satietatem pœnas solvissent, die orta solem apparuisse. Sic *litatum esse* diis dicitur, quum sacra placuerunt, cum diis satisfactum est & solutum, quod illi deberi sibi voluere. Varro: *Habes, qui & cujus rei causa fecerim hecatomben, in quo ego, ut puto, quoniam est luere solvere, lutavi*. Neque desinebant religiosi veterum & publice & privatim iterare hostias, donec litatum esset. Livius lib. 41. *Tribus bubus perlitasse negavit. Senatus maioribus hostiis usque ad litationem sacrificari iussit*. Florus 4, 2. *Nec perlitare centum victimis potuerat*. Et alludens Plautus in Pseudolo: *Eadem duo greges virgarum inde ulmearum adegero, Vt hodie ad litationem huic suppetat satius Iovi*. Ludit in hac superstitione Varro. Alii sacrificantes vel centum victimis *litasse* se non putabant, nisi certis signis id animadvertisset docuisseque aruspex. At Varro sua hecatombe ex voto datâ se *litasse* ait nulla cura extorum

Et damna noctis tristis ostendit dies.
Clyt. Utrumne doleam, læter an reducem virum?
Remeasse, lætor. vulnus at regni gravè
Lugere cogor. redde jam Graiis, pater
Altisona quatiens regna, placatos deos.
Nunc omne læta fronde veletur caput.
Sacrifica dulces tibia effundat modos;
Et nivea magnas victima ante aras cadat.
Sed ecce turba tristis, incomptæ comas,
Iliades adsunt: quas super celso gradu
Effrena Phœbas entheas laurus quatit.

* Cho-

rum inspiciendorum? quid ita? quia *litare* dictum à luere, *luere* autem solvere: qui ergo voto se solvit, litat. Vt igitur à Manibus *parentare* & *infetiare*, ita superis, à diis *litare* sumptum & translatum, ut significet ultione satisfacere. Medea: *plura non habui, dolor, Quæ tibi litarem.* Cicero pro Flacco: *Litemus igitur Lentulo, parentemus Cethego, revocemus ejectos.* Auctor de bello Hispaniensi: *Ita pridie duorum centurionum interitio hac adversariorum pœna est litata.* Florus lib. 2. cap. 4. *Strictæ in principum colla secures legatorum Manibus litavere.* Appuleius lib. 5. *Tunc injuriæ meæ litatum crediderim, cum ejus comas, quas illa manibus subinde aureo nitore perfrinxi, deraserim.* Postquam satis pœnarum Ilio solutum est: postquam sat supplicii ob Ilium excisum dii à nobis expetiverunt, sol & serenitas rediit. *Gronovius.*

578. *Damna*] Cladem & damnum amissæ noctu classis. *Farnabius.*

581. *Pater*] Iovem usurpat patrem. Vide Hippol. 299. quamvis Pollux & Helena Iovis editi ovo soli dicantur. *Idem.*

583. *Læta*] Corona triumphali. *Idem.*

584. *Sacrifica*] Sacris adhibita. *Idem.*

585. *Nivea*] Diis superis debita. Oedip. vers. 549. *Idem.*

586. *Turba*] Troades captivæ. *Id.*

588. *Phœbas*] Cassandra Phœbi vates. *Idem.*

* CHORUS ILIADUM. CASSANDRA.

Chorus Iliadum Troiæ fata casumque luget, Cassandra furore Phœbeo correpta, quæ Agamemnoni imminent, vaticinatur.

Chor. Heu quam dulce malum mortalibus additum,
Vitæ dirus amor: cum pateat malis
Effugium, & miseros libera mors vocet,
Portus æterna placidus quiete!
Nullus hunc terror, nec impotens
Procella Fortunæ movet,
Aut iniqui flamma Tonantis.
Pax alta. nullos civium cœtus

Ti-

* CHORUS. CASSANDRA.] Flor. *CHORVS ILIADVM. CASSANDRA.* Gronovius.

589. *Heu quam dulce*] Hexameter μειουρὸς, è qualibus librum integrum Sapphonem poëtriam scripsisse Attilius tradit grammaticus. Sunt hoc loco mirè confusa carminum variorum genera, ut supra Chori Bacchici in Oedipo. *Fabritius. Quam dulce malum mortalibus additum,*] Merito reprehendit Gruterus, qui *additum* pro spurio uncis sepserunt. Non tolerabile modo, sed & lectum est. Virgilius in sexto: *nec Teucris addita Iuno Vsquam aberit.* Vbi Servius: *inimica. est autem verbum Lucilii & antiquorum: ut Plautus: Argus quem quondam Ioni Iuno custodem addidit.* Macrobius clarius, lib. 6. Saturn. 4. *Affixa & per hoc infesta atque inimica: & est ex Lucilio sumptum: Si mihi nunc prator fiet additus, atque agitet me.* Sed de hoc supra ad Hercul. Furentem. *Gronovius.*

590. *Dirus*] Etiam in miseris. *Farn. Pateat*] Per mortem, quæ Stoicis portus aliquando petendus, nunquam recusandus. Herc. Fur. vers. 425. *Idem.*

595. *Iniqui*] Obliquum fulmen. *Idem.*

596. *Pax alta. nullos*] Castigat hic Gruterus jure, qui putent laudari pacem, quæ cunctis careat belli incommodis, & enumerari belli mala: ipse censet tractari felicitatem mortuorum. Ne hoc quidem. sed mortem contemnentium. Nam jam illo versu: *Non hunc terror*: quem putas *Hunc* dici? num portum mortis? sic volunt. Immo hunc, *Qui vultus Acheruntis atri, Qui Styga tristem non tristis videt.* Huc referuntur omnia media. Ideoque post, *levium deorum*, non ponenda τελεία ὑποστιγμὴ, sed colon, vel ἡμίκωλον· continent enim superiora ἀπόδοσιν sermonis, cujus ὑστερον πρότερον sequitur πρότασις. Mors, inquit, est portus tranquillus. Qui mortem non metuit, sed lætus adit, hunc nullus terror, nulla calamitas, non fulmen movet. pace alta fruitur. non seditiones, non inimicum superiorem, non tempestatem & naufragium, non prælia, non incursiones hostiles, non excidia urbium timet. non potest servire cogi. ridet abeuntem fortunam & excedentes deos adytis arisque relictis, quibus ipse steterat. Denique, rex est, & cœlestibus par. Clauditur periodus illo *ponere finem.* Ibi ergo subjiciatur finiti sermonis nota. *Gronovius. Nullos*] *Non civium ardorem prava jubentium, non vultum instantis tyranni*, &c. Imitatio Horat. 3. 3. Od. q. d. mortis contemptor omnia contemnit. *Farnabius.*

598. Co-

Timet, aut minaces victoris iras;
Non maria asperis insana Coris:
Non acies feras,
Pulvereamque nubem,
Motam Barbaricis equitum catervis;
Hosticâ aut muros populante flammâ,
Urbe cum tota populos cadentes:
Indomitumve bellum. perrumpet omne
Servitium contemptor levium deorum,
Qui vultus Acherontis atri,
Qui Styga tristem non tristis videt,
Audetque vitæ ponere finem.
Par ille regi, par superis erit.
O quam miserum est nescire mori!
Vidimus patriam ruentem nocte funesta,
Cum Dardana tecta Dorici raperetis ignes.

Non

598. *Coris.*] Ventis. de Coro Thyest. vers. 576.

600. *Pulvereamque nubem*] Florent. *Pulvereamve nubem.* Gronovius. *Pulvereamque*] Ὅς τ' ὑπὸ ποσσὶ κονίσαλος ὤρνυτ' ἀελλής. *Farnabius.*

605. *Perrumpet omne Solus*] Quod *omne?* Plenius & præclare Florentin. *perrumpet omne Servitium contemptor levium deorum.* Qui sint leves dii, diximus ad Troadas. *Gronovius.*

606. *Vultus Acherontis*] Hic locus plane est ex illo, — *strepitumque Acherontis avari Subjecit pedibus.* Quam Epicuream sententiam Virgilius à magistro suo Scirone didicerat. Epicuri autem & Metrodori adeo studiosus fuit Seneca, ut nesciam quare Stoicum quidam illum malint quam Epicureum: quod ejus Epistolæ palam clamant. *Scalig.*

607. *Tristem non tristis*] Ἀντίθεσις πολύπτωτος. *Farnabius.*

610. *Mori!*] Quod effugium est & portus ex miseriis. Sup. *Idem.*

611. *Nocte funesta,*] Excidium Troiæ in noctem incidisse consentaneum est Æschylo in Agamemn. & Euripidi in Hecuba. auctor parvæ Iliadis idipsum probat: Νὺξ μὲν ἐὴν μεσάτα, λαμπρὰ δ' ἐπέτελλε σελήνη. Petronius Arbiter, in Troiæ Halosi: *Iam plena Phœbe candidum extulerat jubar, Minora ducens astra radiante face, Cum inter sepultos Priamidas nocte & mero Danai relaxant claustra, &c.* Sed quæ nox illa fuerit, nemo facile certo dixerit; qui sciat Hellanicum, Dionysium Argivum & Lysimachum prodidisse Troiam captam XII. Febr. Callisthenem vero lib. 2. Græcanicæ historiæ, Februario ineunte. Qui Attica scripserunt, in octavum diem hujus mensis desinentis hanc cladem rejiciunt: nec defuerunt, qui ad octavum desinentis Martii id retulerint. Dercylas autem & Ægias contendunt funestæ hujus noctis diem fuisse octavum desinentis Πανέμου, hoc est, si Corinthios audimus, Iulii; sin Bœotios sequimur, Maii. hæc ex Euripidis scholiis Græcis, & Clemente Ægyptio decerpsi. *Delrius.*

Non illa bello victa, nec armis,
Ut quondam Herculea cecidit pharetra:
Quam non Pelei Thetidisque natus,
Charusque Pelidæ nimium feroci
Vicit, acceptis cum fulsit armis,
Fuditque Troas falsus Achilles:
Aut cum ipse Pelides animos feroces
Sustulit luctu, celeremque saltu
Troades summis timuëre muris.
Perdidit in malis extremum decus,
Fortiter vinci. restitit annis
Troia bis quinis,
Unius noctis peritura furto.
Vidimus simulata dona molis immensæ;
Danaûmque fatale munus duximus nostra
Creduli dextra: tremuitque sæpe

Limi-

613. *Non illa*] Sed insidiis & dolo. *Farnabius.*

614. *Vt quondam*] Sub Laomedonte. vers. Troad. 131. & 726. *Idem.*

615. *Pelei*] Achilles. *Idem.*

616. *Charusque*] Patroclus Achillis armis indutus. *Idem.*

620. *Sustulit*] Κλαῖε φίλῳ ἑτάρῳ μεμνημένος, &c. Πατρόκλῳ ποθέων ἀνδρότητα. *Idem. Celeremque*] Πόδας ὠκὺν, ὠκύμορον. Achillis autem saltus Troiæ excidio fatalis. Lycophr. & Lucian. lib. περὶ ὀρχήσεως. *Idem.*

625. *Vnius noctis peritura fato.*] Concors illa vulgarium scriptorum lingua mendax. Vt scribere debuisse Poëtam judicat Gruterus, *furto*, ita etiam scripsisse sancit cum Lipsiano Florentinus. *Gronovius. Furto.*] Dolis & insidiis. *Farnabius.*

626. *Dona*] Minervæ pro reditu vota. *Id. Molis immensæ;*] Equi Duratei sive πολιορκητικὸν fuerit illud μηχάνημα, seu porta equi insigni picta per proditionem Græcis aperta, seu mons Hippius in quo ex insidiis Græci Troianos interceperunt simulque urbem irruperunt, seu denique equitatus Græcorum. *Idem.* Magnus fuerit oportet equus Durateus, in cujus alvo tot duces inclusi fuerunt, quot refert Isacius, dicto loco, ἱπποτέκτων ὁ Πανοπέως υἱὸς ἐποίησε τὸν Δούρειον ἵππον εἰς ὃν πεντήκοντα, ἢ τρισχίλιοι, ἢ κατ' ἐμὲ κγ' ἄνδρες εἰσελθόντες Ἕλληνες ἐκάθηντο. Petronius; *Aperitur ingens claustrum & obducti specus, Qui castra caperent* — molem hujus equi declaravit Homer. dicens; Αὐτὰρ ὅτ' εἰς ἵππον καταβαίνομεν. & Virgilius; *Demissum lapsi per funem.* nam sic quoque altitudo demonstrata est, inquit Fabius lib. 8. Inst. Orat. c. 3. *Delr.*

627. *Fatale*] Primo enim excisum est Ilium propter equos Herculi ex pacto non datos à Laomedonte: secundo per equum Durateum, de quo hoc in loco; tertio per equum qui valvis interceptus Romanis irruendi potestatem fecit, cum Ilienses Cinnam Cos. in urbem recipere noluerunt. *Farnabius.*

628. *Creduli*] Sinoni fidem habentes. *Idem.*

630. Con-

Limine in primo ſonipes, cavernis
Conditos reges bellumque geſtans:
Et licuit verſare dolos, ut ipſi
Fraude ſua capti caderent Pelaſgi.
Sæpe commotæ ſonuere parmæ,
Tacitumque murmur percuſſit aures;
Et fremuit male ſubdolo
Parens Pyrrhus Ulyſſi.
Secura metus Troica pubes
Sacros gaudet tangere funes.
Hinc æquævi gregis Aſtyanax;
Hinc Æmonio deſponſa rogo,
Ducunt turmas: hæc fœmineas,
Ille viriles.
Feſtæ matres votiva ferunt
Munera divis: feſti patres
Adeunt aras. unus tota eſt
Vultus in urbe.

Et,

630. *Conditos reges*] Quos recenſent Smyrnæus, Coluthus & Virgilius. *Farnabius.*

631. *Verſare*] In ipſos authores ſuos vertiſſe dolos, *ſi mens non læva fuiſſet.* Idem.

633. *Sæpe*] *Atque utero ſonitum quater arma dedere.* Idem.

634. *Percuſſit aures*,] Verberavit. nam Stoicis, ut Archedemo in lib. de voce, Chryſippo lib. 2. Natural. Antipatro, & Diogeni apud Laërtium l. 7. vox corporatum quid eſt: quia (inquiunt) omne quod facit & patitur corporatum: vox & ſonus patiuntur, cum à locis ſolidis & lævibus repelluntur, vel refringuntur; faciunt cum auribus, ut ceræ annulus, imprimuntur. Idem cenſuit Epicurus, ut docet diſcipulus ejus Lucretius lib. 4. Contra Cyrenæi & Pyrrhonici ſonum nihil eſſe putabant, Peripatetici non perfectum, ſed imperfectum quoddam corpus eſſe volunt, nempe qualitatem quandam ſenſilem ex violentâ corporum vel aëris colliſione ac motu natam. *Delrius.*

635. *Male*] Ægre inductus ab Vlyſſe, ut dolis uteretur μισοπάτης & ſimplex Neoptolemus viribus magis quam fallaciis fretus, quod ἦθος & illi apud Vlyſſ. in Philoctete tribuit Sophocles, ἔφην γὰρ οὐδὲν ἐκ τέχνης πράττειν κακῆς, &c. mox: Ἀλλ' εἰμ' ἕτοιμος πρὸς βίαν τ' ἄνδρ' ἄγειν Καὶ μὴ δόλοισιν. *Farnabius.*

637. *Secura*] *Circum pueri innuptæque puellæ Sacra canunt funemque manu contingere gaudent.* Idem.

639. *Æquævi*] Puerorum. *Idem.*

640. *Æmonio*] Polyxena, quæ poſtea deſponſata erat rogo Achillis Theſſalici ducis. Troad. verſ. 360. *Id.*

643. *Votiva*] Pro filiorum reditu. *Idem.*

645. *Vnus vultus*] Lætitiæ. *Idem.*

Et, quod nunquam post Hectoreos
Vidimus ignes, læta est Hecube.
Quid nunc primum, dolor infelix,
Quidve extremum deflere paras?
Mœnia divûm fabricata manu,
Diruta nostra?
An templa deos super usta suos?
Non vacat istis lacrimare malis.
Te, magne parens, flent Iliades.
Vidi, vidi, senis in jugulo,
Telum Pyrrhi vix exiguo
Sanguine tingui.
Cass. Cohibete lacrimas, omne quas tempus petit,
Troades, & ipsæ vestra lamentabili
Lugete gemitu funera. ærumnæ meæ
Socium recusant. cladibus questus meis
Removete. nostris ipsa sufficiam malis.
Chor. Lacrimas lacrimis miscere juvat.
Magis exurunt, quos secretæ
Lacerant curæ. juvat in medium
Deflere suos. nec enim, quamvis
Dura virago patiensque mali,
Poteris tantas flere ruinas.
Non quæ verno nobile carmen

Ramo

647. *Post Hectoreos*] Post redemptum rogoque datum Hectoris corpus. *Farnabius.*

651. *Mœnia*] Murorum munitiones, Troiæ mœnia. Troad. vers. 476. *Idem.*

655. *Te, magne parens, flent Iliades.*] Suspicor fuisse: *flemus Iliades.* Gron. *Magne parens,*] Priame. *Farnabius.*

657. *Vix exiguo*] *Exiguum senis Priami Iovis ara cruorem Combiberat.* Vide vers. 46. Troad. *Idem.*

659. *Cohibete*] Cohibete luctus vestros de patre meo. meæ sunt istæ solius partes: vos funera vestrorum lugete. *Idem. Lacrimas, omne quas tempus petit*] Flor. *petet.* Nic. Heinsius malebat: *omne queis tempus patet.* Ovidius: *lacrimarum longa manere Tempora vos poterunt. ad opem brevis hora ferendam est.* Gronovius.

666. *In medium*] In commune. *Farnabius.*

667. *Nec enim, quamvis*] Flor. *nec tu quamvis.* Gronovius.

668. *Dura*] Indurata malis, vitili animo fœmina. *Farnabius.*

670. *Quæ verno nobile carmen*] Flor. *mobile.* An juvat Persius: *liquido cum plasmate guttur Mobile colluerit.* Gron.

671. *Ra-*

Ramo cantat triſtis aëdon,
Ityn in varios modulata ſonos;
Non quæ tectis Biſtonos ales
Reſidens ſummis impia diri
Furta mariti garrula deflet;
Lugere tuam poterit digne
Conqueſta domum: licet ipſe velit
Clarus niveos inter olores
Iſtrum cygnus Tanaimque colens
Extrema loqui: licet Alcyones
Ceyca ſuum fluctu leviter
Plangente ſonent, cum tranquillo
Male confiſæ credunt iterum
Pelago audaces, fœtuſque ſuos
Nido pavidæ titubante fovent:
Non ſi molles imitata viros
Triſtis laceret brachia tecum,
Quæ turritæ turba parenti

Pecto-

671. *Ramo cantat querula Edonis,*] Eſt à Fabricii ſcriptis. mei enim novem *triſtis Edonis.* lectio vetuſtior editorum, *querula aëdonis.* recentior, *triſtis aëdon.* Sic Gruterus. At omnium vetuſtiſſimam, & ipſius auctoris hanc poſtremam fuiſſe ſatis probat Flor. exhibendo: *triſtis aëdom.* Gronovius. *Triſtis Aëdon,*] Ἀηδὼν luſcinia. *Farn.*

672. *Ityn*] Seu Itylum, filium Terei à Procne & Philomela interfectum, patrique appoſitum in ultionem ſtupratæ ab eo Philomelæ. *Idem.*

673. *Quæ tectis Biſtonis ales*] Flor. *Biſtones.* Idemque cum Lipſiano: *garrula narrat.* Gron. *Biſtonis*] Hirundo, in quam iras mariti fugiens Procne (*ut alii Philomela*) verſa eſt conjux Terei regis Thraciæ, cujus Biſtonis civitas & ſtagnum. *Farnabius.*

675. *Furta*] Adulterium. *Idem.*

679. *Iſtrum*] Thraciæ fluv. *Idem. Cygnus*] In quem verſus eſt Cycnus, de quo Troad. 180. *Idem. Tanaimque*] Morti vicina ſuavius canere dicitur olor. Vide Hippol. v. 301. *Idem.*

678. *Alcyones*] Aves illæ, in quas mutati ſunt Ceyx rex Trachinis in Ægæo ſubmerſus cum Alcyone uxore Neptuni filia. quibus avibus nidificantibus fœtumque intra 7. ut alii 14. dierum ſpatium educentibus tempore hyberno, mare pacatur, quod tempus *Alcedonia* dicitur. *Idem.*

682. *Plangente*] Fluctuante. *Idem.*

686. *Molles*] Gallos Cybeles ſacerdotes ſemiviros quibus (ab Aty puero Cybelæ dilecto, quod in Nympha Sagaritide peccaſſet, in furorem à deo verſo ſibique pondera acuto ſilice amputante) *venit in exemplum furor hic, molleſque miniſtri Cædunt jactatis vilia membra comis.* Idem.

688. *Quæ turritæ*] Cybele, quæ civitatis Midæ clauſæ muros capite ſublevavit atque ita eſt ingreſſa. vel *quod primis turres urbibus illa dedit.* an quod eadem quæ Veſta, id eſt terra? *Idem.*

Pectora rauco concita buxo
Furit, ut Phrygium lugeat Attin.
Non est lacrimis, Cassandra, modus:
Quia quæ patimur vicere modum.
Sed cur sacratas deripis capiti infulas?
Miseris colendos maxime superos reor.
Cass. Vicere nostra jam metus omnes mala.
Equidem nec ulla cœlites placo prece:
Nec, si velint sævire, quo noceant, habent.
Fortuna vires ipsa consumpsit suas.
Quæ patria restat? quis pater? quæ jam soror?
Bibêre tumuli sanguinem atque aræ meum.

Quid

689. *Pectore rauco concita, buxum Ferit,*] Lipsius agnoscit de tibia ex buxo hæc accipi posse: tamen occultiorem ritum præire membranas: *Pectora rauco concita buxo Ferit:* solitos quippe fanaticos pectora sibi tundere pinu aut buxo. Huic amicus hoc reponit: *buxum ferit*, buxeas tibias inflat: sic Statius, sic Claudianus & alii *buxi* vocula usi: buxo illi canebant, sed pinu pectora illidebant. Et sane peccavit Lipsius, quum etiam buxo putavit usos ad tundenda pectora. Sed libens interrogem Senecæ interpretem, ubi legerit *ferire fistulam, tibiam, buxum, lotos, avenas, arundinem*, pro inflare? dein qui fistula cantans aut tibia promeruerit, ut ejus pectus *raucum* dicatur? At *buxum raucum*, ut *rauca buccina, rauco cornua cantu, rauca signa tubæ.* Propertius: *Tibia nocturnis succumbat rauca choreis. Turbam* quidem illam *rauco pectore buxum ferientem* nulla ratio fert: at in illa membranarum toties fidissimarum scriptura possumus intelligere eandem *turbam* non buxo ferientem pectora concita, sed *ferientem* (pinu nempe) *pectora concita* consternata & in furorem acta *buxo*, seu tibia furiosa, ut Ovidius appellat è buxo. Ita tollitur omnis difficultas: & hoc sensit etiam Scaliger. Sed si Florentinum audimus, Seneca brachiorum laceratione contentus fuit, pinus impulsum hic memorare prætermisit. Nam super Lipsianam mutationem pro *ferit* habes *Furit.* Quæ turritæ matri furit & bacchatur concita pectora vel mentes buxo. Sic sermo magis est poëticus. Statius: *alium tibi, Bacche, furorem Iuravi.* Hoc igitur teneamus. Statim idem: *Lugeat Attin.* non *Atyn.* Gronovius.

690. *Attin.*] Suprà ad vers. 676. De Atti ab Arnobio, Eusebio & Fulgentio, post Epicharmum, Sosidem Atticum, aliosque multa digna lectione & cognitu jucunda referuntur. *Delrius.*

693. *Sacratas*] Apollini. *Farnab. Diripis capiti infulas?*] Flor. rectius *deripis.* Sequenti: *maxime superos putem.* Gronovius. *Deripis*] Quia promisso & fuso capillo vaticinabantur. Plautus: *Hariolus fiam, capillum promittam.* Tibullus lib. 2. *Hæc cecinit vates, & te sibi Phœbe vocavit: Iactavit fusâ sed caput ante comâ.* Delrius. *Infulas?*] Filamenta lanea. *Farnab.*

695. *Vicere*] Extrema sunt mea mala, quibus ipsi dii ulteriora superaddere non possunt. *Idem.*

700. *Tumuli*] Achillis tumulus bibit sanguinem Polyxenæ sororis. Troad.

Quid illa felix turba fraterni gregis?
Exhausta nempe: regia miseri senes
Vacua relicti, totque per thalamos vident,
Præter Lacænam, cæteras viduas nurus.
Tot illa regum mater, & regimen Phrygum
Fœcunda in ignes Hecuba, fatorum novas
Experta leges, induit vultus feros.
Circa ruinas rabida latravit suas,
Troiæ superstes, Hectori, Priamo, sibi.
Chor. Silet repente Phœbas, & pallor genas,
Creberque totum possidet corpus tremor.
Stetere vittæ. mollis horrescit coma.
Anhela corda murmure incluso fremunt.
Incerta nutant lumina; & versi retro
Torquentur oculi. rursus immites rigent.
Nunc levat in auras altior solito caput

Gra-

Troad. vers. 360. *Farn. Aræ*] Iovis Hercii ara bibit fratris Polytis sanguinem Priamique patris mei. Troad. vers. 25. *Idem.*

702. *Regiam miseri senis Vacuam relinqui,*] Habet aliquid scrupuli *ut videant.* qui enim? Itaque alii conjiciunt, *relicti*, vel *videt*, ut de Hecuba intelligatur. Sed melius Etruscus: *regia miseri senes Vacua relicti.* Intellige de vilibus seniculis, quos in Troiæ ruinis reliquerant Græci tanquam inutile pondus. *Vident* autem, est cogitant, sciunt, recordantur, commemorant. *Gronovius. Miseri*] Priami. *Farnabius.*

703. *Totque*] *Quinquaginta intus thalami, spes tanta nepotum.* Vid. v. 32. Troad. *Idem.*

704. *Lacænam*,] Helenam, quæ Paridi, deinde Deiphobo fuerat nupta. *sed hoc indignanter.* Idem.

705. *Tot illa*] Troad. vers. 32. *Id. Regimen*] Regina. *Idem.*

706. *In ignes*] Liberos immaturis rogis crematos. alii ad Paridem referunt. Vide Troad. vers. 36. *Idem. Fatorum*] Mutata in canem. Troad. vers. 978. *Idem.*

707. *Induit vultus*] Mutata fuit Hecuba in canem, juxta Euripidem, Lycophronem, & Asclepiadem. alii, quia, ut fures canis latratu, Græcos Hecuba maledictis & convitiis sit insecuta, fabulam confictam volunt, in Menæchm. Plautus, & Cicero 3. Tusc. *Delrius.*

710. *Silet repente*] Cassandra *afflata est numine Phœbi Iam propiore.* Farnabius. Ex sequentibus nonnulla ad Virgilii Æneid. 6. *Delrius. Pallor*] *Non vultus, non color unus.* Farnabius.

712. *Stetere*] Inhorruere. *Non compt æ mansere comæ.* Idem.

713. *Anhela*] *Pectus anhelum. Et rabie fera corda tument.* Idem.

714. *Incerta*] *Torquet ad hæc oculos totoque vagantia cœlo Lumina.* Id.

716. *Levat caput*] Flexibile caput fanatici jactabant. unde Vivianus I. C. *Si servus inter fanaticos non semper caput jactaret.* l. 1. D. de ædilit. edict. *Delrius. Altior*] *Majorque videri Nec mortale sonans.* Farnabius.

Graditurque celsa. nunc reluctantes parat
Referare fauces; verba nunc cluso male
Custodit ore, Mænas impatiens dei.
Cass. Quid me furoris incitam stimulis novi,
Quid mentis inopem sacra Parnassi juga
Rapitis? recede, Phœbe. jam non sum tua.
Extingue flammas pectori infixas meo.
Cui nunc vagor vesana? cui bacchor furens?
Jam Troia cecidit. falsa quid vates ago?
Ubi sum? fugit lux alma, & obscurat genas
Nox alta, & æther abditus tenebris latet.
Sed ecce gemino sole præfulget dies;
Geminumque duplices Argos attollit domos.
Idæa cerno nemora. fatalis sedet
Inter potentes arbiter pastor deas.
Timete reges, moneo, furtivum genus.
Agrestis ille alumnus evertet domum.
Quid ista vecors tela fœmineâ manu
Destricta præfert? quem petit dextrâ virum
Lacæna cultu ferrum Amazonio gerens?

Quæ

718. *Cluso*] Murmurat. *Farnab.*

719. *Mænas*] Vates furibunda. Oed. vers. 436. *Idem. Impatiens*] *At Phœbi nondum patiens immanis in antro Bacchatur vates magnum si pectore possit Excussisse deum.* Idem.

720. *Stimulis*] Vt divina. fatidici spiritus impetu. *Et stimulos sub pectore vertit Apollo.* Idem.

721. *Sacra*] Phœbo sacra. *Idem.*

722. *Non sum tua.*] Sed Agamemnonis. *Idem.*

723. *Flammas*] Divinationem. *Id.*

724. *Cui nunc*] In cujus nunc tandem usum & utilitatem vaticinor. *Id.*

725. *Falsa*] Non credita. Troad. vers. 35. *Idem.*

728. *Sed ecce*] *Et solem geminum & duplices se ostendere Thebas.* Entheis ut & ebriis dupla se ostentant objecta propter oculorum musculos, vel spiritus ardore contractos vel humiditate solutos, unde oculus alter in superna contruditur, in imum dejicitur alter, ita uterque sua apprehendit. *Idem.*

730. *Idæa*] Montis Idæ. ubi Paris tulit sententiam de malo aureo. *Idem.*

731. *Arbiter*] Paris. respicitque ad Ægisthum, quem postea vocat agrestem alumnum, Agamemnoni Mycenisque non minus fatalem quam Troiç Patidem. *Idem.*

732. *Furtivum*] Furtiva Venere natum Ægisthum. *Idem.*

733. *Agrestis ille alumnus*] Mox enim ut natus, projectus est & à capris nutritus, unde nomen. *Idem.*

736. *Lacæna*] Clytæmnestra. *Id. Cultu ferrum Amazonio*] Delrius notavit olim *Amazonium* legi in omnibus scriptis: sed præterea, *Lacæna*

ferrum

Quæ versat oculos alia nunc facies meos?
Victor ferarum colla vexatus jacet
Ignobili sub dente Marmaricus leo,
Morsus cruentos passus audacis leæ.
Quid me vocatis sospitem solam è meis,
Umbræ meorum? te sequor, totâ pater
Troiâ sepulte. frater, auxilium Phrygum,
Terrorque Danaûm, non ego antiquum decus
Video, aut calentes ratibus exustis manus:
Sed lacera membra, & saucios vinclo gravi
Illos lacertos. te sequor, nimium cito
Congresse Achilli Troile. incertos geris
Deiphobe vultus, conjugis munus novæ.
Juvat per ipsos ingredi Stygios lacus;
Juvat videre Tartari sævum canem,
Avidique regna Ditis. hæc hodie ratis

Phlege-

ferrum cultu. Certe & nobis ubique occurrit *Amazonium*, non *Amazonio.* Liber optimus: *Lacæna vultu, ferrum Amazonium gerens.* Facies & habitus corporis Laconicus, ferrum Amazonis. *Gronovius. Cultu*] More Amazonio armata. *Ferrum*] Bipennem, securim. *Farnabius.*

738. *Colla vexatus jacet*] Tacitus lib. 6. Annal. *fauceſque jam exanimis laqueo vexatæ.* Cur ergo Florent. *colla ſublimis jacet.* An, *colla ſubciſus*? Gronovius.

739. *Ignobili*] Reſpicit ad Ægiſthum ex inceſtu natum. *Farnabius. Marmaricus*] Ingens & fortis leo, quales in Marmarica regione Africæ verſus Ægyptum. *intelligit autem Agamemnona.* Idem.

740. *Leæ.*] Clytæmneſtræ. *Idem.*

743. *Troiâ*] Troad. verſ. 29. *Idem. Frater,*] Hector, loquitur juxta communem ſententiam. nam Porphyrius teſtimoniis Ibyci & aliorum probat Hectorem non Priami, ſed Apollinis filium fuiſſe. vide Scholiaſtem Homeri Iliad. γ'. *Delrius. Auxilium*] Hector, quo ſtante ſtetit Ilium. Troad. v. 31. & columen patriæ, &c. v. 120. Troad. *Farnabius.*

744. *Non ego*] Non exuvias indutum Achillis. *Idem.*

745. *Aut calentes*] *Non Danaum Phrygios jaculantem puppibus ignes.* Idem.

746. *Sed lacera*] Sed per *pedes trajectum lora tumentes Raptatum bigis.* Vide Troad. verſ. 742. *Idem. Vinclo gravi Fortes lacertos.*] Flor. *Illos lacertos.* Qua vi Cicero Philipp. 2. *Tu iſtis faucibus, iſtis lateribus, iſta gladiatoria totius corporis firmitate.* Gronov.

747. *Nimium*] *Infelix puer atque impar congreſſus Achilli.* Farnabius.

748. *Incertos*] Quem *lacerum crudeliter ora*, &c. *Vix adeo agnovit Æneas 6. Æn. Idem.*

749. *Conjugis*] Helenæ, à qua, ſuprema nocte, proditus eſt Græcis. *Idem.*

752. *Ratis*] Charonis cymba, *quam videre entheæ ſibi videtur.* Idem.

754. *Victam-*

Phlegethontis atri regias animas vehet,
Victamque, victricemque. vos, Umbræ, precor,
Jurata superis unda te pariter precor,
Referate paulum terga nigrantis poli,
Levis ut Mycenas turba prospiciat Phrygum.
Spectate miseri. fata se vertunt retro.
Instant sorores squallidæ.
Sanguinea jactant verbera.
Fert læva semustas faces.
Turgentque pallentes genæ,
Et vestis atri funeris
Exesa cingit ilia;
Strepuntque nocturni metus,
Et ossa vasti corporis
Corrupta longinquo situ
Palude limosa jacent.
Et ecce defessus senex
Ad ora ludentes aquas
Non captat, oblitus sitis,
Mœstus futuro funere.
Exultat, & ponit gradus
Pater decoros Dardanus.

Chor.

754. *Victamque,*] Meam, & Agamemnonis. *Farnabius.*

755. *Iurata*] Styx. Hercul. Fur. vers. 606. & 11. 1103. *Idem.*

756. *Nigrantis*] Antarctici. & *quem sub pedibus nox atra videt manesque profundi.* Hercul. Fur. vers. 606. & 1103. *Idem.*

757. *Levis*] Vt umbræ Troianorum videant Agamemnona Mycenarum regem ab uxore cæsum, ad suum solatium, veluti inferias sibi relatas. *Id.*

759. *Sorores*] Furiæ. Thyest. v. 78. Med. vers. 957. *Idem.*

762. *Ardentque pallentes gena,*] Fl. cum Lipsiano: *Turgentque.* Medea: *lumina huc tumida alleva, Ingrate Iason.* Cicero in Vatinium: *oculis eminentibus, inflato collo, tumidis cervicibus.* Suetonius Tiberio: *semel omnino ex occursu visam adeo contentis & tumentibus oculis prosecutus est.* Gronov.

763. *Atri*] Funesti apparatus & ominis. *Farnabius.*

766. *Vasti*] Gigantum. *Idem.*

769. *Defessus*] Tantalus. Thyest. vers. 152. *Idem.*

772. *Mœstus*] Propter imminentem sui pronepotis necem. *Idem.*

773. *Exultat,*] Lætatur Dardanus in ultionem prolis suæ. *Idem.*

774. *Pater*] Tritavus Cassandræ. *Idem.* Tritavus, nam Dardanus genuit Erichtonium, hic Troëm. Tros Ilum, Laomedontem Ilus, Laomedontis filius Priamus genuit Cassandram,

Chor. Jam pervagatus ipse se fregit furor,
Caditque; flexo qualis ante aras genu
Cervice taurus vulnus incisa gerens.
Relevemus artus entheos. tandem suos
Victrice lauro cinctus Agamemnon adit;
Et festa conjux obvios illi tulit
Gressus. reditque juncta concordi gradu.

dram, Homerus Iliad. 20. & Dionys. Halicarnass. lib. 1. vide de Dardano Schol. Apollonii lib. 1. v. 916. *Delr.*

775. *Pervagatus*] Phœbas recedente spiritu exanimis cadit. *Farnab.*

776. *Qualis ante aras gradu*] Immo genu, ut Flor. Idem: *Vulnus incertum gerens.* Gronovius.

778. *Relevemus artus entheos. tandem*] Non improbandum. Flor. tamen: *artus. en deos tandem suos Victrice lauru.* Idem. *Entheos.*] Oed. vers. 628. *Farnabius.*

779. *Victrice*] Suprà v. 384. *Idem.*

780. *Conjuxque pariter obvios*] Quod multo rectius codicem aliorum habere fatentur: *Et festa conjux obvios:* confirmat Florentinus. *Gronov.*

ACTUS QUARTUS.

AGAMEMNON. CASSANDRA.

Agamemnoni reduci prædicit Cassandra fatum, nec creditur. Troad. vers. 34.

Agam. Tandem revertor sospes ad patrios lares.
O cara salve terra. tibi tot Barbaræ
Dedere gentes spolia. tibi felix diu
Potentis Asiæ Troia submisit manus.
Quid ista vates corpus effusa, ac tremens
Dubia labat cervice? famuli, attollite.
Refovete gelido latice. jam recipit diem
Marcente visu. suscita sensus tuos.
Optatus ille portus ærumnis adest.
Festus dies est. *Cass.* Festus & Troiæ fuit.

Agam.

783. *O cara*] Vide quæ ad v. 386. suprà. *Farnabius.*

786. *Cur ista vates*] Florent. *Quid ista vates.* Illud ab interprete. *Gron.* *Vates*] Cassandra à furore exanimis: quam cum cæteris captivis Agamemn. præmiserat dono Clytæmnestræ. *Farnabius.*

788. *Refovete*] Frigida enim in faciem λεπτοψυχίας adsperse, spiritus, qui ad faciem plurimi venire solent cogit, quibus congregatis redeunt sensibus functiones. *Idem. Diem*] Lucem. *Idem.*

791. *Festus*] Quo periit. *tu nostro exemplo festos cave.* Idem.

792. *Aras*

Agam. Veneremur aras. *Cass.* Cecidit ante aras pater.
Agam. Jovem precemur pariter. *Cass.* Herceum Jovem?
Agam. Credis videre te Ilium? *Cass.* Et Priamum simul.
Agam. Heic Troia non est. *Cass.* Ubi Helena est, Troiam puto.
Agam. Ne metue dominam famula. *Cass.* Libertas adest.
Agam. Secura vive. *Cass.* Mors mihi est securitas.
A. Nullum est periclum tibimet. *C.* At magnum tibi est.
Agam. Victor timere quid potest? *Cass.* Quod non timet.
Ag. Hanc fida, famuli, turba, dum excutiat Deum,
Retinete, ne quid impotens peccet furor.
At te, pater, qui sæva torques fulmina,
Pellisque nubes, sidera & terras regis,
Ad quem triumphi spolia victores ferunt;
Et te sororem cuncta pollentis viri,
Argolica Juno, pecore votivo libens
Arabumque donis, supplice & fibra colam.

CHO-

792. *Aras*] Troad. v. 45. *Farn.*

794. *Et Priamum*] Te scil. mox interficiendum, ut Priamum. *Idem.*

795. *Vbi Helena est, Troiam puto.*] Lucanus lib. 5. *Tarpeia sede perusta Gallorum facibus, Veiosque habitante Camillo, Illic Roma fuit.* Gronovius. *Vbi Helena est,*] Vbi mala & adultera mulier est, *qualis uxor tua Clytæmnestra.* namque Helena jam in Ægypto erat. *Farnabius.* Non aderat ibi; sed furens Cassandra vider, quæ non erant. Helenæ impuri mores noti. rapta à Theseo, post nupsit Menelao, hujus thorum reliquit, adulterum Paridem secuta. nec Paridi fida, sed in Ilio cum privigno Corytho, Paridis & Oenones filio, commisit incestum, juxta Hellanicum in Troicis & Cephalonem Gergithium, Nicandrum. *Delrius.*

796. *Ne metue*] *Quod etiam ille de Clytæmnestra subintelligens respondet,* non erit cur Clytæmnest. ut dominam metuas, quæ mihi dilecta es. *Farnab. Libertas*] Per mortem vicinam. *Id.*

800. *Deum,*] Phœbi numen, quo afflatur. *Idem.*

801. *Ne quid*] Ne sibi manum inferat. *Idem.*

804. *Ad quem triumphi*] Iovi deferebantur & dicabantur triumphalia spolia, Romæ *Feretrio*, in Græcia Νικηφορίῳ; de quo Livius belli Macedonici lib. 2. & Spartianus in Hadriano: vel alludit ad Iovem *Prædatorem*, cui pars aliqua prædæ debita, teste Servio 3. Æneid. vel denique ad Iovem τροπαῖον seu τροπαιοῦχον, cujus mentio apud Plutarchum, Pausaniam & Aristidem. Sed & Romanis Iupiter *Triumphator.* Deltrius.

805. *Te sororem*] Supr. v. 341. *Farn.*

807. *Arabumque donis,*] Thure. *Id. Fibra*] Thyest. vers. 754. *Idem.*

809. *Ira-*

CHORUS ARGIVARUM.

Chorus Argivarum Herculis laudes canit nutriti scilicet Argis, cujusque sagittæ fato poscebantur ad secundum Troiæ excidium.

Argos nobilibus nobile civibus,
Argos iratæ carum novercæ,
Semper ingentes educas alumnos;
Imparem æquasti numerum deorum:
Tuus ille bisseno meruit labore
Allegi cœlo magnus Alcides;
Cui lege mundi Juppiter rupta
Roscidæ noctis geminavit horas,
Jussitque Phœbum tardius celeres
Agitare currus, & tuas lente
Remeare bigas, pallida Phœbe;
Retulit pedem, nomen alternis
Stella quæ mutat, seque mirata est
Hesperum dici; Aurora movit

Ad

809. *Iratæ*] Iunoni Iovis ex pellicibus liberis infestæ. *Farnab. Carum*] Suprà vers. 34. *Idem.*

810. *Alumnos;*] Et in his Herculem, qui Heben duxit uxorem, deorumque (non magnorum illorum qui duodecim, neque selectorum qui octo,) numerum prius imparem æquavit. *vel intellige* de tribus diis communibus, Marte, Bellona, Victoria, quibus additus Hercules. Potest & de Diis patriis intelligi qui ex Argivis seu Argis educati in deos relati sunt. Vide Hercul. Fur. vers. 24. *Idem.*

815. *Geminavit*] Seneca hic & in Hercule Oetæo, docet Herculem duabus noctibus fuisse genitum, ut Propertius lib. 2. *Iuppiter Alcmenæ geminas requieverat Arctos, Et cœlum noctu bis sine rege fuit.* Lycophron adjicit unam noctem; Clemens Alexandrinus liberalior in προτρεπτ. inquiens; ὁ Ζεὺς ἐκεῖνος, ὁ μετ' Ἀλκμήνης τοσαύτας ἡδυπαθήσας νύκτας. οὐ γὰρ αἱ νύκτες αἱ ἐννέα τῷ ἀκηλάστῳ μακραί, &c. & Arnobius, hoc imitatus lib. 4. contra gentes, ait; *Hercules natus est, qui in rebus hujusmodi patris sui transiret exsuperaretque virtutes. ille noctibus vix novem, unam potuit prolem extundere, concinnare, compingere: at Hercules, Sanctus deus, natas de Thespio quinquaginta nocte una perdocuit, & nomen virginitatis ponere, & genitricum pondera sustinere.* Idem.

818. *Bigas,*] Bigas Lunæ tribuunt (ut soli quadrigas) quam trahunt equi, tauri, muli, vel cervi, quorum alter ater, albus alter. *Idem. Candida Phœbe;*] Flor. *pallida Phœbe: Retulit pedem nomen alternis Stella quæ mutat.* Lipsianus quoque *pallida.* Gronovius.

819. *Alternis*] Veneris stella. Vid. Hippol. v. 748. & Med. v. 71. *Farnab.*

820. *Seque*] Cum debuisset Lucifer appellari, id est, quod non matutinus ortus sit spatio solito. *Idem.*

823. *Impo-*

Ad ſolitas vices caput, & relabens
Impoſuit ſenis humero mariti.
Senſit Ortus, ſenſit Occaſus,
Herculem naſci. violentus ille
Nocte non una poterat creari.
Tibi concitatus ſubſtitit mundus.
O puer magnum ſubiture cœlum!
Te ſenſit Nemeéus arcto
Preſſus lacerto fulmineus leo,
Cervaque Parrhaſis.
Senſit Arcadii populator agri.
Gemuitque taurus, Dictæa linquens
Horridus arva.
Morte fœcundum domuit draconem,
Vetuitque collo pereunte naſci,
Geminoſque fratres pectore ab uno
Tria monſtra natos, ſtipite incuſſo
Fregit inſultans: duxitque ad ortus
Heſperium pecus,
Geryonæ ſpolium triformis.

Egit

823. *Impoſuit ſenis humero mariti.*] Fl. *Impoſuit ſeni collum marito.* Gron. *Mariti.*] Tithoni. *Farnabius.*

824. *Senſit*] Phœbei itineris intermiſſi deſiderio. *Idem.*

825. *Violentus*] Τεχθῆναι γὰρ ἔδην μέγαν καὶ πολυάθλιον θεόν. τοῦτον οὖν ἐν μιᾷ νυκτὶ ἀποτελεσθῆναι ἀδύνατον. *Idem.*

827. *Tibi*] Tibi genito. *Idem.*

829. *Nemeæus*] Herc. Fur. v. 223. & 83. *Idem.*

830. *Fulmineus*] Rapidus, impotens. quod epitheton apro magis convenit, cujus irati urunt dentes. *Idem.*

831. *Cervaque Parrhaſis.*] A Parrhaſia urbe Arcadiæ, vide Hercul. Fur. verſ. 221. *Idem.* Hoc ordine recenſet labores Herculis: 1. Nemeæum leonem. 2. aëripidem cervam. 3. aprum Arcadium. 4. Cretenſem taurum. 5. hydram Lernæam. 6. Geryonem. 7. Diomedem. 8. Hippolytes Amazonis baltheum. 9. Stymphalides. 10. Heſperidum draconem. 11. Cerberum. 12. Ilii expugnationem. *Delrius.*

832. *Populator*] Aper, ſus Erymanthius. *Farnabius.*

833. *Taurus*] Qui Neptuni ira in Cretam miſſus trajecit in Peloponneſum, ubi ab Hercul. cæſus eſt. *Idem.*

835. *Morte fœcundum*] Hydram: Hercul. Fur. verſ. 240. *Idem.*

837. *Geminoſque*] Trigeminum Geryona. Hercul. Fur. verſ. 230. *Idem.* *Pectore ab uno*] Flor. *Pectore ex uno.* Et mox: *Geryonæ ſpolium triformis.* non *Geryonis.* Gronovius.

840. *Heſperium*] Armenta Hiſpana. *Farnabius.*

842. *Threi-*

Egit Threicium gregem,
Quem non Strymonii gramine fluminis,
Hebrive ripis pavit tyrannus;
Hospitum dirus stabulis cruorem
Præbuit sævis; tinxitque crudos
Ultimus rictus sanguis aurigæ.
Vidit Hippolyte ferox
Pectore in medio rapi spolium: & sagittis
Nube percussa Stymphalis alto
Decidit cœlo.
Arborque pomis fertilis aureis
Extimuit manus insueta carpi,
Fugitque in auras leviore ramo:
Audivit sonitum crepitante lamna
Frigidus custos nescius somni,
Linqueret cum jam nemus omne fulvo
Plenus

842. *Threicium*] Equos Diomedis regis Thraciæ. Hercul. Fur. vers. 225. *Farnabius.*

843. *Strymonii*] Thraciæ fl. *Idem.*

844. *Tyrannus;*] Ipse Diomedes suis equis ab Hercule objectus. *Idem.*

848. *Hippolyte*] Herc. Fur. v. 542. *Idem.*

849. *Rapi spolium & sagittas.*] De sagittis Amazoni ab Hercule ablatis altum ubique silentium. Iraque conjecerat Delrius: *spolium*, *& sagittis Nube percussa.* Egregie. Gruterus tamen divertere alios ad conjecturas ait, non sc. nam & sagittas Amazoni ablatas innuere nostrum Hercule Oetæo v. 972. ubi legit, *Sarmatica & manus Intendere arcum tela missurum valent.* Sed ineptissima est illa lectio: nec Herculis sagittæ magis *Sarmatica* quam *Persica* aut *Parthica tela* dici possunt. An alias sagittas non habuit quam ab Amazonibus acceptas? An omnes Scythæ Sarmatæ? Tu lege & explica cum Delrio, *sagittis* nube percussa decidisse Stymphalides. Quæ si mera conjectura esset, dubium nullum relinqueretur. Nunc sic & Florentinus. *Gronovius.*

Spolium,] Baltheum militarem, quem gerebant virgines illæ unimammæ. Virg. Æneid. v. *Alter Amazoniam pharetram, plenasque sagittis Threicia; lato quem circumplectitur auro Balteus, & teretisubnectit fibula gemmâ.* Delr.

850. *Nube*] Herc. Fur. vers. 243. *Farnabius.*

852. *Arborque*] Herc. Fur. v. 238. *Idem.*

853. *Manus*] Manus Herculis carpentis spoliantisque arborem. *Idem.*

855. *Crepitante*] Ramo aureo. sic Virg. *leni crepitabat bractea vento.* Id. *Lamna*] Pro, lamina. Sic vocat aurea poma Hesperidum. Sic in Florentinis Pandectis *lamna* scriptum est, l. Q. Mucius 27. §. fin. D. de aur. arg. leg. differt autem lamina à bractea, ut docet Valla; quamvis D. Hieronymus ad Fabiolam ea confuderit. Vide Catellianum Cottam, in voce *Lamina. Delrius.*

856. *Frigidus*] Venenosus draco, pervigil Hesperidum horti custos. *Farnabius.*

Plenus Alcides vacuum metallo.
Tractus ad cœlum canis inferorum
Triplici catena, tacuit, nec ullo
Latravit ore; lucis ignotæ
Metuens colorem. te duce succidit
Mendax Dardaniæ domus,
Et sensit arcus iterum timendos:
Te duce concidit totidem diebus
Troia, quot annis.

858. *Plenus*] Aureis malis onustus. *Farnabius.*

859. *Canis*] Cerberus, Hercul. Fur. vers. 820. *Idem.*

862. *Colorem*] Ipsa lux colorata non est, sed color sine luce cerni non potest, teste Aristotele lib. περὶ αἰσθήσεως, & Lucretio lib. 2. hoc sensu color luci à poëtis tribuitur, quia colores illa prodit, quos celant tenebræ. *Delrius.*

862. *Mendax*] Perjura, perfida, promissis non stans. Vide Troad. 131. & 726. *Farnabius.*

864. *Iterum*] Troad. vers. 133. *Idem.*

865. *Totidem diebus*] Decimo igitur die Hercules Troiam expugnavit, quod non memini alibi legere. *Delr.*

866. *Quot annis.*] Decem. *Farn.*

ACTUS QUINTUS.

CASSANDRA.

Cassandra vel illa non videns vaticinatur, vel in proscenio stans, quæ intus & in ἐξώστρᾳ gerantur de cæde Agememnonis narrat.

Res agitur intus magna, par annis decem.
Heu, quid hoc est? anime, consurge, & cape
Pretium furoris. vicimus victi Phryges,
Bene est! resurgis Troia. traxisti jacens
Pares Mycenas. terga dat victor tuus.
Tam clara nunquam providæ mentis furor
Ostendit oculis. video, & interfum, & fruor.
Imago visus dubia non fallit meos.

Specta-

867. *Par*] Cujus atrocitas decennales labores nostros æquat aut etiam superat. *Farnabius.*

869. *Pretium*] Hostis cæde & vindicta compensatum Phœbei numinis te fatigantis cruciatum. *Idem. Vicimus*] Hostium imperatore cæso. *Id.*

871. *Pares*] Tuæ ruinæ corruentes. *Idem. Terga dat*] Vincitur. *Id.*

872. *Tam clara*] Tam evidentia & grata, sic enim ipsa exponit, vers. seq. *Idem.*

874. *Imago*] Quod in furore entheo non raro fit. *Idem.*

875. *Specta-*

Spectamus. epulæ regia instructæ domo,
Quales fuerunt ultimæ Phrygibus dapes,
Celebrantur. ostro lectus Iliaco nitet;
Merumque in auro veteris Assaraci trahunt:
Et ipse picta veste sublimis jacet
Priami superbas corpore exuvias gerens.
Detrahere cultus uxor hostiles jubet,
Induere potius conjugis fidæ manu
Textos amictus. horreo, atque animo tremo.
Regemne perimet exul, & adulter virum?
Venêre fata. sanguinem extremæ dapes
Domini videbunt, & cruor Baccho incidet.
Mortifera vinctum perfidæ tradet neci
Induta vestis. exitum manibus negat,
Caputque laxi & invii cludunt sinus.
Haurit trementi semivir dextra latus,
Nec penitus adigit: vulnere in medio stupet.

At

875. *Spectamus. epulæ*] Florent. *Spectemus.* Satis enim dixerat rem oculis ostendi, & se videre & interesse & frui, & nullo dubio falli. Nunc, age, inquit, ne tam gratum spectaculum visus cito prætereat, contemplemur intenti, & omnem notemus ordinem facinoris. *Gronovius. Epulæ*] Interfectus enim est Agamemnon δειπνήσας, ut ipse narrat Odyss. λ. *Farnab.*

876. *Quales*] Suprà vers. 785 *Id.*

877. *Iliaco*] Ex præda Ilii. *Idem.*

878. *Veteris*] Regis antiqui Phrygum. Sic Virgil. *Implevitque mero pateram, quam Belus & omnes A Belo soliti.* Idem.

879. *Picta*] Phrygionum opere. *Id.*

881. *Hostiles*] Illos ex hoste raptos, illas Priami exuvias. *Idem.*

884. *Exul,*] Ægisthus sup. v. 289. *Idem.*

885. *Extremæ*] Secundæ mensæ *Id.*

886. *Baccho*] Poculo philotesio, quo convivia claudere solebant, id est, sub finem convivii interficietur. *Id.*

887. *Mortifera*] Heinsius legi vult: *Mortifera vinctum perfidæ tradet neci Induta vestis. exitum manibus negat, Caputque laxi, &c.* Et hanc lectionem sequimur. *Id.* Videtur quoque scripsisse Seneca, *negant*, nempe *sinus.* Gron.

888. *Vestis.*] Vestis ἄπειρον exitum capiti non præbens. *Farnabius.*

889. *Invii*] Ideo hanc vestem vocant ἄπειρον, Sophocles in Polyxenâ, Euripides in Electra, & Philostratus in Cassandræ imagine, ubi hanc cædem & convivium ornate describit. *Delr.*

890. *Semivir*] Ægisthus mollis & meticulosus. *Farnabius.*

891. *Nec penitus adigit:*] Mogunt. Herbip. & Ven. *agit.* Idem nos in Vossiano & aliis invenimus. Credo & in pluribus fuisse, sed neglexerunt, quia vitiat versum. Significabat autem, quod est in optimo: *Nec penitus egit.* Elegantia, quam superius notavimus præteriti vicem præsentis. Simul enim & fit & factum est, dum narratur. Intellige autem ferrum. *Gronov.*

At ille, ut altis hispidus silvis aper,
Cum casse vinctus tentat egressus tamen,
Arctatque motu vincla, & incassum furit:
Cupit fluentes undique & cœcos sinus
Dissicere; & hostem quærit implicitus suum.
Armat bipenni Tyndaris dextram furens.
Qualisque ad aras colla taurorum prius
Designat oculis, ante quam ferro petat:
Sic huc & illuc impiam librat manum.
Habet. peractum est. pendet exigua male
Caput amputatum parte, & hinc trunco cruor
Exundat, illinc ora cum fremitu jacent,
Nondum recedunt. ille jam exanimem petit,
Laceratque corpus. illa fodientem adjuvat.
Uterque tanto scelere respondet suis.
Hic est Thyeste natus, hæc Helenæ soror.
Stat ecce Titan dubius emerito die,

Suáne

892. *Ille,*] Agamemnon. *Farnab.*

895. *Et cœcos sinus Dissicere;*] *Dissicere,* inventum, aiunt, à propolis istarum mercium (fastus ac lepos magistrorum) in membranis diversorum auctorum, & ab ipso, qui Criticus audire non vult, hic in Mogunt. Herbip. Ven. apparet etiam in Etrusco, Vossiano, meo. Potissimus autem & insignis propola istius mercis (ut istorum sermone utar) fuit Claudius Puteanus, vir ingenio, doctrina, dignitate, probitate ac fide non modo supra omnes supercilioso magistros, sed inter rarissimos seculi. *Gronov. Cœcos*] Involventes nec exitum habentes. *Farnabius.*

897. *Armat*] *Tyndaris illa bipennim Insulsam, & fatuam dextra lavaque tenebat.* Idem.

898. *Qualisque*] Ὡς μὲν τε κατέκτανε βοῦν ἐπὶ φάτνῃ, &c. Agam. de se apud Hom. Odyss. λ. *Idem.*

901. *Habet.*] Scil. vulnus. Formula à ludo gladiatorio sumpta, ubi si gladiatorum alter vulnus accepisset, acclamabat adversarius & spectatores, *Hoc habet.* Idem. *Pendet*] Non integre & fortiter amputatum. *Idem.*

904. *Exanimem petit,*] Fl. *exanime.* Vt videatur legendum, quod & placuit Nic. Heinsio: *ille jam examine impetit Laceratque corpus.* Gronov. Hoc vel timidi est, vel ira furentis, vel crudelis; hic timidi potius videtur. *Delrius.*

905. *Illa fodientem*] Sic apud Euripidem Electra Orestem adjuvat in Clytæmnestra necanda. *Idem.*

907. *Hic est Thyeste natus,*] Fl. *Est hic.* Forsan & potius *Thyestæ.* Gron. *Thyeste*] Perfido, adultero, liberorum suorum helluone, incesto. *Farnabius.*

907. *Helenæ*] Adulteræ, & crudelis quæ Deiphobum maritum Menelao & hostibus dilaniandum prodidit. *Idem.*

908. *Emerito*] Finito. Sumpta Metaphora ab operariis, servis, militibus. *Idem.*

909. *Suá-*

Suáne currat, an Thyeſteâ viâ.

909. *Suáne*] Procedatne curſu ſuo, an facinus hoc abominatus retrocedat, ut in Thyeſtæa cœna. Thyeſt. act. 4. & 5. *Farnabius.*

* ELECTRA. STROPHIUS. ORESTES ET PYLADES. Mutæ Perſonæ.

Electra fratri ſuo Oreſti ſubducto fugam ſuadet, eumque Strophio opportune occurrenti tradit abducendum; ipſa ad aram confugit.

El. Fuge, ô paternæ mortis auxilium unicum,
Fuge, & ſceleſtas hoſtium evita manus.
Everſa domus eſt funditus. regna occidunt.
Hoſpes quis iſte concitos currus agit?
Germane, vultus veſte furabor tuos.
Quos, anime demens, refugis? externos fugis?
Domus timenda eſt. pone jam trepidos metus,
Oreſta. amici fida præſidia intuor.
Stroph. Phocide relicta Strophius, Elea inclitus
Palma revertor. cauſa veniendi fuit,
Gratari amico, cujus impulſum manu
Cecidit decenni Marte concuſſum Ilium.
Quænam iſta lacrimis lugubrem vultum rigat,
Pavetque mœſta? regium agnoſco genus.

Ele-

* ELECTRA.] Flor. ita perſonas rubrica prænotat. *ELECTRA FVGIENS. ORESTES TACITVS.* Gronovius.

910. *O paternæ*] Paternæ mortis ulciſcendæ ſpes unica. *Farnabius.*

911. *Hoſtium*] Matris & Ægiſthi. *Idem.*

913. *Quis iſte celeres concitus*] Fl. *Hoſpes quis iſte concitus.* Recte; modo juves legendo *concitos.* Gronovius. *Quis iſte*] Conſpecto è longe Strophio metuit, puerumque occulit. *Farnabius.*

914. *Furabor*] Tegam, clepam, vide Hercul. Fur. verſ. 798. *Idem.*

915. *Quos, anime demens, refugis? externos fugis?*] Lipſianus liber: *Quid anime demens, refugis externos metus?* Flor. *Quid, anime demens, refugis? externos times?* Idque ſatis placet. Et (mirum) hoc ipſum pro conjectura margini adſcripſit Grotius. *Gronovius. Quos, anime*] Suum corripit metum, quod peregrinum timeret, cum ſui timendi potius eſſent.

918. *Phocide*] Erat autem Strophius Phocidis rex Anaxibiæ ſororis Agamemnonis filius, & Pyladis pater. *Farnabius. Elea*] Curuli certamine victor in ludis Olympiacis. Vide Hercul. Fur. verſ. 839. *Idem.*

920. *Amico,*] Agamemnoni meo cognato. *Idem.*

923. *Regium*] Filiam regis eſſe. *Idem.*

Electra, fletus causa quæ lætâ in domo est?
El. Pater peremptus scelere materno jacet.
Comes paternæ quæritur natus neci.
Ægisthus arces Venere quæsitas tenet.
Stroph. O nulla longi temporis felicitas!
El. Per te parentis memoriam obtestor mei,
Per sceptra terris nota, per dubios deos,
Recipe hunc Oresten, ac pium furtum occule.
Stroph. Etsi timendum cæsus Agamemnon docet,
Aggrediar, & te, Oresta, furabor libens.
Poscunt fidem secunda, at adversa exigunt.
Cape hoc decorum ludicri certaminis
Insigne

924. *Electra,*] Tunc temporis Laodice dicebatur, postea autem Electra vocati cœpit. Ælian. var. hist. lib. 4. *Delrius. Luctus causa quæ lætâ*] Flor. *fletus causa quæ lætâ in domo est?* Gron. *Lætâ*] Reverso Agamemnone. *Farnabius.*

926. *Comes*] Orestes quæritur, ut interficiatur. *Idem.*

927. *Arces*] Thyest. vers. 453. & 640. *Idem.*

929. *Te per parentis*] Quis hoc nuperis editionibus impegit? Et Mss. enim & editi non modo antiqui, sed etiam à Fabricio & Delrio: *Per te parentis memoriam.* Gronovius.

930. *Terris*] Recenti victoria. *Farn. Dubios*] Memor idem tibi posse contingere. *Idem.*

932. *Etsi timendum cæsus Agamemnon*] Florent. *Etsi timendum quid sit, Agamemnon docet.* Gronovius.

933. *Furabor*] Occulam, avcham. Hercul. Fur. vers. 798. *Farnabius.*

934. *Poscunt fidem*] Gruterus sic quidem ait proletarios habere codices, sed membranas novem non paullo nervosius: *Fidem secunda poscunt, adversa exigunt.* At quomodo nervose, si dissolvitur versus? dein si adhuc non est intellectum? Acquieverunt enim omnes uni hanc sententiam fingenti: Amico felici non nisi gratuita fides debetur; afflicto & oppresso plane debita, quam non prece impetrare, sed suo jure exigere possit. Quasi fides non juxta deberetur felici atque infelici amico: quasi non *poscatur* nisi gratuitum, non *exigatur* nisi debitum. At dicit Seneca, secundis quidem amicorum perinde fidem deberi quam adversis, sed adversis demum eam agnosci & probari: nam fortunam facile sequuntur homines: at amicus certus in re incerta cernitur. Est enim *exigere* nonnunquam examinare, probare, experiri. Sic Ovidius: *Ipsa, quod hæ faciunt, opus exigit.* Epist. Canaces. *Auctorisque oculis exigeretur opus.* Livius lib. 34. *Nolite ad vestras leges atque instituta exigere ea, quæ Lacedæmone fiunt.* Sic Suetonio: *exigere pondus.* Tamen, ut Gruterus testatur, omnes scripti, etiam Florent. *Fidem secundam poscunt, adversa exigunt.* Haud scio quid velint: nisi forte: *Fidem secundis præstitam adversa exigunt.* Qui rebus secundis collecti sunt amici, adversis demum probantur. Ovidii verbo *inspiciunt: Tempora sic duro est inspicienda fides.* Gronovius.

935. *Decorum*] Coronam oleaginam mihi in ludis Olympicis datam. *Farnabius.*

936. *Vi-*

Insigne frontis. læva victricem tenens
Frondem virenti protegat ramo caput.
Et ista donum palma Pisæi Iovis
Velamen eadem præstet atque omen tibi.
Tuque ô, paternis assidens frenis comes,
Condisce, Pylade, patris exemplo fidem.
Vos, Græcia nunc teste, veloces equi
Insida cursu fugite præcipiti loca.
El. Excessit. abiit. currus effreno impetu
Effugit aciem. tuta jam opperiar meos
Hostes, & ultro vulneri opponam caput.
Adest cruenta conjugis victrix sui,
Et signa cædis veste maculata gerit.
Manus recenti sanguine etiamnum madent.
Vultusque præ se scelera truculenti ferunt.
Concedam ad aras. patere me vittis tuis,
Cassandra, jungi paria metuentem tibi.

CLY-

936. *Victricem Frondem*] Palmam mihi victori datam. *Farnabius.*

938. *Et ista demum palma*] Lipsius è MS. notaverat: *Et ista donum.* Nec aliter Florentiæ & in Noricis membranis legimus. Itaque plutis hoc fecit amicus ejus quam ipsum amicum. non enim modo tacito auctore in contextum retulit, sed & mutata ansa sibi tribuit in Commentario: Malo, inquit, *Vt ista donum.* At Gruterus non male alios secutos ait auctoritatem Lipsiani codicis: se tamen retinere vulgatum, quum Pall. novem nihil varient, subsitque ei sensus non contemnendus. Miseret me fastidiorum. Immo stupidum & sine mente *demum:* verum suavissimumque *donum: Vt* minime necessarium. *Gronov. Pisæi*] Olympici, vide Thyest. v. 122. *Farn.*

939. *Velamen*] Ne agnoscaris, vel adversus Solis æstum. *Idem. Omen*] Victoriæ, vindictæ paternæ cædis. *Idem.*

942. *Græcia*] Celebri ludorum conventu approbati victores. *Idem.*

943. *Loca.*] Mycenas, ubi uxor maritum interfecit. *Idem.*

944. *Excessit.*] E conspectu. *Id.*

945. *Tuta*] Defuncta de fratre cura, postquam Orestis consuluerim vitæ, de mea non solicita. *Idem.*

948. *Et signa*] Totum carmen deficit Moguntin. *Delrius.*

951. *Vittis*] Supplicationibus tuis, quæ vittata vates confugisti ad aras supplex. *Farnabius.*

952. *Paria*] Mortem. *Idem.*

CLYTÆMNESTRA. ELECTRA. ÆGISTHUS. CASSANDRA.

Electram ab ara detrahi & in carcerem conjici jubet Clytæmnestra. Cassandra jugulatur.

Clyt. Hostis parentis, impium atque audax caput,
Quo more cœtus publicos, virgo, petis?
El. Adulterorum virgo deserui domum.
Clyt. Quis esse credat virginem? *El.* gnatam tuam.
Clyt. Modestius cum matre. *El.* pietatem doces.

Clyt.

953. *Parentis*] Mei, matris tuæ. *Farnabius.*

954. *Cœtus*] Respicit ad veterem Græcorum morem, quorum virgines raro in publicum prodibant, nec non ad originationem τῆ παρθένου, παρὰ τὸ παραθέειν τῇ μητρί. *Idem.*

955. *Adulterorum*] Tui & Ægisthi. *Idem.*

956. *Quis esse credat virginem?*] Quæ talia loquaris. *Idem.* Ait Electra, recte suspicaris neminem crediturum me esse virginem, non quia cœtus publicos peto; sed quia filia tua sum. te sciunt omnes pudicitiam tuam Ægistho prostituisse: me suspicabuntur matris vestigia secutam pudori meo non temperasse. & merito. sunt enim parentibus filii plerumque similes auctore Aristotele lib. 3. polit. cap. 8. & lib. 3. Rhetor. ad Theodectem, & filiæ matrum mores imitantur. *Delr. Gnatam tuam.*] Imo quæ tua sim filia, mulieris impudicæ. *Farnabius.* Tolle interrogationis notam. sicut recte editum est à nobis. Porro gestu hoc est adjuvandum. ut efficiat oblique, id quod Clytæmnestra optime intelligebat. Si inquit Electra, verum est quod tu in me accusas, impudice me ætatem agere; ecce me gnatam tuam. Quasi diceret: Ponamus verum esse. maternum hoc habeo. Quod apud Sophoclem eadem in cognomine fabula: Εἰ γὰρ πέφυκα τῶν δὲ τῶν τρόπων ἴδρις; Σχεδὸν γε τὴν σὴν οὐ καταισχύνω φύσιν. Etiam quod sequitur ita scribe, *pietatem doces.* Non ut ante. *Heinsius.*

957. *Pietatem doces.*] Libri fere omnes conspiraverunt in corruptelam: habent, *Eia tandem doces:* quod etiam per sarcasmum lepide dictum Grutero videtur. Zinzerlingus ex quodam scripto: *Pia tandem doces:* nam τὸ *pietatem* sententiam reddere plane frigidam: quod si retineatur, post id vocabulum notam admirationis ponendam, & τὸ *doces* absolute accipiendum: sic illud fore, ut apud Terentium, *Pietatem gnati?* Nec mutanda nec frigida est vulgata, sic plane constans in Florentino, & per Ironiam accipienda. Quid enim *pietas? per quam sanguine conjunctis patriæque benevolis officium aut diligens tribuitur cultus*, ut definit Cicero. Hanc docet, qui aut tradit præcepta & monita aut edit exempla ad eam pertinentia. Sic in Phœnissis: *sola tu affectus potes Mollire duros, sola pietatem in domo Docere nostra.* Cicero ad Quintum lib. 2. epist. 9. *Mehercule, mihi docere videbaris istius generis humanitatem.* Vbi etiam inepte, *ducere*, Barthius lib. 38. advers. cap. 7. Seneca epist. 119. *Decipere est istud, docere paupertatem, cum divitias promiseris.* Tu, inquit, quæ talis erga maritum & regem fuisti, audes filiæ præcipere, audes eam docere modestiam erga matrem? Merito hoc facis: ista egisti, ut sis optima

pietatis

Clyt. Animos viriles corde tumefacto geris:
Sed agere domita fœminam disces malo.
El. Nisi forte fallor, fœminas ferrum decet.
Clyt. Et esse demens te parem nobis putas?
El. Vobis? quis iste est alter Agamemnon tuus?
Ut vidua loquere. vir caret vita tuus.
Clyt. Indomita post hæc virginis verba impiæ
Regina frangam. citius interea mihi
Edissere ubi sit gnatus, ubi frater tuus.
El. Exiit Mycenas. *Clyt.* Redde nunc gnatum mihi.
El. Et tu parentem redde. *Clyt.* Quo latitat loco?
El. Tuto; quietus, regna non metuens nova:
Justæ parenti satis, at iratæ parum.
Clyt.

pietatis magistra exemplo tuo. *Gron.*

959. *Agere*] Gerere te fœminam. i. e. modestius. *Farnab. Malo.*] Supplicio & cruciatu. *Idem.*

960. *Fœminam*] Latenter illi exprobrat bipennim, qua occiderat Agamemnona. *Idem.*

961. *Et esse*] An tu credis decere te eadem quæ nos? *Idem.* Immo te posse resistere nobis. *Gronovius.*

962. *Nobis? quis iste est alter*] Recte ordinat versus Delrius: ita sensus, ita Mss. postulabant. Tamen bis ad eundem, quod dicitur. Non enim aspernandum erat codicis Lipsiani, *Vobis:* quod utique germanum confirmat ille omnium primus Etruscus. Fatetur Gruterus non ineptum esse, modo juvarent plures libri quam unus, & is quem periculose abducere sæpe à regia via, sæpe demonstraverint alii. At illos sæpe aliud egisse melius foret: multas enim nos animadversiones compendifacere potuissemus, & pridem Seneca non paullo fuisset emendatior. Altera offensio est, quum τὸ *citius* adjungitur τῷ *frangam*, quod ad sequens membrum pertinet. Et est elegans ἰδιωτισμὸς, *citius* secunda collatione, ut *Ocius*, pro quam citissime, statim. Sic in ludo de morte Claudii: *Tum Hercules, Audi me, inquit, tu & desine fatuari: venisti huc, ubi mures ferrum rodunt. Citius mihi verum, ne tibi alogias excutiam.* Et infrà: *Anteceſſerat jam compendiaria via Narcissus libertus ad patronum excipiendum, & venienti nitidus ut erat à balineo, occurrit, & ait; Quid dii ad homines? Celerius, inquit Mercurius, & venire nos nuntia.* Idem.

964. *Indomita*] Obstinatam animi ferociam, quam maternum jus flectere non potest, sceptrum, quatenus regina sum, franget. *Farnabius.*

967. *Exiit Mycenas.*] Flor. *Extra Mycenas.* Gronovius.

968. *Parentem*] Agamem. quem occidisti. *Farnabius.*

969. *Nova:*] Adulteri tuique. *Idem.*

970. *Justæ parenti satis, at iratæ*] Fl. CLYT. *Dixi parenti satis auratae.* In persona adposita error est: neque enim possunt illa verba esse, nisi Electræ. Etiam suspectum habeo τὸ *Dixi*, quippe quod elegantius intelligitur. Sed quid sibi vult *auratæ.* Fortasse: *Justæ parenti satis, obiratæ parum.* Vide quæ ad alia Senecæ scripta notavimus. *Gronov. Justæ*] Sufficiat hoc responsum amanti & piæ. *Farnabius.*

Clyt. Morieris hodie. *El.* Dummodo hac moriar manu;
Recedo ab aris. sive te jugulo juvat
Mersisse ferrum; præbeo jugulum volens:
Seu more pecudum colla resecari placet;
Intenta cervix vulnus exspectat tuum.
Scelus peractum est: cæde respersam viri
Atque obsoletam sanguine hoc dextram ablue.
Clyt. Consors pericli pariter ac regni mei
Ægisthe, gradere. gnata genetricem impie
Probris lacessit. abditum fratrem occulit.
Ægist. Furibunda virgo, vocis infandæ sonum,
Et aure verba indigna materna opprime.
El. Etiam monebit sceleris infandi artifex,
Per scelera natus, nomen ambiguum suis?
Idem sororis gnatus, & patris nepos?
Clyt. Ægisthe, cessas impium ferro caput

De-

971. *Hac moriar*] Tua, si post conjugem etiam filiam occidere sustines: non pigebit eadem manu perire, qua pater. *Farnabius.*

973. *Præbeo jugulum volens:*] Fl. *præbeo jugulum tibi.* Gronovius.

976. *Scelus peractum est:*] Restat ut impuratam manum sanguine maritali, filiali cruore abluas. tunc facinus patrasti, nunc etis misericors. ablue ergo cruorem illum meo sanguine. *Delrius.*

977. *Hoc dextram*] Mei, filiæ tuæ. *Farnabius.*

979. *Ægisthe, gaudes.*] Putabam ferri hoc posse, ut interrogando significaret illum gaudere atque exsultare frustra quasi domitis inimicis & re peracta, dum superesset matrique insultaret filia. Sed Etruscus, ut duo Gruteri: *Ægisthe gradere.* Cujus idem sensus esse potest, qui illius, quod conficiebat Gruterus: *Ægisthe, adesdum.* Sed hoc Comicum est: illud magis tragœdiam decet. Sophocles Ajace: τεῖχε δωμάτων πάρος. Oedipo: *I, gradere præceps.* Grotius adscripserat margini: *patere.* Gronovius.

982. *Aure*] Indigna, quæ mater audiat. *Farnabius.*

984. *Per scelera nactus nomen*] Omnes Mss. *Per scelera natus, nomen ambiguum suis.* Quæ religio tenuit, ne restituerent? Quanto elegantius ipse Ægisthus *nomen ambiguum suis*, quem scilicet dubitent sui, quo nomine necessitudinis appellent, quam *nactus ambiguum nomen* dicitur? Pomponius Mela: *& notiora jam nomina Medi, Armenii, Commageni.* Petronius: *nec sê tragœdias veteres curare aut nomina seculis nota.* Martialis: *veteres, ingentia nomina, patres.* Ad rem aptum, quod habet Cicero pro Cluentio: *Atque etiam nomina necessitudinum, non solum naturæ nomen & jura, mutavit, uxor generi, noverca filii, filiæ pellex.* Hercule Furente: *quid geminum nefas, Mixtumque nomen conjugis, nati, patris?* Gronovius. *Nomen ambiguum*] Quem nescirent parentes, quo cognationis nomine vocarent, patrem, filiumne an nepotem; matrem, filiumne an fratrem. Suprà vers. 35. *Farnabius.*

987. *Aut*

Demetere? fratrem reddat, aut animam ſtatim.
Ægiſt. Abſtruſa cœco carcere, & ſaxo exigat
Ævum, per omnes torta pœnarum modos.
Referre, quem nunc occulit, forſan volet
Inops, egens, incluſa, pœdore obſita,
Vidua ante thalamos, exul, inviſa omnibus,
Æthere negato. ſerò ſuccumbet malis.
El. Concede mortem. *Ægiſt.* Si recuſares, darem.
Rudis eſt tyrannus, morte qui pœnam exigit.
El. Mortem aliquid ultra eſt? *Ægiſt.* Vita, ſi cupias mori.
Clyt. Abripite, famuli, monſtrum, & avectam procul
Ultra Mycenas, ultimo in regni angulo
Vincite ſeptam nocte tenebroſi ſpecus,
Ut inquietam virginem carcer domet.
At iſta pœnas capite perſolvat ſuo,
Captiva conjux, regii pellex tori.
Trahite, ut ſequatur conjugem ereptum mihi.
Caſſ. Ne trahite. veſtros ipſa præcedam gradus:
Perferre prima nuncium Phrygibus meis
Propero; repletum ratibus everſis mare;
Captas Mycenas; mille ductorem ducum,
Ut paria fata Troicis lueret malis,
Periſſe dono fœminæ, ſtupro, dolo.

Nihil

987. *Aut animam*] Aut animam reddat, id eſt, amittat. *Farnabius.*

988. *Saxo*] Carcere obſcuro & ſaxeo. *Idem.*

990. *Quem*] Fratrem Oreſtem. *Id.*

991. *Pœdore obſita,*] Flor. *Pœdore obruta.* Gronovius.

992. *Vidua*] Quam & hinc quod conjugali caruerit lecto & in virginitate conſenuerit, Ælian. 4. lib. hiſt. refert Ἠλέκτραν nominatam, quæ prius Laodice fuiſſet dicta. *Farnabius.*

993. *Æthere*] Cœli aſpectu. *Id.*

995. *Rudis*] Hercul. Fur. verſ. 512. Med. verſ. 1056. *Id.*

996. *Vita,*] Οὐ γὰρ θανεῖν ἔχθιστον. ἀλλ' ὅταν θανεῖν χρήζων τις εἶτα μηδὲ τοῦτ' ἔχῃ λαβεῖν. *Idem.*

1001. *Iſta*] Caſſandra. *Idem.*

1002. *Regii*] Agamemnonis, cui pellex erat conjugis loco. *Idem.*

1005. *Perferre*] E veterum opinione, qui animas hominum corpore ſolutas in Elyſiis ſuos agnoſcere, cumque iis ſermones ſerere credebant. *Idem.*

1006. *Ratibus*] Græcorum in reditu naufragio. *Idem.*

1007. *Captas*] A tyranno adultero occupatas interfecto Agamemnone. *Id.* *Ductorem*] Agamemnonem. *Idem.*

1008. *Troicis tulerit malis.*] Merito contra omnes ſuos Gruterus probat Lipſianum *lueret*: & ita Florentinus, *Gronovius.*

1011. *Iam*

Nihil moramur. rapite. quin grates ago.
Tantum juvat vixisse, post Troiam juvat.
Clyt. Furibunda morere. *Cass.* Veniet & vobis furor.

1011. *Iam jam juvat vixisse,*] Flor. *Tantum juvat vixisse post Troiam : juvat.* Id est, hucusque & sequenti : *Furiosa morere.* non *Furibunda.* Gron. Prius quidem tædebat me vitæ patriæ superstitis, jam vero juvat me vivendo vidisse meorum vindictam. *Farnabius.*

1012. *Veniet*] Et vates & morti vicina Cassandra ominata prædicit illis vindictam & mortem ab Oreste, qui matre cæsa & ipse furere cœpit. *Idem.*

L. AN-

L. ANNÆI SENECÆ

*HERCULES OETÆUS.

DRAMATIS PERSONÆ.

HERCULES. HYLLUS. ALCMENA. CHORUS ÆTOLARUM MULIERUM. NUTRIX. DEIANIRA. IOLE. PHILOCTETES. CHORUS OECHALIARUM VIRGINUM. LICHAS, Muta Persona.

IOLE ET CHORUS OECHALIDUM sunt προτατικὰ πρόσωπα.

ARGUMENTUM.

Deianira indigne ferens sibi prælatam Iolen Euryti regis Oechaliæ filiam, Herculi tunicam mittit imbutam sanguine Centauri Nessi sagitta Herculis Hydræ felle tincta vulnerati; efficacissimum credens philtrum præsentissimumque amoris remedium, quod illam monuerat moriens Nessus. Quam simul ac induisset in Cenæo Eubœæ promontorio sacrificaturus Hercules, ignem concipit virus, vestisque corpori

*HERCULES OETÆUS.] An ut *Cato Vticensis?* Sed non est temere, quod optimi codices, Florentinus & Vossianus, cognomentum illud *Oetæi* nullum agnoscunt. Florentinus in fine: *Marcii Lucii Annaei Senecae Hercules explicit.* Vossianus in principio: *Incipit quæ dicitur Hercules.* Et hoc rubrica. Credibile est igitur sic appellatam esse ab auctore, ut appellari debuisse præclare disputat vir incomparabilis: *HERCVLES IN OETA.* Gronovius. In hac tragœdia duo chori, alter Oechalidum virginum, alter Ætolarum mulierum. Iole & chorus Oechalidum virginum, sunt προτατικὰ πρόσωπα. Scena Trachine, ut apud Sophoclem. *Scalig.* Licet noster hac tragœdia eam Sophoclis, quæ τραχίνιαι inscribitur, imitatus fuerit: inscriptionem tamen ab Euripide maluit accipere, quia illa Sophoclea reprehensione non vacat, si Scaligero patri libro 3. de arte poëtica capite 97. credimus. *Delrius.* Ἀνοικονομησία summa est. Hyllus ex Eubœa venit in Thessaliam, Trachina usque; & quæ Herculi sacrificanti in Cenæo promontorio evenerint, refert. Cum in ipso constitutionis principio, nondum sacrificaret, ac ne in loco quidem esset Hercules. Cogita jam, quantum sit iter ex Eubœa Trachina usque, quæ sub Oeta est. Sed præclare nos ludit. Nam cum Herculem in Eubœa primo posuerit, tamen in Oeta comburit, & tribus tantum versibus advectum fuisse indicat. Quod quidem iter semel ut conficiatur, triplo majore opus est tempore, quam Tragœdiæ est ambitus. Apud Græcum, semel in dolore Herculi tribuitur ῥῆσις prolixa: cujus divinitas omnem poëticum conatum excedit. Idque non nisi in fine. Hic Iovis ille filius, membra dum dilaniat sua, trecentos & amplius versus declamat. Et in occupatione tam molesta, multa dicit, quæ vix ociosus declamator in schola effunderet. Græci oratio, tota est frugalis, sobria, casta, & quæ ne levissimam quidem περιεργίας suspicionem admittit. Hic non modo plurima redundant, sed & sæpe repetuntur. Sensus præsertim usque ad nauseam. Deianiræ à Græco mores tribuuntur

corpori adhærentis æstus carnem, ossa interiora absumit. Nessi fraude intellecta sibi mortem consciscit Deianira, Hercules, interfecto Licha qui munus lethale attulerat, mandat Philoctetæ (cui moriens arcum & sagittas tradit) extrui sibi in monte Oeta pyram, in qua se cum clava ac leonis pelle cremat. Alcmenæ denique matri apparet, ipsamque consolatur jam in cœlitum numerum ascriptus.

ACTUS PRIMUS.

HERCULES.

Scena hæc prima cum choro seq. in Eubœa statuitur, ubi, *Hercules in Cenæo promontorio sacrificaturus, vota de cœlo, quod rebus gestis (quas enumerat) meruisse se gloriatur, concipit.* reliquæ Tragœdiæ scena est Trachine.

Sator deorum, cujus excussum manu
Utræque Phœbi sentiunt fulmen domus,
Secure regna: protuli pacem tibi,
Quacunque Nereus porrigi terras vetat.

Non

buuntur matronales. Hic perpetuo furit. Iam ex machina dissolvit drama, in qua nulla est ἀμηχανία. Nihil enim opus erat matris causa apparere Herculem, cum per se soluta esset actio. Et hanc partem non desumpsit è Trachiniis, in qua ante mortem Hercules quæcunque agenda sunt absolvit, sed è Philoctete ejusdem. In qua plane ad machinam eundum erat, cum non posset ope humana flecti Philoctetes. Ideo apparet ille, & hunc nodum secat. Alcmenæ personam optime omisit Græcus. Nam quæ verba digna inveniri poterant? Hic ubique sublimitatem quæsivit. Et vix drama invenias, quod æque assurgeret, nisi tumeret. Passim tamen multa occurrunt, quæ sublimitatis φαντασίαν habent. Neque raro sententiæ, nihil minus quam humiles, affectatione acuminis exarescunt. Frustra inscriptionem tantopere commendat Cæsar Scaliger. Melius enim *Hercules in Oeta* dixisset. Sicut *Oedipus in Colono.* Non enim ego, cladem Crassi si tractem, & hinc drama conficiam, *Crassum Parthum* inscribam, sed *in Parthis.* Et, *Pompeium in Ægypto.* cujus constitutio esse posset, qualis Æschyli Persæ. Ita *Iphigenia in Aulide, in Tauris Philoctetes in Lemno, in Troia.* Ita *Septem ad Thebas.* non *Thebani septem.* cum, excepto Polynice, nemo è ducibus Thebanus esset. Male ergo vulgus, *Septem Thebana.* Cicero quoque ταχυλῶς, *Oedipum Coloneum* dixit. Herculem Oetæum Euripidis qui adducat, non meminimus. quod vult vir magnus. Neque sic inscripsisse putamus. Multæ enim sunt ab ineptis. Et hoc sæpe antiqui monuerunt. *Heinsius.*

Vers. 2. *Vtræque*] Oriens & Occidens. *Vel* utrumque hemisphærium. *Farnabius.*

4. *Porrigi terras*] Cingens & coërcens mare terram instar cinguli dicit; *quacunque.* nam Hercules orbem peragravit, ut pacem orbi pararet. Seneca lib. 1. de benefic. *Hercules nihil sibi vicit. orbem terrarum transivit, non concupiscendo, sed vindicando. Quid vinceret malorum hostis, bonorum vindex, terrarum marisque pacator?* Delr.

8. Pa-

Non est tonandum. perfidi reges jacent,
Sævi tyranni. fregimus, quidquid fuit
Tibi fulminandum. sed mihi cœlum, parens,
Adhuc negatur? parui certe Iove
Ubique dignus: teque testata est meum
Patrem noverca. quid tamen nectis moras?
Numquid timemur? numquid impositum sibi
Non poterit Atlas ferre cum cœlo Herculem?
Quid astra, genitor, quid negas? mors me tibi
Certe remisit. omne concessit malum,
Quod terra genuit, pontus, aër, inferi.
Nullus per urbes errat Arcadias leo.
Stymphalis icta est. Mænali nulla est fera.
Sparsit peremptus aureum serpens nemus.
Et hydra vires posuit. & notos Hebro
Cruore pingues hospitum fudi greges:
Hostisque traxi spolia Thermodontiæ.
Vidi silentum fata; nec tantum redii,

Sed

8. *Parui*] Apparui. *Farnabius.*

9. *Teque*] Quin ipsa Iuno testatur me approbasse te patrem. Vide Herc. Fur. vers. 36. quo respicit. ut & v. 46. *Idem.*

11. *Numquid*] Numquid ego in cœlum relatus nimio pondere prægravans urgebo Atlanta cœlum humeris sustinentem? *Idem.*

13. *Mors*] Non me detinuit infernus sed remisit, ut ad te venirem. *Id.*

14. *Concessit*] Abiit, cessit. *Idem.*

15. *Quod*] Herc. Fur. v. 30. *Idem.*

16. *Per urbes errat Arcadicas leo.*] Flor. *Arcadias*, ut editum olim. Illud nuperum est. *Gronovius. Leo.*] Herc. Fur. vers. 223. *Farnabius.*

17. *Stymphalis*] Herc. Fur. v. 243. *Idem. Manali*] Cerva. Hercul. Fur. vers. 221. *Idem.*

18. *Serpens*] Draco vigil custos hortorum Hesperidum. Hercul. Fur. vers. 238. *Idem.*

19. *Hydra*] Hercul. Fur. vers. 240. *Idem. Hebro*] Thraciæ amnis, cui Homerus Iovem patrem tribuit, cum cæteri fluvii dicantur Oceani filii. Vide vers. 623. *Delrius.*

20. *Cruore pingues hospitum fudi*] Florent. *fregi greges:* ut quotquot vidisse ait antiquos codd. Delrius. *Fregi* est domui. Silius lib. 1. *sternacem ad prælia frenis Frangere equum.* Infra: *nec frangens mala Erres per orbem.* Gron. *Greges:*] Thracios equos Diomedis. Hercul. Fur. 225. *Farnabius.*

21. *Thermodontiæ.*] Amazonis, Hippolytes. Hercul. Fur. vers. 245. & 820. *Idem.*

22. *Vidi regentem fata;*] Raphelingius notat in Aldino, Basil. Lugd. esse: *silentum.* Melius, inquit Delrius, *regentem.* Negat id Florentinus, qui & ipse: *Vidi silentum fata.* id est, statum conditionemque mortuorum. Medea: *Comprecor vulgus silentum.* Virgilius lib. 6. Æneid. *ille silentum Conciliumque vocat.* Gronovius.

23. *Tre-*

Sed trepidus atrum Cerberum vidit dies,
Et ille solem. nullus Antæus Libys
Animam resumit. cecidit ante aras suas
Busiris. una est Geryon sparsus manu.
Tauruſque populis horridus centum pavor.
Quodcunque tellus genuit infesta, occidit,
Meaque fusum est dextera. iratis deis,
Non licuit esse. si negat mundus feras,
Animum noverca, redde nunc gnato patrem,
Vel astra forti. nec peto ut monstres iter.
Permitte tantum, genitor; inveniam viam.
Vel si times, ne terra concipiat feras;
Properet malum quodcunque, dum terra Herculem
Habet, videtque. nam quis invadet mala?
Aut quis per urbeis rursus Argolicas erit
Junonis odio dignus? in tutum meas
Laudes recepi. nulla me tellus silet.

Me

23. *Trepidus*] Herc. Fur. vers. 595. & 542. *Farnabius.*

24. *Antæus*] Neptuni ex terra fil. gigas. Tingitaniæ rex hospites secum palæstra certare provocans cogensque occidit, quem Hercules cum animadvertisset lassum tactu terræ recreari pectori astrictum expirare coëgit. *Idem.*

25. *Cecidit*] Herc. Fur. vers. 484. *Idem.*

26. *Vna est*] Mei unius, cum ipse tricorpor esset. *Idem.*

27. *Tauruſque*] Herc. Fur. v. 229. & Agamemn. v. 827. *Idem. Populus horridus*] Iratus Neptunus taurum Cretensibus immiserat: quia Minos, ejus beneficio late mari imperans, nihilo quam ceteris diis majorem sibi honorem habuisset. eum taurum ab Hercule in Creta occisum Claudianus testatur: alii in Peloponneso necatum volunt. forte quia, ut constat, è Creta in Peloponnesum trajecit. Pausanias, in Atticis. *Delrius.*

21. *Tellus genuit infestum*,] Vt Moguntinus, sic & Flor. duo Heinsiani, meus, *infesta.* Statius lib. 11. *Vrbem armis opibusque gravem & modo civibus arctam, Ceu cœlo demissa lues inimicave tellus, Hausisti.* Statim, *si negat*, ut Lipsius, Fl. quoque, & Vossianus, ne Gruterus obducat suos, & tolerabilem imaginetur sensum, ubi nullus est. Sed de interpretatione Lipsii dubito: si animum suum & benevolentiam abnuit Iuno, inquit. At Iuno mihi videtur dici *negare animum* pristinum in Herculem sive iram, cessando, & non objiciendo ei novum laborem. *Gronovius.*

29. *Iratis*] Monstra quippe deorum ira terris immissa sustuli. *Farnab.*

35. *Properet*] Properet edere. *Id.*

36. *Invadet mala?*] Sic quoque Flor. & simpliciter est aggredietur, sive jussus, sive injussus: nihil enim in alterutram partem hoc verbum definit. Sic in Medea: *invadam deos.* Gronov.

38. *In tutum meas Laudes recepi.*] Rursum pejus eligit illa Palatina enneas;

Me sensit Ursæ frigidum Scythicæ genus,
Indusque Phœbo subditus, Cancro Libys.
Te, clare Titan, testor. occurri tibi
Quacunque fulges. nec meos lux prosequi
Potuit triumphos. Solis excessi vices.
Infraque nostras substitit metas dies.
Natura cessit. terra defecit gradum.
Laxata per me nox. & extremum chaos
In me cucurrit. inde ad hunc orbem redii,
Unde retro nemo. tulimus Oceani minas,
Nec ulla valuit quatere tempestas ratem,
Quamcunque pressi. pars quota est, quam prosequor?
Jam vacuus æther non potest odio tuæ
Sufficere nuptæ; quasque devincam feras
Tellus

neas: nam Flor. ut olim editum, *redegi*. Sequenti Fl. *Vrsæ frigidum Scythicæ genus*, ut editur: nec corrigendum quidquam, sed ex proximo versu intelligendum, *subditum*. Gronovius. Non perituras. *Farnabius.*

41. *Phœbo*] Orienti soli. *Farnab.* *Cancro*] Cancri tropico subditus Afer. *Idem.*

43. *Quacunque*] In Oriente seu Occidente. *Idem.* *Nec meos*] Neque lux tua prosequi potuit me ad Tartara penetrantem. *Idem.*

44. *Vices.*] Cursus, limites per vices obeundos. *Idem.*

45. *Infraque nostras*] Lege: *Intraque nostras.* Longius pertinent metæ victoriarum mearum quam metæ diei. *Gronovius.*

46. *Defecit*] Non suppeditavit mihi ubi sisterem. *Farnabius.*

47. *Laxata per me nox.*] Florent. *Lassata prior est nox:* & deinde: *incucurrit.* Forte: *Laxata pejor nox & extremum chaos In me incucurrit.* Inferorum noctem vocat *pejorem* comparatione noctis, quæ supra terras agitur. Sic infrà: *Ad fata & Vmbras atque pejorem potum.* Gronov. *Nox.*] Tenebratum regio, Tartarus. *Farnab.* *Extremum*] Mihi objectum est Chaos. Hercul. Fur. vers. 609. Thyest. v. 830. *Idem.*

49. *Vnde retro nemo.*] Flor. *Vnde omne retro est. Omne, τὸ πᾶν*, universum. A qua parte, quicquid est, retro & longè remotum est. Cui, quicquid est, ab tergo est. Pedo Albinovenus. *Iampridem post terga diem solemque relictum, Iampridem notis extorres finibus orbis Per non concessas audaces ire tenebras, Hesperii metas extremaque littora mundi.* Gronovius.

50. *Nec ulla*] Hercul. Fur. v. 320. *Farnabius.*

51. *Quacumque pressi.*] Flor. ut & Mogunt. & Voss. *Quamcumque.* Rectè: nam, ut ipse ait lib. 6. nat. quæst. cap. 6. *navis dimidia nunquam jactatur.* Statim idem: *pars quota est Perseus mei?* Ovidius lib. 9. *&, ut vincas alios, Acheloë, dracones, Pars quota Lernæa serpens eris unus Echidnæ.* Fabius decl. 252. *quota ego sum portio istius indignationis?* Agamemn. *Sed ille nostræ pars quota est culpæ senex?* Claudianus lib. 2. in Rufinum: *Quanquam omnes alii, quos hæc torquenta fatigant, Pars quota sunt, Rufine, tui.* Gronov.

52. *Tuæ nuptæ;*] Innoni. *Farn.*

Tellus timet concipere, nec monstra invenit.
Feræ negantur. Hercules monstri loco
Jam cœpit esse. quanta nunc fregi mala,
Quot scelera nudus? quidquid immane obstitit,
Solæ manus stravere. nec juvenis feras
Timui, nec infans. quidquid est jussum, leve est.
Nec ulla nobis segnis illuxit dies.
O quanta fudi monstra, quæ nullus mihi
Rex imperavit! institit virtus mihi
Junone pejor. sed quid impavidum genus
Feciſſe prodest? non habent pacem dei.
Purgata tellus omnis in cœlo videt
Quodcunque timuit. transtulit Juno feras.
Ambit peremptus Cancer ardentem plagam,
Libyæque sidus fertur, & messes alit.
Annum fugatæ tradit Astrææ Leo.
At ille jactans fervidam cœlo jubam
Austrum madentem siccat, & nimbos trahit.
Invasit omnis ecce jam cœlum fera,
Meque anteceſſit. victor è terris meos
Specto labores. astra portentis prius
Ferisque Juno tribuit, ut cœlum mihi

Face-

55. *Monstri*] Nullo labore domiti. *Farnabius.*

59. *Infans.*] Herc. Fur. vers. 213. *Idem.*

61. *Nullus*] Nullus Eurystheus. Hercul. Fur. vers. 35. & infrà v. 1795. *Idem.*

63. *Sed quid*] Sed quid prodest genus humanum metu monstrorum liberasse, cum illa in cœlum Iuno transtulerit? *Idem.*

67. *Cancer*] Thyest. v. 852. *Idem.* *Ardentem*] Zonam torridam. *Idem.*

68. *Alit.*] Calore maturat. *Id.*

69. *Annum fugatæ*] Notum de Astrea. Heinsianus tamen *fugante*: meus: *fugasem*: Flor. & Voss. *fugacem*. Vt Horatius: *Eheu fugaces, Postume, Postume, Labuntur anni.* Statim Flor. *At ipse factans.* Et versu sequenti: *& nimbos rapit.* non *trahit.* Gronov. *Annum*] Sol Leone egressus intrat Virginem. *Farnab.* *Astræa*] Thyest. vers. 855. *Idem.*

70. *Ille*] *Horrentesque jubas & fulvum cerne leonem, Hunc ubi contigerit Phœbi violentior axis, Accensa in Cancro jam tum geminabitur æstas, Tunc lymphæ tenues, tunc est tristissima tellus.* Idem.

75. *Tribuit, ut cœlum mihi Faciat timendum.*] Flor. *Faceret*: alludensque Vossianus, *Laceret.* Statimque: *pejus ac levius Styge.* non *pejus.* Tertio post versu: *Haud astra merui.* Gronovius.

80. *Sicu-*

Faceret timendum. sparserit mundum licet,
Cœlumque terris pejus, ac pejus Styge
Irata faciat; dabitur Alcidæ locus.
Si post feras, post bella, post Stygium canem,
Nondum astra merui, Siculus Hesperium latus
Tangat Pelorus; una jam tellus erit:
Illinc fugabo maria, si jungi jubes;
Committat undas Isthmus, & juncto salo
Novâ ferantur Atticæ puppes viâ.
Mutetur orbis. vallibus currat novis
Ister, novasque Tanais accipiat vias,
Da da tuendos, Juppiter, saltem deos.
Illa licebit fulmen à parte auferas,
Ego quam tuebor: sive glacialem polum,
Seu me tueri servidam partem jubes,
Hac esse superos parte securos puta.
Cirrhæa Pæan templa, & ætheream domum
Serpente cæso meruit. at quoties jacet
Python in hydra? Bacchus & Perseus deis
Jam se intulêre. sed quota est mundi plaga
Oriens subactus? aut quota est Gorgon fera?
Quis astra gnatus laudibus meruit suis
Exte & noverca? quem tuli, mundum peto.
Sed tu, comes laboris Herculei Licha,

Præfer

80. *Siculus*] Siciliam Italiæ contiguam reddam: uti olim fuit priusquam *os pontus & undis Hesperium Siculo latus abscidit.* Farnabius.

81. *Pelorus;*] Vnum è tribus Siciliæ promontoriis, quod Italiam spectat. *Idem.*

83. *Committat*] Isthmo Corinthio perfosso, Ægæum Ionio miscebo mare. *Idem.*

85. *Vallibus*] Alveis. *Idem.*

86. *Tanais*] Scythiæ fluv. *Idem.*

91. *Securos*] A feris quas Iuno in cœlum transtulit. *Idem.*

92. *Cirrhæa*] Cultum oraculumque Delphicum (Oedip. vers. 269.) & cœlum meruit Apollo, interfecto uno Pythone. *Pæan templa,*] Apollo παιήων aut παιόων παῖς ἀνίας. *Vel* acclamatione Latonæ ἰὲ παιᾶ cæso Pythone. *Farnabius.*

93. *At quoties jacet*] Flor. *meruit. ô quoties jacet.* Gronovius.

94. *Hydra?*] Numeroso malo, & binis singulo amputatore pullulante capitibus.

96. *Oriens*] A Baccho subactus Oedip. vers. 114. & 424. *Farnabius. Gorgon*] Medusa à Perseo devicta. Med. vers. 829. *Idem.*

Præfer triumphos, Euryti victos lares,
Stratumque regnum: vos pecus rapite ocius,
Qua templo tollens ara Cenæi Jovis
Austro timendum spectat Euboicum mare.

100. *Præfer triumphos*,] Flor. & Voss. *Perfer triumphos*. Iubet enim illum nuntium ire ad uxorem: qua occasione ab illa accepit tunicam, qua arsit Hercules. *Gronov. Triumphos*,] Insignia victoriæ & imagines. *Farn.*

102. *Qua templa tollens ara Cenæi*] *Tolli* & *premere* dicitur, quidquid supra est. *Tollit* igitur *ara templum*, quæ templo tegitur, quæ in templo est. Miror magnos viros hic hærere potuisse. *Gronovius. Cenæi Iovis*] Cui templum & cultus in Cenæo Eubœæ promontorio. *Farnab.* Dissentit ab aliis Scholiastes Sophoclis tradens tum demum templum Cenæo Iovi ab Hercule erectum: cum tamen ipse Sophocles significet jam ædificatum. Ovid. 9. Metam. *Victor ab Oechaliâ Cenæo sacra parabat Vota Iovi* — Delrius.

103. *Austro timendum*] Aliorum *Austro*, quod frustra arcent Gruteri membranæ, non modo Herbip. & Ven. sed & Florentinus Vossianusque adserunt. Meus quoque & Heinsianus minor: *Haustro*. Abeant igitur, cum suo Arcturo, qui non Euboicum modo, sed omne mare reddit timendum. Plautus Rudente: *Increpui hibernum & fluctus movi maritimos. Nam Arcturus signum omnium sum acerrimum. Vehemens sum exoriens: cum occido, vehementior.* Quid facit autem huc illud Virgilii in undecimo: *scit tristi Minervæ Sidus & Euboicæ cautes ultorque Caphareus.* An possunt rationem dare, quare Arcturus sit *sidus Minervæ*. Illas quidem Euboicas cautes non astrum, sed Nauplius fecit timendas. *Gron. Austro*] Austro flante. *Farn.*

CHORUS OECHALIARUM VIRGINUM.

IOLE.

Iole Choro Oechalidum mista patriæ excidium, suorum internecionem, suam denique servitutem plangit.

Chor. Par ille est superis, cui pariter dies
Et fortuna fuit. mortis habet vices,
Lente cum trahitur vita gementibus.
Quisquis sub pedibus fata rapacia,
Et puppem posuit fluminis ultimi,

Non

104. *Par ille est superis*,] Hemichoria prima habet choriambicos, & est vox Chori: altera anapæsticos, & est querela Ioles: finis Chori eodem genere metri clauditur. Ponuntur hæc conjunctim, quasi scenæ unius loco. *Fabritius. Cui pariter*] Cujus vita simul cum fortunæ felicis exitu desinit. *Farnabius.*

105. *Mortis*] Vita in miseriis acta mors est. *Idem.*

107. *Sub pedibus*] *Subjecit pedibus*, contempsit mortem & Charontis cymbam. *Idem.*

108. *Et puppem posuit liminis*] Scripti quidam *luminis*; quod ait Gruterus, videre se contexui inseruisse quosdam, sed non etiam causam quare.

Non captiva dabit brachia vinculis,
Nec pompæ veniet nobile ferculum.
Nunquam est ille miser, cui facile est mori.
Illum si medio decipiat ratis
Ponto, cum Borean expulit Africus,
Aut Eurus Zephyrum, cum mare dividunt,
Non puppis laceræ fragmina colligit,
Ut littus medio speret in æquore.
Vitam qui poterit reddere protinus,
Solus naufragium non poterit pati.
Nos turpis macies & lacrimæ tenent,
Et crinis patrio pulvere sordidus.
Nos non flamma rapax, non fragor obruit.
Felices sequeris Mors, miseros fugis.
Stamus: nec patriæ mœnibus, heu locus
At silvis dabitur; lapsaque sordidæ
Fient templa casæ. jam gelidus Dolops

Hac

n. Nos tamen etiam in compluribus id reperimus. Sed solvit nodum Flor. qui *fluminis ultimi*. Stygis scilicet, quam postremam se navigare putabant. *Gronovius.*

110. *Nec pompæ*] Neque ut spectaculum exornabit victoris hostis triumphum. *Farnabius. Nobile ferculum*] Non ducetur in triumpho. ferculum, inquit Placiades, est missus carnium. Sed hoc loco ponitur pro instrumento, quo spolia suspendebantur, ut Livius usurpavit lib. 1. his verbis: *Ipse exercitu victore reducto, ipse cum factis vir magnificus, tum factorum ostentator haut minor, spolia, ducis hostium cæsi suspensa, & fabricato ad id apte ferculo, gerens in Capitolium*, &c. Asconius Pedianus, *Ferculu*, inquit, *signa ante triumphantem vehi per pompam solebant.* Delrius.

111. *Nunquam*] Vide Chorum tertium. Agamemn. vers. 585. *Farn.*

112. *Ratis*] Fracta, hians, fatiscens. *Id.*

114. *Mare*] Maris dominium inter se venti victores partiuntur. *Idem.*

119. *Nos turpis*] Quæ turpem vitam per servitutem prætulimus morti honestæ. *Idem.*

122. *Felices*] Idem in Troade dicit Hecuba. *Delrius.*

123. *Stamus: nec patriæ*] Vexatissimus locus. Delrius: *Sed silvis dabitur.* Scaliger eodem sensu: *At silvis.* Sed frustra dicet non datum iri patriæ mœnibus locum, quæ jam dejecta erant & prostrata. Grutetus: *Stamus nos: patriæ mœnibus heu, locus.* Dan. Heinsius: *Stamus nunc patriæ mœnibus heic locus.* Nam scriptorum nonnulli *nunc* pro *nec*: quidam, *en* pro *heu*. Flor. *patriis mœsibus.* Fortassis: *Stamus, nec patria est. mœsibus heic locus Et silvis dabitur.* Vel, *Stamus. sed patriæ mœsibus heu locus Et silvis dabitur.* Nos superstites sumus. at hic locus, ubi patria nostra stetit, in arvum & silvam convertetur. Statim: *Quæretur, patriæ quis fuerit locus.* Gronov.

125. *Gelidus*] Namque ad Pindum in

Hac ducet pecudes, qua tepet obrutus,
Stratæ qui supereſt Oechaliæ, cinis.
Illo Theſſalicus paſtor in oppido
Indocta referens carmina fiſtula.
Cantu noſtra canet tempora flebili.
Et dum pauca Deus ſæcula contrahit,
Quæretur, patriæ quis fuerit locus.
Felix incolui non ſteriles focos,
Nec jejuna ſoli jugera Theſſali.
Ad Trachina vocor, ſaxa rigentia,
Et dumeta jugis horrida torridis,
Vix gratum pecori montivago nemus.
At ſi quas melior ſors famulas vocat,
Illas aut volucer transferet Inachus;
Aut Dircæa colent mœnia, qua fluit
Iſmenos tenui flumine languidus.

Heic

in Phthia extrema habitant Dolopes pop. Theſſal. *Farnabius.*

127. *Oechaliæ,*] Oechaliæ plures, Euſtathio quinque, hic de Eubœæ, quæ dicta Euryti, vide Strab. lib. 10. *Delrius.*

129. *Indocta fiſtula.*] *Calamo agreſti*, ut ait Virgilius. paſtoritiam fiſtulam Tibullus, *garrulam*; alii *ſtridulam* vocant; à Græcis σύριγξ propter ſibilum; ex cicutis, avenis, calamis, vel arundinibus conficiebatur, ſingulis primo tubulis, mox binis, tandem ſeptenis cohærentibus, & conglutinatis cera & lino vel ſetis; ita, ut qua ori inferebantur, æquales eſſent; qua ſonus & ſpiritus efferebatur, alæ inſtar, inæquales. ita Scalig. art. poët. lib. 4. *Id.*

131. *Et dum pauca Deus ſecula contrahit,*] Florent. melius: *contrahet.* Gronovius.

133. *Non ſteriles locos,*] Ingrata repetitio vocis ex præcedente verſu. Fl. *Felix incolui non ſteriles focos.* Penates. Virgilius: *Hortor amare focos.* Idem.

135. *Trachyna*] Vrbem Theſſaliæ ab Hercule in aſpero & ſaxoſo ſolo conditam Troad. verſ. 816. *Farnabius.*

137. *Pecori*] Capris. aut etiam capreis. *Idem.*

138. *At ſi*] Quod ſi quæ noſtrum melioris ſoli dominum ſortitæ fuerint. *Farnabius.*

139. *Transferet*] Ad urbes Inachias, i. Argos Mycenaſve transferet. *Idem.*

140. *Dircæa*] Thebas Bœotiæ. à Dirce fonte. Theb. verſ. 126. *Idem. Qua fugit Iſmenos tenui flumine.*] Lipſius cauſatus non convenire rapidum & *fugæ* verbum huic languenti, è ſcripto probat: *qua fluit.* Ergo, ut amicis omnia communia, ille alter: Vera lectio, quæ in Baſileenſ. margine excuſa, *fluit.* nam Iſmenus *languidus* opponitur Inacho *volucri*; *fugit* hic, ille *fluit.* Quam bellum autem, *fluit flumine?* Nimirum non meminerant *fugere* eſſe Senecæ quocumque motu labi, decurrere, ire: ut *fuga* propitione: quemadmodum ſuperius notavimus. *Gronovius.*

142. *Ma-*

Heic mater tumidi nupserat Herculis.
Quæ cautes Scythiæ, quis genuit lapis?
Num Titana ferum te Rhodope tulit,
Te præruptus Athos, te fera Caspia,
Quæ virgata tibi præbuit ubera?
Falsa est de geminis fabula noctibus,
Æther cum tenuit sidera longius,
Commisitque vices Lucifer Hespero,
Et solem vetuit Delia tardior.
Nullis vulneribus pervia membra sunt.
Ferrum sentit hebes; lentior est chalybs,
In nudo gladius corpore frangitur,
Et saxum resilit, fataque negligit,
Et mortem indomito corpore provocat.
Non illum poterant figere cuspides,

Non

142. *Mater*] Alcmena nupta Amphithryoni. *Farnabius.*

143. *Quæ cautes*] Γλαυκὴ δέ σε τίκτε θαλάσσα Πέτρῃ τ' ἀλίβατοι, ὅτε τοι νόος ἔσκεν ἀπηνής. Iliad. π. *durùs genuit te cautibus horrens Caucasus, Hyrcanæque admorunt ubera tigres.*

144. *Titana*] Aliquisne de Titanum genere, & in rupe quapiam seu monte genitus; Rhodope scil. aut Atho? *Farnabius.*

145. *Athos,*] Med. vers. 719. *Id. Te fera Caspia,*] Flor. *te fera Caspias.* Nempe ut Thespii filiæ *Thespiades*, Thestii Althæa *Thestias*, ita Caspius *Caspias* facit. Sic *Daulia* & *Daulias* ales. *Gronovius.*

147. *Falsa*] Neque enim verum est Iovem gemina noctis opera te genuisse. Hercul. Fur. vers. 42. Agamem. vers. 809. *Farnabius.*

149. *Commisitque*] Continuatis nullo die intermedio noctibus, loco Luciferi, qui mane debebat oriri, mansit Hesperus dux noctis, ejus vices fungens. Loquitur quasi de diversis stellis, cum una sit, pro diversis functionibus diversa nomina sortita. *Delrius.*

150. *Et soles vetuit Delia*] Fl. ut Cruser. *solem.* Arcuit, morata est. Vt infrà: *Chaonis quondam loquax Stat lata vasti quercus & Phœbum vetat.* Gronovius. *Et soles*] Luna tardius progressa non cessit diei. *Farnabius.*

151. *Nullis vulneribus pervia monstra sunt.*] Lipsius ex Mss. protulit: *pervia membra sunt. Ferrum sentit hebes.* Itaque & ante triennium amicus ejus conjecit *membra*, & ex Mss. jampridem recensuit, *sentit.* At Gruterus veretur fidem habere unico testi, cum suus sit utcumque sensus scripturæ receptæ. Immo non nisi perineptus. Ne laboret autem uniči testis fides, scito utrumque esse in Florentino. *Gronov. Pervia*] Penetrabilia. *Farnabius.*

152. *Chalybs.*] Non distincta metalli species, ut perverse quidam, sed ferri, purioris, sincerioris, & durioris species, certa quadam temperatura constans: nonnihil ut puto diversum à χάλυψ, quod ipsum quoque certa ferri temperatura est, juxta Aristotelem lib. 4. Meteor. *Delrius.*

Non arcus Scythica tensus arundine,
Non quæ tela gerit Sarmata frigidus;
Aut qui soliferæ suppositus plagæ
Vicino Nabathæ vulnera dirigit
Parthus Cnossiacis certior ictibus.
Mures Oechaliæ corpore propulit.
Nil obstare valet. vincere quod parat,
Jam victum est. quota pars vulnere concidit?
Pro fato patuit vultus iniquior,
Et vidisse sat est Herculeas minas.

Quis

257. *Scythica*] Hercul. Fur. 1126. *Farnabius.*

158. *Sarmata*] Hercul. Fur. 538. *Idem.*

159. *Soliferæ*] Orientali seu Australi. *Idem.*

160. *Vicino Nabathæ*] Reprehendit Scaliger, Parthos anguste interpretatus à Parthia proprie dicta, quæ ab Arabia remotissima. Sed Parthi debent intelligi venire, quousque Parthicum patebat imperium Senecæ tempore. Multa enim passim talia inspergit suo quam heroum ævo congruentiora. Quum bello civili inter Tresviros C.R. & occisores Cæsaris Hieroslyma caperent, & Hyrcanum abducerent Parthi, quantum aberant ab Arabia? *Nabathes ἀντὶ τοῦ Nabatheus*, ut *Macetes* pro *Macedone*. Gronovius. *Nabathæ*] Incolæ Arabiæ Petræ. *Farnabius.* Dionys. & alii Græci sine aspiratione Ναβαταῖοι. Tamen quia & hæc vox ab Hebræis manavit, dicti enim Nabathæ à Nebajoth seu Nabajoth נבית filio Ismaëlis Genes. 25. & tota regio ab Euphrate usque ad mare rubrum, magna scilicet Arabiæ portio, Nabajoth seu Nabathena, נבית Isaiæ 60. non vereor non sequi Græcos, & consuetudinem vulgatam retinere. Porro cum ad Euphratem usque Nabathæi se porrigant, merito illis vicinos dixit Parthos. *Delrius.*

161. *Cnossiacis*] Cretensibus. Herc. Fur. vers. 18. qui sagittandi peritissimi. Hippol. vers. 812. *Farnabius.*

162. *Corpore*] Inermis, absque machina. *Idem.*

165. *Pro fato potuit*] Quum genus loquendi non approbarem mihi, *posse pro fato*, eoque conjicerem *patuit*, ne quid temere agerem, inspectis quibus has tragœdias recensere seria res fuit, deprehendi, quum vulgo obtineret *patuit*, alterum subjectum à Lipsio, ita placuisse amico ejus ut id ab se proditum mallet. Nec postea quisquam reclamavit. At nos revocamus *patuit*, nec optimorum auctoritate carens & exquisitæ ævoque propriæ dictionis. *Patere* interdum est idem quod valere & esse. Sic *patere multum*, *patere tantum*, *patere plus*, *patere satis* Senecæ. Plinius lib. 33. cap. 3. *Talentum Ægyptium pondo LXXX. patere Varro tradit.* Vbi male de Budæi conjectura ediderunt *capere*. *Satis patentes divitias* pro satis magnis & validis, noster de tranquill. cap. 9. Lucanus de Mario; *mensoque hominis quid fata paterent.* Id est, experto quid valerent fata ad producendum hominem ab infima ad summam fortunam & vicissim à summa ad infimam. *Patuit pro fato*, est, patuit tantum quantum fatum: pro fato fuit: eandem vim habuit quam fatum. *Gronovius. Pro fato*] Ea vis & virtus Herculis, ut vultus ejus iratior, sit pro fato; & vidisse ejus minas,

Quis vastus Briareus, quis tumidus Gyges,
Supra Thessalicos cum stetit aggeres,
Ut cœlo insereret vipereas manus,
Hoc vultu riguit? commoda cladibus
Magnis magna patent. nil supereſt mali.
Iratum miseræ vidimus Herculem.
Iole. At ego infelix, non templa suis
Collapsa deis, sparsosve focos,
Natis

minas, sufficiat in mortem. Oculi & verba ejus, telum. *Farnabius.*

167. *Qui vastus Briareus,*] Fabricius edidit, *Quo v. B. quo tum.* tanquam velit pari vultus horrore fuisse Gigantes atque Herculem. Quod dum mulcere vult Scaliger, durius reddit, ante *Supra Thessalicos* subaudiendo *qui*: neque enim tali loco id subaudiri potest. Lipsius è Mſ. probavit, quod editur passim: sed præterea conjecit, *rigeat*, nempe, ut sit: illi ipsi, qui cœlum impugnarunt feroces, rigescant & pereant ab hoc vultu. At amicus ejus non deesse ait scriptos, qui bis habeant *quo*, & sententia non incommoda: fingit autem eam sententiam, quæ necessario requirat *qui*, non *quo*: ad spectu Herculis Briarea & Gygen præ meru obriguisse, quando videre ipsorum fratres gigantes superantem. Hoc adversus *rigeat* valet, non adversus *qui*: neque enim potest sic accipi, nisi sermone ita concepto: Qui Briareus, quique Gyges contra deos steterunt, ille utérque hoc vultu viso obtorpuit. Florentinus ostendit plus terroris in Herculis quam in gigantum vultu has mulieres credidisse. Habet enim utrobique, *Quis*: dein, *Thessalicum stitit aggerem Cæloque.* Alii: *Cælo ut insereret.* Scribendum igitur: *Quis vastus Briareus, quis tumidus Gyges Supra Thessalicum quum stetit aggerem Cæloque inseruit vipereas manus, Hoc vultu riguit?* id est, tam rigidus hortidusque apparuit. Hippolyto: *In ore Graio Scythicus apparet rigor.* Placet etiam congestos illos montes dici *aggerem*: è cæspitibus constat agger: gigantibus autem pro cæspitibus montes. Est & in Florent. *tumidus gigans.* neque incommodè penitus hic commune nomen: quis Briareus, quis aliorum gigantum. Sæpe tamen librariorum culpa in membranis hoc vocabulo alterum tegitur. *Gronovius.*

Briareus,] Ἐκατόγχειρ Αἰγαίων. Farnabius. *Gyges,*] Gyges Briarei frater, terræ fil. *Idem. Gygen* Hesiodus, Apollonii Scholiastes, Higynus, Capitolinus & Priscianus agnoscunt. Ovidius quoque cecinit: *Centimanum Gygen, semibovemque virum.* Idem 2. Amorum: *Ausus eram memini cælestia dicere bella, Centimanumque Gygen, & satus oris erat.* Fastor. lib. 5. *Quid gravius victore Gyge captiva tulissem?* Delrius.

168. *Aggeres,*] Montes Pelion, Ossam, Olympum accumulatos. Hercul. Fur. vers. 970. Troad. vers. 827. *Farnabius.*

170. *Commoda cladibus Magnis magna patent.*] Delrius ad lucem horum verborum jubet inspici Chorum primum Agamemnonis, quo demonstratur omni, magnam fortunam esse obnoxiam magnis casibus; minus gravibus mediocrem. At longe alius horum verborum sensus: nempe magnis cladibus patere sive adesse magna commoda: ex ultimis calamitatibus hoc existere commodi, ut nihil sit ultra metuendum. De quo ad Thebaides sive Phœnissas. *Gronovius.*

Natis mistos arsisse patres,
Hominique deos, templa sepulchris;
Nullum querimur commune malum.
Alio nostras Fortuna vocat
Lacrimas. alias flere ruinas
Mea fata jubent. Quæ prima querar?
Quæ summa gemam? pariter cuncta
Deflere juvat. nec plura dedit
Pectora tellus, ut digna sonent
Verbera fatis. me vel Sipyli
Flebile saxum fingite, superi,
Vel in Eridani ponite ripis,
Ubi mœsta sonat Phaëthontiadum
Silva sororum. me vel Siculis
Addite saxis, ubi fata gemit
Thessala Siren: vel in Edonas
Tollite

182. *Deflere juvat. nec plura dedit*] Haud dubie aliquid deest, ut visum Dan. Heinsio. Dignissima vero summi illius viri ingenio dignissima Senecæ interpositio, quam facit, modo ita castigetur: *Deflere juvat. Cur non oculos Plures nobis, nec plura dedit Pectora Tellus, ut digna sonent Verbera fatis?* Rogat, cur non dederit Tellus, quippe omnium mater. At contra nonnemo: nil tanti est. quorsum enim oculi ad planctum? At ô bone, non oculi ad planctum respiciunt, sed ad τὸ *Deflere*. Verba hæc fuisse auctoris quis juret? Sensus certe fuerunt. Posuimus etiam, *Verbera fatis*, non, ut vulgo, *Verbera planctu*: quia sic Florentinus, & ipsa *verbera* pro planctu dixit. Vt digne plangam mea fata. *Gronovius.*

184. *Me vel*] Vt Nioben. Hercul. Fur. vers. 389. Agam. vers. 370. *Farn. Sipyli*] Me ad instar Niobes in saxum Dii mutent, & in Sipylo statuant. Æschylus ἐν τῇ Νιόβῃ, Σίπυλον Ἰδαίων ἀνὰ χθόνα. id confirmant Strabo lib. 1. Pausanias in Atticis, Stephanus de urbibus, & Plutarchus in lib. de fluviis. *Delrius.*

185. *Flebile saxum figat, superi,*] Lipsius è Ms. *fingite.* Eo putat Delrius confirmari veterem suspicionem suam *figite.* Non carpo, inquit Gruterus, sed sic nullus Pall. At Flor. quoque, *fingite*: idque sine suspicione ulla recipiendum. Idem, *Sipylum.* Gronov.

186. *Eridani*] Padi fluv. Italiæ, cujus in ripis sorores Phaëtontis casum fratris lugentes in alnos seu populos mutatæ sunt. *Farnabius.*

187. *Phaëthontiadum Turba sororum.*] Quanto suavius Florent. *Silva sororum.* nam in arbores succini mutatas notissimum. *Gronovius.*

189. *Ubi fata gemit Thessala Siren: vel in Edonas Tollite*] Flor. *ubi fata gemam Thessala Siren.* ipsa enim addi illis & ex earum numerum numero fieri velit. Dein idem: *vel in Edonas Ponite silvas.* Idem. *Fata*] Se à Musis, quibuscum contendere ausæ sunt, deplumatas. *Vel* quod Proserpinam raptam non invenerint. *Farnabius.*

190. *Thessala Siren:*] A patre Acheloo, qui è Thessalia. Med. 355. *Id.* Thessa-

Tollite silvas: qualis natum
Daulias ales solet Ismaria
Flere sub umbra. formam lacrimis
Aptate meis, resonetque malis
Aspera Trachin. Cypria lacrimas
Myrrha tuetur: raptum conjux
Ceyca gemit. sibi Tantalis est
Facta superstes. fugit vultus
Philomela suos, natumque sonat
Flebilis Atthis. cur mea nondum
Capiunt volucres brachia plumas?
Felix, felix, cum silva domus
Nostra feretur, patrioque sedens
Ales in agro referam querulo
Murmure casus: volucremque Iolen
Fama loquetur, vidi, vidi
Miseranda mei fata parentis.

Cum

Thessalam dicit, quia Sirenes Acheloi filiæ sunt, Nonnus in Dionysiacis. *Delrius.* *Edonas*] Thracias ab Edone monte. *Farnabius.*

192. *Daulias*] Philomela (vel ut alii Procne) in luscinium conversa. à Daulide opp. Phocidos sub ditione Terei. Agamemn. vers. 665. *Idem.*

195. *Trachin.*] Troad. vers. 816. & suprà vers. 136. *Idem.* *Cyprias lacrimas Myrrha tuetur:*] Melius Flor. *Cypria lacrimas.* Gronovius.

196. *Myrrha tuetur:*] Cynaræ regis filia à patre inscio imprægnata: cujus, ubi rescisset, iram fugiens in Sabæam, mutata est in Myrrham arborem. *Farnabius.* *Conjux*] Agamem. vers. 674. *Idem.*

197. *Sibi*] In lapidem quippe obduruit qui formam Niobes retinet, lacrymareque videtur. *Idem.*

198. *Fugit*] Mutata scil. in avem. Suprà vers. 192. *Idem.*

199. *Natumque sonat Flebilis Itym.*] Lege cum Etrusco: *Flebilis Atthis.* Progne enim & Philomela Atthides, Pandionis filiæ. *Gronovius.*

201. *Felix,*] O felix essem, si ut illa ego avis facta in sylvis casus meos quererer. *Farnabius.*

204. *Querulo Murmure questus: volucremque Iolen Turba*] Lipsius è Ms. *Murmure casus:* dein, *Fama loquetur.* Prius non tanti fuit amico ejus, ut commemoraret. Immo tanquam ultro defendens vulgatum, τοῖς *Querulo questus* ait ludere vocabulo. Non adeo jejunus erat puerilium figurarum Seneca. Posterius recepit duorum suorum auctoritate. Gruterus utrumque melius fatetur: si adsentirentur modo Mss. codices. Satis est codicem, puta Florentinum. *Gronovius.*

206. *Vidi, vidi*] Higynus, in fabulis, Hercules inquit, cum Iolen Eurysti filiam in conjugium petiisset, illaque eum repudiasset, Oechaliam expugnavit: qui, ut à virgine rogaretur, parentes ejus coram ea interficere velle cœpit; illa animo pertinacior, parentes

Cum letifero ſtipite pulſus,
Tota jacuit ſparſus in aula.
Prô, ſi tumulum fata dediſſent,
Quoties genitor quærendus eras!
Potuine tuam ſpectare necem,
Nondum teneras veſtite genas,
Necdum forti ſanguine Toxeu?
Quid veſtra querar fata, parentes,
Quos in tutum mors æqua tulit?
Mea me lacrimas fortuna rogat.
Jam jam dominæ captiva colos
Fuſoſque legam: prô, ſæve decor,
Formaque mortem paritura mihi:
Tibi cuncta domus concidit uni,
Dum me genitor negat Alcidæ,
Atque Herculeus ſocer eſſe timet.
Sed jam dominæ tecta petantur.
Chor. Quid regna tui clara parentis,
Proavoſque tuos reſpicis amens?
Fugiat vultus fortuna prior.
Felix, quiſquis novit famulum

Regem-

tes ſuos ante ſe necari eſt perpeſſa. *Delrius.*

208. *Stipite*] Clava Herculis. *Farnabius.*

209. *Sparſus*] Contritus & in fruſta conciſus. *Idem.*

210. *Si tumulum*] Imitatur illud verſ. 1256. & 1269. Hippol. *Idem.*

213. *Veſtite*] Barbate. *Idem.*

214. *Nondum fortis ſanguine Toxeu?*] Rectius Florent. *forti ſanguine.* Corroborato, virili. Et ſequenti: *Quid veſtra querer.* Gronovius.

216. *In tutum*] Neque enim dolorem ſentitis, quod ego facio. *Farnab.*

220. *Formaque mortem*] Deianeira apud Sophoclem, in Trachiniis, ait venuſtam formam Iolæ exitio fuiſſe: — ἀφῃρέθη δ' ὅτι τὸ κρίνον ὡὐτῆς τ' βίον ἀνάλεσεν. Plutarch. in Parallelis, ex Nicia Mallote, retulit, Iolen, cum Hercules Oechaliam oppugnaret, ſe de muro præcipitem dediſſe; caſu autem vento veſtem ſinuante, nihil mali perpeſſam fuiſſe. *Delr.*

221. *Tibi*] Mea ſolius cauſa. *Farn.*

222. *Dum me*] Repudiatus enim ab Euryto Hercules filiam ejus Iolen uxorem ambiens Oechaliam expugnavit, regemque cum ſuis interfecit. *Id.*

227. *Fugiat*] Noli recordari, vel diſſimula fortunam priorem. *Idem.*

228. *Patiens, quiſquis*] Flor. *Felix, quiſquis.* ut in Mog. Delrius, in uno ſuorum invenere Gruterus: qui cætera recte ordinat, nec de profundiore ulcere ſuſpicari debuit. Male Scaliger: *pertulit æquo. Famulum regemque pati,*

ne

Regemque pati, vultusque suos
Variare potest. vires pepulit
Ponduſque mali, casus animo
Qui tulit æquo.

ne quid erres, (neque enim ita loquuntur commentatores, ut se intellexisse demonstrent) est pro diversitate temporum famuli regisque personam gerere. *Novit famulum regemque pati*, qui potest pati & vivere lætus nec fortunam accusans, si alterius in potestate sit; rursumque potest pati & vivere modestus ac fortunæ reverens, si rex sit. Quasi esset, qui potest pati se famulum esse, non intoleranti neque abjecto animo servitutem à fortuna impositam excipiendo: qui potest pati se regem esse, non impotenti neque inflato animo regnum ab eadem fortuna concessum usurpando. De verbo *Pati* supra egimus. *Gronovius.*

Quisquis] Quicunque è regni fastigio in servitutem deturbatus fortunam mutatam æquo animo ferre potest; vultumque scenæ adaptare, multo levius reddit malum, *quod corrigere est nefas*. Farnabius.

230. *Vires pepulit*] Flor. *Rapuit vires Ponduſque mali.* Forte, *male.* Gronovius.

ACTUS SECUNDUS.

NUTRIX. DEIANIRA. LICHAS Muta Persona.

Furens zelotypia Deianira conspecta Iole vindictam meditatur vestemque venenatam Herculi mittit.

Nutr. O quam cruentus fœminas stimulat dolor,
Cum patuit una pellici & nuptæ domus!
Scylla, & Charybdis Sicula contorquens freta
Minus est timenda. nulla non melior fera est.
Namque ut reluxit pellicis captæ decus,
Et fulsit Iole, qualis innubis dies,
Purumve claris noctibus sidus micat:
Stetit furenti similis, ac torvum intuens
Herculea conjux: fœta ut Armeniâ jacens
Sub rupe tigris, hoste conspecto exsilit:

Aut

233. *Fœminas stimulat dolor*;] Flor. vehementius: *stimulat furor*. Idem altero post: *Purisve clarum*: ut & Lipsianus. *Gronovius.*

235. *Scylla*,] Thyest. vers. 577. *Farnabius.*

238. *Innubis*] Ἀνέφελος, serena, candida. *Idem.*

239. *Sidus*] Luna seu aliud sidus. *Id.*

241. *Fœta ut Armeniâ jacens Sub rupe*] Sic & Flor. non *armento*. Amicus Lipsii, quum verbo agnoscere beneficium posset, multis laborat, ne videatur aut ab illo primo accepisse, aut negligens fuisse non utendo, quod ab alio se priorem habuisse vult credi. *Gronovius.*

242. *Hoste*] Venatore. *Farnabius.*

243. *Ius-*

Aut jussa thyrsum quatere, conceptum ferens
Mænas Lyæum, dubia quo gressus agat,
Hæsit parumper: tum per Herculeos lares
Lymphata rapitur; tota vix satis est domus.
Incurrit, errat, sistit. in vultus dolor
Processit omnis: pectori pene intimo
Nihil est relictum. fletus insequitur minas.
Nec unus habitus durat, aut uno furit
Contenta vultu. nunc inardescunt genæ,
Pallor ruborem pellit, & formas dolor
Errat per omnes. queritur, implorat, gemit.
Sonuere postes: ecce præcipiti gradu
Secreta mentis ore confuso exerit.
Deian. Quamcunque partem sedis æthereæ premis
Conjux Tonantis, mitte in Alcidem feram,
Quæ mihi satis sit: si qua fœcundum caput
Palude tota vastior serpens movet,
Ignara vinci: si quid excessit feras,
Immane, dirum, horribile, quo viso Hercules
Avertat oculos; hoc sinu immenso exeat.
Vel si feræ negantur, hanc animam precor
Converte in aliquid: quodlibet possum malum

Hac

243. *Iussa*] Enthea, inflata Bacchi numine & hastam pampinis involutam vibrans. *Farnabius.*

244. *Mænas*] Oedip. vers. 436. *Id. Lyæum,*] Oedip. vers. 471. *Idem.*

246. *Lymphata rapitur,*] Flor. *Attonita fertur.* Gronovius. *Lymphata*] Med. vers. 386. *Farnabius.*

247. *Incurrit,*] Vide initium actus 3. Medeæ, cujus loci affectuum hæc adumbratio. *Idem.*

249. *Fletus insequitur genas.*] Lege ex Flor. *minas.* Modo dira minatur, modo muliebriter flet. *Gronovius.*

254. *Sonuere postes:*] Non crepitu digitorum, ut hic annotant, tanquam insanæ & furenti hæc cura fuerit, sed stridore cardinum naturali. *Id. Sonuere*] Crepuere fores. à veteri Græcorum more: apud quos cum fores aperiebantur in viam, exituri digitis ostium intus pulsantes velle aliquem prodire significabant, ut forte adstantes vel prætereuntes caverent sibi, ne à foribus in vicum dejectis læderentur. *Farnabius.*

257. *Conjux*] Iuno. *Idem.*

258. *Mihi*] Ad iram meam explendam: tui enim odii feras superavit omnes. *Idem. Si qua*] Si quod numerosius Hydra malum invictum. Hercul. Fur. 240. *Idem.*

262. *Hoc sinu*] E sinu terræ, inquit Scaliger. *Idem.* Vide ad Troadas vers. 169.

263. *Animam*] Meam, me. *Farn.*

265. *Hac*

Hac mente fieri. commoda effigiem mihi
Parem dolori. non capit pectus minas.
Quid excutis telluris extremæ sinus,
Orbemque versas? quid rogas Ditem mala?
Omnes in isto pectore invenies feras,
Quas timuit. odiis accipe hoc telum tuis.
Ego sum noverca: perdere Alcidem potes.
Profer manus quocunque. quid cessas Dea?
Utere furente. quod jubes fieri nefas?
Reperi. quid hæres? ipsa jam cesses licet,
Hæc ira satis est. *Nutr.* Pectoris sani parum,
Alumna, questus comprime, & flammas doma.
Frena dolorem. conjugem ostende Herculis.
Deian. Iole meis captiva germanos dabit
Natis? Jovisque fiet è famula nurus?
Num flamma cursus pariter & torrens ferent?

Et

265. *Hac mente*] Irata, furiata. *Farn. Commoda*] Da huic animæ meæ aptam & parem monstrosi corporis effigiem, quæ conceptam exequatur malitiam. *Idem.*

269. *Invenies feras, Quas timeat.*] Flor. *invenies feras, Quas timuit.* Vt in Hercule Furente: *nempe pro telis gerit, Quæ timuit & quæ fudit.* Et infrà: *Herculis tantum fui Conjux timentis.* Vnde confirmatur conjectura nostra in ludo de morte Claudii: *Tum Hercules primo aspectu sane perturbatus est, ut qui etiam Iunonia monstra timuerit.* Gronovius.

270. *Hoc telum*] Hoc pectus meum. *Farnabius.*

271. *Ego sum*] *Emphasis.* Ego jam noverca liberis ex pellice Herculis, furore meo novercali superabo tuum in pellices & Iovis furta odium. *Idem.*

272. *Profer manus quocumque*] Fl. & omnes fere, quos vidi, *Perfer.* Vnde Nic. Heinsius: *Fer, fer manus quocumque.* Gronovius.

273. *Utere*] Me instrumento usa perdere Herculem potes. *Farnabius.*

275. *Hæc ira*] Mea hæc. *Idem.*

276. *Flammas*] Irarum. *Idem.*

277. *Herculis.*] Dignum Herculeheroë. *Idem.*

278. *Germanos*] Improprie positum pro consanguineis fratribus. *Delrius.*

280. *Non. flamma cursus*] Delrius conjicit: *Vt flamma c. p. & t. ferant, Vt Vrsa.* Gruterus, quum omnes Mss. *Num flamma*, non frustra censet se suspicari, *Tum flamma.* Scaliger, *Non. flamma pariter:* quod jam secuti sunt. Fuit & vir doctus cui placeret: *Non. flamma pariter ut torrens.* quemadmodum Plauto, *filium pariter moratum ut pater.* Sed Seneca non dicit futurum, ut ignis instar torrentis fluat: id fieri quandoque testis Vesuvius: sed ut conjunctim eant: quod fieri nullo modo potest. Recte omnino scripti: *Num flamma.* An etiam ignis miscebitur aquæ, & Vrsæ occident? quasi dicat perinde istud futurum, ut hoc. id est, neutrum unquam. Vide lib. 4. Observ. cap. 11. *Gronov. Flamma*] *Ante cum flammis aquæ*, &c. *fidem fœdusque*

Et Urſa pontum ſicca cæruleum bibet?
Non ibo inulta; geſſeris cœlum licet,
Totuſque pacem debeat mundus tibi:
Eſt aliquid hydra potius; iratæ dolor
Nuptæ. Quis ignis tantus in cœlum furit
Ardentis Ætnæ? quidquid eſt victum tibi,
Hic vincet animus. capta præripiet toros?
Adhuc timebam monſtra. jam nullum eſt malum.
Ceſſere peſtes. in locum venit feræ
Inviſa pellex. ſumme prô rector deûm,
Et clare Titan, Herculis tantum fui
Conjux timentis. vota quæ ſuperis tuli,
Ceſſere captæ. pellici felix fui.
Illi meas audiſtis, ô ſuperi, preces:
Incolumis illi remeat. ô nulla dolor
Contente pœna, quære ſupplicia horrida,
Incogitata, infanda. Junonem doce,
Quid odia valeant. neſcit iraſci ſatis.
Pro me gerebas bella. propter me vagas
Achelous undas ſanguine infecit ſuo,

Cum

fœduſque jungent. Thyeſt. verſ. 479. *Farnabius.*

281. *Vrſa*] *Prius perfundet Arctos pontus.* Vide Thyeſt. verſ. 476. *Idem.*

282. *Geſſeris*] Herc. Fur. verſ. 68. & 881. *Idem.*

284. *Eſt aliquid*] Senties tamen eſſe monſtrum Hydra pejus, dolorem ſcil. conjugis *quæ viduata tædis Ardet & odit.* Med. verſ. 581. *Idem.*

285. *Quis*] Neque enim Ætnæ ignes furunt, quantum offenſæ uxoris iræ. *Idem.*

286. *Quicquid eſt victum tibi*,] Fruſtra blanditur Grutero: *quicquid invictum tibi*: etſi Scaliger quoque hoc melius pronunciaret. Nihil enim adhuc invictum Herculi. *Gronovius.*

287. *Capta*] Mihine captiva præripiet tori gaudia? *Farnabius.*

288. *Adhuc*] Hactenus, prius. *Idem.*

292. *Timentis.*] Anxii, dum monſtra domanda aggrederetur, illius vero incolumis aliæ mihi gaudia præripiunt, infrà verſ. 295. *Idem.*

293. *Captæ.*] In bonum & utilitatem Ioles captivæ. *Idem.*

295. *Incolumis*] Suprà verſ. 292. illi incolumis, mihi non ita. *Idem.*

299. *Gerebas*] Cum Acheloo Acarnaniæ fluv. qui me uxorem ambivit. ſeque viribus Herculi inferiorem perſpiciens in varias ſe mutavit formas ὃς φοιτῶν ἐναργὴς, ταῦρος, ἄλλοτ' αἴολος Δράκων ἑλικτὸς, ἄλλοτ' ἀνδρείῳ τύπῳ Βούκρανος. infrà verſ. 585. *Idem.*

300. *Vndas*] In quas ſe transformaverat Achelous. *Idem.*

307. *Quid*]

Cum lenta serpens fieret; in taurum trucem
Nunc flecteret serpente deposita minas;
Et mille in hoste vinceres uno feras.
Jam displicemus, capta prælata est mihi.
Non præferetur, qui dies thalami ultimus
Nostri est futurus, hic erit vitæ tuæ.
Quid hoc? recedit animus, & ponit minas.
Jam cessit ira, quid miser langues dolor?
Perdis furorem? conjugis tacitæ fidem
Mihi reddis iterum. quid vetas flammas ali?
Quid frangis ignes? hunc mihi serva impetum.
Pares eramus. non erit votis opus.
Aderit noverca, quæ manus nostras regat,
Nec invocata. *Nutr.* Quod paras demens scelus?
Perimes maritum, cujus extremus dies
Primusque laudes novit, & cœlo tenus
Erecta terras fama suppositas habet?
Rogos in istos terra consurget parens,
Domusque soceri prima, & Ætolum genus
Sternetur omne; saxa jamdudum & faces
In te ferentur. vindicem tellus suum

Defen-

307. *Quid*] Coarguit se, quod iram remiserit. *Farnabius.*

309. *Conjugis sanctæ fidem*] Flor. *conjugii tacitæ fidem.* id est, dissimulantis injuriam & sine querela ferentis impatientiam virl: ut de Africani uxore Valerius Maximus lib. 6. cap. 7. *Gronovius. Conjugii*] Quæ sanctam uxorem deceat. *Farnabius.*

311. *Ignes?*] Furoris & iræ. *Idem.*

312. *Pares eramus.*] Flor. *Patres erimus.* Lege: *Pares coimus.* Neque enim placere potest quorundam *eramus.* Gronovius. *Pares eramus*] Ira Herculem æquavi, quæ mihi si maneat, non erit opus auxilium divinum invocare. aderit enim vel non vocata Iuno. *Farnabius.*

313. *Noverca,*] Iuno. *Idem.*

315. *Extremus*] Occidens & Oriens, Hercul. Fur. vers. 37. *Idem.*

316. *Cœlo*] *Fama super æthera notus, sub pedibus terras videt.*

318. *Terra*] Terra parens communis tot monstris ab illo purgata vindicabit. *Farnabius.*

319. *Domusque*] Oenei patris tui domus sternetur prima in ejus necis vindictam; totaque una Ætolia patria tua. *Idem.*

320. *Saxa jamdudum & faces In te feruntur.*] Nihil necesse est sincerum vas incrustare. *Ferentur* Flor. & Lipsianus: idque tam exigit res quam *Sternetur* & *Defendet.* Gronovius. *Saxa*] Seditiosi populi tela. *Iamque faces & saxa volant, furor arma*

Defendet omnis. una quot pœnas dabis?
Effugere terras crede, & humanum genus
Te posse; fulmen genitor Alcidæ gerit.
Jam jam minaces ire per cœlum faces
Specta, & tonantem fulmine excusso diem.
Mortem quoque ipsam, quam putas tutam, time.
Dominatur illic patruus Alcidæ tui.
Quocunque perges, misera, cognatos deos
Illic videbis. *Deian.* Maximum fieri scelus
Et ipsa fateor, sed dolor fieri jubet.
Nutr. Moriere. *Deian.* Moriar Herculis nempe incliti
Conjux. nec ullus nocte discussa dies
Viduam notabit, nec meos pellex toros
Captiva capiet. ante ab Occasu dies
Nascetur. Indos ante glacialis polus
Scythasve tepida Phœbus inficiet rota;
Quam me relictam Thessalæ aspiciant nurus.
Meo jugales sanguine extinguam faces.
Aut pereat, aut me perimat. elisis feris
Et conjugem addat. inter Herculeos licet
Me quoque labores numeret. Alcidæ toros
Moritura certe corpore amplectar meo.
Ire, ire ad umbras Herculis nuptam libet;

Sed

ma ministrat. Infrà vers. 871. *Farn. Faces*] Fulmina. *Idem.*

328. *Illic*] In morte seu mortis regione, id est, inferis. *Farn. Patruus*] Pluto frater Iovis, qui patet Herc. *Id.*

329. *Cognatos deos Illic videbis.*] Si non fallit conjectura, scripsit auctor: *Illi.* nempe Herculi. *Gronovius.*

332. *Herculis*] Emori me malo, quam repudiatam vivere ac rejectam videre captivam vel pellicem vel nuptam Herculi. Infrà vers. 334. & 338. *Farnabius.*

336. *Indis. ante glacialem polum*] Flor. *ante ab occasu dies Nascetur. Indos ante glacialis polus Scythasve tepida Phœbus inficiet rota.* Prius Septentrio Indos faciet albos, aut sol adurens Scythas reddet coloratos, nigrantes. Præcepit hæc omnia Lipsius præter *inficiet.* Illi ne tralaticia quidem mentione dignum illum habuerunt. Amicus tamen ejus, ne nihil agat, pro *Scythasve*, suspicati se ait rectius *Scythasque.* Intererat enim. Sequenti quoque Fl. *Thessalæ inspiciant.* non *aspiciant.* Gronovius.

339. *Iugales*] Quæ in Ioles nuptiis præferentur. Vide Theb. v. 263. & 807. *Farnabius.*

344. *Herculi junctam libet;*] Non erraverunt, qui repositerunt: *Herculis nuptam.*

Sed non inultam. si quid è nostro Hercule
Concepit Iole, manibus evellam meis
Ante, & per ipsas pellicem invadam faces.
Me nuptiali victimam feriat die
Infestus, Iolen dum supra exanimem ruam.
Felix jacet, quicumque quos odit, premit.
Nutr. Quid ipsa flammas pascis? & vastum foves
Ultro dolorem misera? quid cassum times?
Dilexit Iolen; nempe dum starent lares,
Regisque natam peteret. in famulæ locum
Regina cecidit. perdidit vires amor,
Multumque ab illo traxit infelix status.
Illicita amantur, excidit quidquid licet.
Deian. Fortuna amorem pejor inflammat magis.
Amat vel ipsum, quod caret patrio lare,
Quod nudus auro crinis & gemma jacet:
Ipsas misericors forsan ærumnas amat.
Nutr. Hoc usitatum est Herculi, captas amat.
Dilecta Priami nempe Dardanii soror

Con-

nuptam. Sic enim Florentinus. Et quidem, *Herculis nubtam*. Gronovius.

350. *Felix*] Vide Agam. vers. 200. *Farnabius*.

352. *Quid casum*] Nubiloso dictum, & quasi hac mente, Quid times eam quæ jam cecidit? Tamen ambigo, ne *cassum* scripserit: id esset, Quid frustra & in vanum times? *Lipsius*.

353. *Nempe dum starent lares*,] Fl. *cum staret parens*. Gronovius.

356. *Multumque ab illo traxit*] Infra: *Nihilque ab illa casus & fatum grave, Nisi regna, traxit*. Quia tamen Florentinus, *Vulcumque*, conjiciebam: *Vultumque anilem traxit infelix status*. Iole, inquit, tanta calamitate oppressa consenuit ante tempus, deformis senii traxit imaginem. Persius: *Artificemque tuo ducat sub pollice vultum*. Idem.

459. *Amat*] Vel ob hoc ardentius amat, quia miseræ misereatur. *Farnabius*.

362. *Hoc usitatum est*] Et hunc versum Deianiræ tribuas. *Idem*. Ego vero, si locus conjecturæ, opinor hunc adhuc versiculum relinquendum Deianiræ. sequentem vero Nutrici dandum. Solet (inquit illa) Hercules amare captas. Respondet Nutrix, solere, sed brevi spacio, & mox abjicere: idque probat exemplis Hesiones, Auges, Thespiadum, Omphalæ. quæ sane nullo modo ab ipsâ Deianirâ dici convenit. cogitate Critici, & adtendemini. *Delrius*.

363. *Dilecta*] Hesionem quidem ceto ereptam posteaque unâ cum Troia captam (Herculique, ut innuit, amatam) concessit Hercules comiti suo Telamoni quod primus murum occupasset. *Farnabius*.

Conceſſa famulo eſt. adice, quot nuptas prius,
Quot virgines dilexit. erravit vagus.
Arcadia nempe virgo, Palladios choros
Dum nectit Auge, vim ſtupri paſſa excidit,
Nullamque amoris retinet Herculei notam.
Referam quid alias? nempe Theſpiades vacant,
Brevique in illas arſit Alcides face.
Hoſpes Timoli Lydiam fovit nurum,
Et amore captus, ad leves ſedit colos,
Udum feroci ſtamen intorquens manu.
Nempe illa cervix ſpolia depoſuit feræ,
Crinemque mitra preſſit, & famulus ſtetit,

Hir-

364. *Conceſſa famulo eſt.*] Sunt qui geſtiant reſcribere *Conceſſa famula*, quod non videatur Iovis nepos dici poſſe famulus Herculis. male prorſus. nam ille cujus auſpiciis aliquid geritur in bello, omnes adminiſtros non abſurde vocarit famulos, quamvis alioquin pares, imo ſuperiores. Sic famulos habuit Græcorum reges Agamemnon: ſic Heroas tot, Iaſon; de quo opportune Valerius Flaccus: —*tacitique ſedent ad juſſa miniſtri.* Cæſar quoque de Pompeio lib. 3. bell. civil. *Sed illum delectari imperio, & Conſulares Prætorioſque ſervorum habere loco,* &c. *Gruterus.* Florentinus tamen, *famula.*

365. *Arcadia*] Quin & Augen Aloei Arcadis filiam Minervæ ſacerdotem compreſſit, ſed mox neglectam cum partu (Telepho) arca incluſam mari expoſuit. *Farnabius.*

369. *Mene Theſpiades vocant? Brevique in illas*] Delrius encliticam addidiſſe cenſet qui cuperent hiatum vitare: ſed illam menti loquentis maculam aſpergere: eoque delendam. Cui negat Gruterus obtemperare: nam, *que*, hic valere etiam, & cujuſvis eſſe momenti. Ignoſcendum eſt ambobus: non enim didicerant è Florentino auctorem ſcripſiſſe: *nempe Theſpiades vacant, Brevique in illas.* Carent viro & amante Hercule. Sic Ciceroni & Salluſtio *vacua domus.* Vellet & Nic. Heinſius noſter, *in illis.* ut Ovidio: *quid in hoſpite, regia virgo, Vroris:* &, *merito deus arſit in illa.* Gronovius. *Theſpiades*] Quid dicam filias quinquaginta Theſpii, quas totidem (vel ut alii, una) noctibus compreſſit? *Farn.*

371. *Hoſpes Timoli*] Tmoli montis Lydiæ. *Idem.* Ita Ovidius 6. Metamorphoſ. *Deſeruëre ſui Nympha vineta Timoli.* Stephanus ait, Τίμωλον dici integre, ſed Τμῶλον κατ' ποιητικὸν σχηματισμόν. Diſſyllabum ſuprà eſt in Thebaide; *Hinc nota Baccho Tmolus attollit juga.* Et Ovidio XI. —*riget arduus alto Tmolus in aſcenſu.* Celebratus fuit ſpeculâ candidâ à Perſis in eo conditâ, unde fortaſſe dictus ἔρυμα Λυδίας. Eſt & nomen fluvii, apud Theophraſtum, in quo coticula reperiatur δοκιμαστὴς τοῦ χρύσου: oppidi præterea, cujus alii meminerunt. *Fabrit. Lydiam*] Omphalem. Hercul. Fur. verſ. 465. *Farnabius.*

373. *Vdum feroci*] Saliva vel aqua cui inter nendum digitos immergere ſolent. *Idem.* Debetur autem hujus loci reſtitutio ingenio Guil. Canteri, quum antea legeretur, *Vnum.* Qui alia conati ſunt, operâ luſerunt. *Gron.*

374. *Illa*] *Emphaſis.* Leonis exuvias geſtare ſolita. *Farnabius. Spolia*] Leonis pellem. *Idem.*

376. *Myr-*

Hirtam Sabæa marcidus myrrha comam.
Ubique caluit, sed levi caluit face.
Hærere amantes post vagos ignes solent.
Famulamne & hostis præferet gnatam tibi?
Deian. Ut alta silvas forma vernantes alit,
Quas nemore nudo primus investit tepor;
At cum solutos expulit Boreas Notos,
Et sæva totas Bruma decussit comas,
Deforme solis aspicis truncis nemus:
Sic nostra longum forma percurrens iter,
Deperdit aliquid semper, & fulget minus;
Nec illa Venus est. quidquid in nobis fuit
Olim

376. *Myrrha*] Myrrha gummi genus odoriferum, in Trogloditide, Arabia, Sabæa nascens: Sabæa vilissima fere, teste Plinio lib. 12. cap. 15. & 16. unguentum ex sola myrrhæ gutta στακτὴ dicebatur. *Delrius.*

377. *Levi*] Inconstanti, brevi. *Farnabius.*

378. *Hærere*] Sistere figereque solent in una amores prius vagos, quod in te faciet libentius quam in captiva. *atque hinc occasio dissertationis longæ satis Deianiræ suæ diffidenti formæ.* Idem.

380. *Vt alta silvas forma vernantes alit,*] Flor. *habet:* in cæteris nihil mutat. *Alta forma* est speciosa altitudo ac proceritas, cui utiq; adjiciunt frondes & comæ vere florentes. Aut hypallagen cogita, quasi esset: Altas silvas habet forma vernantes, id est, altis arboribus adest formositas vere virentibus. *Gronovius.*

381. *Quas nemore nudo primus &c.*] *Investit*, toliis ornat, tanquam vestibus. Simili metaphorâ Ovidius, *At simul induimus nostris sua munera ramis.* Id est, postquam ramos foliis, tanquam indumento, vestivimus. *Fabritius.*

384. *Deforme foliis aspicis truncis*] Lipsius monuit è Mſ legendum, *solis truncis.* Vide quam gratos hic amicos expertus sit. Illius quidem nulla memoria: Herbip. & Venet. & Lugdun. nominare malunt: hos dedisse *soliis:* primos Basileenses *folia*, sed, aiunt, non Sibyllæ. Putes igitur probare *foliis.* At explicatio repugnat: nudum nemus significari vacuum foliis: neque enim tantum esse brumæ rigorem, ut ramos etiam cunctos dejiciat: comas tantum decidisse; & comas *folia sola.* itaque legendum aliquando se judicasse: *foliis aspicis truncum:* verum quare ad conjecturas, quum æque bona quæ exstent. Hæc omnia, ne quid debeant amico. Et tamen in contextu fecerunt *soliis.* Et sic quoque Florentinus. Neque tam acerbos se lectores habiturum speravit auctor, ut parvulam hyperbolem ei non condonarent, & *solos truncos* præcise interpretarentur truncos sine ullo ramo. Quid Lucanus, cum ait, *trunce, non frondibus efficit umbram*, an intellexit nullum annosæ illi quercui ramum fore? *Gronovius.*

387. *Malisque minus est.*] Faciei interpretantur esse minus formæ: quasi à *mala* sit *malis.* Tu lege cum Flo. *Nec illa Venus est.* illa gratia, illa venustas, quæ quondam fuit. *Illa*, alterius temporis: ut apud Livium: *horum magnificentia operum: nondum inducta hac effusione:* id est, hujus seculi. *Idem. Malisque*] Faciei que minus

Olim petitum, cecidit & partu labat;
Materque multum rapuit ex illo mihi.
Ætas citato senior eripuit gradu.
Vides ut altum famula non perdat decus?
Cessere vultus penitus, & pædor sedet;
Tamen per ipsas fulget ærumnas decor,
Nihilque ab illa casus & fatum grave
Nisi regna traxit. hic meum pectus timor,
Altrix, lacessit; hic rapit somnos pavor.
Præclara totis gentibus conjux eram;
Thalamosque nostros invido voto nurus
Optabat omnis: quo nimis quisquis deos
Orabat ullos. nuribus Argolicis fui
Men-

ineſt formæ. ita apud Soph. ἐρῶ γὰρ ἤβλω· τῷ μὲν ἐρᾶσαν πρόσω, Τῷ δ' ὀψίσαν. *Farnabius.*

389. *Materque*] Matris in pariundo officium. partus. *Idem.*

390. *Citato senior eripuit*] Lipsius de conjectura, *& rapuit*, ut fluat, inquit, sententia. Admisit in contextum amicus ejus, & tamen in commentario æque fluere versum, æque constare omnia scribit, etiamsi retineamus, quod omnes libri exhibent: nimias istas esse delicias, quibus diffluimus. Grutero altiore tabe videtur infectus locus. Alius vir summus, *Ætasque tacito*: & tamen inepte redundare locum pueriliterque luxuriare rectissime judicat. Scribanius: *Ætas citato senior approperat gradu.* Nisi malis *arreptat.* Grotius, *eripiet.* Gronovius.

392. *Cessere*] Cessit è priore statu vultus. *vel ut alii* cultus, id est, *ornatus.* pulchra tamen est. *Farnabius.*

395. *Hinc meum pectus timor, Altrix, lacessit: hinc*] Florentinus melius: *hic meum pectus timor, Altrix, lacessit: hic rapit somnos pavor.* Sic apud Florum 4, 2. *Hic dolor transversum egit:* Vbi mirum Gruterum ex corruptis codd. subjecisse *hinc*: & addere quantum interfit, expeditius quem sensurum quam expressurum. Certe aliquid interest: nam elegantiæ antiquæ est dicere, *hic dolor, hic pavor*, pro eo quod vulgus diceret, *hinc* vel *ex hac causa dolor aut pavor.* Gronovius.

396. *Altrix,*] O nuttrix. *Farnab.*

397. *Totis*] Omnium gentium opinione. *Idem.*

398. *Invido fato nurus*] Conjecturam Dan. Heinsii, *invido voto*, expressam habet codex Etruscus. Ovidius: *Multorumque fuit spes invidiosa procorum.* Gronovius.

399 *Quo nimis quisquis*] Locus, in quo proclivius divinare quam verum promittere. Delrius: *quod nimis, quisquis*: vel, *quid? nisi? quisquis*: vultque pronomen fœminęo genere δοχαίκως accipi. Gruterus: *comminus quisquis*: vel, *quæ vehemens quicquam.* Scaliger: *quæ nimis quicquam.* Dan. Heinsius: *quo minus, quisquis.* H. Grotius: *quo minus, quicquid deos Orabat ulla.* Lipsianus codex: *quove mens quicquam.* Flor *quaeve mens quicquam.* Tentabam: *quæ tumens quicquam.* i. nimium, superbum. Interim valde blanditur Grotianum. *Gronovius.*

400 *Nuribus*] Optabant sibi maritum meo patrem. *Farnabius.*

402. *Mun-*

Mensura voti. quem Jovi socerum parem,
Altrix, habebo? quis sub hoc mundo mihi
Dabitur maritus? ipse qui Alcidæ imperat,
Facibus suis me jungat Eurystheus licet,
Minus est. toro caruisse regnantis leve est.
Alte illa cecidit, quæ viro caret Hercule.
Nutr. Conciliat animos conjugum partus fere.
Deian. Sic ipse forsan dividet partus toros.
Nutr. Famula illa trahitur interim donum tibi.
Deian. Hunc quem per urbes ire præclarum vides,
Et viva tergo spolia gestantem feræ,
Qui regna miseris donat & celsis rapit,
Vasta gravatus horridam clava manum,
Cujus triumphos ultimi Seres canunt,
Et quisquis alius orbe consepto jacet;
Levis est, nec illum gloriæ stimulat decor.
Errat per orbem, non ut æquetur Jovi.

Nec

402. *Mundo*] Cœlo. *Farnabius.*

405. *Toro caruisse regnantis*] Lectio hibrida ex olim edito, *toros meruisse regnantis*, & Lipsiani codicis, *toris caruisse regnantem.* Posteriorem fovet Flor. nisi quod *regnante.* Et hæc videtur sententia. Ipse Eurystheus si ducere velit his penatibus expulsam, non est tanti. Etsi enim, cum sis regina, toro excidere gravissimum sit, nec solatium habeat, nisi rursus inventam conditionem parem; tamen id in calamitate mea maximum non est, immo leve ducitur, nec magnopere commoverer, si cuiquam alii de regum plebe nupta essem. Hoc grave tanto rege marito caruisse, Herculis domum mutasse: eum ego casum sine solatio remedioque esse autumo. *Gronovius.*

408. *Sic ipse*] Sic (invertitque nutricis argumentum) Iole ubi peperit firmabit sibi & retinebit Herculem, me in totum rejecta. *Farnabius.*

409. *Famula*] Hoc si usque adeo metuas, pellicem potius ulta tolle quam maritum, quæ tibi dono data in tua manu est. *Idem.*

410. *Hic quem per urbes*] Desunt hic XXXIII. versus in optimo codice: sed in quinque aliis scriptis, quos inter Vossianus, inveni: *Hunc quem per urbes.* Nec dubito invenisse & alios in suis: sed quia contra loquendi legem esse putabant, dissimulatunt. Ego autem id dictum puto, ut apud Petronium: *Hunc adolescentem, quem vides, malo astro natus est.* Vide ad 4. de benef. cap. 32. *Gronovius. Hic quem*] Quorsum vero illud, si more suo novum exquirat amorem? quo furens vel furere se simulans aliquando tollet, ut quondam Megaram. *Farnabius.*

414. *Seres*] Thyest. vers. 378. *Id.*

415. *Orbe consepto*] Mihi quoque hoc non nauci videtur, & legendum aut *consumpto*, quod placuit summo viro, aut *confecto*, hoc est, in ultima parte orbis terrarum. *Gronovius.*

416. *Levis*] In amore multivolus. ἀπολόγητος. *Farnabius.*

Nec ut per urbes magnus Argolicas eat.
Quod amet, requirit. virginum thalamos petit.
Si qua est negata, rapitur. in populos furit;
Nuptas ruinis quærit: & vitium impotens,
Virtus vocatur. cecidit Oechalia inclita,
Unusque Titan vidit atque unus dies
Stantem & cadentem: causa bellandi est amor.
Toties timebit, Herculi gnatam parens
Quoties negabit. hostis est, quoties socer
Fieri recusat. si gener non est, furit.
Post hæc quid istas innocens servo manus,
Donec furentem simulet, ac sæva manu
Intendat arcus, meque natumque opprimat?
Sic conjuges expellit Alcides suas:
Hæc sunt repudia! nec potest fieri nocens.
Terris videri sceleribus causam suis
Fecit novercam. quid stupes segnis furor?
Scelus occupandum est: perge, dum fervet manus.
Nutr. Perimes maritum? *Deian.* Pellicis certe meæ.
Nutr. At Iove creatum. *Deian.* Nempe & Alcmena satum.
Nutr. Ferrone? *Deian.* Ferro. *Nutr.* Si nequis? *Deian.* Perimam dolo.
Nutr. Quis iste furor est. *Deian.* Quem meus conjux docet.

Nutr.

418. *Magnus*] Virtutis gloria insignis. *Farnabius.*

421. *Nuptas*] Suprà vers. 222. *Id.*

422. *Oechalia*] Non illa, quæ postea Chalcis, nec ea quæ in tractu Messeniaco, de quibus Stephanus & Plinius lib. 4. cap. 9. & 12. sed tertia Bœotiæ, Euryti, juxta nonnullos, Regia, quam Oechalius amnis alluebat, quamque funditus propter denegatam Iolen, Hercules evertit. consule Eustath. in Iliad. ζ. *Delr.*

428. *Istas innocens*] Meas. *Farnab.* *Meque*] Vt quondam Megaram liberosque suos. Herc. Fu. act. 4. *Idem.* *Natumque*] Hyllum. *Idem.*

431. *Sic conjuges*] Cæde. *Idem.*

432. *Nec potest*] Amovetque cæsæ suæ conjugis cum liberis scelus in Innonem: quasi illa inmisisset illi furorem. Herc. Fu. act. 5. *Idem.*

435. *Occupandum*] Vide Agamem. v. 191. Thyest. v. 203. *Idem.*

436. *Pellicis*] Imo pellicis meæ maritum. *Idem.*

437. *Alcmena*] Mortali, idque per adulterium. *Idem.*

439. *Docet*] Exemplum furoris præ-

Nutr. Quẽ nec noverca potuit, hunc perimes virũ? 440
Deian. Cœlestis ira quos premit, miseros facit,
Humana nullos. *Nutr.* Parce miseranda, & time.
Deian. Contempsit omnes ille, qui mortem prius.
Libet ire in enses. *Nutr.* Major admisso tuus,
Alumna, dolor est, culpa par odium exigit. 445
Cur sæva modicis statuis? ut læsa es, dole.
Deian. Leve esse credis pellicis nuptæ malum?
Quidquid dolorem pascit, hoc nimium puta.
Nutr. Amorne clari fugit Alcidæ tibi?
Deian. Non fugit, altrix. remanet, & penitus sedet 450
Fixus medullis, crede: sed magnus dolor,
Iratus amor est. *Nutr.* Artibus magicis fere
Conjugia nuptæ precibus admistis ligant.
Vernare jussi frigore in medio nemus:
Missumque fulmen stare. concussi fretum 455
Cessante vento. turbidum explicui mare:
Et sicca tellus fontibus patuit novis.
Habuere motum saxa. discussi fores.
Umbræ stetistis: & mea jussi prece

Manes

præbens in cæde uxoris suæ Megaræ. *Idem.*

442. *Nullos*] Nullos facit, id est, tollit, ut jam non sint; atque hoc Iunonis ira mitior mea, quæ miseriis eum eximit. *Idem.*

446. *Cur sæva modice statuis? ut passa es*] Flor. ut Lipsianus: *Cur sæva modicis statuis? ut læsa es, dole.* Sequenti, etsi vulgatum servent codices, legendum puto: *Leve esse credis pellicem nuptæ malum.* Similem locum in Epistolis restituimus ex Mss. Dein & Fl. *hoc nimium puta* non *id. Nimium*, est, satis magnum: non modicum. *Gronov. Cur sæva*] Cur delictis modicis pœnam tam sævam irrogas? *Farnabius.*

449. *Fugit*] A te, tibi excidit. *Idem.*

452. *Artibus magicis fere*] Flor. *fare.* Numquid *vaga Conjugia.* id est maritos abnoctantes. Horat. de arte: *Concubitu prohibere vago.* Gronovius. *Artibus*] *Quos non concordia mixti Alligat ulla tori, blandaque potentia formæ, Traxerunt torti magica vertigine fili:* Sed hoc ex veterum superstitione, neque enim cogitur voluntas. sensitivus quidem appetitus quandoque allicitur, philtra sane & veneficia amatoria non paucos ad insaniam impulerunt *Farnabius.*

454. *Vernare*] Dæmonomagiæ vires vid. Med. 753. *Idem.*

457. *Fontibus*] Fontana enim aqua rarissime à fluminibus vel mari manat, raro etiam è pluviis colligitur, frequentius ex terræ cavitatibus sua sponte erumpit. ideo noster ad causam crebriorem respexit. videndi Seneca lib. 3. Nat. quæst. Georg. Agric. lib. de ortu & caus. subterran. 1. Anton. Galatæus lib. de fluviorum origine. *Delr.*

Manes loquuntur. ſonuit infernus canis.
Mare, terra, cœlum, & Tartarus ſervit mihi.
Nox media ſolem vidit, & noctem dies.
Nihilque leges ad meos cantus tenent,
Flectemus illum. carmina invenient iter.
Deian. Quas Pontus herbas generat, aut quas Theſſala
Sub rupe Pindus? aut ubi inveniam malum,
Cui cedet ille? carmine in terras mago
Deſcendat aſtris Luna deſertis licet,
Et Bruma meſſes videat, & cantu fugax
Stet deprehenſum fulmen, & verſa vice
Medius coactis ferveat ſtellis dies:
Non flectet unum. *Nutr.* Vicit & ſuperos amor.
Deian. Vincetur uni forſan, & ſpolium dabit,
Amorque ſummus fiet Alcidæ labor.
Sed te per omne cœlitum numen precor,
Per hunc timorem; quidquid arcani apparo,
Penitus recondas, & fide tacita premas.
Nutr. Quid iſtud eſt, quod eſſe ſecretum jubes?
Deian. Non tela ſunt, non arma, non ignis minax.

Nutr.

460. *Sonuit infernus canis*] Flor. *novit infernus canis.* Vt Virgilius, *ſcit triſte Minervæ ſidus.* Statius, *ſcit fama.* Tale Propertii, *Dixerit Aſcanius.* Gronovius.

463. *Leges ad meos cantus tenet*] Nuperum hoc Scaligeri & Gruteri. Scripti & olim editi, *tenent.* Nullam rem in ordine ſuo & ſtatu continent leges à natura datæ. *Gronovius. Nihilque*] Nihil tenet naturæ ſuæ leges adverſus mea carmina. *Farnabius.*

465. *Pontus*] Qui malarum herbarum ferax. *Has herbas atque hæc Ponto mihi lecta venena,* &c. *Idem. Theſſala*] In Theſſalia, quæ veneficiis infamis. *Idem.*

468. *Deſcendat*] Hippol. 420. & 788. *Idem.*

471. *Fugerit ſtellis dies*] Præcedenti verſu legebatur: *Sit deprehenſum.* Monuit Lipſius è ſcripto ſcribendum, *Stet*, hoc autem, *ferveat ſtellis.* Ergo amicus ejus: Recte corrigunt, *Stet*, & huic mox opponitur *fugerit*: quare non movendum loco. Florentinus tamen contempto illo antitheto confirmat Lipſianum, eique accedit Heinſianus major. *Gronovius.*

472. *Vnum*] Herculem. *Farnabius. Vicit*] Vincet tamen eum amor qui & ſuperos vicit. *Idem.*

473. *Spolium*] Arcum vel ſagittas cedet Herculi ſpolium Cupido. *Idem.*

478. *Quod eſſe ſecretum jubes?*] Flor. *ſecretum petis?* Nam revera otaverat. Idem ſequenti, *non ignis minax.* ubi vulgo, *ignis minæ.* Gronovius.

481. *In-*

Nutr. Præstare fateor posse me tacitam fidem,
Si scelere careat. interim scelus est fides.
Deian. Circunspice, agedum, nequis arcana aucupet;
Partemque in omnem vultus inquirens eat.
Nutr. En locus ab omni tutus arbitrio vacat.
Deian. Est in remoto regiæ sedis loco
Arcana tacitus nostra defendens specus.
Non ille primos accipit soles locus,
Non ille seros, cum ferens Titan diem
Lassam rubenti mergit Oceano rotam.
Illic amoris pignus Herculei latet.
Altrix, fatebor, Nessus est auctor mali,
Quem gravida Nephele Thessalo genuit duci,
Qua celsus astris inserit Pindus caput,
Ultraque nubes Othrys eductus riget.
Namque ut subactus Herculis clava horridi
Achelous, omnes facilis in species dari,
Tandem peractis omnibus patuit feris,
Unoque turpe subdidit cornu caput:

Me

481. *Interim*] Interdum seu nonnunquam. *Farnabius.*

487. *Non ille*] Soli orienti non exponitur, non occidenti. *Idem.*

489. *Rubenti*] A solis vicini radiis. *Idem. Mergit*] Herc. Fu. v. 25. *Idem.*

490. *Amoris*] Venenum revocandi Herculei amoris vim habens. *Idem.*

491. *Nessius*] Centaurus quem è nube, quam Ixion cum Iunonem de stupro interpellasset Iupiter pro Iunone supposuerat, editum esse ut & natos Centauros narrant. vide Hercul. Fu. v. 777. & v. 749. *Idem.*

492. *Quem gravida nubes*] Præclare Flor. *Quem gravida Nefele.* Nephele scilicet νεφέλη, nubes, quam Ixioni suppositi pro Iunone Iupiter. Sequenti idem, ut Lipsianus: *Qua trepidus.* Mox quod alii corrigunt *turpe*, ratum habet idem. *Gronovius. Thessalo*] Ixioni; cui nubes Centauros genuit: unde à Claudiano vocantur, *nubigenæ.* Delr.

493. *Pindus*] Mons Thessaliæ Πίνδος. *Farnabius.*

495. *Achelous*] Amnis Acarnaniæ in Epiro, teste Strabone, olim Thoas, post Thestius, & Axenus auctore Plutarcho lib. de fluminibus dictus; oritur ex Pindo, & diu per planiciem lapsus, tandem in Ionium è regione Echinadum, influit, ut docent Thucydides lib. 2. & Plin. l. 11. c. 85. *Delr. Dari.*] Transformari sup. v. 300. *Farnabius.*

498. *Turpis*] Namque in taurum verso Acheloo Herc. cornu avulsit. *Idem. Cornu*] Cunctis fluminibus veteres cornua tribuerunt, ut docui in Not. Claudiani. & notum est, & optime de eo differit Pierius causas referens libro 3. Hieroglyph. *Delr.*

501. *Eue-*

Me conjugem dum victor Alcides habet,
Repetebat Argos. forte per campos vagus
Euenos altum gurgitem in pontum ferens
Jam pene ſummis turbidus ripis erat.
Tranſire Neſſus vorticem ſolitus vadis
Pretium popoſcit: meque jam dorſo ferens,
Qua jungit hominem ſpina deficiens equo;

Fran-

501. *Euenus altum*] Flor. *Euenos.* Idem *in pontum* non *& pontum.* Quid autem mox, *jam pæne ſummis turbidus ripis?* Flor. *ſilvis.* Lege: *Par pæne ſummis turbidus ſilvis erat.* Ovidius de Peneo: *ſummiſque aſpergine ſilvis influit.* Sequenti verſu recte reſtituit Lipſius: *Tranſire Neſſus verticem ſolitus vadis.* nam alludit Flor. *vagus.* Fruſtra Gruterus, minus hoc convenire, quia Neſſus tranſnataverit Euenum. Quid enim clarius Ovidii verbis: *Neſſus adit, membriſque valens, ſcituſque vadorum, Officioque meo ripa ſiſtetur in illa Hac, ait, Alcide, tu viribus utere nando.* Cæſar lib. 1. de Gall. *Helvetiorum inter fines & Allobrogum Rhodanus fluit, iſque nonnullis locis vado tranſitur.* Gronovius. *Euenus altum*] Ætoliæ flu. πολυμὸς βαθύῤῥοος. *Farnabius.* Non placant aures meas qui hic reponunt & *pontum.* Nuſquam legi, tum refluxum maris, vel æſtum ſolere undas Eueni replere & repellere. ſane non arbitror, nec tam litoralis Euenus, qui prius in Cephiſſum influit, & nomen amittit; Cephiſſus mari illabitur. quomodo ergo refluxus per totum Cephiſſum in Euenum uſque? nec indicant Sophocles aut Ovidius, ſed uberiorem ſolito fuiſſe, quod nimbis hiemalibus eſſet auctus. *Delr.*

502. *Jam pene ſummis*] Ovid. 9. Metamorph. *Venerat Eueni rapidas Iove natus ad undas, Uberior ſolito, nimbis hiemalibus auctus, Vortiicibuſque frequens erat atque impervius amnis.* Quis vero Dianiræ pater fuerit, non poſſum definire. Seneca & plerique, Oeneum; Didymus in Odyſſ. Homeri, Lucatius in Papinium, & Higynus in fabulis, Dexamenum appellant. iidem tradunt Eurytionem Centaurum ab Hercule occiſum, quia Deianeiram Eurytioni à Dexameno metu coacto deſponſam, coram ipſo liberius contrectaſſet. unde declaratur Ovidii, in Ibin, locus: *Aut duo diverſis ſub eodem vindice cæſi Temporibus, Neſſus, Dexamenique gener.* hoc & Leopardus obſervavit. *Delr.*

505. *Equo*] Centauri ſemihomines & ſemiequi fuiſſe finguntur, quia, ut ait Lucretius lib. 5. --- *neque Centauri fuerant, neque tempore in ullo Eſſe queunt duplici natura & corpore bino Ex alienigenis membris compacta poteſtas.* Sic Hippocentaurus inveniri poſſe negatur in princ. inſt. de inutil. ſtipulation. negat id etiam Cicero 1. Tuſcul. quæſtion. & lib. 2. de natur. Deor. & Galenus lib. 3. de uſu partium. Sed in contrarium eſt auctoritas divi Hieronymi, in vita Paulli heremitæ, & Plinii lib. 7. omnino vide Ioan. Corroſium lib. 5. miſcellan. cap. 2. Cæterum fictionis cauſam hujuſmodi memorant, fuiſſe Centauros Pelei Theſſaliæ montis accolas, à quibus primo fuerit monſtrata ratio ex equis dimicandi. Ferunt autem accidiſſe ut dum forte juxta Peneum amnem aquarentur, quorum equi potantes habebant immerſa fluctibus ora, eam procul ſpectantibus ſpeciem præbuiſſe, quam in biformibus Centauris poſtea credula fabu-

Frangebat ipsas fluminis tumidi minas.
Jam totus undis Nessus exierat ferox,
Medioque adhuc errabat Alcides vado,
Vasto rapacem vorticem scindens gradu.
Ast ille ut esse vidit Alcidem procul,
Tu præda nobis, inquit, & conjux eris.
Prohibetur undis; meque complexus ferens
Gressum citabat. non tenent undæ Herculem:
Infide vector, inquit, immisti licet
Ganges & Ister vallibus junctis eant;
Vincemus ambos. consequar telo fugam.
Præcessit arcus verba. tum longum ferens
Arundo vulnus, tenuit hærentem fugam;
Mortemque fixit. ille jam quærens diem
Tabum fluentem vulneris dextra excipit,

Tra-

fabulosaque expressit vetustas. hæc nonnulli. *Delr.*

506. *Minas*] Impetus. *Farnabius.*

508. *Medioque adhuc*] Ovidius scribit etiam Herculem exisse, Archilochus neutrum, in medio enim Eueno vult occisum Nessum, ut docet Schol. Apollonii in lib. 1. aptius utroque noster rem totam. *Delr.*

511. *Inquit*] Nessus. *Farnabius.*

512. *Meque complexam ferens*] Fl. *complexus.* Gronovius. *Prohibetur undis*] Hercules scilicet me consequi, te vindicare vel eripere. *Farnabius.*

513. *Gressum*] Nessus celeriter fugiebat. *Idem.*

514. *Infide*] O Nesse inquit Herc. *Idem.*

515. *Ganges & Ister*] Fl. max. hic Germaniæ, ille Indiæ. *Idem.*

516. *Fugam*] Te fugientem. *Idem.*

517. *Præcessit*] Sagitta arcu emissa prius Nessum percusserat, quam verba audivisset. *Idem. Tum longum*] E longe. *Idem.*

519. *Mortemque fixit*] Nec reprehendendum hoc est, neque ita excusandum, ut dicamus *mortem figere* esse verbum venatorum. Vbi quæso hoc auditum, dictum, scriptum? *Figere suem* aut *damam* scio esse venatorum, sed & hostis in acie telis figitur, ut pereat: quare igitur venatorum magis est quam præliantium? nam illa, *parcere morti*, *mortem perdere*, *mortem rapere*, apud Lucanum nec huc faciunt, nec ab arena ducta sunt. *Parcere morti pereuntis* est lente & per partes trucidare: *non perdere letum* est in ipsa morte aliquod virtutis opus edere: *mortem rapere* est ultro accessere & sibi properare fata. Vnum rectè apposuerunt, *cadere mortes.* Nimirum *figitur* & mortiferum telum & lethale vulnus: utrumque autem poëtis utique, & omnia extrema, *Mors*: sic & *mors figitur.* Lucanus de sagittariis Asiaticis: *petitur solus qui campis imminet, aër: Inde cadunt mortes.* Statius: *Mille cavet lapsas circum cava tempora mortes.* Gronovius. *Quærens*] Moriens. *oculisque errantibus alto Quæsivit cælo lucem.* Farnabius.

520. *Tabem fluentis vulneris*] Flor.

Ta-

Traditque nobis ungulæ insertum suæ,
Quam forte sæva sciderat avulsam manu.
Tum verba moriens addit: hoc, inquit, magæ
Dixere amorem posse defigi malo.
Hoc docta Mycale Thessalas docuit nurus,
Unam inter omnes Luna quam sequitur magam,
Astris relictis. illitas vestes dabis
Hac, inquit, ipsa tabe, si pellex tuos
Invisa thalamos tulerit, & conjux levis
Aliam parenti dederit altisono nurum.
Hoc nulla lux aspiciat, hoc tenebræ tegant
Tantum remotæ. sic potens vires suas
Sanguis tenebit: verba deprendit quies.
Mortemque lassis intulit membris sopor.
Tu, quam meis admittit arcanis fides,
Perge, ut nitentem virus in vestem datum,
Mentem per artus adeat, & tactu intimas
Intret medullas. *Nutr.* Ocius jussa exequar,

Alum-

Tabum fluentem: & sequenti, *ungulæ insertum suæ* Servius ad 4. Æneid. *Et terram tabo maculant. Corrupto sanguine.* Gronovius.

524. *Malo*] Veneno incantato. *Id.*

525. *Docta*] Veneficiorum & magiæ perita. *Idem. Mycale*] Ovidius Metamorph. 12. --- *Orio Mater erat Mycale, quam deduxisse canendo, Sæpe reluctantis constabat cornua lunæ.* hinc itaque locus ille desumtus fuit. *Delr. Thessalas*] Mulieres Thess. incantamentis famosos. *Farnabius.*

526. *Inter omnes Luna quam sequitur magam*] Flor. melius, *magas.* Gronovius. *Luna*] Incantata. Hippol. 420. *Farnabius.*

529. *Et conjux*] Et Hercules aliam duxerit uxorem Iovi nurum futuram. *Idem.*

531. *Hoc nulla*] Μηδ' ὄψεται νιν μήτε φέγγος ἡλίου Μηθ' ἕρκος ἱερὸν μήτ' ἡφαίστειον σέλας. *Idem.*

533. *Verba*] Hæc Nessi verba mors excepit, insequuta est. *Idem.*

536. *Nitentes virus in vestes satum*] Flor. *nitentem virus in vestem datum.* ut Livius, *album in vestimentum addere.* Gronovius.

537. *Et tactus sinus*] Lipsius, cum in Mss. reperisset, *tactus imas*, conjecit, *tactu intimas.* Delrius fatetur τὸ *tactus sinus* non quadrare: itaque si patiatur versus, se lecturum, *tectus imas*: acquiescere tamen Lipsiano. At Gruterus medicinam se facere putat abjectu literæ *tactu sinus.* Si sic agere velimus, & vulgata possit defendi, ut *tactus sinus* sit uncta sinuosa vestis vi & efficacia sua medullas intret. Sed Heinsianus major, *tacitus imas*, Flor. *tacitus mas.* Itaque videtur librarius lucrifecisse similes literas, cum scriptum reperisset: *& tacitum intumas Intret medullas. Tacitum* est non statim intellectum. *Idem.*

539. *Deum*

Alumna. precibus tu Deum invictum advoca,
Qui certa tenera tela dimittit manu.
Deian. Te te precor, quem mundus & superi timent;
Et æquor, & qui fulmen Ætnæum quatit,
Timende matri teliger sævæ puer;
Intende certa spiculum velox manu
Non è sagittis levibus. ex humero, precor,
Graviore profer, quod tuæ nondum manus
Misêre in aliquem. non levi telo est opus,
Ut amare possit Hercules. rigidas manus
Intende, & arcum cornibus junctis para.
Nunc nunc sagittam prome, qua quondã horridus
Jovem petisti; fulmine abjecto Deus
Cum fronte subita tumuit, & rapidum mare
Taurus puellæ vector Assyriæ scidit.
Immitte amorem. vincat exempla omnia.
Amare discat conjugem. si quas decor
Ioles inussit pectori Herculeo faces,
Extingue totas. perbibat flammas mei.
Tu fulminantem sæpe domuisti Iovem,

Tu

539. *Deum*] Cupidinem. *Farnab.*

541. *Te te precor quem mundus*] Flor. *Te deprecor.* Compositum pro simplici. *Gronovius. Quem mundus*] Quem numina, animaliaque cœlestia, terrena & maritima timent. *Farnabius.*

542. *Qui fulmen*] Iupiter, qui fulmina Cyclopibus in Ætnæis antris fabricata torquet. *Idem.*

543. *Timende matri*] Cum ne ab ipsa quidem te abstineas. hoc enim Venus apud Lucianum queritur. *Delr. Teliger sævæ puer*] Flor. *te aliger. Teliger*] Ἔρως τοξότης. *Farnab.*

545. *Non è sagittis levibus, è nervo*] Raphelingius notavit omnes fere Mss. *ex numero.* Ita cum edidisset Gruterus, emendationem certam putabat. Sed certius, quod significat Florentinus: *ex umero.* Lege igitur: *ex humero, precor, Graviore profer.* Ex parte coryti sive pharetræ, quæ maxime humetum tuum gravat, quia graviores sagittas continet. *Gronovius. Nervo*] Arcu. arcus chorda. *Farnabius.*

546. *Quod tuæ*] Ἀβλῆτα οἰστόν. *Id.*

552. *Cum fronte*] Cum Iovi in taurum verso erumpebant subito cornua, &c. Hippol. 302. *Farnabius. Et rapidum mare*] Flor. *rabidum.* Insanum. *Gronovius. Rapidum*] Fretum è Phœnicia in Cretam trajiciens. *Farnabius.*

554. *Omnia*] Omnium qui amore insaniverunt. *Idem.*

555. *Amare discat conjuges*] Immo, *conjugem*, ut Flor. Qui & statim: *si quas decor Ioles inuβit*, non *Immisit Ioles.* Ciceroni & Livio frequens. *Gronovius. Conjuges*] Quas (pellicibus deditus) contemnere solet: ut Megaram & me. *Idem.*

559. *Ge-*

Tu furva nigri sceptra gestantem poli,
Turbæ ducem majoris, & dominum Stygis.
Tu, qui noverca es gravior irata deus,
Cape hunc triumphum. solus evince Herculem.
Nutr. Prolata vis est, quæque Palladia colu
Lassavit omnem texta famularem manum.
Nunc congeratur virus, ut vestis bibat
Herculea pestem. precibus augebo malum.
In tempore ipso gnavus occurrit Lichas.
Celanda vis est dira, ne pateat, doli.
Deian. O, quod superbæ non habent unquam domus,
Fidele semper regibus nomen, Licha,
Cape hos amictus, nostra quos nevit manus,
Dum vagus in orbem fertur, & victus mero
Tenet feroci Lydiam gremio nurum,
Nunc poscit Iolen. sed jecur fors horridum

Fle-

559. *Gestantem*] Plutonem. Agam. 750. *Farn.*

560. *Majoris*] Mortuorum enim major quam vivorum numerus. Herc. Fu. 559. *Idem. Dominum*] Herculi semper Amor nocentior quam Iuno irata. *Plus tibi quam Iune nocuit Venus.* Idem.

561. *Tu qui noverca es gravior*] Vossiano, meo & aliis deest τὸ *es*. Nempe cum Flor. legendum: *Tuque, ó noverca gravior irata.* Idem sequenti: *solus & vince Herculem.* Gronovius.

563. *Vis est*] Venenum illud tantæ potentiæ. *Farnabius. Quæque*] Et vestis, quæ, &c. *Idem. Palladia*] A Pallade inventa. vid. Hippol. 102. *Idem.*

564. *Texta famularem manum*] Flor. *fabularum.* Fortasse: *Lassavit omnem tela famularum manum.* Quamquam & *texta* ferri possit ἀκλιτῶς scilicet dictum in re. infra quoque: *Famularis illum retinet errantem manus* præsenti. Sequenti Flor. ut in parte Lipsius: *Nunc congeratur virus, & vestis bibat.* Gronovius.

565. *Bibat*] Imbibat venenum. *Id.*

566. *Precibus*] Imprecationibus magicis. *Idem.*

568. *Illa ne pateant mala*] Intellexit Gruterus valde languere versum: sed inane auxilium, quod ex uno sibi non displicere testatur, *illi ne.* Peccat enim in mettum. Florentiæ: *Celanda vis est dira, ne pateat, doli.* Gronovius.

569. *Quod*] Namque in tot populis vix una fides. inf. v. 608. *Farnabius.*

570. *Nomen*] Servitium, famulæ.

571. *Nostra*] Πέπλον τῆς ἐμῆς χερός. *Idem.*

573. *Lydiam*] Omphalen. Herc. Fu. 455. *Idem.*

574. *Nunc poscit Iolem*] Lege cum Flor. *Dum poscit Iolen.* Dein: *sed jecur fors horridum Flectam merendo.* non *emerendo.* Quæ est illius explicatio. Diximus ad illud Hippolyti: *Et te merebor.* Pergit idem liber: *merita viceruntmalos.* ubi vulgo, *vincunt & malos.* Gronovius. *Iecur*] Cupiditatum sedem, maxime amoris qui è flava bile oritur, quæ calidæ atidæque naturæ igni in hominis temperatura respon-

Flectam merendo. merita vicerunt malos.
Non ante vestes induat conjux jube,
Quam thure flammas pascat, & placet deos
Cana rigentem populo vinctus comam.
Ipsa in penates regios gressus feram,
Precibusque Amoris horridi matrem colam.
Vos, quas paternis extuli comites focis,
Calydoniæ, deflete lugendas vices.

respondent unde poëtis familiare amoris nomen *Ignis*. Farnabius.

575. *Emerendo*] Meritis & beneficiis meis. *Idem*.

577. *Flammas spargat & poscat*] Quanto elegantius Etruscus : *Quam thure flammas pascat & placet deos*. sic alibi : *& multo specum Saturat cruore*. Sequenti liber idem : *populo cinctus comam*. non *vinctus*. Horatius : *sequi deum Cingentem viridi tempora pampino*. Iterumque : *& mihi Delphica Lauro cinge volens Melpomene comam*. Mox : *Ipsa in penates*. non *ad*.

578. *Cana*] Alba populo. Herc. Fu. v. 892. *Farnabius*.

582. *Calydoniæ*] Ætolides. Calydon enim regia Ætolorum urbs. *Idem*. *Deflete lugendas vices*] Flor. *lugendam vicem*. Vt *nostram* & *aliorum vicem dolere* dicimus. *Gronovius*. *Vices*] Meas, quod faciunt in sequenti Choro. *Farn*.

CHORUS ÆTOLARUM MULIERUM.

Mulieres Calydoniæ Deianiræ sortem deflent: Ambitionem, Avaritiam, Luxum, cæteraque mortalium studia inania detestantur, privatam fortunam laudant.

Flemus casus, Oenei, tuos,
Comitum primos turba per annos :
Flemus dubios, veneranda, toros.
Nos Acheloi tecum solitæ
Pulsare vadum, cum jam tumidas
Vere peracto poneret undas,
Gracilisque gradu serperet æquo,

Nec

583. *OEnei*] O Deianira filia regis Oenei. *Farnabius*.

585. *Flemus dubios miseranda toros*] Flor. *veneranda*. Πότνια. Sunt enim familiares & ministræ principis fœminæ, ex quibus constat chorus. hæ dominæ ante omnes venerationem debent. *Gronovius*. *Dubios*] Repudium timentes. *Farnabius*.

586. *Acheloi*] Sup. v. 300. & 500.

589. *Gracilisque vado*] Certe ingrata repetitio est vadi. Merito igitur mutat Florentinus & quidem suavissime : *Gracilisque gradu serperet æquo*. Amnis dicitur *serpere gradu æquo*, quum qui natura vehemens & rapidus non est, agitur naturali motu, ut pedetentim, tantum impellentibus, quæ sequuntur, undis, quantum cedere ac loci dare possunt priores, planus ipse & æquus :

Nec præcipitem volveret amnem
Flavus rupto fonte Lycormas.
Nos Palladias ire per aras,
Et virgineos celebrare choros:
Nos Cadmeis orgia ferre
Tecum solitæ condita cistis,
Cum jam pulso sidere Brumæ
Tertia soles evocat æstas,
Et spiciferæ concessa deæ
Attica mystas claudit Eleusin.
Nunc quoque casum quemcumque times,

Fidas

æquus: non turbidus & concitatus & fervens, undis, quia anteriores tantum evolvere nequeunt, quantum effundunt sequentes, super undas scandentibus & tumultuantibus atque inæqualiter præcipitantibus. *Gronovius.*

591. *Flavus rapido fonte*] Flor. *rupto.* quasi reseratis claustris. Neptunus ad amnes apud Ovidium: *vires effundite vestras, (Sic opus est) aperite domos, ac mole remota Fluminibus vestris totas immittite habenas. Iusserat. hi redeunt ac fontibus ora relaxant, Et defrenato volvuntur in æquora cursu.* Gronovius. *Flavus*] Arenis flavus Lycormas fluvius Ætoliæ, qui postea Euenus dictus. *Farnabius. Lycormas*] Euenus. Strabo lib. 7. ὁ Εὔηνος, ὁ Λυκόρμας πρότερον καλούμενος. Archelaus lib. 1. de fluminibus: Λυκόρμας τῆς Αἰτωλίας ποταμὸς, μετωνομάσθη δ' Εὔηνος. γενναῖται δ' ἐν αὐτῷ βοτάνη ζάρισα προσαγορευομένη, λόγχῃ παρόμοιος, πιοῦσα πρὸς ἀμβλυωπίας ἄριστα. fluvius iste priùs Lycormas, postea Euenus dictus fuit, quia Euenus Idam, Marpessæ filiæ suæ raptorem, insecutus, cùm ad eum fluvium pervenisset, videretque omnem ulteriùs insequendi occasionem sibi eripi, amens sese in Lycormam præcipitavit, ut est apud Apollodor. lib. 1. biblioth. & Plutarchum in Parallelis, ex Dositheo, nec non in libello περὶ ποταμῶν, qui unus nobis hodie superest ex multis qui de fluminibus olim Græce scripserunt, veluti Chrysermus, Archelaus, Timagoras, Asclepiades, aliique. *Delr.*

592. *Palladias*] In Palladis honorem extructas. *Farnabius.*

594. *Cadmeis*] Bacchi Thebis à Cadmo institutis nati cultique. *Idem. Orgia*] Liberi patris ceremonias; & sacra Oedip. 431. *Idem.*

595. *Cistis*] Canistris; quæ ferebant κανηφόροι virgines. *Idem.*

596. *Cum jam*] Cum jam pulsato hyemali Piscium sidere tertii anni solstitium æstivum calores inducit. *ubi audito stimulant Trieterica Baccho Orgia:* tertio quoque anno iterata in memoriam victoriæ Indicæ patris Liberi trienni expeditione partæ. *Idem.*

598. *Spiciferæ*] Cereri in Triptolemo concessa. *Idem.*

599. *Attica mystas claudit Eleusis*] Hic quoque liber optimus, *Eleusin.* Quum finitis scilicet Eleusiniis, mysteria, quæ sacris cistis condita mystæ in pompa portarant incedentes per publicum, referuntur adytis & clauduntur. *Gronovius. Mystas*] Herc. Fu. 846. *Farnabius. Claudit*] Vt secreta sint Eleusinia sacra. *Idem. Eleusin*] Hippol. 835. Herc. Fu. 301. *Idem.*

600. *Nunc quoque fatum quodcumque times*] Fl. *Nunc quoque casum quemcumque*

Fidas comites accipe fatis.
Nam rara fides, ubi jam melior
Fortuna ruit.
Tu quicunque es, qui sceptra tenes,
Licet omne tua vulgus in aula
Centum pariter limina pulset:
Cum tot populis stipatus eas,
In tot populis vix una fides.
Tenet auratum limen Erinnys,
Et cum magnæ patuere fores,
Intrant fraudes, cautique doli,
Ferrumque latens. cumque in populos
Prodire parant, comes invidia est.
Noctem quoties summovet Eos,
Regem toties credite nasci.
Pauci reges, non regna colunt:
Plures fulgor concitat aulæ.
Cupit hic regi proximus ipsi
Clarus latas ire per urbes:
Urit miserum gloria pectus.
Cupit hic gazis implere famem:
Nec tamen omnis plaga gemmiferi
Sufficit Istri; nec tota sitim
Lydia vincit; nec quæ Zephyro

Sub-

cumque times. Sufficit nimirum *fata* proximo versu poni. *Gronovius.*

601. *Comites*] Nos. *Farnabius.*

606. *Centum*] Multa, propter satellitum & ministrorum frequentiam. *Idem.*

609. *Erinnys*] Furia. Agam. v. 82. *Idem.*

612. *Latens*] Ad insidias. *Idem.*

614. *Noctem*] Quoties rex insidias noctis & mortem evaserit, toties novum alium nasci credite, tantum periculi regibus minantur noctes singulæ. *Idem.*

616. *Pauci*] Plures colunt regias fortunas quam personas. *Idem.*

617. *Plures fulgor convocat aulæ.*] Flor. eodem sensu non pejus, *concitat.* Idem mox: *Clarus latas ire per urbes.* quod ex Lugdun. notat Delrius, etsi probet vulgatum: *clarus claras.* Sed & alii apud illum, *claruſque datas*, & *claruſque latas.* Fortassis *latas*: nam principum & proximorum illis adventus publica lætitia & diebus festis coluntur. *Gronovius.*

623. *Istri;*] Fl. Europæ maximi. *F.*

624. *Lydia*] Sic omnino Claudianus: *Non Tarteſſiacis illum ſatiaret arenis Tempeſtas pretioſa Tagi, non ſtagna ruben-*

Subdita tellus, ſtupet aurato
Flumine clarum radiare Tagum;
Nec ſi totus ſerviat Hebrus;
Ruraque dives cingat Hydaſpes;
Intraque ſuos currere fines
Spectet toto flumine Gangem.
Avidis, avidis, natura parum eſt.
Colit hic regem, regumque lares,
Non ut preſſo vomere ſemper
Nunquam ceſſet curvus arator,
Vel mille ſecent arva coloni:
Solas optat, quas donet, opes.
Colit hic reges, calcet ut omnes,
Perdatque aliquos, nullumque levet.
Tantum ut noceat, cupit eſſe potens.
Quota pars moritur tempore fati!
Quos felices Cynthia vidit,
Vidit miſeros enata dies.

Rarum

rubentis Aurea Pactoli : totumque exhauſerit Hermum ; ardebit majore ſiti. — & mox: *Quo vaſane ruis ? teneas utrumque licebit Oceanum : laxet rutilos tibi Lydia fontes : Iungantur ſolium Cræſi, Cyrique tiara : Nunquam dives eris* — Lydia fluminibus aurea ramenta volventibus nobilis eſt, Hermo ſcilicet & Pactolo. de Pactolo, dictum alibi: de Hermo, Papinius 3. Silv. — *Hermique vadum, quo Lydius intrat Bacchus, & aurato reficit ſua cornua limo. Zephyro ſubdita tellus*] H ſpania zephyri flatibus obnoxia, quia occidua. *Delr.*

627. *Hebrus*] Herc. Fu. 1324. v. Thyeſt. v. 353.

An aurifer? neſcio. non memini. forte pro tota Thracia poſuit quæ fertilis magna ex parte. vel corruptum nomen, ex *Hermus*. Delr.

628. *Ruraque dives cingat Hydaſpes*] Florent. *jungat*. Iuncta, qua decurrit, & continuata habeat unique domino præſtet. Placet etiam præcedenti verſu conjectura Delrii : *ſerviat Hermus*. Gronovius.

630. *Gangem*] Indiæ fl. *Farnabius.*

631. *Natura*] Omne quod produxit natura. *Idem.*

633. *Non ut*] Non ut multa aret, poſſideat, acquirat, ſed ut habeat quas largiatur opes. *Idem.*

636. *Solas optat, quas donet, opes*] Si quas *donet*, non profecto in vanum, ſed in aliquem uſum. Fl. *ponit*. Lege *quas ponat opes*, id eſt, recondat ac mille arcis ſtrangulet, nec ipſi nec cuiquam alii utiles. *Gronovius.*

637. *Calcet*] Vt multos premat opprimatque. *Farnabius.*

638. *Perdatque aliquos*] Fl. *alios*. Gr.

640. *Tempore*] *Sed miſer ante diem nec ſicca morte*. Farnabius.

641. *Cynthia*] Præcedentis noctis Luna. *Idem.*

642. *Videt miſeros abitura dies*] Immò etiam citius. Itaque Flor. *enata dies*. Gronovius.

644. Ce-

Rarum est, felix idemque senex.
Cæspes Tyrio mollior ostro,
Solet impavidos ducere somnos.
Aurea rumpunt tecta quietem,
Vigilesque trahit purpura noctes.
O si pateant pectora ditum,
Quantos intus sublimis agit
Fortuna metus! Brutia Coro
Pulsante fretum mitior unda est.
Pectora pauper secura gerit.
Tenet è patulâ pocula fago,
Sed non trepidâ tenet illa manu.
Carpit faciles vilesque cibos,
Sed non strictos respicit enses.
Aurea miscet pocula sanguis.

Con-

644. *Cespes Tyrio*] Terra gramine herbisque virens. *Farnabius.*

645. *Impavidos ducere sommos*] id est, facere somnos: ut Horatio *pocula lethæos ducentia somnos.* At quod sequitur, *vigilesque trahit purpura noctes:* ita simile est isti, ut etiam sit dissimile. Non enim, ut *Cespes ducit somnum*, seu dat qualemcumque quietem, adsueto & humili atque innocenti, de quo loquitur auctor, securam & altam, minus adsueto & potenti scelerumque conscio tenuem ac turbidam: sic *purpura trahit noctes*, seu tenebras rebus inducit: sed *purpura trahit noctes vigiles*, seu efficit per adjunctas curas, ut in ea cubantes noctem vigiles exigant. *Gronovius.*

650. *Brutia*] Fretum Siculum. Th. v. 578. *Farnab. Brutia*] Mare Bruttium, à Bruttiis Italiæ populis, Coro valde infestatur. βρύτιοι quibusdam Græcis recte dicti, auctore Strabone, quia oriundi à fugitivis Lucanorum; Lucani vero fugitivos βρεττίους appellabant. Stephanus etiam sic nominat. nam in βρέττος & in βρουτία tradit, Brutios dici qui in Sicilia Brutian urbem incolunt; Brettios autem in Italia dictos ab urbe Bretto, quam condidit Brettus Herculis filius. & ab hac totam Italiam Antiocho dictam Brettiam. βρέττιοι etiam Aristophani noti, & Dionysio Periegeti. sic enim rectius quidam libri, quam alii, qui, βρέντιοι. *Delr.*

651. *Mitior unda est*] Fl. *lenior unda est.* Cæsar lib. 1. Gall. *Flumen est Arar, quod per fines Æduorum & Sequanorum influit, incredibili lenitate.* Ovidius: *torrentem, qua nil obstabat eunti Lenius & modico strepitu decurrere vidi.* Noster alibi: *lenis & modice fluens unda.* Gronovius.

623. *Tenet*] Cui *Terra rubens crater, pocula fagus* securitatem præstant. *Farnabius.*

654. *Sed non trepida tenet ipsa manu*] Melius Flor. *illa.* Gronovius.

655. *Faciles*] Dapes inemptas. *F.*

656. *Sed non*] *Rarus venit in cœnacula miles.* vel ad ensem respicit Damoclis cervici jussu Dionysii impendentem. *Idem.*

657. *Aurea*] *Hellenism.* χρύσεον αἷμα κεράννυ) σκύφοις. Iethum

 seu

Conjux modico nupta marito
Non disposito clara monili
Gestat pelagi dona rubentis,
Nec gemmiferas detrahit aures
Lapis Eoa lectus in unda;
Nec Sidonio mollis aheno
Repetita bibit lana rubores;
Nec Mæonia distinguit acu,
Quæ Phœbeis subditus Euris
Legit Eois Ser arboribus.
Quælibet herbæ tinxere colos,
Quas indoctæ nevêre manus:
Sed non dubios fovet illa toros.
Sequitur dirâ lampade Erinnys
Quarum populi coluere diem.
Nec sibi felix pauper habetur,
Nisi felices cecidisse videt.
Quisquis medium defugit iter,
Stabili nunquam tramite curret.

Dum

seu lethale venenum aureis miscetur poculis. *Idem.*

660. *Dona*] Gemmas. *Idem. Rubentis*] Erythræi maris. Thyest. v. 370. *Idem.*

661. *Detrahit*] Pondere & magnitudine sua deprimit ac deducit. de ornamentis loquitur muliebribus, quæ inaures vocat Vlpianus l. 26. D. de auro & arg. leg. *Delr.*

662. *Lapis*] Elenchus è margarita Indica. *Farnabius.*

663. *Sidonio*] Thyest. v. 344. *Idem.*

664. *Repetita*] Dibapha, Tyrio bis murice tincta. *Idem.*

666. *Phœbeis*] Orientalibus. *Idem.*

667. *Ser*] Thyest. v. 378. *Idem.* Quia apud Seres, ut refert Ammianus lib 23. silvæ sunt sublucidæ: à quibus arborum fœtus, aquarum crebris asperginibus, velut quædam vellera mollientes, ex lanugine & liquore mixtam quandam subtilitatem tenerrimam, pectunt, nentesque subtemina, conficiunt sericum. Idem referunt Plinius & Solinus, *ille lib. 6.* nat. histor. c. 27. hic cap. 51. *Delr.*

670. *Non dubios*] Non suspectos adulterii, vel repudium timentes. ut supra v. 590. *Farn.*

671. *Sequitur*] Sed discors furia inauspicata tæda nuptiali (Theb. v. 263. & 507.) vel face furiali (Herc. Fu. v. 87.) eorum thalamos persequitur, quorum natales publica lætitia celebrantur: id est, principum. *Idem.*

672. *Quorum populi coluere diem*] Flor. Heinsiani, meus. *Quarum.* nam & Augustarum dies colebantur, & de conjuge principis tot superiores versus. *Gronovius.*

673. *Nec sibi*] Tum se beatum agnoscit pauper, ubi potentes ex alto gradu videt cecidisse. *Farnabius.*

678. Pa-

Dum petit unum præbere diem,
Patrioque puer conſtitit axe,
Nec per ſolitum decurrit iter,
Sed Phœbeis ignota ſecat
Sidera flammis errante rota,
Secum pariter perdidit orbem.
Medium cœli dum ſulcat iter,
Tenuit placitas Dædalus oras,
Nullique dedit nomina ponto:
Sed dum volucres vincere veras
Icarus audet, patriaſque puer
Deſpicit alas, Phœboque volat
Proximus ipſi; dedit ignoto
Nomina ponto.
Male penſantur magna ruinis.
Felix alius, magnuſque ſonet;

Me

678. *Patrioſque puer concitat axes*] Flor. *Patrioque puer conſtitit axe, Nec per ſolitum decurrit iter.* Gronovius. *Puer*] Phaëthon. *Farnabius.*

683. *Cœli dum ſulcat iter*] Ne quem moveant Delriani & Gruteri codices, qui *peregerat, percurrat, peregit, pergit*, Flor. nil niſi *ſulcat*. At quod ſequitur, Dædalum tenuiſſe *Latias oras*, merito culpat Lipſius, eo magis quia in ſcripto fuerat alia vox, ſed inducta: conjicit tamen *Italas*: quia & in Magna Græcia, Cumis, & eo tractu victitarit Dædalus. Hinc exſculpſit amicus ejus, *Latium* ſumi pro tota Italia, ut ſolet pars præcipua pro toto. Addit non deeſſe huic acceptioni, ut loquitur, idoneum acumen: alluſiſſe namque auctorem ad Saturni latebras & Latii etymon: his ſe primum oris Dædalum credidiſſe: hic tutum latuiſſe. Vellet ſane hoc Minos: ita enim non perſequendum eum habuiſſet in Sicilia, ut periret Cocalidum inſidiis. Sic alludere eſt ſe ludere & ridendum præbere. Etruſcus, *placidas*. Lege igitur: *Tenuit placitas Dædalus oras*. Pervenit, quo contenderat. Hoc erat illud quod mala manus in Lipſiano codice induxit. Adde noſtra ad lib. 12. Thebaidos. *Gronovius.*

684. *Tenuit*] *Dæd. fugiens Minoia regna Præpetibus pennis auſus ſe credere cœlo, Chalcidicaque levis tandem ſuper adſtitit arce.* id eſt, Cumis, quæ in Italia; pro cujus parte, quæ magna Græcia dicebatur, Latium ponit. *Farn.*

685. *Nullique*] Quod fecit filius ejus Icarus. *Idem.*

686. *Volucres*] Altius volitare quam volucres veræ. *Idem.*

688. *Deſpicit*] Altius ſubvectus patrem infra volitantem videt. *Idem.* *Phœboque*] Cujus calore liquefacta, qua conglutinabantur alæ, cera in mare decidit. *Idem.*

689. *Dedit*] Vide Oed. v. 893. *Id.*

692. *Felix*] Volitet alius felix & magnus. *Idem.* *Magnuſque volet, Me nulla vocet turba*] Longe aliter optimus liber: *Felix alius magnuſque ſonet.* id eſt, audiat, prædicetur. Dein: *Me nulla vocent verba.* id eſt, nullius oratio. *Gronovius.*

Me nulla vocet turba potentem.
Stringat tenuis littora puppis.
Nec magna meas aura phaselos
Jubeat medium scindere pontum.
Transit tutos Fortuna sinus,
Medioque rates quærit in alto,
Quarum feriunt suppara nubes.
Sed quid pavido territa vultu
Qualis Baccho saucia Mænas,
Fertur rapido regina gradu?
Quæ te rursus Fortuna rotat,
Miseranda, refer. licet ipsa neges,
Vulnus loquitur, quodcunque tegis.

694. *Stringat*] Radat, legat littora. *F.*

695. *Meos aura phaselos*] Heins. & Flor. *meas*. Lucanus lib. 5. *latus inversa nudum munita phaselo*. Sic illam ætatem maluisse testes quoque Martialis & Statius. *Gronovius.*

698. *Medioque rates*] Naves quæ secundis ventis, & plenis velis navigant, fortuna quærit, ut demergat: quæ vero remis circa litus propelluntur, & metu tempestatis se non audent alto credere, illas præterit. *Delr.*

699. *Suppara*] Medea v. 318. *Farn.*

701. *Qualis Baccho saucia Thyas Fertur rapido*] Heins. major: *mennas*. Flor. *Maenas*. Quamvis res eadem sit, tamen probata tot exemplis auctoritas merito valet. Dein Lipsius è libro suo notat, *medio*: & jubet cogitare. Amicus ejus, quasi hoc sibi potissimum dictum sit, suos omnes continere vulgatum: Criticorum libitum alium, *medio*: sibi arridere *rapido*: hoc enim timentium gradum citare: nec de alio cogitandum vocabulo. Cætera ei facile concesserim: in postremo hæsito: nam & Flor. *medio*: Heins. major à m. p. *gravido*. An fuit *trepido*? ut video Raphelingium quoque conjecisse. *Gr.*

702. *Regina*] Deianita. *Farnabius.*

ACTUS TERTIUS.

* DEIANIRA. CHORUS.

Deianiram, periculo veneni ad solem expositi flammasque concipientis facto, consilii sui pœnitet.

Dei. Vagus per artus errat excussos tremor.
Erectus horret crinis. impulsis adhuc
Stat

* DEIANIRA. CHORUS.] Fl. DEIANIRA. NUTRIX. Potest videri inter personas choro canentes vel præcipua fuisse Nutrix. *Gronovius.*

706. *Vagus*] *Gelidusque per ima cucurrit Ossa tremor.* Farnabius.

707. *Erectus*] Commeante sc. ad cordis (quod corporis arx est) subsidium calore, externa algescunt, pili horrescunt, &c. *Farn.*

708. *Cer-*

Stat terror animis, & cor attonitum salit,
Pavidumque trepidis palpitat venis jecur.
Ut fractus Austro pontus etiamnum tumet,
Quamvis quiescat languidis ventis dies:
Ita mens adhuc vexatur excusso metu.
Semel profecto premere felices Deus
Cum cœpit, urget. hos habent magna exitus.
Chor. Quis tam impotens, ô misera, te casus rotat?
Dei. Ut missa palla est, tabe Nessea illita,
Thalamisque mœrens intuli gressum meis,
Nescio quid animus timuit, & fraudem struit.
Libet experiri. solibus virus ferum
Flammisque Nessus sanguinem ostendi arcuit.
Hic ipse fraudes esse præmonuit Deus.
Et forte nulla nube respersus jubar

Laxa-

708. *Cor attonitum*] Καρδίας πτλμὸς, qui inter divinationes salitorias. *Farnabius.*

711. *Dies*] Tempestas. *Idem.*

713. *Semel profecto*] Sic Flor. Corrupti libri, *Simul.* Ergo & omnes Gruteri, qui fere est ut hoc malit ob consensum vetustatis. Vide ut falsa species vetustatis etiam doctos auferat. Neque enim patitur oratio. At vera illa & multo sanctior vetustas Etrusci codicis hunc versum non continuat Deianiræ, sed cum duobus insequentibus dat Nutrici, memori scilicet quod argumentum in Choro tractaverit. *Gr.*

714. *Hos habent*] Conatus grandes, anxios plerumque & calamitosos habent exitus. *Farnabius.*

715. *Quis tam impotens ô misera*] Hic ponit Flor. supra ablatum: *Quis tam impotens, miseranda, te casus rotat?* Gronovius.

717. *Thalamisque demens*] Lipsii M.S. *ingerens.* Vnde conjecit ille: *mœrens.* Et ita plane Flor. *Idem.*

718. *Et fraudem struit*] Notavit Deltius in Lugdun. esse *astruit*: quod alii interpretantur. Frustra. Lege: *Nescio quid animus timuit, & fraudem strui.* nempe ab ipso Nesso, qui quasi philtrum hoc ei commendaverat. Grotius, *& fraudem arguit.* Idem.

719. *Solibus*] Sup. v. 536.

720. *Sanguinem ostendi arcuit.*] Nam Nessus moriens præceperat, ne in lucem daret hoc virus. *Lipsius.*

721. *Hic ipse fraudes esse præmonuit Deus.*] Potest intelligi quemcumque deum monuisse hæc per verba Nessi, si scilicet mens non læva fuisset. Non placet tamen. Neque si Sophocles Θεὸν Χείρωνα dixit, ideo quivis Centaurus potest dici deus. nam ille & vivus habuerat immortalitatem & mortuus inter sidera est relatus. Flor. *dolus.* Nihil extrico. An *ferus?* ab altera parte. Homerus ἰλ. ά. Φησὶν ὀρεσκῴοισι. Vbi Eustathius πνεῖς ὃ τὰς κενταύρους φῆρας φασι. Sophocles: ὦ μοι παλαιὸν δῶρον ὀρχαίᾳ ποτὲ Θηρὸς. Et mox: ἐλθόντων δ' ὁ θὴρ τοσοῦτον εἶπε. Alioqui centauri *Semiferi.* Gronovius.

722. *Et forte*] Puto versus aliquot

Laxabat ardens fervidum Titan diem.
(Vix ora solvi patitur etiam nunc timor)
Medios in ignes solis, & claram facem
Quo tincta fuerat palla, vestisque illita,
Abjectus horret sanguis, & Phœbi comâ
Tepefactus ardet. vix queo monstrum eloqui.
Nives ut Eurus solvit, aut tepidus Notus,
Quas vere primo lubricus perdit Mimas;

Utque

deesse. Quod & sensus ipse, & summa quæ hic negligentia est, evincit. Vnde enim colligit venenum esse? At in uno isto loco maximum catastrophæ momentum est. Omnia cum dixit, nihil dixit. Summa quippe omnium huc redit, sanguinem à sole liquefactum fuisse. Et hinc colligit, venenum se misisse. Atque hinc terror ille, quem infelix concepisse animo se prædicat. Sed quod hic indicium δηλητηρίου est? idem enim ceræ evenisset, idem sebo. Quam vero longe hæc aliter Tragœdiæ princeps. Primo, ait, lanam qua peruncta vestis à se fuerat, corrosam ac consumtam plane à sanguine fuisse: deinde, guttas sole liquefactas, in terram collapsas spumasse ac efferbuisse: postremo, tela Herculis, quibus interfectus fuerat Centaurus, δηλητηρίῳ tincta, atque idcirco omnia animalia, percussa istis illico exspirare. Hoc igitur veneno dubitari non posse quin infectus fuerit Centauri sanguis, qui iisdem fuerat percussus. Ergo tremit, ergo pavet, ergo magis atque magis metuit, quod fecerat. *Heins.*

725. *Medios in ignes*] Totum versum vertit ex Græco, ἐς μέσην φλόγα Ἀκτῖν' ἐς ἡλιῶτιν. Sed miserrimo successu. Aliud est nempe fax, aliud radius. Solis fax in cœlo manet, radii in terra quoque sparguntur. Neque dixit πῦρ ἡλίου, sed φλόγα. *Idem.*

727. *Abjectus horret sanguis,*] Et nobis occurrit in scriptis: *Abjectum horret virus:* sed non in Flor. custodiente vulgatum. Idem tamen, quod ex uno Pal. notat Gruterus: *& Phœbi comam Tepefactus astris.* Sophocles ita rem pingit: lana usam fuisse Deianiram in ungenda veste: & in ea narratione vocat οἰὸς εὔεργον πόκον, & μᾶλλον & κτησίου βοτοῦ λάχνην, & τὸ κάταγμα τῆς οἰόν: quam quum post usum vestemque in arcano tactam forte abjecisset εἰς τόπον βαλλόμενον ἐς πυρούμενον ὑπὸ τοῦ ἡλίου, diffluxisse & in pulverem comminutam interisse; super terram autem, in qua jacuerat, spumas θρομβώδεις efferbuisse. Hujus lanæ mentio hic desideratur; quum tamen manifestum sit omnem hunc locum Trachiniis deberi. Succurrit scriptus in sequentibus. At hic quoque tale quid expressum credibile est. Legebam igitur: *Abjectus horret sanguis, ut Phœbi glomum Tepefecit ardor.* Vel *glomus:* nam & ita dixisse, *hoc glomus,* veteres, testis Priscianus. Cogitabam autem illud Horatii: *Vt vinosa glomos furtivæ Pyrrhia lanæ. Horret*, id est, coquitur, & dum coquitur, tremit, movetur. *Vt Phœbi glomus Tepefecit ardor* est Sophoclis: ὡς δ' ἐθάλπετο. Lanæ similem usum habes apud Apollodorum lib. 3. & Didymum in β. ἰλιάδ. in Erichthonii fabula. Ὁ δὲ Ἥφαιστος ἀπεσπέρμηνεν εἰς τὸ σκέλος τῆς Θεᾶς. ἐκείνη δὲ μυσαχθεῖσα, ἐρίῳ ἀπομάξασα τὸ γόνον, εἰς γῆν ἔρριψεν. Gronovius. *Sanguis,*] Nessi sanguis Hydræ felle, quo tinctæ fuerant Herculis sagittæ, mistus. *Far. Coma*] Radiis Hippol. v. 751. *Idem.*

730. *Mimas*] Ioniæ mons nivosus.

Farna-

Utque involutos frangit Ionio salo
Opposita fluctus Leucas, & lassus tumor
In littore ipso spumat: aut cœlestibus
Aspersa tepidis thura laxantur focis:
Sic languet omne vellus, & perdit comam.
Dumque ipsa miror causa mirandi perit.
Quin ipsa tellus spumeos motus agit,
Et quidquid illâ tabe contactum est, labat.
[*Tumensque tacita sequitur, & quassat caput*]
Natum pavéntem cerno & ardenti pede
Gressus ferentem. prome, quid portes novi.

HYLLUS.

Farnabius. Strabo vocat Ὄθρυν, ἐ πολύδενδρον, Homerus νιφοκομόωντα, Tragicus noster *lubricum*, propter nives liquescentes. Notum est somnium Valentis Imperatoris, quo cum admoneretur, ut à Mimante caveret, ejus familiares de hoc monte exposuerunt. Sed in eo, quo periit, tugurio inventum marmor, quod Mimantis cujusdam appellationem inscriptam habebat, qui præfectus Macedonum fuerat. Mimas unus extitit è centauris, ut est apud Herodotum: item unus è gignantibus, qui monti huic nomen imposuisse creditur: de quo in Ione Euripides. Silius Italicus lib. XII. *Apparet Prochyte, sævum sortita Mimanta.* Hic premitur Prochyte insulâ, ut Silius: totam insulam Lemnon in Deos conjecit, ut Claudianus: non temere Horatius III. Carm. *Typhœus, & validus Mimas.* Farnabius.

732. *Leucas*] Leucates, vide Hippol. v. 1011. *Farnabius.* Pro Leucate. Leucadia est regio, (Nerite Plinio) Leucas ejus regionis urbs Straboni: Leucates vero in eadem promontorium; Virgilio lib. 3. Æneid. sed hæc sæpe confunduntur. *Delrius. Et laxus tumor*] Fl. *lassus*, ut voluit etiam. *D. Heinsius.*

735. *Omne virus & perdit comam*] Lipsii vetus *comas*: sed neutrum ait placere. Delrius *comam* interpretatur ipsam illam lanam, qua vestem inunxerat. Sane & Fl. *comas*: sed præterea *omne vellus.* Hoc quidem insanum bene. *Vellus* appellat, quod Sophoclem tot modis explicare modo diximus, ipsam nempe lanam: *comas* vero floccos vel fila. Solum illud *languet* displicet. Vtinam *tabet* aut *licuit* haberet idem codex. Sic foret Sophoclis: Ἐᾷ πῶν ἄδηλον ἐ κεκλεψηκὸ χθονὶ. Epist. 66. *subjecto igne tabescere.* Gronovius.

736. *Causa*] Lana illa. *Farnabius.*

739. *Tumensque tacita sequitur,*] Locus desperatus, in quo nos deserit dux noster ab Etruria. Trium namque deinceps ultimorum versuum nihil habet præter: *Tumensque tacita quassat caput.* Delrius putat se rem tenere trajiciendo versum inter 1001. *Quænam ista*, & 1002. *Temporibus atras.* Sed frustra gratulatur sibi. Non enim sequentem à tergo, sed ante oculos sibi faces intentantem Megæram videt Deianira. *Gronovius.*

744. *La-*

HYLLUS. DEIANIRA. NUTRIX.

Intellecto ex Hyllo funesti muneris malo Deianira sibi mortem consciscit.

Hyl. I profuge, quære si quid ulterius patet
Terris, freto, sideribus, Oceano, inferis.
Ultra labores, mater, Alcidæ fuge.
Deian. Nescio quod animus grande præsagit malũ.
Hyl. Regna, triumpha, templa Junonis pete:
Hæc tibi patent. delubra præcluſa omnia.
Deian. Effare, qui me casus insontem premat.
Hyl. Decus illud orbis, atque præsidium unicum,
Quem fata terris in locum dederant Jovis,
O mater, abiit. membra, & Herculeos toros
Urit lues nescio qua. qui domuit feras,
Ille ille victor, vincitur, mœret, dolet.
Quid quæris ultra? *Deian.* Miserias properant suas
Audire miseri. fare, quo posita in statu
Jam nostra domus est. ô lares, miseri lares!
Nunc vidua, nunc expulsa, nunc feror obruta!
Hyl. Non sola mœres. Hercules toto jacet
Mundo gemendus. fata ne, mater, tua
Privata credas. jam genus totum obstrepit.
Hunc,

744. *Labores,*] Regiones Herculis laboribus insignes. *Far.*

746. *Regna*] Sarcasmus, triumpha quasi re strenue gesta: sacrifica, sed Junoni soli, cui Herculis mors læta obtigit, cæteris Diis mœsta. inf. v. 1547.

750. *Iovis,*] Liberatoris, auxiliatoris. Jupiter, q. Juvans pater. melius tamen Jovis pater. Jovis ab Hebr. יהוה addito pater. sic enim Diespiter, Neptunus Pater, Saturnus pater, Marspiter, &c. *Idem.*

751. *Abiit.*] Al. *obiit.* necdum autem obierat: de vita vero Herculis desperat Hyllus. *Idem.*

752. *Vrit lues Nessæa*] Mss. fere: *nescio quæ.* Iuvare se paullum ait Raphelingius emendatione versum: *Vrit lues nescio qua.* Gruterus: *Vrit lues ignota:* cui scilicet aliquis superjecerit, *nescio quæ.* Quidam ajunt non juvare hilum, qui se juvare versus legem profiteantur. Certe juvit: nam ita prorsus optimus codex: & pueri sciunt *Quis* tam facere *Qua* quam *Quæ.* Gronovius.

758. *Non sola mœres. Hercules toto*] Fl. *Non sola mœres Herculem toto jacet.* Et mox: *Nunc ecce luctu quem gemis.* Forte: *Hoc ejulatu.* Idem.

760. *Genus*] Humanum genus. *Farnabius.*

766. *Vi-*

Hunc, ejulatu quem gemis, cuncti gemunt.
Commune terris omnibus pateris malum.
Luctum occupasti prima. non sola Herculem
Miseranda mœres. *Deian.* Quam prope à leto tamen,
Ede, ede, (quæso) jaceat Alcides meus.
Hyl. Mors refugit illum, victa quæ in regno suo
Semel est. nec audent fata tam vastum nefas
Admittere. ipsa forsitan trepidâ colos
Clotho manu projecit, & fatum Herculis
Timet peragere. pro diem! infandum diem!
Hocne ille summo magnus Alcides erit.
Deian. Ad fata & umbras, atque pejorem polum
Præcedere illum dicis? an possum prior
Mortem occupare? fare, si nondum occidit.
Hyl. Euboica tellus vertice immenso tumens
Pulsatur omni latere. Phrixeum mare
Scindit Caphareus. servit hoc Austro latus.
At qua nivosi patitur Aquilonis minas,
Euripus undas flectit instabilis vagas,

Septem-

766. *Victa*] Ab eodem Hercule ad inferos descendente. *Idem.*

768. *Ipsa forsitan trepida colos*] Fl. *ipsa forsitan trepida colos.* Et sic ubique *colus* pro *colos*. Gronovius.

769. *Clotho*] E tribus Parcis illa quæ colum tenet. Herc. Fur. v. 558. *Far.*

771. *Magnus Alcides erit:*] Fl. *erit:* & sequentem versum dat Deianiræ, hoc modo: DEI. *Ad fata & Vmbras atque pejorem polum Præcedere illum dicis?* nam male vulgo, *tu illum.* quod tamen etiam Lugd. abesse jam notaverat Delrius. *Gronovius.*

772. *Pejorem*] Deteriorem polum, nigrum, Antarcticum. vide Herc. Fu. v. 606. id est, ad inferos. *Farnabius.*

775. *Euboica*] Sophocl. illud in Trachiniis adumbrare voluit: Ἀκτὴ τις ἀμφίκλυστος Εὐβοίας ἄκρου Κήναιον ἔστιν: nec tamen consequitur, neque vera est hæc Eubœæ descriptio. Capharei enim promontorium ad occasum, nec dici potest *Aquilonis minas pati.* Idem.

776. *Pulsatur omni parte*] Flor. *latere*, ut Lipsianus: quemadmodum & mox, *instabilis vagas.* Cæterum reprehendit hanc Eubœæ descriptionem Lipsius: Caphareum ad ortum, Euripum ad occasum spectare: & dignum putavit, quod ex eo adoptaret amicus. Verum Eubœa Bœotiæ objacet non recta, sed obliqua: & hinc evenit, ut idem Euripus, qui ab occasu alluit insulam, etiam ab Aquilone intrantes aquas recipere & emittere videatur, & similiter Caphareus orientem spectans respectu Cenæi promuntorii, etiam in austrum inclinatus appareat. Tabulæ inspectæ rem clare demonstrant. *Gronovius. Phryxeum*] Hellespontum. vid. Troad. v. 1032. *Farnabius.*

779. *Euripus*] Herc. Fur. 377. *Idem*

780. *Septem-*

Septemque cursus volvit, & totidem refert,
Dum lassa Titan mergat Oceano juga.
Heic rupe celsa, nulla quam nubes ferit,
Annosa fulgent templa Cenæi Jovis.
Ut stetit ad aras omne votivum pecus,
Totumque tauris gemuit auratis nemus;
Spolium leonis sordidum tabo exuit,
Posuitque clavæ pondus, & pharetrâ graves
Laxavit humeros. veste tunc fulgens tua,
Cana revinctus populo horrentem comam,
Succendit aras. Accipe has, inquit, focis
Non falsè messes genitor, & largo sacer
Splendescat ignis thure, quod Phœbum colens
Dives Sabæis colligit truncis Arabs.
Pacata tellus, inquit, & cœlum, & freta;
Feris subactis omnibus victor redii.
Depone fulmen. gemitus in medias preces,
Stupente & ipso, cecidit. hinc cœlum horrido
Cla-

780. *Septemque cursus flectit*] Flor. *volvit*. & sequenti: *mergit Oceano jubar*. Gronovius. *Septemque*] Consentit in numero Strabo, si recte intelligatur: Antiphilus Byzantius quodam Epigramm. senarium prodidit: alii alium, & fortassis ab his omnibus certus pro incerto positus. *Delr.*

781. *Mergat*] Herc. Fur. v. 25. *Far.*

782. *Rupe celsa,*] Jovi in summis montibus sacra facere solenne, utpote Deorum summo. *Idem.*

783. *Cenæi*] In Cenæo Eubœæ promontorio culti. *Victor ab Oechalia Cenæo sacra parabat Vota Iovi.* Idem.

785. *Totumque tantis gemuit armentis*] Gruteri conjecturam omnem exprimit Florentinus: *Totumque tauris gemuit auratis nemus.* Oedipo: *Aureo taurus rutilante cornu.* Gronov.

788. *Veste tua*] Palla à te missa. *Farnabius.*

789. *Cana*] Alba populo. Herc. Fur. v. 892. *Idem.*

791. *Messes*] Thura, cinnamoma, odores. *Idem.*

292. *Phœbum*] Solem orientem adorans. vid. Troad. 10. *vel* orientalis. *Idem.*

793. *Sabæis colligit truncis Arabs.*] Rem novam scilicet hic docent, Arabes à Sabæis distingui, qui tamen sint Arabiæ Felicis incolæ. Credo equidem: distinguuntur, ut genus & species. Omnes Sabæi sunt Arabes: non omnes Arabes Sabæi. *Gronovius. Sabæis*] Arabes à Sabæis distinguere videtur. ita Virgil. 8. Æneid. *Omnis Arabs, omnes vertebant terga Sabæi.* Qui tamen felicis Arabiæ incolæ. *Solus est thurea virga Sabæis.* Farnabius.

796. *Depone*] Neque enim illo opus est; subactis à me tyrannis. *Idem.*

797. *Heic cœlum horrido*] Fl. *hinc cœlum.* ut ex uno Gruterus. *Gronovius.*

897. *Qualis*

Clamore complet. qualis impressa fugax
Taurus bipenni vulnus & telum ferens
Delubra vasto trepida mugitu replet,
Aut quale mundo fulmen emissum tonat;
Sic ille gemitus sidera & pontum ferit:
Et vasta Chalcis sonuit: & voces Cyclas
Excepit omnis. hinc petræ Capharides;
Hinc omne voces reddit Herculeas nemus.
Flentem videmus. vulgus antiquam putat
Rabiem redisse. tunc fugam famuli petunt.
At ille vultus ignea torquens face,
Unum inter omnes quærit & sequitur Lichan.
Complexus aras ille tremebunda manu,
Mortem metu consumpsit, & parum sui
Pœnæ reliquit. dumque tremebundum manu
Tenuit cadaver, Hac manu, hac, inquit, ferar,
(O fata!)

798. *Qualis impressa fugax*] *Quales mugitus fugit cum saucius aram Taurus; & incertam excussit cervice securim.* Farnabius. Hanc similitudinem ab Ovidio commodato accipit. ait enim Ovidius dicto loco; *Haud aliter graditur, quam si venabula taurus, corpore fixa gerat, factique refugerit auctor.* Delr.

803. *Et vasta Calpe*] Mutat hic animum amicus Lipsii, & quem toties fastidiit Ms. præclarum vocat & præclaras ejus castigationes magno sibi usui fuisse fatetur. Gruterum, quem secum in diffidentiam adduxerat, tam levi momento secum etiam circumagere non potuit. Itaque novena cohors membranarum quum ei stet pro vulgato, non audet tantum tribuere uni libro, ut revocet cum recentioribus: *Et vasta Chalcis.* nec tamen vult Calpen Hispanicam intelligi. Forte fuisse ejus tractus montem tali nomine. Hoc est dicere quod nescias. Sed nec videt quomodo Chalcidi conveniat dici *vastæ?* Vt *vastum mare*, ut *vastum elephantum* pro ingenti magnitudine dicit Cicero: & mox ipse *vasta membra* Herculis. Strabo agnoscit eam civitatem ab omni memoria habuisse μέγα ἀξίωμα ϛ πρὸς πόλεμον ϛ πρὸς εἰρήνην, lib. 10. *Gronovius. Cyclas*] Cyclada & Capharidas subjungat. *Farnabius.* Novem, teste Higyno & Strabone, insulæ Sporades vel Cyclades dictæ, quia Delum coronæ & circuli instar cingunt. auctor Ammianus lib 22. multa de his Thevetus lib. 7. Cosmograph. cap. 12. & 14. *Delrius.*

804. *Capharides;*] Thyest. v. 593. *Far.*

806. *Vulgus*] Famulorum. *Id. Antiquam*] Qua correptus Megaram & filios interemerat. Herc. Fur. Act. 4.

809. *Et sequitur Licham.*] Flor. *omnes sequitur & quærit Lichan.* Mox: *& parvum sui Pœnæ reliquit.* non *parum.* Iuste. nam vitat in hac regione jambum auctor. *Gronovius. Licham.*] Ministrum, qui tunicam attulerat. *Farnabius.*

811. *Consumpsit*] Metu pene exanimatus. *Idem.*

813. *Cadaver,*] Morti destinatum Licham,

(O fata!) victus? Herculem perimit Lichas.
Ecce alia clades, Hercules perimit Lichan.
Facta inquinentur. fiat hic summus labor.
In astra missus fertur, & nubes vago
Spargit cruore. talis in cœlum exsilit
Arundo, Getica visa dimitti manu;
Aut quam Cydon excussit: inferius tamen
Et tela fugient. truncus in pontum cadit.
In saxa cervix. funus ambobus jacet.
Resistite, inquit. non furor mentem abstulit.
Furore gravius istud atque ira malum est.

In

Licham, *vel* præ timore jam ferme mortuum. *Idem. Hac manu,*] Tam abjecti hominis manu. *Farnabius. Hac manu, inquit, te feram*] Lipsius è libro, *hac manu, inquit, hac ferar*, non modo Deltio applaudente, sed & Scaligero, qui etiam addit: Quis improbare audeat? Rem non improbamus, sed positionem vocum auctore Florentino: *hac manu, hac, inquit, ferar.* Ratio est eadem, quæ in proximo, quia jambum illic damnat. Statim idem: *Herculem vicit Lichas.* Gronovius.

814. *Lichas.*] Vilis famulus. *Farnabius.*

815. *Ecce alia*] Ecce alia non minor indignitas! ego ille monstrorum domitor Hercules perimo vilissimum servitium Licham. *Idem.*

816. *Fata inquinantur*] Fl. *Facta inquinentur.* Ergo etiam lege, *fiat hic summus labor.* Age, quando aliter vindicari non possumus, inuratur hæc macula operibus meis, & fuerit illorum Lichas accessio. Infra: *Dextra inquinetur: laudibus maculam imprimam.* Gronovius.

816. *Inquinantur.*] Tam contempti famuli cæde *Farnabius. Fiet hic*] Cum contemptu indignatur sibi contingere supremum hunc laborem. *Idem.*

819. *Getica*] Getæ popul. Scythiæ Ponto vicini, sagittandi peritissimi. *Farnabius.* Getas arcu & sagittis usos nescit nemo, qui vel Pontica, vel Tristia Nasonis legerit. Dionysius Getas ad Istrum statuit, & mox illos cum Dacis & Germanis mirè confundit. Apollonius etiam, juxta Istrum collocavit. Thraces esse voluit Herodotus, eumque sequuntur Latini poëtæ. nam & noster alibi *Hebrum Geten*, vocat ab accolis, & Ovidius semper cum Bessis (qui Thraces origine) & Sauromatis conjungit. & Virg. lib. 4. Georg. Melius distinxêre Strabo, & Stephanus, ut Getæ magis Orientales sint Ponto vicini; Daci ad Istri fontem, & Germaniam vergant. vide & Stephanum.

820. *Cydon*] Cretensis ab urbe Cydone. vide Hippol. v. 812. *Farnabius.*

821. *Inferius tamen fugiet arundo corpus*] Ita sanandum putavit locum Gruterus nuda ductus hariolatione, ut fatetur: quum in promiscuis libris haberetur: *Fugiente trunco.* Sed quam nec ipse rejicere ait Lipsiani codicis lectionem, omnem probat Florentinus: *inferius tamen Et tela fugient. truncus in pontum cadit.* Tum idem: *In saxa versus*, non *cervix* Fuisse videtur: *In saxa vertex* id est, caput. Gronovius. *Inferius*] Altius tamen Lichas projectus, quam arundo Getica vel Cydonia. *Farnabius.*

825. *In*

In me juvat sævire. vix pestem indicat,
Et sævit. artus ipse dilacerat suos,
Et membra vasta carpit avellens manu.
Exuere amictus quærit. hoc solum Herculem
Non posse, vidi. trahere conatus tamen,
Et membra traxit. corporis palla horridi
Pars est. & ipsam vestis immiscet cutem.
Nec caussa diræ cladis in medio patet:
Sed caussa tamen est, vixque sufficiens malo.
Nunc ore terram languidus prono ferit;
Nunc poscit undas. unda non vincit malum.
Fluctisona quærit littora, & pontum occupat.
Famularis illum retinet errantem manus.
O sortem acerbam! fuimus Alcidæ pares.
Nunc puppis illum littore Euboico refert,
Austerque lenis pondus Herculeum rapit.
Deian. Destituit animus membra. nox oculos premit.
Quid, anime, cessas? quid stupes factum scelus?

Gna-

825. *In me*] Non in alios, ut quondam, furens. *Idem. Pestem*] Virus. *Idem.*

828. *Hoc solum*] Non posse amictus exuere. *Idem.*

830. *Et membra*] *Quæ trahitur trahit illa cutem, &c.* Ovid. 9. Metam. *Idem. Palla, ipsa*] Adhæret ac si corporis pars esset. *Idem.*

831. *Et ipsa vestis immiscet*] Flor. *& ipsam vestis immiscet cutem.* Gronovius.

833. *Sed causa tamen est, vixque sufficiens malo,*] Mirum est in hoc mendum consentire omnes libros, simulque id oculos tot præstantium hominum effugisse. Qui etiam post τὸ *est* fecere τελείων τροσιγμὴν, & *vixque sufficiens* accepere de Hercule. Mihi autem videtur reliquisse auctor: *Sed causa tamen est vis que sufficiens malo.* Causa pestis illius haud apparet: sed est tamen & vis satis magna ad corpus verandum & perimendum. Esse apparet ex efficacia in exitium. *Gronovius.*

834. *Ore terram languidus prono ferit;*] Fl. *premit.* Statim jubet idem victricem volitare Lipsianam: *Fluctisona quærit littora.* Etsi in ejus invidiam exposuerint vulgatum: *Et nota*: quæ frequenter adierat. Hoc scilicet ignorabat Lipsius, ideo mutationem tentaverat. *Idem.*

835. *Vnda non vincit*] Hyginus, in Pareig. Herculis, de hac re ait: cum se in flumen conjecisset ut ardorem exstingueret, major flamma exibat. *Delr.*

838. *Pares*] Postquam illi vires ademisset virus. *Farnabius.*

839. *Puppis*] A Cenæo Eubœæ promontorio navicula ad Oetam vectus est, ubi expiravit. *Littore Euboico refert,*] Fl. *ferit.* Numquid *vehit*? Gronovius.

842. *Quid stupes factum*] Malim legi: *quid stupes? factum est scelus.* Lipsius.

Gnatum repoſcit Juppiter, Juno æmulum.
Reddendus orbi eſt. quod poteſt reddi, exhibe.
Eat per artus enſis exactus meos.
Sic, ſic agendum eſt. tam levis pœnas manus
Tantas repoſcit? tolle fulminibus, ſocer,
Nurum ſceleſtam. nec levi telo manus
Armetur. illud fulmen exſiliat polo,
Quo, ni fuiſſet genitus Alcides tibi,
Hydram cremaſſes; peſtem ut inſolitam feri,
Et ut noverca pejus irata malum.
Emitte telum, quale in errantem prius
Phaëthonta miſſum eſt. perdidi erepto Hercule
Et ipſa populos. quid rogas telum deos?
Jam parce ſocero. conjugem Alcidæ necem
Optare pudeat. hæc erit voto, manus,

A

843. *Iuno*] A Iunone immiſſa monſtra & labores vincentem. ἥρως κλεόν. *Farnabius.*

844. *Quod poteſt reddi, exhibe.*] Fl. *redde.* Forte: *quod potes, redde, exhibe.* nempe ſupplicium de te. *Gronovius.*

846. *Tam levis pœnas*] Recentiores repoſitum iverunt, *tam leves pœnas manus Tantis*; ſed præter libb. mſſ. quibus ſuus ſubeſt ſenſus, & quidem acutus. negat enim Deianira manum ſuam imparem inferre pœnas quas meruit: itaque invocat manum Iovis fulminantis. Supra quoque quidam interrogatione corruperunt illud: *Sic ſic agendum eſt.* nam ſunt verba decreti Deianirani, quamvis id ſtatim evertat, ut fieri ſolet. *Grut.*

847. *Socer*] Iupiter. *Farnabius.*

848. *Nurum*] Me. *Idem. Nec levi telo*] Fulminum alia graviora, leviora alia. illius generis eſt, quo Phaëthon & Gigantes interemti leguntur: iſtius quo Semele combuſta fuit. Ovid. 3 Metam. *Nec quo centimanum dejecerat igne Typhœa, Nunc armatur eo, nimium feritatis in illo eſt: Eſt aliud levius fulmen, cui dextra Cyclopum Sævitiæ flammæque minus, minus addidit iræ: Tela ſecunda vocant ſuperi.* huc reſpexit Seneca tum hic, tum in Thyeſte, ita ſcribens: *Manuque non qua tecta & immeritas domos Telo petis minore: ſed qua montium Tergemina moles cecidit, & qui montibus Stabant pares Gigantes, hæc arma expedi.* ubi Tergemina moles dicitur, Olympus, Oſſa, & Pelion. *Delrius.*

851. *Hydram*] Quam Hercules excuſſit. Herc. Fur. v. 241. *Farn. Feri.*] Percute me, Iunone illi nocentiorem. *Idem.*

853. *Quale*] Vbi *Sævos compeſcuit ignibus ignes.* Sup. v. 688. *Idem.*

854. *Perdidi erepto Hercule Et ipſa populos*] Quicumque hoc fecit, ſenſum deprehendit. Subdiffido tamen, quia & Flor. perinde ut Lipſianus: *perdidi ſola Herculem.* Ille hoc probat, additque ſequenti legendum: *Et ipſe.* Diſplicuit merito. Forte ſcripſit auctor: *perdidi haud ſolum Herculem; Et ipſa populos.* Gronovius.

856. *Socero*] Iovi, ne impendat tibi fulmen. *Farnabius.*

857. *Hoc erit votum manus*] Fruſtra Gru-

A me petatur. occupa ferrum ocius.
Cur deinde ferrum? quidquid in mortem trahit,
Telum est abunde. rupe ab ætherea ferar.
Hæc hæc renatum prima quæ poscit diem,
Oeta eligatur. corpus hinc mitti placet.
Abrupta cautes scindat, & partem mei
Ferat omne saxum. pendeant laceræ manus,
Totumque rubeat asperi montis latus.
Levis una mors est. levis, at extendi potest.
Eligere nescis, anime, cui telo incubes.
Utinam esset, utinam fixus in thalamis meis
Herculeus ensis! huic decet ferro immori.
Una perire dextera nobis sat est?
Coite gentes. saxa & incensas faces
Jaculetur orbis. nulla nunc cesset manus.
Corripite tela. vindicem vestrum abstuli.
Impune sævi sceptra jam reges gerent.
Impune jam nascetur indomitum malum.
Reddentur aræ cernere assuetæ hostiam
Similem colenti. sceleribus feci viam.
Ego vos tyrannis, regibus, monstris, feris,
Sævisque rapto vindice opposui deis.
Cessas, Tonantis socia? non spargis facem,
Imitata fratrem, & mittis ereptam Jovi;

Meque

Gruterus hic repugnat Lipsio, rescribens: *hæc erit votum manus.* Nam & Flor. Germanicusque nostri: *hæc erit voto*, id est, pro voto. Sic etiam: *Cur deinde ferrum?* Tum: *quicquid ad mortem trahit.* Gronovius.

862. *Oeta eligatur.*] Mons in finibus Thessaliæ. vide Herc. Fur. v. 132. *Farnabius.*

868. *Fixus*] *Arma viri thalamo quæ fixa reliquit.* Dido 4. Æn. *Idem.*

871. *Saxa &*] Sup. v. 32. *Idem.*

872. *Nulla nunc cesset manus*] Flor. *nulla non cesset.* Forte: *nulla concesset manus.* Plautus Pænulo: *Ab aurora ad hoc quod diei est nunquam concessavimus poliri, expoliri, pingi, fingi.* Gronovius.

874. *Impune*] Sublato tyrannorum vindice ac monstrorum domitore Hercule. *Farnabius.*

876. *Aræ cernere*] Innuit *illaudati Busiridis aras.* Herc. Fur. v. 484. *Idem.*

877. *Similem*] Humanam. *Idem.*

878. *Ego vos*] Mortales. *Idem.*

880. *Tonantis*] Soror & conjux Jovis. *Idem.*

881. *Imitata*] Med. v. 59. *Idem.*

Meque ipsa perdis? laus tibi erepta inclita est,
Ingens triumphus. æmuli, Juno, tui
Mortem occupavi. *Nut.* Quid domum impulsam trahis?
Erroris est hoc omne, quodcumque est, nefas.
Haud est nocens, quicumque non sponte est nocens.
Deian. Quicumque fato ignoscit, & parcit sibi,
Errare meruit. morte damnari placet.
Nutr. Nocens videri, qui mori quærit, cupit.
Deian. Mors innocentes sola deceptos facit.
Nutr. Titana fugies? *Deian.* Ipse me Titan fugit.
Nutr. Vitam relinques misera? *Deian.* At Alcidem sequar.
Nutr. Supereſt, & auras ille cœlestes trahit.
Deian. Vinci Hercules cum potuit, hinc cœpit mori.
Nutr. Natum relinques, fataque abrumpes tua?
Deian. Quamcumque natus sepelit, hæc vixit diu.
Nutr. Virum sequeris? *Deian.* Prægredi castæ solent.
Nutr. Si te ipsa damnas, scelere te, misera, arguis.
Deian.

882. *Laus tibi*] Quam petebas gloriam & triumphum ex interfecto Hercule, tibi invisо, ego præripui tibi. *Idem.*

884 *Quid domum*] Cur in ruinam trahis familiam nostram patris jam nece quassatam? *Idem.*

885. *Erroris istuc omne*] Flor. *est hic omne.* Et voluit Scaliger, *est hoc.* Gronovius.

887. *Et parcit sibi*] Forte: *Quicumque fato ignoscit, ut parcat sibi, Errare meruit.* Idem.

889. *Qui petit, mortem cupit*] Flor. *Nocens videri, qui mori quærit, cupit.* Idem.

890. *Mors*] Mors sola approbat eos esse innocentes, qui per errorem peccarunt. *Farnabius.*

891. *Fugit*] Non sustinet me sceleratam contueri. *Idem.*

892. *At Alcidem sequar.*] Flor. *Ut Alcidem sequar.* Melius, quasi dicat: Quidni? faciam enim ut Herculi conjungar. Sic & Delrii omnes codices. Sed & Flor. & complures *miseram.* Forte: *Vitam relinques? D. miseram, ut Alcidem sequar.* Ita duplex ponat pretium relinquendi. *Gronovius.*

894. *Vinci Hercules cum potuit, hinc cœpit*] Sic & Florent. *Hinc* temporis est, ex hoc. Itaque mirum Grutero blandiri divinatiunculam suam: *cum potuit, tunc cœpit.* Quasi possit blandiri tam turpe vitium versus. *Gronovius. Vinci*] Vbi primum cedere cœpit Nessæo veneno tum mori cœpit. quod & latius intelligi potest. *Farnabius.*

896. *Quæcumque natum*] Fl. *Quacumque natus.* Monstrat, quod Scaliger conjecit: *Quamcumque natus. Prægredi castæ solent*, ut Alcestis & Pæti Arria. *Scelere te misera*, etiam Flor. *Gronovius.*

897. *Sequeris*] Morte. *Farnabius.*

898. *Misera*] Ream sceleris & cau-

sæ

Deian. Nemo nocens sibi ipse pœnas abrogat.
Nutr. Multis remissa est vita, quorũ error nocens,
Non dextra, fuerat. fata quis damnat sua?
Deian. Quicumque fata iniqua sortitus fugit,
Nutr. Hic ipse Megaren nempe confixam suis
Stravit sagittis, atque natorum indolem,
Lernæa figens tela furibundâ manu.
Ter parricida factus, ignovit tamen
Sibi. nam furoris fonte Cinyphio scelus
Sub axe Libyco tersit, & dextram abluit.
Quo misera pergis? quid tuas damnas manus?
Deian. Damnat meas devictus Alcides manus.
Placet scelus punire. *Nutr.* Si novi Herculem,
Aderit

sæ mortis. *Farnabius.* Nihil hic indignum Latinis auribus. nam quare minus dixisset, *scelere arguere*, quam optimi auctores? Etiam ipse Tullius. Et Martialis: *Arguimur lentæ crimine pigritiæ.* Heinsius.

899. *Nemo nocens sibi*] Raphelingius mentem esse vult Deianiræ, nihil negare & nocentem se fateri: eoque scribendum: *Nemo innocens.* Vetat Deltius, cui eadem, Non idcirco, inquit, nocens videbor, quia pœnas non cogitati facinoris à me exposco: nemo enim pœnas à se exposcit ejus, quod patrare voluit, sed ejus, quod cum nollet patrare, per imprudentiam conscivit. Sed acutius illum vidisse, quod ad sensum, docet Flor. *Nemo nocens sibi ipse pœnas abrogat.* Omnino enim, quum dixisset Nutrix: ipsa te pro accusata & convicta traduces, si quasi de damnata supplicium sumes: recte, inquit, dicis: ideo sumere debeo, quia me convictam intelligo & damno: nec quisquam est noxius, quin se ipse condemnet, quin debere supplicium agnoscat. Nimirum apud conscientiæ tribunal se judice nemo nocens absolvitur, ut canit Iuvenalis. *Gronovius.*

902. *Fata iniqua*] Mortem petit, ut iniqua fata vel fugiat, vel vindicet. *Farnabius.*

903. *Hic ipse Megaram*] Flor. *Megere.* lege: *Megaren.* Gronovius.

904. *Natorum*] Natos ex Megara. Hellenismus. μέν & Αλκιδόου. *Farnabius.*

905. *Lernæa flectens tela*] Lipsius, *figens*, quia sic Ms. & non convenit huic rei *flectendi* verbum. Redit ad ingenium amicus: *figi* ait in corporibus tela, sed postquam *flexus* arcus: nec novum, quod arcus proprium, accommodari telis: ideo retinere se cum quatuor Mss. *flectens.* Si legit arcum ferri in pharetra, legit & tela flecti, quum mittuntur. Nos interim cum Lipsiano & Flor. tenebimus *figens.* Gronovius. *Lernæa*] Sagittas Hydræ felle tinctas. *Farnabius.*

906. *Ter parricida*] Tres natos occiderat. vel ut alii duos cum uxore. vide Herc. Fur. Act. 5. *Farnabius.*

907. *Cinyphio*] Africæ fluvio inter duas Syrtes. innuere autem videtur Iovis Ammonis fontem, sed Athenis Herculem expiasse dictum, v. 1341. Herc. Fur. *Idem.*

911. *Fraudem placet punire.*] Nessi, inquit ille, à quo licet decepta pœnas à me lubet exposcere. Hoc non ignorabat Lipsius, sed quia scriptum manu, *Placet scelus punire*, inveniebat, puta-

Aderit cruenti forsitan victor mali,
Dolorque fractus cedet Alcidæ tuo.
Deian. Exedit artus virus, ut fama est, hydræ.
Immensa pestis conjugis membra abstulit.
Nutr. Serpentis illi virus enectæ autumas
Haud posse vinci, qui malum & vivum tulit?
Elisit hydram, dente cum infixo stetit
Media palude victor, effuso obrutus
Artus veneno. sanguis hunc Nessi opprimet,
Qui vicit ipsas horridas Nessi manus?
Deian. Frustra tenetur ille, qui statuit mori.
Proinde lucem fugere decretum est mihi.
Vixit satis, quicumque cum Alcide occidit.
Nutr. Per has aniles ecce te supplex comas,
Atque ubera ista pene materna obsecro,
Depone tumidas pectoris læsi minas,
Mortisque diræ expelle decretum horridum.
Deian. Quicumque misero forte dissuadet mori,
Crudelis ille est. interim pœna est mori:
Sed

bat id commodum, quod invidioso verbo factum suum sic exaggerare videretur. Nec aliter Etruscus. *Gronov.*

912. *Aderit*] Hercules evincet Nessæum hoc virus, ut alia pleraque mala. *Farnabius.*

919. *Effuso*] Membra habens suffusa veneno, quod in illum evomuit Hydra. *Idem.*

925. *Per has*] *Instat anus canasque suas & inania nudans Vbera, per cunas alimentaque prima precatur.* vide Hippol. v. 245. *Idem.*

926. *Pene*] Magnam enim habet matris partem nutrix. *Idem.*

930. *Interim pœna est mori:*] Delrius corrigit; *interim pœna est mora:* vel, *crudelis ille est interim.* N. *pœna est mori.* Ostendit se non cepisse, quid hic esset *interim.* Lipsius hanc sententiolam attribuit nutrici: quod sequitur, *Sed sæpe donum*, Deianiræ: tum rursus Nutrici, *in pluribus venia fuit.* Repugnant Scaliger & Gruterus. Interpretatur ille: Eatenus, est mori pœna, quatenus mori cupiens vetatur: tunc mors quæ concessa beneficii loco est, cedit in pœnam. Hoc non capio. Possum autem pati, ut maneant omnia Deianiræ per occupationem dicta: fateor, interdum mori pœna est, cum scilicet cogitur mori, qui detrectat: sed sæpe donum vel beneficium, cum permittitur volenti & desideranti: & multis concessa est mors pro venia. Hoc postremum alludit ad eos quibus liberum mortis permittebatur arbitrium. Vide 4. observ. 2. & quibus mortis maturitatem precantibus responsum est: *nondum tecum in gratiam redii.* Certe τὸ *in* non agnoscit Florentinus. Velim itaque distingui: *Sed sæpe donum. Pluribus venia fuit.* Hoc postremum, ut supra: *hæc erit voto manus.*

Sed sæpe donum in pluribus veniæ fuit.
Nutr. Defende saltem dexteram, infelix, tuam,
Fraudisque facinus esse, non nuptæ, sciant.
Deian. Defendar illic. inferi absolvent ream.
A me ipsa damnor. purget has Pluton manus.
Stabo ante ripas, immemor Lethe, tuas,
Et umbra tristis conjugem excipiam meum.
Sed tu, nigrantis regna qui torques poli,
Para laborem. scelera quæ quisque ausus est;
Hic vicit error. Juno non ausa Herculem est
Eripere terris. horridam pœnam para.
Sisyphia cervix cesset, & nostros lapis
Impellat humeros. me vagus fugiat latex,
Meamque fallax unda deludat sitim.
Merui manus præbere turbinibus tuis,
Quæcumque regem Thessalum torques, rota.
Effodiat avidus hinc & hinc vultur fibras.
Vacat una Danais; has ego explebo vices.

Laxate

nus. Nec tacendum Grotii eodem modo distinguentis, scribentis vero: *pluribus venia obfuit.* Gronovius. *Interim pœna*] Interdum sup. v. 486. *Farnabius.*

932. *Defende*] Sed dextram cohibe, ne jam voluntarii sceleris conscia sit, quæ prius decepta alienæ fraudis ministra tantum fuit. *Farnabius.*

933. *Non nuptæ, sciat.*] Sic Lipsius, cum legeretur, *scias.* Refert autem ad Herculem, & placet Delrio. Sed Flor. *sciant.* Nempe homines. Si morieris, famam corrumpes & scelere feciſſe videbere, teque indefensam relinques: si vives, ex ipsa fiducia scient & judicabunt homines, errorem, non crimen fuisse. *Gronovius.*

934. *Defendar illic.*] Apud inferos. *Farnabius. Inferi solvent ream*] Flor. *absolvent.* Et sequente versu, *Pluton.* Vt & infra: & in Hippolyto v. 625. Vossianus. Mox etiam, ut Lipsianus: *deludat sitim.* Gronovius.

936. *Lethe*] Herc. Fur. v. 679. *Farnabius.*

938. *Tu*] O Dis. *Idem. Nigrantis*] Agam. v. 750. *Idem.*

939. *Laborem*] Cruciatum meo dignum errore, qui omnia aliorum vitia superat. *Idem.*

942. *Sisyphia*] Hippol. v. 1220. *Id.*

943. *Vagus*] Thyest. v. 152. *Idem.*

945. *Turbinibus*] Rotationibus, & revolutionibus tuis, ô rota, qua volvitur Ixion. Hercul. Fur. v. 749. *Idem.*

947. *Effodiat*] Hippol. v. 1228. *Id.*

948. *Vacat*] Omnes Danaides crudelitatis suæ pœnas apud inferos dant, una excepta: ut Hercul. Fur. v. 499. una ergo vacat sedes: Istum ergo locum cum vacat, occupare Deianira postulat ipsa quoque criminis ejusdem rea. *Idem.*

Laxate manes. recipe me comitem tibi,
Phasiaca conjux. pejor hæc, pejor tuo
Utroque dextra est scelere, seu mater nocens,
Seu dira soror es. adde me comitem tuis,
Threicia conjux, sceleribus. gnatam tuam
Althæa mater, recipe: nunc veram tuam
Agnosce prolem. quid tamen tantum manus
Vestræ abstulerunt? claudite Elysium mihi,
Quæcumque fidæ conjuges nemoris sacri
Lucos tenetis. si qua respersit manus
Viri cruore, nec memor castæ facis
Stricto cruenta Belias ferro stetit,
In me suas agnoscat & laudet manus.
In hanc abire conjugum turbam libet.
Sed & illa fugiet turba tam diras manus.
Invicte conjux, innocens animus mihi,
Scelesta manus est. prô nimis mens credula,
Pro Nesse fallax! atque semiferi doli!

Au-

949. *Laxate*] Vt mihi sit spatium. *Laxatque fores.* 6. Æneid. *Farnabius. Recipe me comitem tui, Phasiaca*] Flor. *comitem tibi.* Gronovius.

950. *Phasiaca*] Medea Colchis. *Hippol.* v. 561. *& tota Med.* Farnabius. *Pejor tua Vtraque dextra est, scelere seu*] Si mera conjectura erat Lipsii: *pejor hæc, pejor tuo Vtroque dextra est scelere, seu mater:* sine contatione recipienda erat. *Tò scelere* in altero membro prorsus supervacuum. Quid crepat igitur consensum suorum scriptorum Gruterus? Possumus tamen & illis Florentinum opponere. *Gronovius.*

951. *Seu mater*] Vbi filios interfecisti, Med. act. 5. *Farnabius.*

952. *Seu dira*] Vbi Absyrtum fratrem discerpsisti, Med. v. 44. & 131. *Idem.*

953. *Threicia*] Procne Terei regis Thracii uxor. Aga. v. 665. & supra v. 191. *Idem.*

954. *Althæa*] Medea, v. 779. & 645. Aga. v. 208. *Idem.*

955. *Agnosce prolem*] Sceleris tui æmulam. *Idem.* Similiter Deianira apud Nasonem; *Tu quoque cognosces in me Meleagre sororem.* utpote quæ studuerim tibi scelere similis esse. Meleager avunculos; Althæa, filium; Deianeira, maritum, & proinde, ut dixi superius, filium sustulit. *Delrius.*

956. *Vestræ*] Si cum meis conferantur, quæ illum Heroa Herculem sustulerunt. *Farnabius.*

956. *Elysium*] Beatorum sedes, Troad. v. 942. *Idem.*

960. *Cruenta Belias ferro*] Flor. *bella cum ferro.* Lege, *Belu in ferro.* Vide ad lit. 1. Achilleidos Statii. v. 558. *Gronovius. Belias*] Beli neptis, Danai filia, Hercul. Fur. v. 498. *Farnabius.*

961. *In me suas cognoscat*] Fl. *agnoscat.* Gronovius.

966. *Namque semiferi dolii Auferre*] Etruscus dictat: *Proh Nesse fallax, atque*

Auferre cupiens pellici, eripui mihi.
Recede, Titan; tuque, quæ blanda tenes
In luce miseros, vita: carituræ Hercule
Lux vilis ista est. exigam pœnas tibi.
Reddamque vitam. fata an extendo mea?
Mortemque conjux ad tuas servo manus?
Virtusne superest aliqua, & armatæ manus
Intendere arcum tela missurum valent?
An arma cessant, teque languenti manu
Non audit arcus? si potest letum dare,
Animose conjux, dexteram expecto tuam.
Mors differatur. frange ut insontem Licham;
Alias in urbes sparge; & ignotum tibi
Emitte in orbem. perde, ut Arcadiæ nefas,
Et quidquid aliud restitit. ab illis tamen
Conjux redisti. *Hyl.* Parce jam, mater, precor,

Igno-

que semiferi doli! Auferre cupiens. Gronovius. *Semiferi*] Centauri biformis Nessi.

968. *Titan*] Sol. *Med.* v. 5. *Farnabius.*

870. *Lux vilis ista est. exigam*] Fl. *Lux illa sistat exigat.* An fuit: *Lux illa restat, quæ exigat pœnas tibi, Reddamque vitam.* Vel, *Lux ista satis est.* Gronovius.

971. *Fatane extendo mea? Mortemque conjux in*] Fl. *fata an extendo mea, Mortemque, conjux ad tuas servo manus.* Rogat enim, an potius hoc faciat, quam se ipsa interimat. *Idem.*

972. *In tuas*] Vt à te interficiar. *Farnabius.*

973. *Aliqua Sarmatica & manus*] Nihil insanius. Flor. sed & alius Germanicus: perinde ut Lipsii codex: *aliqua & armata:* Vnde rectissime ille, *armatæ.* Valeant Sarmaticæ Amazones Gruteri. *Gronovius.*

975. *An arma*] An forte veneni vi victus arcum tendere & sagittas mittere non vales? *Farnabius.*

976. *Si potest*] An armata manus tua telis solitis, valet arcum intendere in hostem? an vero arma tibi exciderunt, & imbecillam, vi morbi victis viribus, manum arcus contemnit? si valet manus tua tela mittere, intrepida conjux, &c. sic Ovidius: --- *nec quæ magis audiat arcum.* hoc est, quæ promptius & fidelius obediat, & jussum vulnus infligat. *Delr.*

978. *Mors differatur.*] Mea manu decreta. *Licham;*] Ab hoc tres insulæ, Lichades dictæ, Straboni lib. 9. de morte ejus, Ovid. 9. Metamorph. *Sic illum validis jactum per inane lacertis Exsanguemque metu, nec quicquam humoris habentem, In rigidos versum silices prior edidit ætas, Nunc quoque in Euboico scopulus brevis eminet alte Gurgite, & humanæ servat vestigia formæ: Quem, quasi sensurum, nautæ calcare verentur, Appellantque Lichan*— Delr.

980. *Arcadiæ*] Mænalium suem. *Farnabius.*

981. *Et quicquid aliud restitit. ab illis*] Flor. *aliud cessit.* id est, succubuit tibi. Sed excidit syllaba. Videtur fuisse: *Et quicquid aliud cessit. & ab illis*

Ignoſce fatis. error à culpa vacat.
Deian. Si vera pietas, Hylle, quærenda eſt tibi,
Jam perime matrem. pavida quid tremuit manus?
Quid ora flectis? hoc erit pietas ſcelus.
Ignave, dubitas? Herculem eripui tibi.
Hæc hæc peremit dextra, cui debes patri
Avum Tonantem. majus eripui decus,
Quam in luce tribui. ſi tibi ignotum eſt nefas,
A matre diſce. ſeu tibi jugulo placet
Merſiſſe ferrum, ſive maternum libet
Invadere uterum; mater intrepidum tibi
Præbebit animum. non erit totum ſcelus
A te peractum. dextera ſternar tua,
Sed mente noſtra. natus Alcidæ times?
Ita nulla peragas juſſa, nec frangens mala
Erres per orbem, ſi qua naſcetur fera,
Referas parentem. dexteram intrepidam para.
Patet ecce plenum pectus ærumnis. feri.
Scelus remitto. dexteræ parcent tuæ
Eumenides ipſæ. verberum crepuit ſonus.
Quænam iſta torquens angue vipereo comam
Tem-

tamen. Gronovius. *Ab illis*] Victor, quod à meo ſcelere non poteſt. *Farn.*

985. *Pavida quid tremuit*] Flor. *trepida quid renuit manus?* Gronov.

986. *Hoc erit pietas ſcelus.*] Invertit Flor. *hæc erit pietas ſcelus.* nempe cum mihi parcis & averſaris ſermonem hunc meum. *Idem.*

989. *Majus*] Patrem tollendo, quam te in lucem pariendo. *Farnabius.*

990. *Quam in luce tribui.*] Non dicit, *tribuere in luce*, pro parere: ſed non tantum decus te ex Hercule patiendo, vel in luce ut Herculis filio danda, tibi tribui, quantum eripui occidendo patrem. *Gronovius.*

996. *Natus Alcide times*] Fl. *Alcidæ*, ut & nonnullis editum. *Idem. Natus*] Emphaſis. q. d. ab intrepido patre degeneras, ſi timeas. *Farnabius.*

997. *Ita nulla*] *Adjurantis.* Sic nulla unquam, per orbem vagans juſſuſque ut pater tuus ab Eurytheo, perdas monſtra, ſi mihi parcas. Sic patrem monſtrorum domitorem referas ac repræſentes, ut me intrepidus peremeris. *Idem.*

999. *Dexteram intrepidam paras.*] Immo, *para*, ut Fl. editt. priſtinæ; non enim parabat ille. Mox idem: *dexteræ parcent tuæ.* non *parcunt.* aut *parcant* aut *parcam*, quod fruſtra explicat Gruterus. *Gronovius.*

102. *Eumenides*] Furiæ ultrices quæ ſcelera perſequi ſolent. reſpicitque poëta ad Oreſtis furias. *Farnabius. Verberum*] Furens adeſſe ſibi furias imaginatur. *Idem.*

1003. *Quænam*] Deo laus, videor inveniſſe, quo errorem revocem; hoc pacto;

Temporibus atras squallidis pinnas quatit?
Quid dira me flagrante persequeris face,
Megæra? pœnas poscit Alcides. dabo.
Jamne inferorum, Diva, sedere arbitri?
Sed ecce, diras carceris video fores.
Quis iste saxum immane detritis gerit
Jam senior humeris? ecce, jam vectus lapis
Quærit relabi. membra quis præbet rotæ?
Heic ecce pallens dira Tisiphone stetit,
Causam poposcit. parce verberibus, precor,
Megæra, parce; sustine Stygias faces.
Scelus est amoris. sed quid hoc? tellus labat
Et aula tectis crepuit excussis. minax
Unde iste cœtus? totus in vultus meos
Decurrit orbis, hinc & hinc populi fremunt,
Totusque poscit vindicem mundus suum.
Jam parcite, urbes. quo fugam præceps agam?
Mors sola portus dabitur ærumnis meis.

Testor

pacto: *Quanam ista torques angue vipereo comam, Tumensque tacita sequitur, & quassans caput, Temporibus atras squallidis pinnas quatit?* huic ille secundus versus loco natus; qui sup. v. 729. cuncta interturbabat. *Delrius.*

Non solet cumulare tot participia Seneca. Præterea, occurrere debebat Megæra, non sequi. Deinde, quid heic est *tumens*? Denique quam illepide in uno versu visitur, *quassans caput*, in altero, *pinnas quatit*, in tertio vero, *torquens comam*. Nunquam ita scripsetim. *Grut. Torquens*] Thyest. v. 78. & 97. Agam. v. 82. Herc. Fu. 110. *F.*

1006. *Megæra*] Ἀπὸ τῆς μεγαιρᾶν. *Farnabius. Pœnas poscit Alcides. dabo.*] Et præcedente versu, *flagranti*. Sequenti Flor. *Iamne inferorum, Diva.* Statius prim. Theb. *scelerumque in pectore Divæ.* Nam in proximo versu τὸ *divas* corruptum, & fuit *apertas*, aut *laxas*, aut tale quid. *Gronov.*

1007. *Inferorum*] Herc. Fu. 333. *Diva*] Furia. *Farnabius.*

1011. *Membra quis præbet rotæ?*] Fl. *queritur.* Nic. Heinsius: *membra quis teritur rota?* Statim idem: *Causam reposcit.* Gronovius. *Membra*] Sisyphum sibi vidisse videtur & Ixiona. *Farnabius.*

1012. *Tisiphone*] Ἀπὸ τῆς πάντας φονᾶς. *Idem.*

1014. *Sustine*] Contine paulisper. Ovid. *Sæpe Iovem vidi, cum jam sua mittere vellet Fulmina, thure dato, substinuisse manum.* Delr.

1015. *Scelus*] Vt Herculis amorem à pellice ad me transferrem. *Farnabius.*

1016. *Minax*] Furenti videtur irruere populus, qui non irruit. *Idem.*

1018. *Fremunt*] Al. *premunt.* Idem.

1021. *Dabitur ærumnis locus*] Inclinat fere Gruterus in scripturam Pal. unius, qui *portus dabitur ærumnis loco.* Et sic Germanicus. Flor. simpliciss-

ne:

Testor nitentis flammeam Phœbi rotam,
Superosque testor. Herculem terris adhuc
Moritura linquo. *Hyl.* Fugit attonita. hei mihi!
Peracta jam pars matris est. statuit mori
Nunc nostra supereſt, mortis auferre impetum.
O misera pietas! si mori matrem vetas,
Patri es sceleſtus. si mori pateris tamen,
In matre peccas. surgit hinc illinc nefas.
Inhibenda tamen est. pergam, & eripiam scelus.

me: *Mors sola portus dabitur ærumnis meis.* Nam vulgatum nihili est. Mox: *Herculem in terris.* Vulgo deest præpositio. *Gronovius.*

1024. *Moritura*] Trachyne se interfecit Deianira, non Argis, ejusque tumulus ad radices Oetæ montis, adhuc Pausaniæ temporibus. vide in Corint. *Delr. Fugit*] *Recessit scilicet è scena ne se coram populo trucidaret.* Farn.

1026. *Nunc nostra*] Meæ restant partes ut matrem mori volentem impediam. *Idem.*

1027. *O misera*] Rursum se corrigit dubius. *Idem.*

1028. *Patri*] Quem illa interfecit. *Idem.*

1029. *Surgit hinc illinc nefas.*] Flor. *surget.* Forte: *si mori pateris, tamen in matre peccas. urget, hinc, illinc, nefas.* Sequenti: *verum & eripiam scelus.* Forte: *vadam.* Gronovius. *Hinc illinc*] A patris parte & à matris. *Farnabius.*

CHORUS.

Sumpta ab Herculis robore labefactato occasione, Chorus omnia interitui obnoxia, nihil natum æternum canit, quam sententiam ab authore Orpheo commendat, ejusque artem obiter celebrat.

Verum est, quod cecinit sacer
Thressæ sub Rhodopes jugis,
Aptans Pieriam chelym,
Orpheus, Calliopæ genus:
Æternum fieri nihil.

Illius

1031. *Sacer*] Musarum vates. sacer interpresque deorum. *Idem.*

1033. *Tangens Theiciam chelyn*] Cur hoc improbum? ajunt. sic Propertius *Threiciam lyram* vocavit. Ne hoc quidem docendus erat Lipsius: sed in Mss. quem ipsi præclarum, cujusque præclaras castigationes agnoverunt, invenerat *Pieriam.* Dicam aliquid amplius. Ne *tangens* quidem improbum: & sic omnes Mss. quos antehac docti viri collatos excerpserunt. Florent. tamen: *Aptans Pieriam chelyn.* Cui contra omnes alios merito favemus. Propertius: *hæc carmina nervis Aptat.* Gronovius.

1034. *Calliopæ*] Calliopes & Oeagri filii. filius. al. Apollinis. *Farnabius.*

1036. *It-*

Illius ſtetit ad modos
Torrentis rapidi fragor,
Oblituſque ſequi fugam
Amiſit liquor impetum:
Et dum fluminibus mora eſt,
Defeciſſe putant Geten
Hebrum Biſtones ultimi.
Advexit volucrem nemus,
Et ſilva reſidens venit,
At ſi quæ aëra pervolat,
Auditis vaga cantibus
Ales deficiens cadit.
Abrupit ſcopulos Athos,
Centauros obiter ferens;

Et

1036. *Illius*] Med. v. 625. *Farn.*

1038. *Oblituſque ſequi fugas*] Lipſius ex conjectura *fugax*. Deltius: cujus, aut quas? an per *fugas* curſum intelligit? an legendum cum quibuſdam *fugax*. Hoc magis placet, quam quod conjiciebam: *Oblituſque ſtetit fugax Amiſſo liquor impetu*. Gruterus amplecti ſe ait conjecturam Lipſii: nam qui divinavit, *Oblituſque ſtetit*, peccare in legem verſum. Falſum hoc poſtremum. Et tamen falſi ambo, quibus ſæpe contingit codici Lipſiano obtrectare, conjecturis viri ambiguis plaudere. Flor. *fugam*. Sane *fugam* pro motu, curſu, diſceſſu centies dixit Seneca: & jam non ſemel hæc nobis obſervatio profuit. Itaque cur *ſequi fugam* dici non poſſit, ut Cæſari *petere fugam*, Senecæ *quærere fugam*, cauſam nullus video. *Oblitus* igitur *ſequi fugam* eſt inſiſtere lapſibus ſuis, pergere & continuare ſuos itus. *Gronovius.*

1038. *Oblituſque*] *Flumina ſiſtebat cantu.* Farnabius.

1041. *Geten*] Thracium, Scythicum ſupra v. 819. *Idem.*

1042. *Biſtones*] Herc. Fu. v. 225. *Idem.*

1044. *Et ſilva reſidens venit*] Accepit ὁ πάνυ, quaſi *nemus ſilva reſidere* diceretur: ideo ineptiſſimum vocat, & corrigit: *Et ſilvas reſides vehit*. Sed peccatum diſtinctione, & ſeparata, quæ debent conjungi, juncta quæ ſeparari debent. Vult auctor alitem vel volucres aut veniſſe reſidentes in ramis adproperantis ſilvæ, aut forte prætervolantes vi & dulcedine carminis attractas ſubito ſe demiſiſſe & circa Orphea conſtitiſſe. Hoc eſt enim, *deficiens cadit*. Gronovius.

1048. *Athos*] Med. v. 719. *Farn.*

1049. *Centauris obitum ferens*] Nugæ maximæ de centauris ruina oppreſſis. Et quis dixit *ferre obitum* alicui? Recte Lipſius: *Centauros obiter ferens*. Sic & Florentinus. Illos forte illic deprehenſos & obverſantes ſecum vehens. *Rhodopen* iidem codices, quod malunt amici Marmitæ quam Lipſio acceptum referre. *Gronovius. Obitum ferens*] Lege potius, *Centauros obiter*. conveniebat enim monti tranſitus innocens, non qui inquilinos opprimeret. nimirum ipſe Athos ſtitit ſe Orpheo una cum Centauris, qui ei tunc forte inerrabant. nec aliter aut veteres

edd.

Et juxta Rodopen ſtetit
Laxata nive cantibus.
Et quercum fugiens ſuam,
Ad vatem properat Dryas,
Ad cantus veniunt ſuis
Ipſæ cum latebris feræ.
Juxtaque impavidum pecus
Sedit Marmaricus leo,
Nec damæ trepidant lupos.
Et ſerpens latebras fugit,
Tunc oblita veneni.
Quin per Tænarias fores
Manes cum tacitos adit,
Mœrentem feriens chelym,
Cantu Tartara flebili
Et triſtes Erebi deos
Movit: nec timuit Stygis
Juratos ſuperis lacus.
Hæſit non ſtabilis rota

Victo

edd. aut membranæ meliores. Hercule Furente, *ſaxa cum ſilvis feram, Rapiamque dextrâ plena Centauris juga.* Grut.

1052. *Quercum fugiens ſuam*] Nihil aliud quam libenter & prompte ei excedens: quod & noctu facere credebantur, ut choreas ducerent circum arbores. Sic & mox, *ſerpens latebras fugit*, &, ex illis proſerpit & ſuo modo feſtinat. Statim Flor. *veniunt tuos Ipſis cum latebris feræ.* Quaſi Apoſtrophe ſit ad Orphea. *Gronovius. Quercum Dryas*] Singulis arboribus Nympham præeſſe credebant antiqui, quam quod una cum arbore naſceretur morereturque Hamadryadem nuncupabant. *Querquetulana, à δρῦς. Farnab.*

1057. *Marmaricus*] Ferox inſtar Libyci leonis. Agam. v. 735. *Idem.*

1061. *Tænarias*] Herc. Fu. v. 586. *Idem.*

1062. *Manes commonitos adit,*] Quum planam & expeditam Lipſiani codicis ſcripturam, *Manes cum tacitos adit*, ante oculos haberet amicus, tamen ea diſſimulata, cenſeo, inquit, *cum domitos.* Adeo libebat contradicere. Illud Gruteri duo, Florentinus, & Germanicus adſerunt. *Gronovius. Manes*] Herc. Fu. v. 570 *Farnabius.*

1063. *Mœrentem*] Ipſe mœſtus ob Eurydices mortem. *Idem.*

1065. *Et triſtes Erebi deos Movit.*] Flor. *Vidit.* Recte. *Triſtes* intellige, non ut omnia inferorum *triſtia* dicuntur, ſed cantu flebili triſtes. Apud Statium Pluto indignatus: *Odryſiu etiam pudet heu patuiſſe querelis Tartara. vidi egomet blanda inter carmina turpes Eumenidum lacrimas.* Gronov.

1067. *Juratos*] Herc. Fu. 711. *Farn.*

1068. *Non ſtabilis*] Non prius ſtare ſolita Ixionis rota. *Idem.*

1070. *Ti-*

Victo languida turbine.
Increvit Tityi jecur,
Dum cantus volucres tenet.
Audito quoque navitâ
Inferni ratis æquoris
Nullo remigio venit.
Tunc primum Phrygius senex
Undis stantibus immemor
Excussit rabidam sitim,
Nec pomis adhibet manus:
Sed cum linqueret inferos
Orpheus carmina fundens;
Et vinci lapis improbus,
Et vatem potuit sequi.
Consumptas iterum deæ
Supplent Eurydices colos;
Sed dum respicit immemor,
Nec credens sibi redditam
Orpheus Eurydicen sequi,
Cantus præmia perdidit.
Quæ nata est iterum, perit.
Tunc solamina cantibus
Quærens, flebilibus modis
Hæc Orpheus cecinit Getis:

Le-

1070. *Tityi*] Hippol. v. 1228. *Id.*

1071. *Volucres*] Vultures qui Tityi jecur depascebantur. *Nec carpsere jecur volucres.* Idem.

1072. *Navita*] Portitor Charon. *Farnabius.* Immo Orpheo. *Gronovius.*

1074. *Nullo*] Advolante Charontis cymba absque remigis opera. *Idem.*

1075. *Tunc primum*] *Nec Tantalus undam Captavit refugam.* Idem

1078. *Nec pomis*] Quia famem sitimque non potus aut cibi suavitate, sed concentus dulcedine excussit. *Delr.*

1081. *Lapis improbus*] Certum est de lapide Sisyphi loqui auctorem: non tamen *improbus* est Sisyphus, multo minus durus, qui inferna septa claudere, ut interpretantur: sed lapis plus ausus quam fata permitterent, quæ non minus ipsum alligasient Sisypho, quam Sisyphum lapidi. Vide ad Medeam v. 84. *Gronovius.*

1083. *Deæ*] Parcæ restituunt Euridices vitæ stamina. *Farn.*

1088. *Præmia*] Eurydicem sibi redditam. *Idem.*

1089. *Nata*] Cui restituta vita fuit. *Idem.*

Leges in ſuperos datas,
[Et qui tempora digerens
Quatuor præcipitis deus
Anni diſpoſuit vices]
Nulli non avidas colo
Parcas ſtamina nectere.
Quod natum eſt, poterit mori.
Vati credere Thracio
Devictus jubet Hercules.
Jam jam legibus obrutis
Mundo cum veniet dies;
Auſtralis polus obruet
Quidquid per Libyam jacet,
Et ſparſus Garamas tenet.
Actous polus obruet
Quidquid ſubjacet axibus,
Et ſiccus Boreas ferit.

Amiſ-

1094. *Et qui tempora digerens*] Poteſt intelligi: & in eum qui. Valde tamen veriſimilis tranſpoſitio illuſtris Rutgerſii. Vellem etiam: *Quartum præcipitis*: pro *quater* vere ſcilicet, æſtate, autumno, hieme: quæ partes proprie adultæ & præcipites dicuntur. *Gronovius. Et qui*] Sup. v. 819. Tres iſtos verſus uncinulis incluſos, utpote huic loco male convenientes tranſponit I. Rutgerſius ut ſequantur v. 1109. *Boreas ferit. Et qui tempora dirigens, &c. c. 2. lib. variar. lect.* Farnabius.

1097. *Nulli non avidas polo*] Nullo ſenſu ſic legi opinatus Delrius repoſuit, *colo*. Gruterus, Quam magis excutio, inquit, tam magis bliteum eſt *colo: Polus* hic quæcumque mundi pars, & mox meminit auſtralis & Arctoi poli. At ego hos duos polos novi, pro quacumque parte mundi *polum* dici non novi. Quoniam igitur tantum duo ſunt, quam bene dicitur de illis, *Nulli non*. Præterea Florentinus: *avidi colus*. Scribe igitur: *Nulli non avidas colis Parcas ſtamina nectere*. Ita tollitur ambiguitas, quæ eſt in Delriano: etſi ſenſum recte ceperit: quicquid ſuperorum & rerum eſt, id pariter Parcarum colis obnoxium eſſe, & aliquando abrumpi. Poteſt & ſcripta lectio omnis retineri, ut intelligas nemini non *Parcas nectere ſtamina colus* abſumendarum ac finiendarum vitarum *avidi*. Vtroque enim genere *colus* dicitur. *Gronovius.*

1099. *Quod natum*] Πᾶν τὸ γενόμενον φθαρτόν, omne ortum occidit. Cui naſci contigit, reſtat mori. *Farn.*

1102. *Iam jam legibus obrutis*] Sic quidem omnes libri, & interpretari licet, *irritis*, niſi etiam ita ſcripſit auctor, præſertim quia bis ſequitur *obruet*. Gronovius.

1105. *Libyam*] Africam. *Farnabius.*

1106. *Sparſus*] Interioris Libyæ incola vagus. *Idem.*

1109. *Et ſiccus*] Et *Quidquid Boreæ penetrabile frigus adurit. nubifugus, viarum ſcopa Boreas.* Idem.

1110. *Amiſ-*

Amissum trepidus polo
Titan excutiet diem.
Cœli regia concidens
Ortus atque obitus trahet.
Atque omnes pariter deos
Perdet mors aliqua, & chaos.
Et mors fata novissima
In se constituet sibi.
Quis mundum capiet locus?
Discedet via Tartari,
Stratis ut pateat polis?
An quod dividit æthera
A terris spatium, sat est
Et mundi nimium malis?
Quis tantum capiet nefas
Fati? quis superis locus
Pon-

1110. *Amissum trepidus polo*] Melius, *Amisso*, Florentinus. Nec pejus foret: *Amisso trepidus polis*. Mox idem liber *regia concidens Ortus atque obitus trahet*: ut unus Gruteri. Et nihil certius. *Gronovius.*

1112. *Concidet certos*] Scriptus, clate præfert: *Cœli regia concidens Ortûs atque obitûs trahet*. Egregie. Obruet, inquit, una ruina omnia, & qua dies oritur & qua moritur. *Grut.*

1114. *Deos*] Sidera, stellas, Thyest. v. 890. vel Deos, qui Stoicis mortales.

1115. *Chaos*] Herc. Fu. v. 609. *F.*

1116. *Mors*] Mors fati domina & ipsa peribit. *Idem.*

1118. *Mundum*] Sphæras cœlestes. pulchramque hanc machinam. *Idem.*

1120. *Stratis ut pateat polis*] Fl. *Fratis*. Infra: *hinc & hinc compagibus Ruptis uterque debuit frangi polus*. Gron.

1124. *Quis tantum*] Quis locus capiet dissolutum jam triplex regnum, Iovis, Neptuni, Plutonis? *Farnabius.*

1125. *Fratrum? quis superis*] Hoc à Lipsio, quum olim legeretur *Fati*. Amicus ejus in Mog. aiteſſe *Fatum*: sed melius alios *Fratrum*. Subscripsit & Gruterus. Nec quisquam postea dubitavit. At ego majestatem illorum fratrum intercedere censeo, ac denuntiare iniquis designatoribus, ne ipsos tali loco ponant, aut amplius contumeliæ causa compellent. quippe vel solos ab hac mutatione excepisse, quibus alterna conflagratione ac diluvio mundus (quasi illa sit ætas, hæc hiems maximi illius ex multis millibus annorum constanti, anni) non tam perit quam renascitur, modo deorum maximos crediderint. Sed his quid fiat, parvipendas licet: quum & Poëta: *omnes pariter deos Perdet*: verum ne sic quidem unus fratrum capiet omnia. Sex autem præcedentes & duo sequentes versus satis ostendunt, unum hic quæri satis arduum: quia subversus mundus debet sedibus moveri (nunc enim se & omnia implet, nihilque habet inane, nec percelli potest, nisi solutis fundamentis tanti operis sede exigatur) in quem locum sit relapsurus & se inclinaturus? Vtrumque *Quis* re-

 ferrur

Pontum, sidera, Tartara,
Regna unus capiet tria?
Sed quis non modicus fragor
Aures attonitas movet?
Est est Herculeus sonus.

fertur ad τὸ *locus*: & eodem prorsus referrur τὸ *Vnus*. *Fratres* quid hic faciant, non video: quid *Fatum*, exponam. Ovidius: *Esse quoque in fatis reminiscitur, adfore tempus, Quo mare, quo tellus correptaque regia cœli Ardeat, & mundi moles operosa laboret.* Seneca Natur. quæst. 3, 30. *Sunt omnia facilia naturæ, utique quæ à primo facere constituit, ad quæ non subito, sed ex denuntiato venit. Iam autem à primo die mundi, quum in hunc habitum ex informi unitate discederet, quando mergerentur terrena, decretum est. Nefas fati* dicit rem gravem, nimiam, & quam fieri, naturæ se conservare cupidæ, & usque elaboranti, ut conservetur, repugnet atque adversetur. Si *nefas*, *si crimen fati*, si *scelus facinusque deorum* appellabant immaturos carorum interitus, quidni *fati nefas* interitus universi? Totius autem loci hæc sententia est continua & unius interrogationis spiritu efferenda; Quis capiet tantum fati nefas, (hoc est, naturam meliorem & descriptas rerum facies ex decreto fatorum in antiquum chaos confusas & statis tot seculorum locis dejectas) quis, inquam, alius, ô dii, locus unus capiet & continebit tria regna? Nam & pro *superis* scribo *superi*: quod non hic solum peccatum est. Denique hanc puto auctoris manum fuisse: *Quis tantum capiet nefas Fati, quis, Superi, locus Pontum, sidera, tartara, Regna unus capiet tria?* Quod si non alia re, his, opinor, verbis obtinebo in consolatione ad Polybium: *Mundo quidam minantur interitum, & hoc universum, quod omnia divina humanaque complectitur, si fas putas credere, dies aliquis dissipabit: & in confusionem veterem tenebrasque demerget. Eat nunc aliquis, & singulas comploret animas: Carthaginis ac Numantiæ Corinthique cinerem, & si quid altius cecidit, lamentetur: quum etiam hoc, quod non habet, quo cadat, sit interiturum. Eat aliquis & fata tantum aliquando nefas ansura, sibi non pepercisse conqueratur.* Ecce rerum finem & mundi diem: ecce de loco, quo sint casuræ, sollicitudinem: ecce nefas fati. Posset alioquin & legi: *Quis tantum capiet (nefas!) Fatum, quis, Superi, locus.* Tantam molem rerum fati lege conturbatam. Sed necesse non est. Tam *fati*, quam *fatum* in Mss. nobis obvium fuit. *Gronovius.*

1127. *Regna*] Mista jam & confusa. *Farnabius.*

1131. *Emit-*

ACTUS QUARTUS.

HERCULES. CHORUS.

Ejulans Hercules conqueritur, indigne ferens se indigna morte perire, fœmineis scilicet dolis.

Herc. Converte, Titan clare, anhelantes equos,
Emitte noctem. pereat hic mundo dies,
Quo moriar. atra nube inhorrescat polus.
Obsta novercæ. nunc, pater, cœcum chaos
Reddi decebat, hinc & hinc compagibus
Ruptis uterque debuit frangi polus.
Quid parcis astris? Herculem amittis, pater.
Nunc partem in omnem, Juppiter, specta poli,
Ne quis gigas Thessalica jaculetur juga,
Et fiat Othrys pondus Encelado leve.
Laxabit atri carceris jam jam fores
Pluton superbus. vincula excutiet patri,
Cœlumque reddet. ille, qui pro fulmine
Tuisque facibus, natus in terris eram,

Ad

1132. *Emitte*] Absentia tua. *Farn.* *Pereat*] Noctis nubiumque velum intendatur, ne morientem me Iuno videns triumphet. *Idem.*

1133. *Quo moriar.*] Fl. *morior.* Gron.

1134. *Obsta novercæ.*] Precatur Hercules lucem & solem eripi, & nubium velum intendi, ne Iuno videat & triumphet in Herculę moriente. *Delr.*

1137. *Quid parcis*] Cur autem non polos frangas, cur cœlo parcas? Cui, sublato jam Hercule, bellum ex novo inferent Gigantes. Herc. Fu. v. 970.

1138. *Nunc parte in omni,*] Appellare Fabricium nefas, injuria hominem afficere licet. Dixerat ille, in veteri esse, *partem in omnem*: sæpe autem incidere istam casuum ἀναλογίαν: supta, *Nunc parte ab omni genitor iratus tona.* De hoc sic referunt: cum in o. Mſ. & in plerisque impressis legatur, *parte in omni*, esse, qui reponant, *partem in omnem*; idque dicere ab se factum propter versiculum hunc: *Nunc parte ab omni genitor*: qui tamen faciat, ut malint legere: *Nunc parte ab omni, Iupiter, specta poli.* At nusquam dicit Fabricius, se quidquam reponere propter versiculum istum: sed *partem in omnem*, quia sic erat in veteri. Versiculum autem istum ob aliam rem advocarat, nempe quia in eo quoque commemorabatur *omnis pars cœli.* Florentinus quoque *partem in omnem.* Gronovius.

1140. *Othrys*] Encelado quidem Ætna imposita. Herc. Fu. 80. Sed Othryn dixit pondus leve quod torqueat & jaculetur in deos Enceladus. sic inf. v. 1146. *Farnabius.*

1142. *Patri,*] *Saturno, tenebrosa in Tartara misso.* vid. Herc. Fu. 564. *Farn.*

1143. *Pro fulmine*] Loco fulminis tui in sævos tyrannos. sup. v. 5. *Idem.*

Ad Styga revertor. surget Enceladus ferox,
Mittetque, quo nunc premitur, in superos onus.
Regnum omne, genitor, ætheris dubium tibi
Mors nostra faciet. antequam spolium tui
Cœlum omne fiat, conde me tota, pater,
Mundi ruina. frange, quem perdis, polum.
Chor. Non vana times, nate Tonantis,
Jam Thessalicam Pelion Ossam
Premet; & Pindo congestus Athos
Nemus æthereis inseret astris.
Vincet scopulos inde Typhoeus,
Et Tyrrhenam feret Inarimen.
Feret Ætnæos inde caminos,
Scindetque latus montis aperti,
Nondum Enceladus fulmine victus.
Jam te cœli signa sequentur.
Herc. Ego, qui relicta morte, contempta Styge,
Per media Lethes stagna cum spolio redii.
Cum pene trepidis excidit Titan equis:

Ego,

1145. *Ad Styga*] Vnde prius reversus Cerberum extraxi. *Idem.*

1146. *Mittetque,*] Iaculabitur Ætnam. Herc. Fu. v. 80. *Idem.*

1147. *Dubium*] Incertæ possessionis propter Gigantes. *Idem.*

1148. *Spolium*] Tibi ereptum. *Id.*

1150. *Frange,*] Frange potius quam perdas cœlum. *Idem.*

1152. *Iam Thessalica Pelion Ossa*] Fl. *Iam Thessalicam Pelion Ossam Premet.* Non enim semper Pelio Ossam, ut alibi noster, sed interdum & Ossæ Pelion imponunt. Vide quæ ad sextum Theibaidos Statianæ notavimus. *Gronovius. Thessalica*] Herc. Fu. v. 970. Agam. v. 331. *Farnabius.*

1155. *Typhoëus,*] Thyest. v. 807. *Durumque cubile Inarime Iovis imperiis imposta Typhœo. Idem.*

1156. *Inarimen*] Sunt, qui Virgilium & ceteros loqui velint de quadam insula in ora Campaniæ, quam prius Pythecusas vocabant, de qua Suidas, Harpocration, Strabo. Pherecydes apud Apollonii Scholiast. lib. 2. prodidit eam Typhoëo impositam. idque Latini poëtæ, ut hic noster, sequuntur. Quod si verum, erravit Ovidius lib. 14. Metamorph. Inarimen, Prochytan, Pythecusas, tres insulas faciens. Vide Turneb. lib. 20. Adverss. cap. 8. *Delr.*

1157. *Ætnæos*] Hercul. Fu. 106. *Farnabius.*

1158. *Montis*] Ætnæ. *Idem.*

1160. *Iam te cœli signa sequentur*] Flor. *regna.*

1161. *Relicta*] Herc. Fu. 611. *Id.*

1162. *Spolio*] Cerbero. *Idem.*

1163. *Cum pœne trepidis*] Bonum hoc fatetur Lipsius: dubitat an germanum, quia sit in MS. *lapsis*: unde scribit *lapsis*. Quam amice tui amicus? Non

Ego, quem deorum regna senserunt tria,
Morior: nec ullus per meum stridet latus
Transmissus ensis: haud meæ telum necis
Saxum est, nec instar montis abrupti latus.
Aut totus Othrys, non truci rictu Gyges
Pindo cadaver obruit toto meum,
Sine hoste vincor: quodque me torquet magis,
(O misera virtus!) summus Alcidæ dies
Nullum malum prosternit. impendo, hei mihi,

In

Non cecidere, inquit, Solis equi, nec illis excidit Sol: alioqui periisset dies: sed trepidarunt sonipedes, titubavit currus: ideo fere decidit Phœbus. Quid opus (fere dixeram labi) *lapsis* reponere? quatuor mei Mss. & ad unum excus. *trepidis*? Vere bonum *hoc*, bonum, sed & germanum. Sic ille. Vbi autem scripsit Lipsius, cecidisse Solis equos, aut illis excidisse Solem? Hoc sibi fingit vir bonus, ut habeat, quod carpat. Pœne lapsos esse equos, & pœne factum, ut excideret sol, pronunciat hæc ejus emendatio: quod nihil est aliud quam quod ille gnarum docet Lipsium dicere vulgatam. Flor. quoque *lassis*. Itaque recte divinavit Lipsius. Cicero lib. 1. de officiis: *celeriter de manibus audacissimorum civium delapsa arma ceciderunt*. Virgilius lib. 6. Æneid. *Quam multa in silvis autumni frigore primo Lapsa cadunt folia*. Livius lib. 5. *Convertentem se inter hanc venerationem traditur memoriæ prolapsum cecidisse*. Ovidius lib. 7. met. *subito collapsa dolore, ut mihi narratur, cecidit*. Petronius: *sera sua sponte delapsa cecidit*. Sic amant hæc verba conjungere, etsi non omnino sic auctor. *Gronovius*.

1164. *Deorum*] Iovis, Neptuni, Plutonis. in æthere n. Stymphalidas, in aquis Hydram, in inferno Cerberum vicerat. *Farnabius*.

1165. *Nec ullus per meum*] Querela hæc Herculis magna ex parte à Sophocle in Thrachiniis desumpta fuit. quæ carmina sic Cicero 2. Tusculan. vel potius Attius reddidit: *Hos non hostilis dextra, non terra edita Moles Gigantum, non biformato impetu Centaurus ictus corpori infixit meo. Non Graia vis, non barbara ulla immanitas, Non sæva terris gens relegata ultimis, Quas peragrans undique omnem hinc feritatem expuli: Sed feminea vir, feminea interimor manu*. Delr. *Stridit*] Stridit pro *stridet*, & *cludit* pro *claudit*, in hujus Poëtæ exemplis vetustis legitur perpetuo. *Fabritius*.

1167. *Nec instar montis abrupti latus*,] Aliquid hic infuscati agnoscit Delrius: ideo quærit, annon melius sit *instat*. Ego autem: *nec instar montis abrupti lapis*. Sequenti autem versu Fl. *nec truci rictu gigans*. Gronovius.

1168. *Othrys*] Mons Thessal. *Farn. Gyges*] Non absurde heic divinant aliqui, *Gyges*; nisi loqui eum de omni Gigantum genere evincerent quæ repetuntur infra v. 1214. *Quod nulla fera est, nullusque Gigas*. Deinde cur Gyges heic potissimum requiratur? nec enim is Gigantum olim omnium erat formidolosissimus. *Grut*.

1171. (*O misera virtus*)] Versus integros, quibus virtutem accusat Hercules, ex antiqua Tragœdia adducit Din. Ὦ τλῆμον ἀρετὴ, λόγος ἄρ' ἦσθ', ἐγὼ δέ σε Ὡς ἔργον ἤσκουν, σύδ', ἄρ' ἐδούλευες τύχῃ. *Gronovius*.

1172. *Impendo male in nulla*] Præclare MS. Lipsii, *impendo* (*hei mihi!*) *In nulla vitam*: sed non addicere aves

In nulla vitam facta. pro mundi arbiter,
Superique, quondam dexteræ testes meæ!
Pro cuncta tellus, Herculis vestri placet
Mortem perire? dirus ô nobis pudor!
O turpe fatum! fœmina Herculeæ necis
Auctor feretur: auctor Alcides quibus?
Invicta si me cadere fœminea manu
Voluere fata, perque tam turpes colos
Mea mors cucurrit, cadere potuissem, hei mihi,
Junonis odio: fœminæ caderem minis,
Sed cœlum habentis. Si nimis, Superi, fuit,
Scythico sub axe genita domuisset meas

Vires

Mss. Pall. unique codici, etsi omni auctoritate majori haud se esse credulum, ne exemplo noceat, scribit Gruterus. Vt ejus infirmitati consulamus, monemus idem præferre Florentinum. Iam duo sunt: & duos sprevisse Latonæ liberos non impune fuit Niobæ. *Gronovius. Impendo*] Δυσχεραίνει γὰρ τὸν τοιοῦτον θάνατον, &c. etiam fortis ægre fert sibi non viriliter pereundum, atque ubi viribus non est locus. *Farn.*

1175. *Herculis vestri placet Mortem perire?*] Non male, ut *mortem perdere* in superioribus notavimus. Sed Flor. *Herculem vestrum placet Morte ferire.* Numquid, *Morte feriari?* id est, morientem nihil agere. *Gronovius.*

1178. *Auctor Alcides quibus?*] Fl. *morior Alcides quibus.* Idem *Quibus?*] Monstris, tyrannis, gigantibus, feris. *Farnabius.*

1179. *Invicta*] Inexorabile fatum. *Idem.*

1180. *Perque*] Tam ingloria Parcarum de me decreta, ut fœminea perirem manu. *Idem.*

1181. *Cadere potuissem mihi Iunonis odio:*] Lipsius, lego, inquit, *hei mihi*, non addito, ex scripto an ex conjectura. Ergo referunt in Herbip. & Venet. fuisse: *potuisset mihi:* quendam reponere, *potuissem hei mihi:* se vero suspicari, *prodesset mihi.* Gruterus vero optime iterum Lipsii scriptum habere fatetur, doletque quod ob sacramentum suum vetetur sequi. Sed hoc sacramentum, nihil ex uno libro aut de conjectura contra conspirantes in errore manifesto librarios, quoties ipse hoc ipso in opere violavit? Νήφειν δεῖ καὶ ἐν τοῖς τοιούτοις· neque nihil neque omnia hoc est sacramentum nostrum. Verum Lipsianum censeo, etsi de ingenio sit ejus, non totidem apicibus de libro. Credibile est fuisse in illo, quod in Herpib. & Ven. nos in Florentino vidimus: *potuisset mihi.* Vt autem in Livio Puteanorum, in Pandecte Florentino, in hoc Seneca observare licet, ob similitudinem aut in medio earundem, aut in fronte ac fine diversarum vocum, literas aliquas omisisse librarios, POTUISSEIMIHI, ut scriptum erat pro *potuissem hei mihi*, genuit illud, *potuisset mihi.* Gronovius.

1182. *Cadere potuissem minis,*] Parum decet heroëm minis cadere: odio vel fœminæ ferendum est, minis ne quidem viri. Præterea Flor. *cadere potuissem nimis.* Fortasse: *cadere potui fœminæ, sed cœlum habenti.* Vt Arminius apud Tacitum jactat, sibi tamen tres legiones succubuisse. Statim idem

codex,

Vires Amazon. fœminæ cujus manu
Junonis hostis vincor? hinc gravior tui,
Noverca, pudor est. quid diem hunc lætum vocas?
Quid tale tellus genuit iratæ tibi?
Mortalis odia fœmina excessit tua.
Adhuc ferebas esse te Alcidæ imparem.
Victa es duobus: pudeat irarum deos.
Utinam meo cruore satiasset suos
Nemeæa rictus pestis! aut centum anguibus
Vallatus hydram tabe pavissem mea!
Utinam fuissem præda Centauris datus!
Aut inter umbras victus, æterno miser
Saxo sederem, spolia cum traxi ultima
Fato stupente. nunc ab inferna Styge
Lucem recepi, Ditis evici moras.

Ubi-

codex, *superi*, non *superis*. Lege: *si nimis, superi, fuit*. nempe cœlum habenti fœminæ me cadere: at Amazoni hoc decus indulsissent. Sic supra v. 1125. & in Troadibus. Hoc etiam Comelinus in MS. invenit. *Gronovius.*

1185. *Amazon.*] Hippolyte, Herc. Fu. v. 542. *Farnabius. Fœminæ*] Nunc autem quam vilis fœminæ manu pereo, qui Iunoni dignus visus sum hostis? *Idem.*

1186. *Hinc gravior tui, Noverca,*] Sic omnes libri. Auctoris tamen fuisse censeo: *hic gravior tibi, Noverca, pudor est.* Sequitur: *quid diem hunc lætum vocas?* Flor. *hunc talem.* Forte: *quid diem hunc album vocas?* Gronov. *Hinc*] Cum me perdat mulierecula quod tu facere non potuisti. *Farnabius.*

1188. *Quid tale*] Quod monstrum genuit tellus in tui mihi infestæ gratiâ pernicioſius quam Deianira? *Idem.*

1190. *Adhuc ferebas esse te*] Conjectura Gruteri. Lipsius *fremebas.* Sed recte notaverat Delrius non esse mutandum, quod habent omnes scripti: *ferebas.* id est, Patiebare, cogebaris pati. *Gronovius.*

1191. *Victa*] A me ptius, nunc à Deianira, quæ plus in meam perniciem valuit, quam tu dea. *Farnabius. Pudeat*] Si mortales plus possint. *Idem.*

1193. *Nemeæa*] Leo Nemeæus, Herc. Fu. v. 223. *Idem. Centum*] Circumdatus fœcundæ capitibus Hydræ mortem extimuissem, sanguine meo ab Hydræ veneno in tabem verso. *Id.*

1195. *Centauris*] Quos in monte Pholoë occidi & profligavi. *Idem.*

1196. *Æterno*] Respicit ad saxum cui adhæsit Theseus. *Sedet æternumque sedebit Infelix Theseus.* Idem.

1197. *Spolia ultima*] Cerberum, id est, mortem, rerum terminum. Herc. Fu. v. 289. *Idem.*

1198. *Ab inferna*] Ab inferis redii, Herc. Fu. v. 611. *Idem.*

1199. *Ditis evici moras.*] Flor. *lucis erui moras.* Fortasse: *nunc ab inferna Styge Diem recepi, lucis emerui moras, Vbique mors me fugit, ut.* Nam male his interponitur finitæ periodi nota. Sic apparet recte Gruterum *Nunc* è Mss. reposuisse pro *Tunc.* Reddita est vita, data & longior vita, mors à me prohibita, ne honeste morerer. Nec vero,

Ubique me mors fugit, ut leto inclyto
Fortis carerem. ô feræ victæ, ô feræ!
Non me triformis sole conspecto canis
Ad Styga reduxit. non sub Hesperio polo
Ibera vicit turba pastoris feri.
Non gemina serpens. perdidi mortem, hei mihi,
Toties honestam. titulus extremus quis est?
Chor. Viden' ut laudis conscia virtus
Non Lethæos horreat amnes?
Pudet auctoris, non morte dolet.
Cupit extremum finire diem
Vasta pressus mole gigantum,
Et montiferum Titana pati.
Rabidæque necem debere feræ.
Si tua causa est miseranda necis,

Quod

quasi nihili, transeundum editoribus fuit, quod propinavit è libro Lipsius: *ut telo inclitæ mortis carerem.* Nam Fl. *Mortis*, non *Fortis*. Tantummodo literam muta: *ut telo inclito Mortis carerem.* Quod ut agnoscas auctoris esse, recognosce quod supra posuit: *haud meæ telum necis Saxum est, nec instar montis abrupti lapis.* Et superius: *quicquid ad mortem trahit, Telum est abunde.* Ergo *telum inclitum mortis* est nobile instrumentum, honestus auctor mortis: ut qui Æneæ magni dextra cadunt. Statim Flor. *ô feræ victæ, feræ.* Gronovius.

1200. *Vt leto*] Lipsius ex M S. *Vt telo inclytæ Mortis carerem.* Farnabius.

1202. *Sole*] Herc. Fu. v. 813. *Id.*

1204. *Ibera*] Geryonis trigemini. Herc. Fu. v. 232. *Idem.*

1205. *Gemina*] Angues duo, quos à Iunone imm ssos elisi jam in cunis vagiens. Herc. Fu. v. 215. *Idem.*

1206. *Titulus*] Atque ecce inhonesta tandem morte pereo. *Idem.*

1208. *Non Lethæos*] Mortem non horret, sed ingloriæ mortis generis pudet, supra v. 1172. *Idem.*

1210. *Finire diem Vasta pressus mole Gigantum*] Flor. *finire diem Vasta tumidi morte gigantis.* Gronovius.

1212. *Montiferum*] Enceladum, Typhoea, Gygen. supra v. 1157. *Farn.*

1214. *Si tua causa est miseranda necis,*] Non bene hoc habere odoratus Scaliger suspicatur scribendum: *Si causa tuæ est miseranda necis.* Ego aliud vitium hujus orationis video. Quam enim flagitiose chorus hic suadet Herculi ἀποχειρίειν & sibi violentas manus afferre? Amicorum est revocare ad vitam vitæ ob aliquod animi corporisve insanabile malum pertæsos, ut ad Hippolytum notavimus. Sic Articum Agrippa, quum ei staret alere morbum desinere, flens atque osculans orabat & obsecrabat, *ne id, quod natura cogeret, ipse quoque sibi acceleraret, & quoniam tum quoque posset temporibus superesse, se sibi suisque reservaret.* Præterea hæc oratio est ad ignavos. Vt Æmilius Paulus mandabat ad Persen: Ἀλλὰ τἀπόρρητα σοὶ πρόσεστιν ὦ ἐπ' ἀνθρώπῳ κακῷ νῦν ἐστιν, ἂν βούλῃ). Et Neroni amici, *ut quamprimum se impendentibus contumeliis eriperet:* tum, *Vsque*

Quod nulla fera est, nullusque gigas,
Jam quis dignus necis Herculeæ
Supereſt auctor, niſi dextra tui?
Herc. Heu qualis intus ſcorpios, quis fervida
Plaga revulſus cancer infixus meas
Urit medullas? ſanguinis quondam capax
Tumidi jecur pulmonis arentes fibras
Diſtendit: ardet felle ſiccato jecur,
Totumque lentus ſanguinem avexit vapor.
Primam cutem conſumpſit, hinc aditus nefas
In membra fecit, abſtulit coſtis latus,
Exedit artus penitus, & totas malum
Hauſit medullas. oſſibus vacuis ſedet.
Nec oſſa durant ipſa, ſed compagibus
Diſcuſſa ruptis mole collapſa fluunt.
Defecit ingens corpus, & peſti ſatis
Herculea non ſunt membra. pro, quantum eſt malum,
Quod eſſe vaſtum fateor? ô dirum nefas!

En

que adeone mori miſerum eſt? Florentinus pro *Si* habet *Sed*, & *majus* pro *necis*: deficit in eodem τὸ *eſt* poſt *fera*: & *Nam* legitur pro *Jam*. Senſum exhibere poſſe videor, de verbis parum confido. Tale quid profatus eſt Chorus: *Sed tuæ laus eſt, venerande, manus, Quod nulla fera nullusque gigas, Nec quis dignus necis Herculeæ Supereſt auctor. invicte, vive.* Aut, *vive, dextra tui.* Si quis hæc commodius, vicerit. *Gronovius.*

1218. *Eheu quis intus*] Legunt, inquit ille, ex MS. ſuo: *Heu qualis intus*, &, *Plaga revulſus*: placet niſi quod retineo *Plaga reverſus*. Ergo & Gruterus, etſi blandiatur leviter Lipſiani codicis ſcriptura, alterum retinet: & pro priore facit: *Heu heu quis intus*. Sed Lipſianum omne confirmat Florentinus, & præterea facit *Scorpios*. Vnum terminatione Græca, an voluit *Scorpio*. Idem. *Fervida*] E Zodiaco, in quem Iuno Cancrum tranſtulerat. Thyeſt. v. 852. in pœnas meas reverſus. *Farnabius.*

1220. *Tumidi jecur pulmonis*] Forte, *decus*. Ille decens Herculeum corpus pulmo, ille ſanguinis quondam capax, diſtendit fibras arentes. *Gronovius.*

1223. *Lentus ſanguinem avexit vapor.*] Fortaſſis, *excoxit*. Sequenti, Flor. *aditum nefas* non *aditus*. Idem. *Vapor*] Calor veneni. *Farnabius.*

1225. *Abſtulit*] Aliquoties jam ante *jecur* nominatum. veriſſime liber, *latus*. In coſtis ipſis, inquit, adeſum, nec jam comparet latus. *Lipſ.*

1226. *Malum*] Nefandum virus. *F.*

1228. *Compagibus*] Nervis, ligamentis, tendonibus. *Idem.*

1230. *Peſti ſatis*] Graſſante veneno. *Idem.*

1232. *Vaſtum*] Cui mala maxima ſemper exilia, minuta, contemtibilia videbantur. *Delr.*

En cernite, urbes, cernite ex illo Hercule
Quid jam superſit. Herculem agnoſcis, pater?
Hiſne ego lacertis colla Nemeæi mali
Eliſa preſſi? tenſus hac arcus manu
Aſtris ab ipſis detulit Stymphalidas?
His ego citatam greſſibus vici feram,
Radiante clarum fronte geſtantem caput?
His fracta Calpe manibus eliſit fretum?
His tot feræ, tot ſcelera, tot reges jacent?
His mundus humeris ſedit? hæc moles mea eſt?
Hæc ne illa cervix? has ego oppoſui manus
Cœlo ruenti? cujus, ô, cuſtos manu
Trahetur ultra Stygius? ô, vires prius

In

1233. *Illo*] Victore, domitore. *Farnabius.*

1235. *His*] *His eliſa jacet moles Nemeæa lacertis, &c.* Idem. *Lacertis*] Sic teſtantur interfectum Theocritus εἰδ. 26. Euripid. in Herc. Fur. & Apollodor. lib. 2. Biblioth. errant pictores, qui Herculem manibus leonis os deducentem pingunt. Advertit Pet. Victor. lib. 4. var. lect. c. 22. *Delr. Spolia Nemeæi mali*] Quid eſt *elidere & premere ſpolia*? Præclare Flor. *Hiſne ego lacertis colla Nemeæi mali Eliſa preſſi?* Apollodorus: περιθεὶς τὴν χεῖρα τῷ τραχήλῳ κατέσχεν ἄρχων, ἕως ἔπνιξε. Suetonius in Nerone volente imitari Herculis facta: *Præparatumque leonem ajunt, quem vel clava vel brachiorum nexibus in Amphitheatri harena ſpectante populo nudus elideret.* Gronovius. *Nemeæi*] Herc. Fu. v. 223. *Farnabius.*

1237. *Aſtris ab ipſis depulit*] Sic quidem & Florentinus. Scripſit tamen auctor *detulit.* Statius lib. 10. *Nullaque tectorum ſubit ad faſtigia, quæ non Deferat haſta virum, perfuſaque cæde recurrat.* Gronovius. *Depulit*] Al. leg. *detulit* Farnabius. *Stymphalidas?*] Her. Fu. v. 243. *Idem.*

1238. *Citatam*] Cervam aureis radiantem cornibus, Herc. Fu. 221. *Farnabius.*

1240. *His fracta Calpe manibus eliſit fretum*] Immo fretum eliſit Calpen, & per eam ſibi pervium fecit juvante Hercule. Scribo igitur, *emiſit.* Mox Flor. *hæc moles mea eſt*; non *mei.* Gronovius. *Calpe*] Bimaris è columnis Herculis una. vide Herc. Fur. v. 236. *Farnabius.*

1242. *His mundus*] Herc. Fur. v. 61. *Hac cœlum cervice tuli?* Farnabius. *Hæc moles*] Hoccine corpus illud meum quondam toroſum? *Idem.*

1243. *Has ego oppoſui manus*] Fortaſſis: *has ego oppoſui moras Cœlo ruenti.* De ipſa cervice vel humeris intelligit. Sequenti etiam Flor. *quis mea cuſtos manu.* Gronovius.

1244. *Cujus*] Quis poſthac Cerberum ab inferis extrahet? *Farnabius.*

1245. *O vires prius In me ſepultæ!*] Flor. quoque ut Lipſianus: *ubi vires.* Hoc extra aleam eſt, quicquid obſtrepat Gruterus. Sed Lipſii diſtinctionem, *ubi vires prius In me? ſepultæ:* etſi laudatam quoque Delrio, haudquaquam fero. Multo minus interpretationem Gruteri, tamquam velit vulgata, ſimulatque vires advocarit Hercules malo iſti depellendo, exſeruiſſe

ſe

In me sepultæ! quid patrem appello Jovem?
Quid per Tonantem vindico cœlum mihi?
Jam jam meus credetur Amphitryon pater.
Quæcumque pestis viscere in nostro lates,
Procede. quid me vulnere occulto petis? 1250
Quis te sub axe frigido Pontus Scythes,
Quæ pigra Tethys genuit, aut Maurum premens
Ibera Calpe littus! ô dirum malum!
Utrumne serpens squallidum crista caput
Vibrans? an aliquod est mihi ignotum malum? 1255
Numquid cruore es genita Lernææ feræ?
An te reliquit Stygius in terris canis?
Omne es malum, nullumque. quis vultus tibi est!
Concede saltem scire, quo peream malo.
Quæcumque pestis, sive quæcumque es fera, 1260
Palam timeres. quis tibi in medias locum

Fecit

se non pauca antehac quasi sopita, quæ ne ipse quidem sibi inesse putaverat. Scio illud Petri Chrysologi serm. 50. *Firmat artus & gressus ad cursum suscitat in vivo cadavere jam sepultos.* Scribo tamen: *ubi vires prius Memet sepultæ?* Vbi sunt vires, quas priusquam ego morerer ac sepelirer, mortuas & sepultas sentio. Hoc necessatio *tò prius* requirere videtur: nam *vires prius* pro *priores*, ut *ante malorum*, minime placet. *Gronovius.*

1247. *Quid per Tonantem vindico cœlum mihi?*] Flor. *vindico cœlum miser?* Et sequenti, *Amphitryon pater.* Gronovius.

1252. *Aut Maurum*] Vnde hoc venenum? à mari Scythico, Boreali aut Atlantico? *Farnabius.*

1256. *Lernææ*] Hydræ. *Idem.*

1257. *An te*] An Aconitum illud es, e Cerberi spuma? *Idem.*

1258. *Omne*] Ex effectu. *Idem.* *Nullumque*] Quia non appares. *Idem.*

1260. *Pestis sæva, quæcumque effera es*] Flor. plane, ut voluit Lipsius: *Quæcumque pestis, sive quæcumque es fera.* Abstineant conjecturas. Ne offendat *sive* semel positum, sic Iustinus lib. 2. cap. 1. *quæ aggerationibus regum, sive Nili trahentu limum, terrarum recentissima videntur.* Ita Mss. & meliores editiones. Nuper addiderunt: *sive exaggerationibus.* Eodem libro cap. 9. recte Freinshemius: *Ducenta millia Persæ eo prælio sive naufragio amisere.* lib. 38. *eosque variis exhortationibus ad Romana bella sive Asiana incitat.* lib. 42. *Captivi ex Crassi, sive Antonii, exercitu recollecti.* Miseret illorum, qui vexant illud, *Palam timeres*, substituendo, *venires, tumeres, timori es.* Quid apertius? Si palam & aperto marte mecum consisteres, non læderes, non terreres; immo ultro timeres & domarere. *Palam* est palam exposita vel opposita. Tacitus 11. ann. *nullis palam neque cognitis mox causis.* id est, nullis, neque tum palam factis neque mox cognitis. *Gronovius.* *Quæcunque pestis*] Ambigit an pestem hanc dicat, an feram aliquam intra se latentem. *Lipsius.*

1261. *Palam timeres*] Non auderes aperto

Fecit medullas? ecce, dirupta cute
Viscera manus detexit, ulterior tamen
Inventa latebra est. ô malum simile Herculi!
Unde iste fletus? unde in has lacrimæ genas?
Invictus olim vultus & nunquam malis
Lacrimas suis præbere consuetus (pudet!)
Jam flere didicit. quis dies fletum Herculis,
Quæ terra vidit? siccus ærumnas tuli.
Tibi illa virtus, quæ tot elisit mala,
Tibi cessit uni. primo, & ante omnes mihi
Fletum abstulisti. durior saxo horrido
Et Chalybe vultus, & vaga Symplegade,
Rictus meos infregit, & lacrimam extulit.
Flentem, gementem, summe pro rector poli,
Me terra vidit. quodque me torquet magis,

No-

aperto me marte aggredi: in ipsis visceribus lates & cruciaris. *Delrius.*

1262. *Ecce dirupta cute*] Flor. *direpta.* Lege, *derepta.* Gronovius.

1264. *Simile*] Invictum, indomitum. *Farnabius.*

1269. *Siccus*] Siccis oculis, non lacrymantibus. *Idem.*

1270. *Tibi illa*] O virulenta pestis. *Idem.*

1272. *Fletum abstulisti*] Non placet Grutero. At placuisset, si meminisset Plauto & Ciceroni *auferre* persæpe esse, impetrare. Mihi non placet, *primo & ante omnes.* Fortasse: *prima in ærumnis mihi Fletum abstulisti.* Gronovius. *Abstulisti*] Extorsisti. *Farnabius. Durior saxo*] Amat Tragicus noster sequi Ovidium, de quo similitudines istas desumpsit ex Metam. *Savior illa freto surgente, cadentibus hordis, Durior & ferro quod Noricus excoquit ignis, Et saxo quod adhuc vivum radice tenetur.* Fabr.

1273. *Symplegade*] Hercul. Fur. v. 1210. Med. v. 341. *Farnabius.*

1274. *Et lacrimam extulit.*] Hoc quidem improbum. Delrius e quibusdam notat *extudit.* Flor. *expulit.* Queritur Gruterus hæc valde esse hiulca, nec juvare Mss. nisi quod unus, *virtus* pro *vultus.* Sed hic nihil juvat: nam *durus* ille *vultus* ipsius Alcidæ est. Sic Hercule Fur. *hic durus malis Lacrimare vultus nescit.* Videtur fuisse: *durior saxo horrido Et chalybe vultus & vaga Symplegade Suum rigorem infregit, & lacrimam expulit.* Vel, *exspuit.* Nisi, *Rictus suos infregit*, eodem sensu dixit: nam & sic supra v. 1167. *truci rictu Gyges.* Gronovius.

1275. *Summe pro rector poli*] Sic habere libros aut *prospector*, testis Gruterus: Lipsianum *pro rector*, quod jam occupet edd. recentiores: non suam, quod nullus adstipuletur liber alius. Tanto hercle pejor quivis alius. Nam etsi nullus esset vetus liber, nec Lipsianus id ostentaret, tamen proclive erat divinare *pro rector* legendum, ut vere ait Scaliger. Sed quid ipsi in mentem venit, quum se unquam concessurum negat, *summe pro rector*, recte posse dici? & corrigit, *summa?* Mirifice interdum festinat & defungitur. Florent. quoque: *summe pro rector poli.*

Atque

Noverca vidit. urit ecce iterum fibras,
Incaluit ardor. unde nunc fulmen mihi?
Chor. Quid non poſſit ſuperare dolor?
Quondam Getico durior Æmo,
Nec Pharrhaſio lenitor axe,
Sævo ceſſit membra dolori:
Feſſumque movens per colla caput
Latus alterno pondere flectit.
Fletum virtus ſæpe reſorbet.
Sic Arctoas laxare nives,
Quamvis tepido ſidere Titan
Non tamen audet, vincitque faces
Solis aduſti glaciale jubar.

HER-

Atque in eo acquieſcendum. *Gronovius.*

1278. *Fulmen*] Quo peream. *Farnabius.*

1280. *Æmo*] Thracio monte. *Id.*

1281. *Nec Parrhaſio*] Videtur ſcribendum; *Et Parrhaſio.* Nam *lentus*, qui non commovetur facile ira, amore, dolore: durus, & immitis, cui æs triplex circa pectus, ut loquitur Scioppius in Veriſ. quem vide. Cicero lib. 2. de Orat. *Huic generi contrarium eſt ridiculi genus patientis ac lenti: ut quum Cato percuſſus ab eo, qui arcam ferebat, quum ille diceret, Cave, rogavit, num quid aliud ferret præter arcam.* Gronovius. *Parrhaſio*] Septentrionali, juxta quem Calliſtho è Parrhaſia urbe Arcadiæ in urſam verſa, cum filio Arcade. Herc Fur. v. 129. *Farnabius.*

1286. *Fletum virtus ſæpe reſolvit.*] Aut valde falli aut ex reipſa & ſequenti imagine legendum, *reſorbet*, ſcripſit Lipſius. At ego aut valde fallor, aut ille maluit, quod ex libro nobis expenſum ferre poterat, conjecturæ ſuæ videri. Itaque luit pœnas. Ecce amicus ejus: *Reſolvit*, eſſe metaphoram à nivibus ſumtam: ſicut ſolis tepor in aquam, ita ab luctu fletum reſolvi in lacrimas; hanc ſententiam, ſi cum Mog. & Mss. legas *luctus*: ſin cum impreſſis *virtus*, fletum fluere paratum abſumi à virtute & à robore animi abſorberi: vereri, ne quid mendi ſubſit: nam quoſdam & *latum virtus*. quoſdam, *fletum virtus*. quoſdam *fletum luctus*. Abreptus hoc quoque torrente Gruterus affert è quibuſdam: *Fletum victus*: tentat, *Fletum luctus*. De Lipſiano altum ſilentium, niſi quod tandem Gruterus, tempus fuiſſe cum ſuſpicaretur Lipſianum ſecutus auſpicium, *Fletum virtus ecce reſorbet*. Ocius hæc inducite omnia, ô optimi: & verbo accipite legendum eſſe: *Fletum virtus ſæpe reſorbet*. Totidem literis Florentinus. Et eſt, quod M. Seneca, *introrſus agere lacrimas*. Sæpe virtutis ſuæ memor ſiſtit lacrimas jam erumpentes & quaſi retrahit. *Gronov. Fletum*] Lacrymas jam dolore fluere paratas animi robur abſumit: non ſecus ac glaciem ſtringit frigus Boreale, nec à Solis radiis ſolvi patitur. *Farnabius.*

1289. *Vicitque faces Solis aduſti Glaciale jubar.*] Nihil differt Flor. ab omnium aliorum librorum, niſi quod *vincitque*. Præterea legendum eſt, *adulti*, ut vidit olim Zinzerlingus. *Glaciale*

HERCULES. ALCMENA.

Lamentantem Herculem ſolatur Alcmena.

Herc. Converte vultus ad meas clades, pater.
Nunquam ad tuas confugit Alcides manus.
Non, cum per artus hydra fœcundum meos
Caput explicaret. inter infernos lacus
Poſſeſſus atra nocte cum Fato ſteti;
Nec invocavi. tot feras vici horridas,
Reges, tyrannos; non tamen vultus meos
In aſtra torſi. ſemper hæc nobis manus
Votum ſpopondit. nulla propter me ſacro
Micuëre cœlo fulmina. hic aliquid dies
Optare juſſit. primus audierit preces,
Idemque ſummus. unicum fulmen peto.
Giganta crede. non minus cœlum mihi
Aſſerere potui. dum patrem verum puto,
Cœlo peperci. ſive crudelis pater,
Sive es miſericors, commoda gnato manum.
Propera ante mortem, & occupa hanc laudem tibi.

Vel,

eiale jubar eſt ſplendens nitenſque glacies, ut acceperunt omnes. At Grutero nunquam perſuadebunt id Latine dictum. At nos nunquam de illo dubitavimus. *Galeæ jubar* apud Statium. *Gronovius. Faces*] *Glaciale jubar*, id eſt, ſplendor aquæ in glaciem pellucidam induratæ non diſſolvitur ſole. *Farnabius.*

1293. *Caput explicaret*] Ita rurſus poſtliminio ſcribendum putavi, auctoribus mſſ. noſtris, imo ratione ipſâ. Antea invectum erat, *Caput implicaret*; placuitque viris hatum artium primis. At capita Hydræ non ita exoſſa & juncea, ut circumvolverent atque amplecterentur Herculem, ut ipſi interpretantur. non: Hydra ſeptem illis capitibus hinc inde erectis eum circumvallabat quaſi quâdam ſagenâ. *Gruterus.*

1296. *Non tamen*] Non implorans opem tuam ſuſpexi. *Farnabius.*

1298. *Votum*] Certam fecit victoriæ ſpem. *Idem. Propter*] In omen, aut auxilium meum qui ipſe tui fulminis vice fuerim. Sup. 1143. *Idem.*

1302. *Giganta*] Crede me eſſe unum è gigantibus, fulminaque, nam ego his potentior cœlum perfringere potui, niſi peperciſſem, quod te verum mihi patrem credidiſſem. *Idem.*

1305. *Manum*] Fulminantem. *Id.*

1306. *Propera ante mortem*] Flor. *Properante morte.* Forſan: *Properato mortem & occupa hanc laudem tibi.* Virgilius lib. 9. *& pulcram properet per vulnera mortem.* Tacitus 2. ann. *niſi volun-*

Vel, si piget, manusque detrectat nefas,
Emitte Siculo vertice ardentes, pater,
Titanas in me, qui manu Pindum ferant,
Aut te, Ossa, qui me monte projecto opprimant.
Abrumpat Erebi claustra, me stricto petat
Bellona ferro. mitte Gradivum trucem;
Armetur in me dirus; est frater quidem,
Sed ex noverca. tu quoque Alcidæ soror
Tantum ex parente, cuspidem in fratrem tuum
Jaculare, Pallas. supplices tendo manus
Ad te, noverca. sparge tu saltem, precor,
Telum. perire fœminæ possum manu.
Iam fracta, jam satiata, quid pascis minas?
Quid quæris ultra? supplicem Alciden vides.
Et nulla tellus, nulla me vidit fera
Te deprecantem. nunc mihi iratâ quidem
Opus est noverca. nunc tuus cessat dolor.
Nunc odia ponis. parcis, ubi votum est mori?

O

voluntariam mortem properavisset. Gronovius. *Occupa*] Præripe necis meæ laudem mulierculæ. *Farnabius.*

1308. *Siculo*] Typhoëa, Enceladum, Titanasque alios Ætnæ subjectos. *Idem.*

1311. *Abrumpe & Erebi claustra.*] Lege cum Fl. *Abrumpat Erebi claustra, me stricto petat Bellona ferro.* Hujus enim est abrumpere claustra Erebi & inde emergere. Petronius: *At contra sedes Erebi qua rupta dehiscit, Emergit late Ditis chorus, horrida Erinnys, Et Bellona minax.* Gronovius. *Erebi*] Inferni Ætnæ subjectos. *Farn.*

1312. *Bellona*] Agam. v. 81. *Idem. Gradivum*] Martem, à gradiendo in bello ultro citroque: sive à κραδάω vibro. aliis quidem grandem divum. *Idem.*

1313. *Et frater quidem*] Flor. *est frater quidem*: ut ex suis Gruterus. *Gronovius. Frater*] Vid. Hercul. Fur. v. 906. Martem autem concepit Iuno tacto flore in campis Oleniis. *Farn.*

1314. *Alcidæ*] Pallas è cerebro Iovis nata. εὐπατέρεια patrima virgo, ἀμήτωρ. *Farnabius.*

1315. *Fratrem*] Me. *Idem.*

1316. *Pallas*] Apud Sophoclem quoque in Trachiniis, Hercules Palladis opem implorat. *Delr.*

1319. *Quid pascis minas?*] Vereor ne fuerit: *quid parcis minis?* Cur non exsequeris, quod sæpe minata es. *Gronovius.*

1322. *Nunc mihi irata quidem*] Fl. *irata pater.* An *parum.* Non ira illa vehementi, quæ tot horrida & aliis invicta monstra produxit, succensam: quamvis leviter commota potest me nunc seminecem conficere. Plautus Curculione: *Non ego nunc mediocri incedo iratus iracundia, Sed eapse illa, qua excidionem facere condidici oppidis.* Idem.

1325. O

O terræ & urbes! non facem quisquam Herculi,
Non arma tradet? tela subtrahitis mihi.
Ita nulla sævas terra concipiat feras
Post me sepultum. nec meas umquam manus
Imploret orbis. si qua nascetur fera,
Nascatur alius. undique infelix caput
Mactate saxis, vincite ærumnas meas.
Ingrate cessas orbis? excidimus tibi?
Adhuc malis ferisque suppositus fores,
Ni me tulisses. vindicem vestrum malis
Eripite, populi. tempus hoc vobis datur.
Pensate merita. mors erit pretium omnium.
Alcm. Quas misera terras mater Alcidæ petam?
Ubi natus, ubinam est? certa si visus notat,
Reclinis ecce corde anhelanti æstuat.
Gemit. peractum est. membra complecti ultima,
O nate, liceat. spiritus fugiens meo

Le-

1325. *O terræ & urbes*] Flor. *terra.* Gronovius.

1327. *Ita nulla*] *Optantis & imprecantis est*, &c. ut. *Farnabius.*

1329. *Si qua nascetur fera Nascatur alius*] Flor. *si qua nascentur mala.* Hoc quidem expeditum; sed quid sibi vult idem, quum subjungit, *Nascetur odium undique &.* Numquid, *Nascantur hodie. aut undique.* Gronovius. *Alius*] Alius Herc. vindex. *Farnabius.*

1331. *Vincite*] Interficiendo liberate me ærumnis. *Farnabius.*

1335. *Vindicem vestrum malis Excipite*] Lipsius & priori versui bene consuluerat, hic legebat: *malis Eripite.* Nihil illi de utroque, sed ex priore sumunt occasionem invehendi in Lipsiensem editionem: in posteriori: *Excipite*, eripite; sæpe enim hoc significat. Hic cessant ingentia commentariorum spatia. Proferant exemplum vel unum. Nemo unquam veterum dixit *excipere malo*, pro liberare & eripere ex eo, quo quis jam premitur. Præterea Florent. plane: *Eripite.* Et statim: *vobis datur Pensare merita.* Quasi sit ad pensanda merita. *Gronovius. Tempus*] Exolvendi vos ingrati animi labe. *Farnabius.*

1338. *Certa*] Res certas. *Idem.*

1339. *Corde anhelanti*] Cor per arteriam venosam, aërem refrigerantem, quem pulmones misere, recipit, teste Aristotel. l. 3. de partibus animal. quare cum superius dixerit pulmones vi veneni exaruisse, profecto consequebatur, quod subjungit, æstuantis cordis suspirium, & quasi suffocatio. *Delr.*

1341. *Spiritus*] Ex veterum consuetudine, apud quos proximiores, eorumque defectu ut quisque amicior exspirantem deosculabantur, & corpus corpori, vultum vultui imponebant, quasi excepturi ore fugientem animam. Cicero in Verrem: *filiorum suorum supremum spiritum ore excipere liceret.* Virgilius 4. Æneid. *& extremo si quis super halitus errat Ore legam.* In mortem Drusi: *excipiat hanc animam ore pio.* Idem.

1342. *Bra-*

Legatur ore. brachia in amplexus cape.
Ubi membra sunt? ubi illa, quæ mundum tulit,
Stelligera cervix? quis tibi exiguam tui
Partem reliquit? *Herc.* Herculem spectas quidem,
Mater; sed umbræ simile nescio quid mei
Agnosce, mater. ora quid flectis retro,
Vultumque mœrens? Herculem dici tuum
Partum erubescis? *Alcm.* Quis feram mundus novam,
Quæ terra genuit? quodve tam dirum nefas
De te triumphat; Herculis victor quis est?
Herc. Nuptæ jacentem cernis Alciden dolis.
Alcm. Quis tantus est, qui vincat Alciden, dolus?
Herc. Quicumque, mater, fœminæ iratæ sat est.
Alcm. At unde in artus pestis aut ossa incidit?
Herc. Aditum venenis palla fœmineis dedit.
Alcm. Ubinam ipsa palla est? membra nudata intuor.
Herc. Consumpta mecum est. *Alcm.* tantane inventa est lues?
Herc. O mater, hydram, & mille cum Lerna feras
Errare mediis crede visceribus meis.

Quæ

1342. *Brachia in amplexus*] Flor. *brachia & amplexus.* Grotius: *brachia amplexu cape.* Gronovius.

1346. *Sed umbræ simile nescio quid*] Lipsius verat damnari scriptum: *sed umbram & vile nescio quid mei.* Id ita oblique contemnunt: nescio quid membrorum restat vero corpori dissimile, umbræ corporis simile, quod esse videatur, non sit: nec se videre cur damnetur. Hoc nimirum nesciebat Lipsius. Alterum vero damnaverat hactenus, ut recens antiquo, meliori qualecumque cedere juberet: non quasi non posset explicari. Et subsidiatur illi Florentinus, *qui umbretvile.* Sed umbram, inquit, ipsum jam, jam adumbratum & evanidum, & aliquid vile mei, quod pœne quo nomine appellem nescio: nam illud quod erat nobile, quod verum faciebat Herculem, animus & robur, periit. Cogitabam etiam: *Herculis spectas quidem, Mater, sed umbram, & vile nescio quid tui. Agnosce, mater.* Gronovius.

1348. *Vultumque mœrens*] Fl. *Vultumque mergis*: id est, vel demittis ac dejicis, vel demissa palla obtegis & velas. Sic *mergere caput* in re fœdissima. *Gronovius.*

1352. *Nuptæ*] Deianiræ. *Idem.*

1354. *Mater*] O mater. *Farnabius.*

1355. *At unde in artus*] Fl. *Et unde.* Interrogativum, ut Virgilio: *Et quæ tanta fuit Romam tibi causa videndi?* Gronovius.

1360. *Errare mediis crede*] Fl. quoque *crede.* Gronovius. *Credo*] Al. *crede.* Farnabius.

Quæ tanta nubes flamma Sicanias bibit?
Quæ Lemnos ardens? quæ plaga igniferi poli,
Vetans flagranti currere in zona diem?
In ipsa me jactate, pro comites, freta,
Mediosque in amnes. qui sat est Ister mihi?
Non ipse terris major Oceanus meos
Frangit vapores. omnis in nostris malis
Deficiet humor, omnis arescet latex.
Quid, rector Erebi, me remittebas Jovi?

Decuit

1361. *Flamma Sicanias bibit?*] Flor. *Quæ tanta nubes flamma Sicanias secat?* ingreditur, transit. Idem mox: *quæ plaga igniferi poli.* non *inferni.* Gronovius. *Sicanias*] Siculas, Ætnæ supervolitantes, q. d. non Ætna flammas eructans.

1362. *Quæ Lemnos ardens?*] Non Lemnos Ægæi maris insula Vulcano sacra crebris æstuans incendiis. *Farnabius.* Lemnos Ægæi maris insula Vulcano sacra, de qua multa Valerius lib. 2. Argonaut. & Statius lib. Thebaid. crebra ejus incendia, fumosum, nigrantemque aërem describentes. sunt, qui veterum quosdam secuti, putent etiam vocari, Æthalen, Hypsipylæan, Berenicen, Macrim, & Chium. nescio an recte. nam, quod ipsi non diffitentur, Livius lib. 37. Chium, Æthaliam, & Macrim, totidem diversas insulas facit; & Dionysius Periegetes Macrim & Chium à Lemno apertissime distinguit. Vulcani officinam in Lemno ponit Cicero lib. 3. de Nat. Deor. Ex hac adfertur terra illa nobilis, quam *sigillatam* vocant. de qua multa Thevetus lib. 8. Cosmograph. lib. 11. & meminerat olim Myrsilus lib. 1. Lesbicorum, teste Natali lib. 2. Mythol. cap. 6. *Delrius. Plaga igniferi poli*] Non plaga torrida majori ardet igne, quam pectus meum. alii leg. *Inferni* & Pyriphlegethonta intelligunt. *Farnabius.* Egregius locus veteris Astrologiæ, quæ putabat semper diem stare & nunquam currere sub ardenti plaga. Ausonius: *Semper ubi æterna vertigine clara nitet lux.* Et Seneca infra: *Et omnis ardens ora quam torret dies.* Scilicet perpetuus. Alioqui ubicumque est dies ibi essent torridæ plagæ. *Scaliger.*

1363. *Zona*] Fragmentum Varronis: *Mundus domus est maxima rerum, Quam quinque altitonæ fragmine Zonæ Scindunt: per quas limbus pictus Bis sex signis stellimicantibus Altus in obliquo æthere, lunæ Bigas acceptat.* Sed ex illis quinque, Η δὲ μία ψαφαρήτε ἐκπυρος οἷον ἐρυθρὴ, τυπτομένη φλοσμοῖσιν· ἐπεὶ ῥᾷ μοῖραν ἐπ' αὐτὴν Κεκλιμένην ἀκτῖνες ἀεθέρεες πυρόωσιν, ut canit Eratosthenes: hoc est, una sabulosa torridaque ac rubens, verberata flammis, quoniam partem eam sibi subjectam perpetuo ardentes radii torrent. *Delr.*

1365. *Ister*] Fl. Europæ max. *Farnabius. Mihi*] Ad me refrigerandum. *Idem.*

1366. *Terris major*] Quia putabant mare tellurem circumcingere, quæ fuit opinio Aristotelis in lib. de mundo ad Alexand. Q. Metelli & Cornelii Nepotis apud Melam lib 3. cap. 5. vide inf. Oedip. vers. 504. *Delr.*

1367. *Vapores*] Calores, ardores. *Farnabius.*

1369. *Rector Erebi*] Sophocleus etiam Hercules Plutonem invocat. *Delr.*

1371. *Ta-*

Decuit tenere. redde me tenebris tuis.
Talem ſubactis Herculem oſtende inferis,
Nil inde ducam. quid times iterum Herculem?
Invade mors non trepida. jam poſſum mori.
Alcm. Compeſce lacrimas ſaltem, & ærumnas doma,
Maliſque tantis Herculem indomitum refer,
Mortemque vince. quod ſoles, vince inferos.
Herc. Si me catenis horridus vinctum ſuis
Præberet avidæ Caucaſus volucri dapem,
Scythia gemente, flebilis gemitus mihi
Non extitiſſet. ſi vagæ Symplegades
Utraque premerent rupe, redeuntis minas
Ferrem ruinæ. Pindus incumbat mihi
Atque Æmus, & qui Thracios fluctus Athos
Frangit, Joviſque fulmen excipiens Mimas.
Non ipſe ſi in me, mater, hic mundus ruat,
Superque noſtros flagret incenſus rogos
Phœbeus axis, degener mentem Herculis
Clamor domaret. mille decurrant feræ,

Pari-

1371. *Talem*] Affictum, miſerum. *Farnabius.*

1372. *Nil inde*] Vt olim Cerberum. *Idem.*

1376. *Mortemque vince*] Flor. *Mortemque diſſer* Gronovius.

1377. *Si me*] Si viderem hoſtem, ſciremque quid me cruciaret, &c. *Farnabius. Catenis*] Vt Prometheum. Hercul. Fur. v. 1206. *Idem.*

1378. *Præberet avidæ Caucaſus*] Fl. *aliquæ.* Quaſi velit, *aquilæ Caucaſus volucri dapem. Volucri* accipe, non ut pro ave accipitur, ſed pro participio *volanti.* ita enim fingitur laceraſſe Promethea. *Gr. novius.*

1379. *Scythia gemente*] Ipſis Scythis mei commiſerentibus. *Farnabius.* In ſequenti verſu elegantius legeretur *excidiſſet.* Delrius.

1380 *Si vagæ*] Herc. Fur. v. 1210. *Farnabius.*

1382. *Ferrem*] Sine queſtu aut gemitu. *Idem. Pindus*] Mons Theſſ. *Idem.*

1384. *Tonantis fulmen excipiens Jovis*] Lipſii codex, *Joviſque f. exc. minas:* unde ille *fulmen excipiens Mimas.* Amici ejus contra, celſiſſimam Athon, Mimanta vero multo humiliorem, minuſque noſtro in ore: denique Mss. omnes quos viderit, & omnes excuſos vulgatam veram & germanam deputare. At Florentinus non modo remittit conjicere, ſed præterea: *Joviſque fulmen excutiens Mimas.* Quod eſt exceptum repellens, repercutiens. *Gronovius. Joviſque*] *Feriunt enim ſummos fulmina montes.* Farnabius.

1386. *Flagret incenſus rogos*] Flor. *toros*, id eſt, lectum, in quo jacebat. *Gronovius.*

1387. *Phœbeus axis*] Solis currus. *Idem.*

Pariterque lacerent: hinc feris clangoribus
Ætherea me Stymphalis; hinc taurus minax
Cervice tota pulset, & quidquid furit.
Solum quoque ingens surgat, hinc illinc fremens,
Artusque nostros dirus immittat Sinis.
Sparsus silebo. non feræ excutient mihi,
Non arma gemitus. nil, quod impelli potest.
Alcm. Non virus artus, nate, fœmineum coquit;
Sed dura series operis; & longus tibi
Pavit cruentos forsitan morbos labor.
Herc. Ubi mors? ubi illa? testis est aliquis mali?
Intendat arcus. nuda sufficiet manus.
In orbe mecum veniat huc aliquis mihi.

Pro-

1390. *Stymphalis*] Herc.Fur. v.242. *Farn. Taurus*] Agam. v. 827. *Idem.*

1391. *Quicquid furit.*] Nescio quid hic olim Delrius in Adversariis: delevit enim & in Commentariis ait se retractare. Tamen depravatum est. Quid enim, *surgat solum?* Flor. *quicquid fuit:* dein, *magis urgent hinc & illinc nemus.* Scribe: *& quicquid fuit Solum quoque ingens, surgat hinc illinc simul.* Quæ monstra singula quoque terribilia fuerint, junctim ab omni parte me adsiliant. *Gronovius.*

1393. *Dirus imminuat dolor*] Fatuum hoc, etsi centum confirmetur libris. Solus aruspex ille Tuscus hoc ostentum procurat. habet enim: *dirus immittat cinis.* Scribe: *dirus immittat Sinis.* Pityocamptes scilicet ille alligatos arbori flexæ remittat & distrahi faciat. Ideo sequitur *Sparsus*, quod est discerptus, non humi stratus, ut interpretantur. Hippolyto: *membra quis sævus Sinis, Aut quis Procrustes sparsit.* Gronovius.

1395. *Quod impelli*] In quod vires exercere potero cum victoriæ spe. *Farnabius.*

1397. *Sed dura series operis*] Ineptissimi illi codices cum suo *duro serpente.* Nihil altero sanius. At quod sequitur, *Favet cruentis forsitan morbis dolor*, merito turbant. *Fovet* illi vel *fovetur.* At Florentiæ, *Pavit*, dein, *morbos labor.* Repone ergo: *& longus tibi Pavit cruentos forsitan morbos labor.* Qui multis ærumnis & incommodis jactantur, nec curam possunt adhibere corpori, plerumque graves morborum causas colligunt. Hoc etiam Alcmena nunc interpretatur evenisse filio. *Gronovius.*

1400. *Nuda*] Inermis. *Farnabius.*

1401. *In orbe mecum veniat*] In aliis Mss inquit Delrius: *In orbe veniat, veniat huc:* orta hæc varietas, quia in quibusdam Mss. tantum, *In orbem veniat huc aliquis mihi:* unde typographi tibicinem addidere carmini alii alium. Sic ille. At Scaliger, *in orbe venire* putat usurpare auctorem pro eo quod Græci ὁμόσε χωρεῖν, cominus pugnare, manus conserere. Ita illudunt corruptæ scripturæ summorum virorum ingeniis. Prodigiose vitiatum locum ostendit Florentinus duobus etiam versibus transpositis. Sic ibi: *Vbi morbus? ubinam est desine adhuc aliquid mali In orbe.* Scribo: *Vbi morbus? ubinam est? estne adhuc aliquid mali In orbe? veniat, veniat huc aliquis mihi En tradat arcus. nuda sufficiet manus. Procedat, agedum, huc.* Vel, *Vbi morbus?*

Procedat, agendum, huc. *Alc.* Hei mihi, ſenſum quoque
Excuſſit ille nimius impulſum dolor.
Removete, quæſo, tela, & infeſtas, precor,
Rapite hinc ſagittas. igne ſuffuſæ genæ
Scelus minantur. quas petam latebras anus?
Dolor iſte furor eſt. Herculem ſolus domat.
Cur deinde latebras aut fugam vecors petam?
Obire forti meruit Alcmene manu.
Vel ſcelere pereat, ante quam letum mihi
Ignavus aliquis mandet, ac turpis manus
De me triumphet. ecce, laſſatus malis
Sopore feſſas alligat venas dolor,
Gravique anhelum pectus impulſu quatit.
Favete, ſuperi. ſi mihi gnatum inclitum
Miſeræ negatis; vindicem ſaltem precor
Servate terris. abeat excuſſus dolor,
Corpuſque vires reparet Herculeum ſuas.

HYL-

bus? ubinam peſtis? eſtne aliquid mali Adhuc in orbe? veniat huc, &c. Ne quis putet nudam manum dici cum arcu, ſciendum primo quidem poſcere illum arcus, dein quaſi mutato conſilio, & ne exſpectato quidem, dum tradantur, dicere: *nuda ſufficiet manus.* Gronovius.

1403. *Nimius impulſus dolor.*] Lipſianus, Gruterianus, Flor. *impulſans.* Delrius *nimius impulſu.* Sed in præcedenti Flor. quoque *ſenſum*, quemadmodum & Heinſianus. Lege igitur: *ſenſum quoque Excuſſit illi nimius impulſum dolor.* Labefactatum, everſum. *Idem.*

1405. *Igne ſuffuſæ genæ*] Flor. *ſuffuſo.* Idem. *Igne*] Rubore, ſanguine, ardore. *Farnabius.*

1406. *Qua fuga latebras petam?*] Florent. *quas etiam latebras anus.* Scribe: *quas petam latebras anus?* Gronovius.

1409. *Obire forti meruit*] Gruterus ſeptem Pall. obſervat habere, *meminit*; duos tantum accedere nupere vulgato *meruit*: quod videri etiam damnaſſe cum Mss ſuis Delrium. Si fecit, lapſus eſt. nam Florent. *meruit.* Gronovius.

1412. *Ecce,*] Act. 4. Herc. Fur. v. 1043. *Farnabius.*

HYLLUS. ALCMENA. HERCULES. PHILOCTETES Muta Persona.

Reversus Hyllus nunciat Herculi, Deianiram, postquam se Nessi dolo deceptam comperisset, sibi mortem consciviss'e.

Hyl. Prô lux acerba, prô capax scelerum dies!
Nurus Tonantis occidit. natus jacet.
Nepos supersum. scelere materno hic periit;
Fraude illa capta est. quis per annorum vices,
Totoque in ævo poterit ærumnas senex
Referre tantas? unus eripiet dies
Parentem utrumque, cætera ut fileam mala,
Parcamque fatis, Herculem amitto patrem.
Alcm. Compesce voces inclitum Alcidæ genus,
Miseræque fato similis Alcmenæ nepos.
Longus dolorem forsitan vincet sopor.
Sed ecce lassam deserit mentem quies,
Redditque morbo corpus, & luctus mihi.
Herc. Quid hoc? rigenti cernitur Trachin jugo.
Et inter astra positus evasi genus

Mor-

1419. *Prô capax scelerum dies!*] Raphelingius è conjectura correxit: *prô capax scelerum dies.* Quo contempto Delrius interpungit: *prô capax scelerum! dies!* Gruterus dolorem facit scelerum capacem, quod ejus impulsu Deianira fecerit duplex scelus & maritum & seipsam occidendo. Acute: sed Raphelingianum sancit Florentinus. *Gronovius.*

1420. *Nurus*] Deianira. *Farnabius.*

1421. *Nepos*] Hercules. *Idem.*

1424. *Vnus eripiet dies*] Flor. *eripuit.* Etsi enim luctabatur adhuc cum morbo Hercules, tamen pro depositio habebatur. *Gronovius. Vnus eripiet*] In Sophoclis Trachiniis, non quidem hoc ipse Hyllus queritur, sed nutrix introducitur inquiens: Κλαίων ὀδ' ἥκει δεῦρο· καὶ πατρὸς τ' ὀνείνης τ' ἀρφανιζόμεσθα βίᾳ. *Delrius.*

1428. *Miseraque fato simili*] Al. *nato.* Scribe: *Miseraque, patri simili, Alcmenæ nepos* Quamquam istud possit explicari, juxta orbus. *Gronovius. Miseraque*] Æque miser, atque ego. *Farnabius.*

1429. *Longus*] Tantisper ergo dormiat quoad concoxerit pernicioſum hunc humorem, qui furoris causa. Hercul. Fur. 1077. *Idem.*

1431. *Morbo*] Dolori, seu furori. *Idem. Et luctus quoque*] Flor. *luctum.* Gronovius.

1432. *Quid hoc*] *Discusso sopore, Hercules apotheosin suam velut extasi raptus cernere videtur, seu propinqua morte vaticinatur.* Farnabius. *Trachin*] Supra v. 135. *Idem.*

1437. *Cæle-*

Mortale tandem. quis mihi cœlum parat?
Te te, pater, jam video: placatam quoque
Specto novercam. qui sonus nostras ferit
Cœlestis aures? Juno me generum vocat.
Video nitentem regiam clari ætheris,
Phœbique tritam flammea zonam rota.
Cubile video noctis. hinc tenebras vocat.
Quid hoc? quis axem cludit, & ab ipsis, pater,
Deducit astris? ora Phœbeus modo
Afflabat axis. tam prope à cœlo fui.
Trachina video. quis mihi terras dedit?
Modò nempe me infra steterat, ac totus mihi
Suppositus orbis. tam bene excideras, dolor.
Cogis fateri. parce, & hanc vocem occupa.
Hæc, Hylle, dona matris. hoc munus parat.

Utinam

1437. *Cœlestis*] E Pythagoræorum sententia, qui concentum quendam & harmoniam effici corporum cœlestium motu credebant. *Farnabius. Generum*] Hebe mihi desponsa. *Idem.*

1438. *Video nitentem*] Vett. *intentam.* unde Lipsius: *Videone tersam:* Delrius, *micantem* vel *patentem.*

1439. *Tritam*] Zonam torridam. *Farnabius.*

1440. *Cubile*] *Redditus terris videtur.* Idem. *Hinc tenebras vocat*] Flor. *hinc tenebræ vocant.* Gronovius.

1441. *Et ab ipsis, pater, Deducor*] Pal. uni abest particula, *ab:* unde Gruterus, si sui esset arbitrii aliquid innovare, fecerit: *ab ipsis, pater.* aut *hei ipsis.* Remittit illi curam Florentinus exhibendo: *Deducit astris.* mox idem *à cœlo*, ut Lipsianus: sed paullo ante: *video nitentem.* Gronovius.

1443. *Afflabat axis, tam prope*] In eodem suo delirio hæc enuntiat & eidem rei. Hem, inquit, ubi ego nunc? iterum in terris? paulo ante juxta Phœbum. *Lipsius. Tam prope*] Ita Hercul. Fur. v. 977. *Farnabius.*

1445. *Modo nempe me infra*] Flor. *Oetee modo inferas te peracto tutus fuit.* Scribe: *Oete modo infra steterat ac totus fuit Suppositus orbis.* Non est mirum, quum videretur sibi è cœlo despicere inferiora, potissimum apparuisse falso visui Oeten, in qua erat. *Gronovius.*

1446. *Excideras*] Mihi modo in cœlos per extasin rapto. *Farnabius.*

1447. *Cogis fateri*] Nempe, ô dolor, me victum & imparem tibi. Hinc reversus ad se, *parce*, inquit, ô miser, & tolerantia tua tam turpem confessionem anteverte: priusquam talis vox excidat tibi, te comprime. Inde Hyllum alloquitur: ut vaga subjicit dolor. *Parce*, ut *parcete verbis.* Appuleius lib. 1. Miles. *Parce, inquit, in fœminam divinam, ne quam tibi linguæ intemperantia noxam contrahas.* Frustra transponunt versum aut sudant interpretando. *Gronovius.*

1448. *Hæc, Hylle, dona*] Vt moriens Aratus: Ταῦτα, ὦ Κεφάλων, ἐπίχειρα τῆς βασιλικῆς φιλίας. Hippolytus apud Euripidem: Ὦ δῶρα πατρός σου Ποσειδῶνος πικρά. *Idem. Matris*] Tuæ, id est, Deianiræ. *Farnabius.*

 1450. *Qua-*

Utinam liceret stipite ingesto impiam
Effringere animam, quale Amazonium malum
Circa nivalis Caucasi domui latus.
O clara Megara, tunc, cum furerem, mihi
Conjux fuisti? stipitem atque arcus date.
Dextra inquinetur. laudibus maculam imprimam.
Summus legatur fœmina Herculeus labor.
Hyl. Compesce diras, genitor, irarum minas.
Habet. peractum est. quas petis pœnas, dedit.
Sua perempta dextera mater jacet.
Herc. Cœci dolores. manibus irati Herculis
Occidere meruit. perdidit comitem Lichas
Sævire in ipsum corpus exanime impetus
Atque ira cogit. cur minis nostris caret?
Ipsum cadaver pabulum accipiant feræ.
Hyl. Plus misera læso doluit. hinc aliquid quoque
Detrahere velles. occidit dextra sua,
Tuo dolore, plura, quam poscis, tulit.
Sed non cruentæ sceleribus nuptæ jaces,
Nec fraude matris. Nessus hos struxit dolos;
Ictus sagittis qui tuis vitam exspuit.

Cruore

1450. *Quale Amazonium*] Forte, *quali*. Sed & *quale* potest accipi pro *qualiter*. Gronovius. *Amazonium*] Amazonum insolentiam, ipsas Amazonas. Herc. Fur. v. 542. Hippol. v. 397. *Farnabius.*

1452. *Tunc*] Dignior sane fuit Deianira quæ furentis Herculi uxor esset. *Idem.*

1457. *Habet*] Scil. vulnus. Formula à ludo gladiatorio sumpta, ubi si gladiatorum alter vulnus accepisset; acclamabat adversarius & spectatores: *Hoc habet.* Agamemn. v. 895. *Idem.*

1459. *Cæci dolores*] Florent. *Recte dolores*. Grotius: *Casti dolores*. Gronovius.

1460. *Perdidit comitem*] Interpretationes aliorum non faciunt ad meum stomachum. Puto Herculem innuere, se simile letum illaturum fuisse Deianiræ, quale intulerat Lichæ, nisi ipsa præoccupasset fatum: Licham igitur perdidisse comitem. *Grut.* Sic Troad. v. 308. *Paremque poscit Priamus.*

1464. *Plus misera*] Plus vel te, quem læsit. *Idem.*

1465. *Huic aliquid quoque Detrahere velles*] Ut potissima pars Pall. & Florentinus: *hinc aliquid quoque.* Statim idem: *occidit dextra sua, Tuo dolori.* Gronovius. *Huic aliquid*] Al. *hinc*, i. doloris sui aliquid. *Farnabius.*

1466. *Tuo dolore*] Quem de te conceperat, dolore. *Idem.*

1469. *Sagittis qui tuis vitam expulit*] Haud dubie, *exspuit*, ut supra: etsi sic quoque Florentinus: vulgates, *extulit*. Viderit hoc quoque Delrius, & Zinzerlingus. *Gronovius.*

1470. Se-

Cruore tincta est palla semiferi, pater,
Nessusque nunc has exigit pœnas sibi.
Herc. Habet. peractum est. fata se nostra explicant.
Lux ista summa est. quercus hanc sortem mihi
Fatidica quondam dederat, & Parnassio
Cirrhæa quatiens templa mugitu nemus:
„ Dextra perempti, victor Alcide, viri
„ Olim jacebis. hic tibi emenso freta,
„ Terrasque, & umbras, finis extremus datur.
Nil querimur ultra. decuit hunc finem dari,
Ne quis superstes Herculis victor foret.
Nunc mors legatur clara, memoranda, inclita,
Me digna prorsus. nobilem hunc faciam diem.
Cædatur omnis silva, & Oetæum nemus
Suscipiat ignis. Herculem accipiat rogus.

Sed

1470. *Semiferi*] Centauri. *Farn.*

1471. *Sibi*] Suæ necis ultionem. *Idem.*

1472. *Habet. peractum*] Vt paullo ante v. 1457. non, bene habet, quod allinunt. *Habet*, scilicet Hercules κακείων πλαγήν. *Gronovius. Habet, peractum est*] Bene habet, satis est, *Farnabius.* Porro decorum hoc loco nostrin Herculis personæ diligentius servavit, quam Sophocles; qui Herculem, ut intellexit mortem sibi instare, viro forti non satis dignas voces tribuit: Ἰὼ ἰὼ δύστηνος. οἴχομαι πάλαι. Ὤ λαλᾶ, ὀλολαὶ. φέρεσθε κἀμέ γε μοι. Οἰμοῖ. Quis quæso virorum? ejamitto virorum, quæ quæso muliercula tam flebiliter ejularet? *Delrius.*

1473. *Quercus*] Med. v. 349. *Farnabius.*

1475. *Cirrhæa*] Oed. v. 269. *Idem. Mugitu*] Oraculi Delphici responso. *ex adyto Cumæa Sibylla Horrendas canit ambages, antroque remugit.* Idem.

1476. *Dextra*] Ἐμοὶ γὰρ λῶ πρόφαντον ὡς πατρὸς πάλαι, Πρὸς τῶν πανόντων μηδενὸς θανεῖν ὑπο. Ἀλλ' ἥδε φῶς μοι δύστηνος οἰκήτωρ πάλαι. Hæc sunt verba oraculi Dodonæi, quod Herculi olim datum fuit; nempe quod ab hoste defuncto esset interficiendus. *Idem. Victor Alcide*] Casus vocandi est: nam verba sunt oraculi Dodonæi, quod Herculi olim datum fuit; nempe quod ab hoste defuncto esset interficiendus. Verba hujus oraculi nusquam legi, ut & illius quod Tragœdia quinta de Oedipo commemoratur. *Idem.*

1477. *Olim jacebis*] Hæc vox, ut Nonius & Servius scribunt, etiam futurum tempus significat. Sic hic capitur, & apud Virgilium; *Hunc tu olim cœlo spoliis Orientis onustum Accipies secura.* Romæ in quodam marmore Transtiberinæ regionis sculptum est: *Quisquis es, aut olim nostra de stirpe futurus, Sis memor antiqui nominis & tituli.* Delrius.

1481. *Legatur*] Apparetur vel memoretur. *Farnabius.*

1484. *Et Oetæum nemus Suscipiat ignis.*] Malit Gruterus litera interjecta *igneis.* quod habeat Scholiastes. & Mss. sane præferre omnes *ignem.* Sed Flor. *Concipiat.* Lege: *& Oetæum nemus*

Con-

Sed ante mortem, tu genus Pæantium,
Hoc triſte nobis, juvenis, officium appara.
Herculea totum flamma ſuccendat diem.
Ad te preces nunc, Hylle, ſupremas fero.
Eſt clara captas inter, in vultu genus
Regnumque referens, Euryto virgo edita,
Iöle. tuis hanc facibus & thalamis para.
Victor cruentus abſtuli patriam, lares,
Nihilque miſeræ præter Alcidem dedi;
Et iſte rapitur. penſet ærumnas ſuas:
Jovis nepotem foveat, & natum Herculis.
Tibi illa pariat quidquid ex nobis habet.
Tuque ipſa planctus pone funereos, precor,
O clara genitrix. vivit Alcides tuus.
Virtute noſtra pellicem feci tuam
Credi novercam. ſive naſcente Hercule
Nox

Concipiat ignis. vel, *Corripiat.* Gronovius.

1485. *Sed ante mortem*] Dignam Senecâ ſententiam reduxi in Suſpicionibus meis, aliâ diſtinctione; *Herculem accipiat rogus. Sed ante mortem. Tu genus*, &c. Vult enim vivus adhuc comburi. *Gruter. Genus*] Philocteta, Pæantis fil. *Farnabius.*

1486. *Triſte*] Funebre, ut pyram extruat. *Idem.*

1489. *Eſt clara, captas inter incultas,*] Lipſius monuit in Ms. eſſe *incultum*: itaque ſe facere, *inclitum*, & male *Regnum* potius quam *Regum*. Amicus qui tam multa de illo mutuatus eſt, non poteſt hoc pati: ab ſe olim hæc reſtituta: alios eodem modo, ſed occupata. Cæterum neuter habet, cur in illo *inclitum* glorietur, quippe quod ſit contra legem verſus, quam ſibi auctor dixerat. Scaliger, *inter Oechalias*. Florentinus autem: *Eſt clara captas inter, in vultu genus Regnumque referens.* Gronovius. *Genus regnumque*] Regium genus; ἓν διὰ δυοῖν. *Farnabius. Euryto*] Rege Oechaliæ. *Idem.*

1491. *Facibus & flammis para.*] Egregie hic quoque Etruſcus: *facibus & thalamis para.* Et tamen memini Ovidiani de Circe: *Neque enim flammis habet aptius ulla Talibus ingenium.* Sed non omnia ubique decent. Statim idem, ut Lipſianus: *abſtuli patriam lares.* non *patrio à lare.* Gronovius. *Facibus*] Nuptialibus, Thebaid. v. 263. & 507. *Farnabius.*

1492. *Cruentus*] Patrem illius & fratres interficiens. *Idem.*

1495. *Nepotem*] Te. *Idem.*

1497. *Planctus pone funebres*] Flor. *funereos, precor.* Et ſequenti: *vivet Alcides tibi.* non *tuus.* Gronovius.

1499. *Virtute*] Approbando me ex te natum Iovis eſſe filium magis ingenuum, quam quos ex Iunone genuit. mox v. 1509. *Farnabius.*

1501. *Nox illa*] Geminata. Hercul. Fur. v. 24. *Idem. Sive mortalis*] Etiamſi mortalis quiſpiam fuiſſet pater non Iupiter, virtute tamen mea

Nox illa certa est, sive mortalis meus
Pater est: licet sit falsa progenies mihi;
Materna culpa cesset, & crimen Jovis;
Merui parentem, contuli cœlo decus.
Natura me concepit in laudes Jovis.
Quin ipse quamquam Juppiter credi meus
Pater esse gaudet. parce jam lacrimis, parens.
Superba matres inter Argolicas eris.
Quid tale Juno genuit, æthereum gerens
Sceptrum, & Tonanti nupta? mortali tamen
Cœlum tenens invidit? Alciden suum
Dici esse voluit. perage nunc, Titan, vices
Solus relictus. ille, qui vester comes
Ubique fueram, Tartara & Manes peto.
Hanc tamen ad imos perferam laudem inclitam,
Quod nulla pestis vicit Alciden palam,
Omnemque pestem vicit Alcides palam.

CHO-

mea feci, ut Iovis credar progenies. *Idem.*

1504. *Contuli*] Virtute mea cœlum decoravi. *Idem.*

1507. *Parce jam lacrimis meis*] Lipsius docuerat è scripto legendum: *parce jam lacrimis, parens.* Quod ut honestam speciem rejiciendi habeant, *meis*, interpretantur mihi impensis, pro me fusis. Sed nemo ita locutus est unquam. Deinde & Florentinus, ut Lipsianus. *Gronovius.*

1509. *Quid tale Iuno peperit*] Lipsianus variam lectionem in contextum recepit, expuncto alio vocabulo, ut versui constarent necessarii pedes: *Quid tale genuit, peperit.* Quod ille approbat, meritus amici notam. At Gruterus inde suspicatus, primo fuisse: *Quid tale Iuno genuit:* mutatumque ab eis, qui *gignere* putabant virorum tantum. Rem acu tetigit. sic enim Florentinus. *Idem.*

1510. *Invidit? Alciden*] Distingue: *Mortali patri Cœlum tenens invidit Alciden. suum Dici esse voluit.* Nisi & malis: *Dici ipse voluit.* Idem.

1515. *Vbique*] Sup. v. 41. *Farnabius.*

1516. *Pestis vicit Alcidem palam*] Florent. *fudit Alciden palam.* Gronovius.

1519. *Pri-*

CHORUS.

Solem orat, ut toti mundo Herculis mortem nunciet. Herculis apotheosim prædicit, Iovemque precatur, ut vel nulli producantur tyranni, feræ, monstra, vel alius sufficiatur Herc. malorum vindex.

O decus mundi, radiate Titan,
Cujus ad primos Hecate vaporeis
Lassa nocturnæ levat ora bigæ,
Dic sub Aurora positis Sabæi,
Dic sub Occasu positis Iberis,
Quique ferventi quatiuntur axe,
Quique sub plaustro patiuntur Ursæ;

Dic

1519. *Primos*] Auroram tepidos recipientem radios. *Farnabius. Hecate*] Luna *Hipp.* v. 411. *Idem.*

1520. *Lassa*] Quo incipiente calorem fundere, equos Luna defatigatos nocturno penso disjungit. *Delr. Bigæ,*] *Agamem.* v. 812. *Farnabius.*

1521. *Sabæi*] Arabiæ Felicis incolis. *Idem.*

1522. *Iberis*] Hispanis. *Idem.*

1523. *Quique ferventem patiuntur axem,*] Flor. præclare: *ferventi quatiuntur axe.* Quibus ante cæteros terræ habitatores vicina sol curru suo in campis æthereis quatit. Loquitur ut solent de equis aut turba hominum vel animalium super solum trepidantium. Lucretius lib. 2. *Et circumvolitant equites mediasque repente Tramittunt valido quatientes impete campos.* Virgilius 11. Æn. *equitum levia improbus arma præmisit, quaterent campos.* Petronius: *Venator saltus canibus quati.* Silius lib. 1. *& latos quatit agmine campos.* Vel, quos meridies sibi propiores æstu agitat. Axem ferventem vel currus solis vel polum Australem intelligere licet: de quo quasi calido loquuntur veteres, etsi eundem non minus quam Arcticum horrere frigoribus ipsi non ignoraverint. Nec repugnant hæc verba opinioni veterum communi, torridam Zonam inhabitabilem facientium. Etenim plaustro Vrsæ, aut ferventi axi suppositi dicuntur, non ad perpendiculum subjacentes, sed qui in Zonis habitabilibus huic vel illi proximi agunt. *Gronovius. Ferventem*] Torridam zonam, quam tamen veteres sentiebant non habitabilem præ nimio calore. *Farnabius.*

1524. *Quique sub plaustro patiuntur Vrsæ;*] Scaliger Criticen jubet videre, quem locum hic habere possit, *patiuntur.* Vidit, & scit suum habere: neque repetitum ex antecedente versu, sed hinc in eum translatum. Est autem *pati* hic vivere, durare, sustentare, sustinere se, tolerare vitam, verbo Annæis valde amato, ut supra notavimus. Vidit eadem, quod Scaliger affirmabat scire se auctorem scripsisse, *patiuntur,* eum falli, & hoc esse nihili. Grotius, *spatiantur.* Sed mutandum nihil est, nisi auctoritate Florent. hunc eo, qui antecedit vulgo, priorem dare velis. Quod cur nolis, nulla ratio est. *Gronovius. Plaustro*] Septem stellis in plaustrum ἁμαξῶν formatis. *Farnabius.*

Has septem stellas docent ab Homero & Græcis ἑπτὰ ἁμαξῶν dici, & propinquum sidus βοώτου; illas à Latinis *septem triones* vocari, à boum similitudine, quia Romani olim boves terræ cultores, *triones,* quasi *teriones* nominabant

Dic ad æternos properare Manes
Herculem, & regnum Canis inquieti,
Unde non unquam remeavit ullus.
Sume, quos nubes radios sequantur.
Pallidus mœstas speculare terras,
Et caput turpes nebulæ pererrent.
Quando, prô Titan, ubi, quo sub axe
Herculem in terris alium sequeris?
Quas manus, orbis miser, invocabis,
Si qua sub Lerna numerosa pestis
Sparget in centum rabiem dracones?
Arcadum si quis, populi vetusti,
Fecerit silvas aper inquietas?
Thraciæ si quis Rhodopes alumnus
Durior terris Helices nivosæ
Sparget humano stabulum cruore?
Quis dabit pacem populo timenti,

Si

nominabant: ipsæ vero septem stellæ ita locatæ sunt, ut fere duos trigonos faciant, & quandam cum Boote axis vel temonis speciem exhibeant. ita Varro lib. 6. de Ling. Latina, & Gellius lib. 2. cap. 21. *Delr. Vrsæ;*] Herc. Fur. v. 129. *Farnabius.*

1525. *Dic ad æternos*] Flor. *Dic sub æternos.* Gronovius.

1526. *Inquieti*] Pervigilis, vel, qui *latratu ea regna trifauci Personat.* Farn.

1528. *Sume*] Sume nubilam faciem & tristem. *Idem.*

1531. *Pro Titan, ubi quove, summe*] Palam meliorem scripturam Lipsiani codicis, *ubi, quo sub axe Herculem*; fatetur Gruterus: sed propugnat alterum Mss. Pall. omnes. At hoc solum propugnat Flor. illis omnibus pensior. *Gronovius.*

1532. *Herculem*] Herculis quidem nomen strenui, omnibus & claris vitis à veteribus tributum, quos alii 63. alii 43. numerant. *Farnabius.*

1535. *Sub terra numerosa pestis Sparget intentam*] Vbi nunc numerus ille codicum inanis, cui singuli scilicet, non sequendi quamvis optimi, decedere debeant. Muti omnes, quasi in silentium regno. At Florent. ille admirabilis: *Quas manus orbis miser invocabit, Si qua sub Lerna numerosa pestis Sparget in centum rabiem dracones?* Egregia restitutio & omnibus partibus cum plana, tum elegans. Lerna domicilium Hydræ. *Sparget*, sparsam & diffusam habebit per centum anguium capita. Plinius lib. 11. cap. 37. de cornibus animalium: *Nec alibi major naturæ lascivia. Sparsit hæc in ramos, ut cervorum.* At, ne verbum hoc repetatur sine causa, v. 1540. malo: *Pascet humano stabulum cruore.* Gronovius.

1536. *Arcadum si quis, populi vetusti,*] Flor. *si quis populis vetustis.* Vt illud Virgilii: *Nescio quis teneros oculis mihi fascinat agnos.* Gronovius. *Arcadum*] Hippol. 783. *Farnabius.*

1537. *Aper*] Sus Mænalius. *Idem.*

1538. *Thracia*] Diomedes Thraciæ

Si quid irati ſuperi per urbes
Juſſerint naſci? jacet omnibus par,
Quem parem tellus genuit Tonanti.
Planctus immenſas reſonet per urbes,
Et comas nullo cohibente nodo,
Fœmina exertos feriat lacertos;
Solaque obductis foribus deorum,
Templa ſecuræ pateant novercæ.
Vadis ad Lethen Stygiumque littus,
Unde te nullæ referent carinæ.
Vadis ad Manes miſerandus, unde
Morte divicta tuleras triumphum.
Umbra nudatis venies lacertis,
Languido vultu, tenuique collo:
Teque non ſolum feret illa puppis.
Non tamen viles eris inter umbras;
Æaconque inter, geminoſque Cretas,
Facta diſcernes. feries tyrannos.

Par-

ciæ rex. Herc. Fu. 225. *Farnabius.*

1543. *Par,*] Robore & fortitudine modo, vel moriens ſicut alii. *Idem.*

1544. *Parem*] Sup. v. 6. *Idem.*

1545. *Planctus*] Pro more lugentium. vid. Troad. v. 82. *Idem.*

1547. *Fœmina exſertos feriat lacertos.*] Florent. *Fœminæ exſertos feriant.* Gronovius.

1548. *Solaque*] Sup. v. 746. *Farn.*

1550. *Vadis*] Ἀτραπὸν εἰς ἄδεα ἤνυσας. *Idem.*

1553. *Morte*] Herc. Fu. act. 5. *Id.*

1554. *Nudatis*] Vmbras enim quam in vivis habuerant, imaginem retinere credebant veteres. *Idem.*

1555. *Trepidoque collo:*] Flor. *tenuique collo. Tenuari* corpora & *attenuari* dicuntur morbis, & proprium eſt Vmbrarum, *tenues* & *exiles* vocati. *Gronovius.*

1556. *Non ſolum*] Vt quondam, ne mergeretur gemens *cymba ſutilis ſub pondere.* Farnabius.

1558. *Geminoſque*] Rhadamanthum & Æacum Cretæ reges; quos propter juſtitiam infernis umbrarum judiciis præfecit Iupiter. Herc. Fu. 732. *Idem.*

1559. *Fata diſcernes. fieri tyranni*] Alios aliter hæc rapuiſſe in medicinam notat Gruterus: hanc vero eſſe Pall. meliorum lectionem, niſi quod iis præterea, *Æacoſque* Nimirum Delrius fecerat, *Facta diſcernens.* Melius utique quam iſti. nam *facta diſcernere* eſt diſtinguere laudanda & punienda: diſcrimen facere meritorum & ſcelerum: ut pro iis aut abſolvatur reus aut damnetur. At *diſcernere fata* quid ſit, propemodum neſcio. Ipſe tamen: Judicum eſt *facta diſcernere,* & pro factis infligere pœnas; quas ſi *fata* vocari contendis, eſto, parum refert. Ne tam feſtina, vir optime: ſane parum refert, ſi parum refert, Solis an Athenis vivamus. Potes mihi oſtendere, qui dixerit *diſcernere pœnas*, aut *diſcernere* omnino pro diſtribuere? Dein Lipſianus

feries

Parcite, ô dites, inhibete dextras.
Laudis est, purum tenuisse ferrum.
Dumque regnabas, minimum cruentis
In tuas urbes licuisse fatis.
Sed locum virtus habet inter astra.
Sedis Arctoæ spatium tenebis?
An gravis Titan ubi promit æstus?
An sub Occasu tepido nitebis,
Unde commisso resonare ponto
Audies Calpen? loca quæ sereni
Deprimes cœli? quis erit recepto
Tutus Alcida locus inter astra?
Horrido tantum procul à Leone
Det pater sedes, calidoque Cancro;
Ne tuo vultu tremefacta leges
Astra conturbent, trepidetque Titan.
Vere dum flores venient tepenti,

Et

feries tyrannos. Id vel respicere piguit. At sic tamen, parvula admodum differentia, codex optimus: *Facta discernens feriens tyrannos.* Claud. in Ruf. lib. 2. *quos nolle fateri viderit, ad mala mox transmittit verbera fratris.* Idem etiam *Æacosque.* Ex quo faciendum: *Æaconque inter.* Gronovius.

1560. *Parcite, ô dites,*] Flor. *ô duces.* Sed lex versus repugnat. Heins. major supra scriptum habebat, *immites.* Num, *Parcite, elatas inhibete dextras.* Vel *adductas.* nempe ad cædendum. *Idem.*

1561. *Purum*] Incruentum, innocens. *Farnabius.*

1562. *Minimum cruentis*] Flor *minus in procellis.* Latet aliquid. Quæ sequuntur usque ad finem chori, desiderantur in Florentino. *Gronovius. Minimum*] Minimum permittere tuæ licentiæ in subditorum vitas. *Farnab.*

1564. *Sed locum virtus*] Grotius: *Sin locum virtus habet inter astra; Sedis.* Gronovius.

1565. *Sedis Arctoæ*] *Tibi numine ab omni Cedetur, jurisque tui natura relinquet Quis deus esse velis, ubi regnum ponere mundi. Sed neque in Arctoo sedem tibi legeris orbe, Nec polus adversi calidus qua vergitur Austri.* Farnabius.

1568. *Commisso*] Gaditano utrinque freto resonare Calpen bimarem audies. vide & Herc. Fur. 236. *Farn.*

1570. *Quis erit*] *Ætheris immensi partem si presseris unam, Sentiet axis onus. librati pondera cœli Orbe tene medio: pars ætheris illa sereni Tota vacet.* Idem. *Recepto tutus Alcidæ*] Delrius è Mog. notat *recepti:* & sic plerique codd. Gruteri: unde is exterminavit *recepto*, quasi minus erectum. Immo scribendum *recepto Tutus Alcida* vel *Alcide*, sexto casu. Quis erit locus cœli, quem receptus & ibi tanquam in statione positus Hercules tutum præstabit, vel si cœlum oppugnent Gigantes? Non enim Herculem decet loco tutum esse, sed Hercule locum. *Gron.*

1572. *A Leone*] Thyest. v. 852. *F.*

1577. *Co-*

Et comam ſilvis hiemes recident,
Vel comam ſilvis revocabit æſtas;
Pomaque autumno fugiente cedent,
Nulla te terris rapiet vetuſtas.
Tu comes Phœbo, comes ibis aſtris.
Ante naſcetur ſeges in profundo,
Vel fretum dulci reſonabit unda;
Ante deſcendet glacialis Urſæ
Sidus & Ponto vetito fruetur,
Quam tuas laudes populi quieſcant.
Te pater rerum, miſeri precamur,
Nulla naſcatur fera, nulla peſtis.
Non duces ſævos miſeranda tellus
Horreat: nulla dominetur aula,
Qui putet ſolum decus eſſe regni,
Semper impenſum tenuiſſe ferrum.

Si

1577. *Comam*] Arboribus frondes. *Farn.*

1583. *Fretum*] Prius mare dulceſcet. *Idem.*

1584. *Ante*] Thyeſt. v. 476. *Idem.*

1585. *Ponto vetito*] Cauſam cur nequeat mari mergi veriorem putant; quia circulus Arcticus altior eſt noſtro Orizonte, ideo ſidera illa Arctica nobis nequeunt occidere. vide Brodæum lib. 5. miſcell. cap. 25 & inf. Thyeſt. 472. *Delr.*

1585. *Quam tuas laudes populi quieſcant*] Sermonis hæc genimula, ſi præſertim uſus antiquæ locutionis ſpectetur, quæ non raro verba abſoluta pro agentibus uſurpat. *Laudes* itaque *populi quieſcant*, erit, à laudibus ſive laudando quieſcant, quomodo & Maro in Bucolicis dixit, *requierunt ſuos curſus flumina*, id eſt, à curſibus ſuis. Ait enim, *Et mutata ſuos requierunt flumina curſus.* Quadrigarius Annal. 1. cum potuiſſet eodem modo loqui, maluit gignendi caſu, ſed eidem archaiſmo inſiſtens, dicere, *quieſcere pugnæ. Manu*, inquit, *ſignificare cœpit utrique, ut quieſcerent pugnæ.* Qui aliter & inclementius de Tragici illo loco ſtatuerunt, quomodo judicium ſequar? Ego ſane in partem benigniorem propenſior, malim antiquitati ſuum hic jus & linguam relinqui. *Pontan. Quieſcant*] Taceant. *Farn.*

1589. *Duces*] Tyrannos. *Idem.*

1590. *Habeat nec aula*] Placet omnino correctio Lipſii: *Horreat nulla:* quicquid contradicat Scaliger, cujus admonitio de paribus temporibus alibi locum habet. Apud Horatium quoque non dubito, quin bene reſtituerit Auratus: *Nec Martiales hædulei lupos. Intenſum* quoque fruſtra tuetur Scaliger. Lipſianus (nam Flor. ab illo verſu: *Sed locum virtus*, uſque ad finem chori nos deſtituit) & omnes fere codices, *impenſum*, id eſt, occupatum, evaginatum & vibratum, nunquam otioſum. Imago à pecunia. Contraria vox Hannibalis, *Parce ferro.* Gron.

1592. *Semper impenſum*] Ferro non parcere. *Farnabius.*

1597. Tha

Si quid in terris iterum timetur,
Vindicem terræ petimus relictæ.
Hem, quid hoc? mundus tonat. ecce, mœret,
Mœret Alcidæ pater. an deorum
Clamor, an vox est timidæ novercæ?
Hercule an viso fugit astra Juno?
Lassus an pondus titubavit Atlas?
An magis diri tremuere Manes
Herculem? & visum canis inferorum
Fugit abruptis trepidus catenis?
Fallimur: læto venit, ecce, vultu
Quem tulit Pœas, humerisque tela
Gestat, & notas populis pharetras,
Herculis hæres.

ACTUS

1597. *Timidæ*] Iunonis me in cœlum ascendentem timentis. *Idem.*

1599. *Lassus an pondus*] Cœlum quod humeris sustinere Atlanta Mauritaniæ regem Promethei fratrem fingunt, quod Astrologiam sphæramque invenisset. *Idem.*

Hic auctorem plusquam ἀπολογίζῃ, nec locum habere ejusmodi Helleniſmum posse, sunt qui putant. At si dicamus inter eos archaismos eaque adjectiva hoc reponendum, quæ casum quartum elliptico admittunt, quid magnopere habebit incommodi? Sic enim *lassus pondus* erit, *quod ad pondus*; vel, *ob pondus. Bonus animum*; erit *quod ad animum bonus*; ut notat ad I. Æneidos Servius. Et *omnia pius*, quomodo Macrobius loquitur lib. 6. c. 8. Saturnal. erit, *per omnia pius*: Et Statius Papinius: *Dii bene, quod tales stirpemque animosque venitis.* id est, *quod ad stirpem & animos.* Propertius lib. 2. eleg. 5. *Cynthia verba levis*, id est, *quod ad verba*, sive *verbis levis.* Helleniſmus hic isti *lassus pondus* par prorsus ac geminus. Ὀλίγοι ἀριθμῷ, *pauci numerum*, vel *quod ad numerum. Syrus & nomen & patriam*, est, *secundum nomen & patriam*: Quæ aliaque hujusmodi, ut Græcis sunt usitatissima, ita apud Latinos rarius occurrunt. *Pont.*

1604. *Pœas,*] Philoctetes, cui Hercules moriens sagittas legavit. *Farn.*

ACTUS QUINTUS.

NUTRIX. PHILOCTETES.

Philoctetes Herculis mortem atque funus nunciat.

Nutr. Effare casus, juvenis, Herculeos precor,
Vultuque quonam tulerit Alcides necem.
Phil. Quo nemo vitam. *Nutr.* Lætus adeone ultimos
Invasit ignes? *Phil.* Esse jam flammas nihil
Ostendit ille, qui sub hoc mundo Hercules
Immane nil reliquit. en domita omnia.
Nutr. Inter vapores quis fuit forti locus?
Phil. Quod unum in orbe vicerat nondum malum,
Et flamma victa est. hæc quoque accessit feris.
Inter labores ignis Herculeos abiit.
Nutr. Edissere agedum, flamma quo victa est modo?
Phil. Ut omnis Oeten mœsta corripuit manus,
Huic fagus umbras perdit, & toto jacet

Succ-

* NUTRIX. PHILOCTETES.] In Flor. pro personis ponuntur NUNTIUS. CHORUS. Et ita per totam scenam. Nempe Nuntius ille est Philoctetes: in Choro autem vel prima videtur fuisse Nutrix. *Gronovius.*

1609. *Quo nemo*] Lætiori vultu mortem tulit, quam alius quispiam vitam. *Farnabius.*

1611. *Qui suboccasu Hercules*] Scaliger notat τὸ *Ille*, quod antecedit, designare ipsum Herculem: & ideo importune iterari *Hercules*, sed scribendum *Herculis*: & hanc pusillam mendam non parvi momenti. Verum hæc quidem vox nihil habet vitii: sed longe graviorem totius loci luem detegit Fl. *sub hoc mundo Hercules Immune vinci liquit en domita omnia.* Scribe igitur: *qui sub hoc mundo Hercules Imma ne nil reliquit. En domita omnia!* Ille Hercules, qui sub cœlo nullum monstrum, nullum tyrannum, nullam noxiam feram reliquit, terrorem jam flammis quoq; & ignibus ademit. Vulgo: *Virtute vinci docuit indomita* Gron.

1613. *Vapores*] Ignes. *Farnabius.*

1614. *Quod unum in orbe venerat*] Misera conditio hominum doctorum in corruptis explicandis ingeniosorum. Scaliger fingit sibi raram locutionem, *venire in orbe cum aliquo*, pro pugnare: & investigat rationem, quasi a duobus pugilibus sic dicatur, qui se orbe aut lineis circumscripserint, quas transire non liceat. Somnium merum. Florentinus simpliciter, *vicerat nondum.* Ergo *in orbe*, puta terrarum. *Gronovius. Quod unum*] Ignis, quocum Hercules non dimicavit hactenus. vid. sup. v. 1401. *Farnabius.*

1618. *Manus*] Multitudo comitum & famulorum Herc. succidere arbores ad rogum jussa. *Idem.*

1619. *Fagus umbras*] Succisa enim. *Farnabius.*

Fagus, cum sit ut plurimum patulis diffusa ramis, multam umbram facit: iisque abscissis, umbram perdit. Theoc. —σκιερὸν δ' ἄτο φαγὸν. *Delr.*

1620. *Fle-*

Succisa trunco: flectit hic pinum ferox
Astris minantem, & nube de media vocat;
Ruitura cautes movit, & silvam trahit
Secum minorem. Chaonis quondam loquax
Stat vasta late quercus, & Phœbum vetat,
Ultraque totos porrigit ramos nemus.
Gemit illa multo vulnere impresso minax,
Frangitque cuneos. resilit excussus chalybs,
Vulnusque ferrum patitur & truncum fugit.
Commota tandem est. tunc cadens latam sui
Duxit ruinam. protinus radios locus
Admisit omnes. sedibus pulsæ suis
Volucres pererrant nemore succiso diem,
Quæruntque lassis garrulæ pinnis nemus.

Sen-

1620. *Flexit hic pinum ferox*] Hæc præteriti arguit Scaliger tanquam obvia, quibus ne Cimmeriæ quidem tenebræ obscuriores. Legit autem: *pinus ferox Astris minantem nube de media comam.* Sed leviore manu, opinor, juvandus locus. Florentinus: *Hic fagus*, & *flectit hic.* Lege igitur: *Huic fagus umbras:* deinde: *flectit hic pinum ferox.* Alius fagum dejicit, alius pinum. *Vocat*, removet, aufert. *Gron.*

1622. *Cautes movit & silvam trahit*] Flor. *Ruitura cautem movit & silvam tulit.* Gronovius. *Sylvam*] *Corruit & mediam prostravit ponderesylvam.* Farnabius.

1623. *Chaonis quondam*] In hac sylva erat ingens quercus; non minor Dodonea illa in Chaonio Epiri nemore. de qua vide Med. v. 346. & Oed. 726. *Farnabius.*

De hac quercu ait Sophocles: — Ἐ πολυγλώσσᾳ δρυός. Sophocli consentiunt Lycophron in Cassandra, Apollonius in Argonauticis, Higynus lib. 2. astronom. & Claudianus in panegyr. de 6. consulat. Honorii. *Delr.*

1624. *Phœbum*] Solis radios arcet. *Farnabius.*

1625. *Totos*] Al. *totum.* Farnabius.

1627. *Resilit excussus chalybs,*] Fl. *incussus.* Et sequenti: *patitur frigidus parum.* Quasi fuerit: *ut rigidum parum.* Tum ut Lipsianus: *latam sui duxit ruinam.* non *lenta mora.* Gron.

1628. *Vulnusque*] Hebetatur nec diffindere valet. *Farnabius.*

1629. *Tunc cadens*] Ipsæ syllabæ non verba modo denotant, quam ægre & vix tandem collapsa. *Delr.*

1630. *Radios*] Quod supra v. 1619. dixit *fagus umbras perdit.* Farnabius.

1632. *Nemore succiso diem* Delrius notat in Mog. Herb. Ven. esse *domus*, non *diem*: eoque conjicit: *nemore succiso nemus*: & in sequenti versu: *garrulæ pinnis domos.* Gruterus omnes suos, *nemore succiso domus*, idque se recepisse, erasо illo nupero *diem*, ne avorum quidem memoria nato, sed heri. Velle Poëtam, primum nidos avium periisse; deinde tantum nemoris excisum, ut jam lassæ ramum nullum invenirent, cui de more insiderent. Sed dissimulat difficultatem, quam necesse est oboriri cuivis diligentius inspicienti hanc lectionem. Quænam enim illic tam frequentes domus, quas peterrarent

Jamque omnis arbor ſonuit, & ſacræ quoque
Senſere quercus horridam ferro manum,
Nullique priſcum profuit ligno nemus.
Aggeritur omnis ſilva, & alternæ trabes
In aſtra tollunt Herculi anguſtum rogum.
Rapit alta flammas pinus, & robur tenax,
Et brevior ilex ſilva. contexit pyram
Populea ſilva. frondis Herculeæ nemus.
At ille, ut ingens nemore ſub Naſamonio
Æger reclini pectore immugit leo,

Fer-

illæ aves? & quomodo ſilveſtres volucres tam manſuetæ, ut pulſæ ſedibus arborum ſtatim ſe committerent domibus? *Diem* non eſt ita nuperum, atq; ille velit. Sed & elegans eſt propriumque auctoris pro aëre: ut in Phœniſſis *atra nube ſubtexens diem Stymphalis*: & in Hercule Furente: *pennis condere obductis diem.* At in altero verſu, præſertim quum toties in paucis verſibus finem faciat τὸ *nemus*, adſentior prorſus Delrio ſcripſiſſe Poëtam: *Quæruntque laſſis garrulæ pennis domos.* hoc eſt, deſiderant ſuos nidos. Inde vel temeraria vel errans librarii manus in præcedentem verſum tranſtulit, & hunc ſupplevit adjecto τῷ *nemus*. Gronovius.

1634. *Sacræ*] Incæduæ & Iovi conſecratæ. *Farnabius.*

1636. *Profuit ligno nemus*] Florent. *profuit loco nemus.* Forte: *Nullique priſcus profuit luco deus.* cui ſcilicet olim dicatus erat. *Gronovius.*

1637. *Alternæ*] Alternatim poſitæ. *Farnabius.*

1638. *In aſtra tollunt*] Altitudinem pyræ deſcribit. quia veteres, quo quis ditior opibus, dignitate celſior, virtutibus præſtantior, hoc illi pyram celſiorem erigebant. Virg. 4 Æneid. de pyra Didûs: —*ſic fata gradus evaſerat altos.* ubi Servius: *rogi pro qualitate fortunarum fiebant.* & lib. 6. de rogo Miſeni: —*aramque ſepulcri Congerere arboribus, cœloque educere certant.* ubi Donatus hoc factum ait: *ut robur & meritum viri ſic appareret.* eaque cauſa eſt cur de Patroclo Homerus: Ποίησαν δὲ πυρὴν ἑκατόμπεδον ἔνθα καὶ ἔνθα. *Fecerunt autem pyram centum pedum utrimque.* Dionyſ. Halic. lib. 11. Antiqu. Rom. ſcribit milites Sicinium virum fortiſſimum ſepeliiſſe, & honeſtiſſime extuliſſe, rogumque maximum aggeſſiſſe: aliaque pro viribus impleſſe, quæ, in ſupremum honorem, ſtrenuis viris lex fieri jubet. *Delr. Herculi anguſtum rogum.*] Pro magnitudine ſcilicet heroici corporis. Omnino vera explicatio, quæ bono viro nimis arcta videtur. Nugæ de pyramidali forma. Flor. quoque: *Herculi anguſte rogum.* Martalis 11, 51. *Anguſte Titius tamen lavatur.* Gronovius.

1639. *Tenax,*] Solidum. *Farnabius.*

1640. *Silva. contexit pyram Populea*] Flor. *ſilva ſe complet rogo Populea ſilva.* Videndum an faciat huc illud Cæſaris lib. 3. Civil. *altera navis ex veterana legione minus ducentis ſe compleverat.* An legendum: *ſe confert rogo.* Gronovius.

1641. *Populea*] Herc. Fu. v. 892. *F.*

1642. *Naſamonio*] Libyco. Naſamones autem Libyæ pop. ex naufragiis & rapto ad Syrtes viventes. *Idem.*

1643. *Admugit leo,*] Flor. *immugit.* Statius lib. 11. *jacet immugitque cruentis vulneribus.* Gronovius.

1645. *Vul-*

Fertur. quis illum credat ad flammas rapi?
Vultus petentis astra, non igneis, erant.
Ut pressit Oeten, ac suis oculis rogum
Lustravit omnem, fregit impositus trabes,
Arcumque poscit: Accipe hæc, inquit, fate
Pœante, dona; munus Alcidæ cape.
Has hydra sensit: his jacent Stymphalides,
Et quidquid aliud eminus vici malum.
Virtute felix juvenis, has numquam irritas
Mittes in hostem. sive de media voles
Auferre volucres nube, descendent aves,
Et certa prædæ tela de cœlo fluent.
Nec fallet umquam dexteram hic arcus tuam:
Librare telum didicit, & certam dare
Fugam sagittis. ipsa non fallunt iter
Emissa nervo tela. tu tantum, precor,
Accommoda ignes. & facem extremam mihi.
Hic nodus, inquit, nulla quem capiet manus,
Mecum

1645. *Vultus petentes astra, non ignes, erant*] Flor. *erat*. Gronovius.

1647. *Lustravit, omnes fregit*] Fl. *ac suis oculis rogum Lustravit omnem, fregit impositus trabes. Arcus poposcit.* Sequenti: *dona, & munus Alcidæ cape.* Idem. *Fregit*] Pondere suo. *Farnab.*

1648. *Sate*] Philocteta. *Idem.*

1650. *Stymphalides*] Herc. Fu. v. 243. *Idem.*

1651. *Victure felix: has enim*] Facile crediderim Pall. omnes servare pejora. Ego autem multo minus hic requiro *victure* à *vinco*, quam Gruterus non requirit Lipsianum: *Virtute felix juvenis, has nunquam.* Quod confirmat Florentinus, nisi quod *Victrice:* & sequenti, *in hostem.* Dicit autem *Virtute felicem* Stoicorum more, qui fortuna non fuit felix vel ob Lemnium malum. *Gronovius. Nunquam*] Herc. Fu. v. 989. *Farnabius.*

1655. *Prædam tela de cœlo ferent*] Flor. *præda* & *fluent.* Lege: *Et certa prædæ tela de cœlo fluent. Certa prædæ*, est, tenentia prædam. *Gronovius.*

1660. *Facem*] Funebrem, qua rogus accendebatur. id est incende mihi rogum, quod defuncto necessitudine devincti præstabant officium, sed aversa facie. *Farnabius.*

1661. *Hic nodus,*] Clava. Appoll. σιδάρεον δέχεν ὅζον ἐλαίης. *Farn.*

Senecæ repugnat Pisander; qui clavam Herculis æream fuisse refert; at Seneca ligneam. Nodum enim hic, clavam interpretor nodosam: unde dictum, nodosæ robora clavæ. Scio quæ de nodo Herculeo prodita sunt à Plinio lib. 26. cap. 6. Macrobio lib. 1. Saturnal. cap. 19. & Festo, in voce, cingulum: sed hunc locum ad ea accommodare, hominis foret aliud agentis. *Delr. Nulla quem capiet manus*] Flor *cepit.* Statim Fl. ut tres Gruteri: *per ignes.* Gronovius.

Mecum per ignem flagret, hoc telum Herculem
Tantum sequatur. hoc quoque acciperes, ait,
Si ferre posses. adjuvet domini rogum.
Tum rigida secum spolia Nemeæi mali
Arsura poscit. latuit in spolio rogus.
Ingemuit omnis turba, nec lacrimas dolor
Cuiquam remisit. mater in luctum furens
Diduxit avidum pectus, atque utero tenus
Exerta vastos ubera in planctus ferit:
Superosque & ipsum vocibus pulsans Jovem
Implevit omnem voce fœminea locum.
Deforme letum, mater, Herculeum facis:
Compesce lacrimas, inquit. introrsus dolor
Fœmineus abeat. Juno cur lætum diem
Te flente ducat? pellicis gaudet suæ
Spectare lacrimas. contine infirmum jecur
Mater. nefas est ubera atque uterum tibi
Laniare, qui me genuit. & dirum fremens
Qualis per urbes duxit Argolicas canem,
Cum victor Erebi Dite contempto rediit
Tremente Fato; talis incubuit rogo.
Quis sic triumphans lætus in curru stetit
Victor? quis illo gentibus vultu dedit

Leges

1665. *Spolia*] Pellem leonis Nemeæi. *Farnabius.*

Pelle leonis Nemeæi, qua Hercules indutus fingitur. quia prisci homines pellibus corpora contegebant. qui quia, nondum reperto telorum usu, lignis vim hostium retundebant, ideo Herculi clavam veteres attribuerunt. Diodor. Siculus lib. 1. *Delr.*

1666. *Latuit*] Pellis rogum summum texit. *Farnabius.*

1668. *In luctum*] Luctui nimium indulgens. *Idem.*

1669. *Avidum*] Planctus & pœnæ avidum. *Idem.*

1670. *Vastos ubera in planctus ferit.*] Flor. *vasto verbere in planctus furit.* Sed statim ante: *in luctum furens.* Videtur alterutro loco fuisse sive *ruens* sive *ruit.* Gronovius.

1671. *Pulsans*] Compellans. *Farn.*

1676. *Te flente*] Tuis insultans lacrymis. *Idem.*

1677. *Iecur*] Affectus, quorum jecur sedes. supra v. 579. *Idem.*

1678. *Vbera*] Pro more lugentium. vide Troad. v. 82. *Idem.*

1679. *Et dirum*] Et hoc dicto, Hercul. dirum fremens qualis duxit, &c. Herc. Fu. v. 809. *Idem.*

1683. *Sic triumphans*] Vt ille rogo. *Idem.*

1684. *Illo gentibus*] Tam læto & sereno. *Idem.*

1685. *Ty-*

Leges tyrannus? quanta pax obitus tulit?
Hæsere lacrimæ. cecidit impulsus dolor
Nobis quoque ipsis. nemo morituro ingemit.
Jam flere pudor est, ipsa, quam sexus jubet
Mœrere, siccis hæsit Alcmene genis;
Stetitque nato pene jam similis parens.
Nutr. Nullasne in astra misit ad superos preces
Arsurus, aut in vota respexit Jovem?
Phil. Jacuit sui securus, & cœlum intuens,
Quæsivit oculis arce an ex aliqua pater
Despiceret illum. tum manus tendens ait:
Quacumque parte prospicis natum, pater,
Te, te, pater, quem nocte commissa dies
Quæsivit unus, si meas laudes canit
Utrumque Phœbi littus, & Scythiæ genus,
Et omnis, ardens, ora, quam torret dies:
Si pace tellus plena, si nullæ gemunt
Urbes, nec aras impius quisquam inquinat:

Si

1685. *Tyrannus*] Rex, τύραννος. sic enim primitus Græcis usurpatum. *Farnabius. Quanta pax obitus tulit?*] Flor. *habitum. Et* sequenti, *cecidit impulsus dolor.* non *expulsus.* In nat. quæstionibus passim *impellere* est evertere, percellere. De constantia cap. 5. *inter flammas & sanguinem stragemque impulsæ civitatis.* lib. 1. de clement. *Elephantes leonesque transeunt, quæ impulerunt.* Gronovius.

1686. *Hæsere*] Cessavere. *Farn.*

1689. *Siccis*] Non lacrymantibus. *Idem.*

1694. *Arce*] Cœli. *Idem.*

1697. *Iste est, pater, quem nocte*] Fatuum est illud *Iste est:* sed nec boni sensus, *quem nocte commissa dies Quæsivit unus.* Scio Herculem geminata nocte quæsitum: sed hoc hic non dicitur: uno die audio quæsitum, qui quæsitus est, idque ob noctem commissam. Hunc ipsum Iovem sensit auctor teste Flor. *Te, te, pater:* respondet enim huic τὸ *precor* versu 1703. Te, pater, te, inquam, (quem dies unus, qui scilicet duabus noctibus intercedere deberet, non sensit, dum lux non est continuatis tribus noctibus, qui uno die desideratus es & mundo cœloque defuisse, dum me generas,) precor, si res dignas cœlo gessi me in consortium deorum. *Gronovius.*

1699. *Utrumque*] Oriens & occidens. *Farnabius. Scythiæ*] Septentrio. *Idem.*

1700. *Et omnis, ardens, ora, quam torret*] Ita distinguendum, ut intelligatur omnis ora, quam torret dies ardens. Statim Flor. *impias aras.* non *impius. Impiæ aræ* & sceleraræ sunt & immisericordes, ad quos homo immolatur. *Gronovius. Ardens*] Meridies. *F.*

1701. *Gemunt*] A tyrannis oppressæ. *Idem.*

1702. *Impias*] Intelligit autem Busiridis aras. *Idem.*

Si scelera desunt, spiritum admitte hunc, precor,
In astra. nec me mortis infernæ locus,
Nec mœsta nigri regna conterrent Jovis:
Sed ire ad illos umbra, quos vici, Deos,
Pater, erubesco. nube discussa diem
Pande, ut Deorum vultus ardentem Herculem
Spectet: licet tu sidera & mundum neges
Ultro, pater, cogêre. si voces dolor
Abstulerit ullas, pande tum Stygios lacus,
Et redde Fatis. approba gnatum prius.
Ut dignus astris videar, hic faciet dies.
Leve est quod actum est. Herculem hic, genitor, dies
Inveniet, aut damnabit? hoc postque addidit:
Noverca cernat, quo feram flammas modo.
Flammas poposcit. hoc age Alcidæ comes;
Non segnis, inquit, corripe Oetæam facem.
Quid dextra tremuit? num manus pavida impium
Scelus refugit? redde jam pharetras mihi,
Ignave, iners, inermis. en nostros manus

Quæ

1703. *Si scelera*] Si scelerati homines mea opera devicti cessent. *Farn. Spiritum admitti hunc*] Flor. *amitte.* Scribe: *spiritum admitte hunc, precor, In astra.* Tum Flor. *non me mortis infernæ.* Gronovius.

1706. *Vmbra*] Τύμβος, εἴδωλον, nudum simulachrum, quod (anima vel in cœlum, unde deducta est, vel in alia corpora migrante corpore, quod in elementa dissolvitur) petit inferos. *Farnabius.*

1710. *Si voces*] Revocat, corrigitque suprema vocem *cogere.* Idem.

1712. *Fatis.*] Inferis mortis loco. *Idem.*

1713. *Vt dignus*] Quæ per vitam strenue feci non tam astra merentur, quam mors hæc acerba, quam fortiter fero. *Idem.*

1714. *Herculem genitor prius Invenit an damnavit*] Vellem valere, qui hæc interpretaretur. Flor. *Herculem hic, genitor, dies Inveniet an damnabit.* i.e. hic dies judicium de illo faciet, fortis an ignavus sit. Cæsar lib. 5. de bello Gall. *Quid dubitas, Varene, aut quem locum probandæ virtutis tuæ exspectas? hic dies, hic dies de nostris controversiis judicabit.* Meliusetiam: *Inveniet aut damnabit.* Sequitur: *hæc postquam edidit, Flammas poposcit.* Medius versus deest. Non videtur tamen abjiciendus, sed collocandus post illum: *Non segnis, inquit, corripe Oetæam facem. Noverca cernat, quo feram flammas modo. Quid dextra tremuit.* Gronovius

1717. *Alcidæ comes;*] Philoctetæ. *Farnabius.*

1718. *Corripe Oetæam facem*] Flor. *Oetæan.* Gronovius. *Facem*] Supra v. 1660. *Farnabius.*

1721. *En nostros*] Tuæne manus dignæ

Quæ tendat arcus. quis ſedet pallor genis?
Animo faces invade, quo Alciden vides
Vultu jacere: reſpice arſurum, miſer.
Vocat ecce jam me genitor, & pandit polos.
Venio, pater. vultuſque non idem fuit.
Tremente pinum dextera ardentem impuli.
Refugit ignis, & reluctantur faces.
Et membra vitant: ſed recedentem Hercules
Inſequitur ignem. Caucaſũ, aut Pindũ, aut Athon
Ardere credas. nullus erumpit ſonus.
Tantum ingemiſcit ignis. ô durum jecur!
Typhon in illo poſitus immanis rogo
Gemuiſſet ipſe, quippe convulſam ſolo
Impoſuit humeris Oſſan Enceladus ferox.
At ille medias inter exſurgens faces

Se-

gnæ arcu & ſagitta meis, quæ trepidat rogum meum incendere? *Farnabius.*

1725. *Rogat ecce jam me genitor*] Lipſius, quia in vet. libro, *vocat*, etiam parum putat decorum Iovi, hic *rogare*. Non ſic amicus ejus, qui interpretatur: invitat quaſi ad convivium, ubi nectar & ambroſia: eſſe alia quoque in hac fabula nimis hyperbolica: ideo non ſe ire, quo quidam *vocat*: nullum vidiſſe codicem, in quo non *Rogat*. Fruatur. At ego non vidi in Florentino, niſi, *vocat ecce me genitor & pandit deos*. Gronovius.

1726. *Vultuſque non idem fuit*] Mirum ni ante hæc verba verſus unus & alter deſiderantur. Flor. & alii: *Venio venio pater*. Gronovius.

1727. *Pinum*] Tum facem rogo ſubdidi. *Farnabius.*

1729. *Hercules*] Devitant Herculem quaſi non tentare auſæ. *Idem.*

1730. *Caucaſum,*] Montem Scythiæ. *Idem. Pindum,*] Theſſaliæ montem. *Idem. Athon*] Montem inter Macedoniam & Thraciam. *Idem.*

1732. *Ingemiſcit ignis ad durum jecur.*] Lipſius concinnius putat: *ignis. ah durum jecur*. At ille, Forte, inquit, difficilius jecur, quam reliqua interna, comburitur: nam in Thyeſte: *ſtridet in veribus jecur*. Egregia ratio, cui conveniunt ſequentia: Ingemiſcit ergo ignis, quia cum difficultate illud urit: vel ſynecdoche, quod ipſum jecur videtur ingemiſcere, ſtridere, & quaſi queri. At Flor. plane: *Tantum ingemiſcit ignis. ô durum jecur*. Hoc miraculi loco addit, tantum ignem non crepare immani ſtrepitu, ut ſolet, ſed quaſi reverentia Herculis tenuem quendam & inſtar gemitus ſonum edere. Exclamatio reſpicit ſequentia: ô durum & invictum hominem! vel Typhœus aut Enceladus fracti mollitique in gemitus & ejulationes forent tanto incendio impoſiti: at ille nihil commotus, &c. *Gronovius. Durum jecur*] Sic ſolet vocare jecur Herculis. — *ſed jecur fors horridum Flectam emerendo* — Deltius.

1733. *Typhon*] Gigas Medeæ v. 772. *Farnabius.*

1734. *Quique*] Hercul. Fur. v. 80. *Idem.*

Semiustus ac laniatus, intrepidus, rubens;
Nunc, ô parens Herculea, sic stare ad rogum,
Te mater, inquit, sic decet fleri Herculem.
Inter vapores positus, & flammæ minas,
Immotus, inconcussus, in neutrum latus
Correpta flectens membra, adhortatur, monet.
Gerit aliquid ardens: omnibus fortem addidit
Animum ministris. urere ardentem putes.
Stupet omne vulgus, vix habens flammæ fidem.
Tam placida frons est, tanta majestas viro.
Nec properat uri. cumque jam forti datum
Leto satis pensavit, igniferas trabes
Hinc inde traxit, nimia quas flamma occupat,
Totasque in ignem vertit, & qua plurimus
Exundat ignis, recipit intrepidus, ferox.
Nunc ora flammis implet. ast illi graves
Luxere barbæ: cumque jam vultum minax
Appeteret ignis, lamberent flammæ caput,
Non pressit oculos. Sed quid hanc mœstã intuor
Sinu gerentem? reliquias magni Herculis
Cineremque jactans squallidum Alcmene gemit.

ALC-

1736. *Intrepidus, rubens*] Fl. *ruens*. Mox malim, *flere*, ut ad matrem referatur. *Gronovius*.

1738. *Sic stare*] Intrepide, non lacrymis, non gemitu. *Farnabius*.

1742. *Correpta flectens membra,*] Fl. *torrens*. Forte, *torquens*. Gronovius.

1743. *Gerit*] Ne nihil agens moriatur, alios ad virtutem adhortatur, monet. *Farnabius*.

1744. *Vrere*] Crederes ipsum ira ardentem in ignem agere, non ab eo pati. *Idem*.

1745. *Vix habent*] Vix credebant eum esse ignem. *Idem*.

1747. *Nec properat*] Quo pœnæ eriperetur. *Idem*.

1749. *Nimia quas flamma occupat;*] Correxisse summos viros *minima*, nec segniter occupasse Criticos; se adhuc hærere', quod novena cohors priorem scripturam adjuvet, profitetur Gruterus. Ego vero non modo *minima*, sed & præterea scribendum puto: *minima quas flamma occupat, Totas in ignem vertit; & quas plurimus Exundat ignis, recipit*, hoc est, admovet applicatque sibi. Flor. *quas pluribus Exundat ignis repedit*. Quasi *repetit* vellet. Idem, *Tunc ora flammis implet*. non *Nunc*. Gronovius.

1756. *Sinu gerentem*] Ad proximos spectabat, relliquias colligere, sinu fovere, & componere. de qua forma vide Troad. v. 797. *Farnabius*.

1757. *Crinemque jactans*] Vidit hic aliquid esse infuscatum Lipsius, & protulit ex scripto: *sed quid hanc* (vulgo *hoc?*)

ALCMENA. PHILOCTETES.

Suam ex Herculis morte cladem Alcmena dolet.

Alcm. Timete superi fata. tam parvus cinis
Herculeus est. huc ille decrevit gigas.
O quanta, Titan, in nihil moles abit!
Anilis, heu me, cepit Alciden sinus.
Hic tumulus illi est. ecce vix totam Hercules
Complevit urnam. quam leve est pondus mihi,

Cui

hoc?) mœstam: &, *Cineremque jactans:* idque plane verum ratus est, si tamen rescriberetur in fine *gerit*. Quanta cum invidia? Tu credis, ajunt, dilecti filii cineres Alcmenam *jactasse?* quid hosti queat crudelius? Et si *gerit*, quomodo *jactat*? Ecce & alius: Alibi mens erat Lipsii, cum sic reponeret. Illi volunt squallidam comam per humeros ejus expansam & crebro motu capitis, ut dolore vel ita impotentes soleant, jactatam. Sed dicant mihi optimi viri, quæ sit hæc oratio: *Intuor mœstam sinu gerentem reliquias & Alcmene gemit.* Ferrentne quemquam sic scribentem? aut ipsi se? Equidem *gemit* mutari in *gerit* non placet. Cæterum fanatica comæ jactatio, quam fingunt, minus. Super omnia futilis & puerilis sermo. Dum Lipsio insultant, lepotem, quem ille hic excitavit, dimiserunt. Præclare vetus: *Sed quid hanc mœstam intuor Sinu gerentem? Reliquias magni Herculi Cineremque jactans squallidum Alcmene gemit.* Nisi malis, *squallida*. Sed quid rei est, quo video mulierem nescio quam in lugubribus suffarcinatam? Hæc dubius primo: & respondet sibi: Alcmena est cum squallore & gemitu feralem urnam filii tenens & agitans. *Iactans* nihil aliud est quam movens, promovens portando: ut nave *jactamur* aut curru, quum provehimur. *Iactari* dicit moveri per alium, ut passim *fugere* moveri per se, & *fugam* pro incessu vel exitu. Quin & Alcmenæ subsequentia verba non ita sunt ignava, ut sine gesticulatione atque agitatione hypocritæ, quam necesse est sequi jactationem urnæ, bene pronuncientur. Quid ille Polus apud Gellium? qui in Electra tenens ossa filii, quasi Orestis, omnia complevit luctu & lamentis vivis atque spirantibus, non commovit se, jactavit, adflictavit? Ergo & jactavit cinerem. Et tamen molliter subjiceres *vectans*. Sed nihil opus. Antequam penetrassem vim scripturæ antiquæ, conjeceram: *sed quid hoc? mœstam intuor Sinu gerentem reliquias magni Herculi Cineremque lectum squallida Alcmenen coma.* Gronovius.

1758. *Superi*] Mortales, qui supera aura vescimini. *vel* Dii, namque Iovis sepulchrum ostendit Creta & Bacchi simulachrum inferos adiit. *Farnabius. Parvus*] Quem parva capiat urna. *Idem.*

1759. *Herculeus est. huc ille*] Flor. *tam parvus cinis Herculeus. huc huc ille decrevit gigas.* Gronovius. *Decrevit*] Decrescendo devenit. *Farnabius.*

1760. *O quanta*] O Sol, quanta moles in nihil abiit. *Suspicor tamen hunc locum, & Titana de Hercule ab autore conceptum fuisse.* Idem.

1761. *Cepit Alciden*] Flor. *recipit Alciden sinus* Gronovius.

1763. *Complevit urnam*] Imitatur Ovidianum illud 12. Metamorph.— *de tam magno restat Achille Nescio quid, parvam quod non bene compleat urnam.* Deltius.

Cui totus æther pondus incubuit leve!
Ad Tartara olim regnaque, ô gnate, ultima
Rediturus ibas. quando ab inferna Styge
Remeabis iterum? non ut & spolium trahas,
Rursumque Theseus debeat lucem tibi:
Sed quando solus? mundus impositus tuas
Compescet umbras, teque Tartareus canis
Inhibere poterit? quando Tænareas fores
Pulsabis? ah, quas mater ad fauces agar?
Qua mors aditur? vadis ad Manes iter
Habiturus unum. quid diem questu tero?
Quid misera duras vita? quid lucem hanc tenes?
Quem parere rursus Herculem possum Jovi?
Quis me parentem gnatus Alcmenam suam
Tantus vocabit? ô nimis felix, nimis,
Thebane conjux. Tartari intrasti loca
Florente gnato; teque venientem inferi
Timuere forsan, quod pater tantum Herculis
Vel falsus aderas. quas petam terras anus,
Invisa sævis regibus? si quis tamen
Rex est relictus sævus. hei miseræ mihi!

Qui-

Delrius. *Leve*] *Quod digitis quinque levatur onus.* Farnabius.

1764. *Cui totus*] Cœlum. Herc. Fur. v. 68. *Idem.*

1767. *Non uti spolium*] Flor. *Non uti & solitum.* Lege: *non ut & spolium trahas.* Gronovius. *Spolium*] Cerberum. *Farnabius.*

1768. *Theseus*] Herc. Fur. v. 805. Hipp. 840. *Idem.*

1769. *Ignis impositus tuas*] Pulchre ignem interpretantur infernum. At tu lege cum Flor. *mundus impositus tuas Compescet umbras.* Nam inferi infra mundum. *Gronovius. Ignis*] Infernus. *Farnabius.*

1772. *Pulsabis? ah quas mater*] Fl. *aut.* Lege: *Pulsabis? aut qua mater ad fauces agar, Qua mors aditur?* Gronovius.

1774. *Habiturus unum*] Unicum, non remeabile, nec iterabile. Hactenus bene interpretes: cætera nugæ. Cicero in Pisonem: *an quod tibi profisciscenti evenit, ut omnes exsecrarentur, male precarentur, unam tibi illam viam & perpetuam esse vellent.* Idem.

1777. *Me parentem gnatus Alcmenam*] Flor. *Alcmenen.* Lege: *Quisnam parentem gnatus Alcmenen suam Tantus vocabit?* Idem.

1779. *Thebane*] Amphitryo Thebanorum dux, mihi conjux. Herc. pater (putative) tu felix, qui intrasti, &c. *Farnabius.*

1783. *Sævis regibus*] Tyrannis. *Id.*

1785. *Ca-*

Quicumque cæsos ingemunt gnati patres,
A me petent supplicia. me cuncti obruent.
Si quis minor Busiris, aut si quis minor
Antæus urbes fervidæ terret plagæ,
Ego præda ducar. si quis Ismarios greges
Thracis cruenti vindicat, carpent greges
Mea membra diri. forsitan pœnas petet
Irata Juno. totus uretur dolor.
Secura victo tandem ab Alcide vacat.
Pellex supersum, supplicia de qua exigat.
Ne parere possem, fecit hic gnatus mihi
Uterum timendum. quæ petam Alcmenæ loca?
Quis me locus, quæ regio, quæ mundi plaga
Defendet? aut quas mater in latebras agar
Ubique per te nota. si patriam petam,
Laresque miseros, Argos Eurystheus tenet.
Orbata Thebas regnum & Ismenum petam,
Thalamosque nostros, in quibus quondam Jovem
Dilecta vidi? prô nimis felix, nimis,

Si

1785. *Cæsos*] Patres tyrannos ab Hercule cæsos. *Idem.*

1787. *Minor*] Filius Busiridis. *Id. Minor*] Antæi filius. *Idem.*

1788. *Antæus urbes perfidæ*] Scilicet hic perfidia Punica commemoranda erat. Ocius rescribe ex Flor. *fervidæ terret plagæ.* nempe in austrum & meridiem vergentis. *Gronovius. Perfidæ*] Afrorum, Pœnorum, quorum perfidia abiit in gentis notam. *Farnabius.*

1789. *Si quis Ismarios greges*] Flor. *Ismarius.* Gronovius. *Si quis*] Si quis Diomedis filium patrem suis equis objectum vindicare voluerit, Herc. Fur. v. 225. *Farnabius.*

1790. *Cruenti*] Humana carne pasti. *Idem.*

1792. *Totus uretur dolor.*] Corruptum omnino, & corrigendum, priusquam explicandum. Forte: *notus uretur dolor.* nempe Iunonis. *Gronovius.*

1794. *Supplicia de qua exigat.*] Fl. *expetat.* Deinde forsan: *Si parere possem.* Gronovius. *Supplicia*] Vt in me iras exerceat. *Farnabius.*

1795. *Ne parere*] Ne partus pœnam à me exigat Iuno. *Idem.*

1799. *In latebras agar? Vbique certa nota.*] Lege ex Flor. *quas mater in latebras agar Vbique per te nota?* Gronovius.

1800. *Laresque*] Domum patris mei Electryonis. *Farnabius.*

1801. *Orbata Thebas regnum*] Flor. *Marita Thebe regnat Ismenon.* Scribe: *Theben mariti regnum & Ismenon petam?* Vix enim ausim: *Marita Thebas regna.* Gronovius. *Regnum*] Thebanum quod alluit Ismenus fluv. *Farn.*

Si fulminantem & ipsa sensissem Jovem!
Utinam meis viscеribus Alcides foret
Exsectus infans! nunc datum est miseræ, datum,
Videre gnatum laude certantem Jovi:
Et hoc daretur scire, quod fatum mihi
Eripere posset! quis memor vivet tui,
O gnate, populus? omne jam ingratum est genus.
Petam Cleonas? Arcadum an populos petam?
Meritisque terram nobilem quæram tuis?
Heic dira serpens cecidit; heic ales fera;
Heic rex cruentus; heic tua fractus manu,
Qui te sepulto possidet cœlum, leo.
Si grata terra est, populus Alcmenam tuam
Defendat omnis. Thracias gentes petam,
Hebrique populos? hæc quoque est meritis tuis
Defensa tellus. stabula cum regno jacent.
Heic pax cruento rege prostrato data est.
Ubi enim negata est? quod tibi infelix anus

Quæ-

1804. *Si fulminantem*] Si ipso concubitu periissem fulmine ut Semele. Herc. Fur. v. 455. *Farn.*

1806. *Exectus infans*] Flor. *Exceptus.* Forte, *Exemptus*, ut Bacchus scilicet Semeles. nam ad hujus nativitatem alludit. *Gronovius.*

1807. *Nunc datum est miseræ, datum*] Flor. *nunc datum est tempus, datum Videre gnatum.* Sequenti legendum: *Ut hoc daretur*, cum Grutero: vel potius, *Ut & hoc daretur, scire, quid fatum mihi Eripere posset.* Gronovius.

1807. *Jovi*] Cum Iove. Hellenism. *Farnabius.*

1808. *Hoc daretur*] Te mihi ita fulminatæ ac mortuæ superstitem esse. *Idem.*

1811. *Cleonas*] Oppidum inter Argos & Corinthum juxta quod sylva Nemæa. *Farnabius. Arcadum an populos petam? Meritisque terram*] Flor. *Arcadum populos petam Meritisque terras nobiles.* Gronovius. *Terram*] Heins. *Lernam* legendum conjicit. vel lege *Terras nobiles.* Farnabius.

1813. *Heic dira*] In Lerna palude Argiva. *Idem. Heic ales*] In Arcadia Stymphalis volucris. vel cerva æripes alata. *Idem.*

1814. *Heic rex*] In Ægypto, Thracia, Lybia, Busiris, Diomedes, Antæus. *Idem. Heic tua*] Herc. Fur. v. 223. Thyest. v. 853. *Idem.*

1816. *Populus Alcmenam tuam Defendat*] Flor. *Alcmenae.* Lege: *populus Alcmenen tuam Defendet omnis.* Gronovius.

1819. *Defensa*] Interfecto Diomede. Herc. Fur. v. 225. *Farn.*

1821. *Ubi enim negata?*] Quum sic ederetur, Lipsium hic notasse reperio: Illustriora hæc facio: *Ubi negata est.* sine interrogatione & vocula addita è libro. Sensus: Hic Thraciæ universæ pax est data, postquam Diomedi uni negata est: quem interemit. Additam

vocem

Quæram sepulchrum? de tuis totus rogis
Contendat orbis. reliquias magni Herculis
Quis populus, aut quæ templa, quæ gentes colent?
Quis jam petet, quis poscet Alcmenes onus?
Quæ tibi sepulchra, gnate, quis tumulus sat est?
Hic totus orbis. fama erit titulus tibi.
Quid, anime, trepidas? Herculis cineres tenes.
Complectere ossa. reliquiæ auxilium dabunt.
Erunt satis præsidia. terrebunt tuæ
Reges vel umbræ. *Phil.* Debitos gnato quidem
Compesce fletus, mater Alcidæ incliti.
Non est gemendus, nec gravi urgendus nece,
Virtute quisquis abstulit fatis iter.
Æterna virtus Herculem fleri vetat.
Fortes vetat mœrere, degeneres jubet.

Alcm.

vocem non aliam intelligo quam *Est*. Delrius tamen referens quasi conjecturam (quæ mihi videtur esse libri veteris scriptura) Lipsii vulgato acutiorem ponit: *Vbi ei negata est*: Quod & in notis Lipsii postea editis expresserunt. At ego ex scriptura codicis aliquid etiam recidendum censeo, & significari: *Hic pax cruento rege prostrato data est, Vni negata*, nempe cruento illi regi Diomedi. Multo quidem hoc rotundius. Propemodum etiam suspicor & veterem & Lipsii manum *Vni* dedisse; *ubi* autem errato operarum editionis primæ deberi. *Gron. Vbi enim*] Lipsius. *Vni ea negata est*, q. d. Thraciæ universæ data est pax postquam Diomedi uni negata est quem interemit. *Idem.*

1825. *Alcmenes onus*] Vnam Herculis continentem reliquias quam gesto. *Idem.*

1826. *Quis tumulus sat est?*] Leviter abblanditur Grutero, quod est in uno Ms. *quos titulus sat est*? Vt prorsus placeat, in sequentem versum rejicias suadeo cum Florentino: *quis tumulus sat est? Hic totus orbis. fama erit titulus tibi.* Monumentis enim mortuorum addebantur tituli, sive inscriptiones honorum & rerum gestarum commemoratione adornatæ. Totus orbis, inquit, erit tibi sepulcrum vel tumulus: fama autem titulus. *Gronovius.*

1828. *Herculis cineres tene*] Flor. ut & aliquot Pall. *tenes*. Ipsa enim se confirmat, negatque trepidandum, vel ideo, quod Herculis cineres teneat, quorum reverentia tutam possit præstare. Quod sequitur, fuit: *Complectar ossa. reliquiæ auxilium dabunt. Erunt sat hæc præsidia.* Gronovius.

1834. *Virtute*] Quisquis ab injuria oblivionis & mortalitatis se vindicavit, sibique sua virtute ad cœlum struxit iter. *Farnabius.*

1836. *Fortes vetat mœrere*] Flor. *vetant* & *jubent*. Aut hoc admittendum, quasi præceptum sapientum: aut potius: *Fortes veta mœrere, degeneres jube*. Gronovius. *Fortes vetat*] Non sunt lugendi, qui sibi virtute sua nomen æternum assecuti sunt, sed ii qui nihil in vita egerunt, quo posteris se bene vixisse testentur. *Farnabius.*

1837. *Vin-*

Alcm. Sedabo queſtus? vindicem amiſi parens
Terræ atque pelagi, quaque purpureus dies
Utrumque clara ſpectat Oceanum rota.
Quot miſera in uno condidi gnatos parens?
Regno carebam, regna ſed poteram dare.
Una inter omnes terra quas matres gerit,
Votis peperci. nil ego à ſuperis petii
Incolume nato. quid dare Herculeus mihi
Non poterat ardor? quis Deus quidquam mihi
Negare poterat? vota in hac fuerant manu.
Quidquid negaret Jupiter, daret Hercules.
Quid tale genitrix ulla mortalis tulit?
Deflevit aliqua mater, & toto ſtetit
Succiſa fœtu, biſque ſeptenos greges
Deplanxit una. gregibus æquari meus
Quot ille poterat? matribus miſeris adhuc
Exemplar ingens deerat. Alcmene dabo.
Ceſſate matris, pertinax ſi quas dolor
Adhuc jubet lugere, quas luctus gravis
In

1837. *Vindicem amiſi parens Terræ atque pelagi, quaque*] Flor. *vindice amiſſo p. Terra atque pelagus quæque*: dein *Oceano*. Dubium relinquit, utrum ſcribendum ſit: *vindice amiſſo parens Terræ atque pelagi*: an, *vindicem amiſit parens. Terra atque pelagus, quæque purpureus dies Ab utroque clara ſpectat Oceano rota.* Gronovius. *Parens*] Ego mater illius. *Farnabius. Purpureus dies*] Sol rubens. *Idem.* Ovid. 3. Faſtor. *Purpureum rapido qui vehit axe diem.* Delr.

1839. *Utrumque*] Orientem & occidentem, Indicum & Gaditanum. *Farnabius. Clara rotâ*] Curru ſplendido. *Idem.*

1841. *Poteram*] Per filium regum victorem. *Idem.*

1843. *Votis peperci*] Non votis Deos fatigavi. neque enim opus, cum mihi non mihi filius ſuppediteret. *Idem.*

1845. *Ardor*] Ardens amor & virtus. *Idem.*

1849. *Deflevit aliqua mater*] Hoc ſic Latine non dicitur. Forteſſe: *Diriguit aliqua mater, ut toto.* Poſtquam omnem ſtirpem perdidit, & quatuordecim liberos una deplanxit, defixa eſt in ſaxum. *Gronovius. Aliqua*] Neſcio quæ. nimirum Niobe. al. *olim.* Farnabius. *Mater*] Niobe enim numeroſa prole ſuperbiens Latonæ ſe prætulit, liberis itaque XIIII. à Phœbo & Diana interfectis, & ipſa dolore ſtupeſcens, in ſaxum mutata eſt. Herc. Fur. v. 389. *Idem.*

1851. *Gregibus*] Natorum. *Idem.*

1853. *Alcmene dabit*] Melius Flor. *Alcmene dabo.* Conſtituam documentum quomodo fortem virum lugeat mater. *Gronovius. Dabit.*] Exemplar miſeræ matris. *Farnabius.*

1856. *In*

In saxa vertit. cedite his cunctæ malis.
Agedum, senile pectus, ô miseræ manus,
Pulsate. & una funeri tanto sat est
Grandæva anus defecta; quod totus brevi
Jam quæret orbis? expedi in planctus tamen
Defessa quamquam brachia. invidiam ut Deis
Lugendo facias, advoca in planctum genus.

1856. *In saxa*] Vt Nioben. *Idem.*
1858. *Pulsate. & una*] Forte: *Pulsate. An una funeri.* Et mox: *Anquiret orbis.* Gronovius.
1861. *Vt invidiam*] *Invidiam factura parens.* vid. Oed. v. 200. *Farnabius.* Versus requirit, voce transposita legatur: *invidiam ut deis.* Gruterus.
1862. *Genus*] Humanum *vel* Herculis. ut in sequenti nænia, alii *genus. Farnabius.*

ALCMENA.

Tristis Alcmena næniam canit.

Flete Almenen, magnique Iovis
Plangite gnatum, cui concepto
Lux una periit, nocteſque duas
Contulit Eos: ipsa quiddam
Plus luce perit. totæ pariter
Plangite gentes, quarum sævos
Ille tyrannos jussit Stygias
Penetrare domos, populisque madens
Ponere ferrum. fletum meritis
Reddite tantis. totus, totus
Personet orbis. fleat Alciden
Cærula Crete; magno tellus
Clara Tonante: centum populi
Bra-

1854. *Cui concepto*] Herc. Fur. v. 24. *Idem.*
1866. *Eos:*] Aurora. *Idem. Quiddam*] Hercules, propter quem illius diei lux periit. *Idem.*
1870. *Madens*] Subditorum cæde madens. *Idem.*
1874. *Crete*] Insula clara incunabulis Iovis, cui Hercul. filius, *vel* propter taurum Cretensem ab Herc. interfectum. Agamem. v. 827. *Idem. Magno tellus Clara Tonante*] Sic quidem omnes libri. Res tamen ipsa potius requirit: *parvo tellus Clara Tonante.* Infans enim fuisse illic in cunis credebatur. Flor. *magno tellus Cara Tonanti.* Gronovius. *Centum*] Cretæ. ὁλοκληρῶς. *Idem.*

Brachia pulsent.
Nunc Curetes, nunc Corybantes,
Arma Idæa quassate manu:
Armis illum lugere decet.
Nunc nunc funus plangite verum:
Iacet Alcides non minor ipso,
Creta, Tonante.
Flete Herculeos, Arcades, obitus,
Nondum Phœbo nascente genus.
Iuga Parthenii Nemeæque sonent,
Feriantque graves Mænala planctus.
Poscite magno Alciden gemitu:
Stratus vestris setiger oris:

Ales-

1877. *Nunc Curetes*] Popul. Cretæ, qui ex Ida Phrygiæ monte in Cretam trajecerunt: *vel ut alii*, ex Ida Cretæ monte Opis digitis tacta nati sunt, unde & dactyli Idæi dicti, qui quod ἐνόπλιον saltantes vel cymbala pulsantes Iovis vagitum celarent, ἀπὸ τῆς κουροτροφίας nomen sortiti sunt, aliis ἀπὸ τῆς κούρης dicti, quod anteriorem partem capitis detonsi, posteriorem fovebant, *vel* quod mollium puellarum ritu comam foverent. *Farnabius.* Ex veteribus Euphorion, Eratosthenes, Orpheus & Callisthenes; ex neotericis Scaliger in libro de arte poëtica, & Dion. Lambinus in lib. 2. Lucretii, Curetes & Corybantes eosdem esse scripserunt: sed Semus Delius, Archemachus Euboicus & Echemenes diversos esse crediderunt: quos Seneca hic sequitur; & Ovidius scribens, *Hoc Curetes habent, hoc Corybantes opus.* Delrius. *Corybantes*] Corybantes dicti, q. κορυπλοῦντες; aliis tamen à κόρη pupilla, quod vigiles Iovem custodirent: aliis παρὰ τὸ κόρυθα, quod galeati incederent. Lucianus tamen Corybantes Phrygiæ Cybeles, Curetas Cretensis Iovis sacerdotes esse vult. *Farnabius.*

1878. *Arma Idæa*] Cymbala, tibiam, tympana, buxum Berecynthium. *vel simpliciter*, arma. Curetes enim primum ἐνόπλιον saltasse dicuntur, ut Iovis vagitum armorum strepitu obtegerent. *Idem.*

1879. *Armis*] Heroëni scilicet fortem. *Idem.*

1880. *Verum*] Non falsum & imaginarium, ut Iovis quondam. *Idem.*

1884. *Phœbo*] Scribendum *Phœbe.* i. Arcades προσέληνοι. vid. Hippol. v. 783. *D. Heins.*

1885. *Iuga Parthenii*] Montis Arcadiæ. *Idem.* Arbitror hoc auctoris germanum, compellatisque Arcadibus enumerare eum loca aliquot Arcadiæ. nam Parthenium montem ejusdem regionis, testatur in Arcadicis Pausanias ipso fine, Strabo item l. 8. Geograph. & alii. *Gruterus. Nemeaque*] Sylvæ inter Cleonem & Phliuntem, in qua Herc. Leonem interfecit. *Farn.*

1886. *Mænala*] Arcadiæ mons. *Id.*

1887. *Poscite magno Alciden gemitu*] Flor. *Magno Alciden poscite gemitu.* Et statim: *Stratus vestris setiger agris.* non *oris.* Gronovius.

1888. *Setiger*] Aper Erymanthius, Mænalius, Arcadius. *Farnabius.*

1889. *Ales-*

Alesque sequi jussa sagittas,
Totum pennis velata diem.
Flete, Argolicæ, flete, Cleonæ;
Hic terrentem mœnia quondam
Vestra leonem fregit nostri
Dextera nati. Date Sithoniæ
Verbera matres, geliduſque sonet
Planctibus Hebrus. flete Alciden,
Quod non stabulis nascitur infans,
Nec vestra greges viscera carpunt.
Fleat Antæo libera tellus,
Et raptâ fero plaga Geryonæ.
Mecum miseræ plangite gentes.
Audiat ictus utraque Tethys.

Vos

1889. *Alesque*] Stymphalides, quæ Solis radios pennis obumbrarunt, sagittis Hercul. vel ut alii ærei crotali crepitu pulsæ. Thebaid. v. 422. Herc. Fur. v. 243. *Farnabius.*

1890. *Totum pinnis velata*] Num scriptum fuit; *vallata.* hoc ordine; alesque vallata pinnis jussa sagittas sequi totum diem: ut coëgerit illam Hercules integro die fugere, continue sagittis insecutus. & sit synecdoche. eodem sensu cape aliam lectionem. *Delr.* Putem vulgatam dicere, Stymphalidas, alis suis expansis diem ipsum obtenebrare solitas, decidisse in terram una cum Herculeis telis. *Gruterus.*

1891. *Flete, Argolici; flete, Cleonæ;*] Florent. *Flete Argolicæ, flete, Cleonæ.* Gronovius. *Cleonæ*] Sup. v. 1811. *Farn.*

1894. *Date Sithoniæ Verbera matres,*] Flor. *Bistoniæ.* Gronovius.

1897. *Nascitur infans*] Non alitur pabulum futurum equis Diomedis, passive vel per Hypallagen. *Farnabius.* Vulgo, *vescitur.* Ego tibi adfirmo scribendum, *nascitur infans.* Flete, inquit, Herculem, cui debetis, quod non nascuntur vobis pueri, futuri pabulum equis. *Lipsius.* Diomedes Tindæ in Thracia regnans, fingitur equos humano sanguine & carnibus pavisse, etiam auctore Plinio lib. 4. c. 11. hic cum Herculis catamitum Abderum equis epulandum appositset, ubi supervenit Hercules, suo ipse supplicio periit: equi clavâ necati, ut tradit Tatianus in Orat. ad Græcos, & Philostratus in Imaginibus. Higynus consentit, sed vult Abderum fuisse famulum Diomedis, & addit equorum nomina, cap. 30. feritatem eorum Euripides in Alceste describit. Philostratus equas fuisse contendit, quæ furiatæ maribus ferociores: idque illorum traditioni aptius, qui volunt has fuisse equas κατ' ἀναλογίαν; veras Diomedis filias, scorta nobilia, quæ hospites pecuniis denudare, & exspoliare consueverant, & propter effrenatam libidinem equas appellatas. Palæphato placet fabulæ locum datum, eo quod Diomedes equis alendis, & præsepiorum multitudine, subditorum opes exhauriret. *Delrius.*

1899. *Antæo*] Sup. v. 24. *Farnabius.*

1900. *Plaga*] Hispania. vid. Herc. Fur. v. 232. *Idem.*

1902. *Audiat*] Solem Orientem emittens & Occidentem excipiens. vid. Herc. Fur. v. 25. *Idem.*

Vos quoque mundi turba citati
Flete Herculeos, numina, casus.
Vestrum Alcides cervice meus
Mundum, superi, cœlumque tulit:
Cum stelligeri vector Olympi,
Pondere liber spiravit Atlas.
Ubi nunc vestræ, Juppiter, arces?
Ubi promissi regia mundi?
Nempe Alcides mortalis obit,
Nempe sepultus. quoties telis
Facibusque tuis ille pepercit!
Quoties ignis spargendus erat?
In me saltem jaculare facem,
Semelemque puta. Jamne Elysias,
O gnate, domus, jam littus habes,
Ad quod populos Natura vocat.
An post raptum Styx atra canem
Præclusit iter;
Teque in primo limine Ditis
Fata morantur? quis nunc Umbras,
Gnate, tumultus, Manesque tenet?
Fugit abducta navita cymba,
Et Centauris Thessala motis
Ferit

1903. *Turba*] Cœlicolæ. *Farnabius.*

1905. *Cervice*] Hercul. Fur. v. 68. *Idem.*

1908. *Pondere liber spiravit Atlas*] Flor. *stravit.* Numquid, *strigavit*, id est, interquievit. Apud Iustinum quoque lib. 11. cap. 15. *respirandi equis data potestate*: suspicari possis Trogum Pompejum dedisse: *strigandi*. Gronovius.

1912. *Telis*] Sup. v. 6. *Farnabius.*

1916. *Semelemque*] Sup. v. 1804. *Idem. Elysias*] Troad. v. 942. *Idem.*

1918. *Ad quod*] Mortis communem omnibus portum. *Idem.*

1919. *An post*] An quod olim Cerberum rapuisti aditum jam tibi negant, ingredique prohibent? *Idem.*

1922. *Fata*] Numquid (ait) te morantur in ipso vestibulo leges fatorum; vel Parcæ fati præsides; quæ aditu arcent. Alii libri; *monstra*. non prorsus male. quis nescit illa in foribus inferorum stabulare? illic statuunt Maro, & cereri, & ipse Seneca Hercul. Fur. & tertio ab hoc versu. *Delr. Quis nunc*] Te secundo jam adveniente. *Farnabius.*

1924. *Fugit*] Fugitne Charon, monstrorumque timent simulachra, ut quondam? Herc. Fur. v. 769. *Idem.*

1930. *Fal-*

Ferit attonitos ungula Manes?
Anguesque suos hydra sub undis
Territa mersit? teque labores,
O gnate, timent?
Fallor, fallor, vesana parens;
Nec te Manes Umbræque timent.
Non Argolico rapta leoni
Fulvâ pellis contecta jubâ
Lævos operit dura lacertos;
Vallantque feri tempora dentes.
Donum pharetræ cessere tuæ.
Telaque mittet jam dextra minor.
Vadis inermis, gnate, per umbras,
Ad quas semper mansurus eris.

1930. *Fallor, vesana parens*] Flor. *vesana furens*. Gronovius.

1932. *Non*] Non enim descendis armatus ut quondam. *Farnabius. Argolico.*] Cleonæo, Sup. v. 1811. *Idem.*

1934. *Feri*] Rictus leonis galeæ loco gerebat. Herc. Fur. v. 797. *Idem.*

1936. *Donum pharetræ*] Fortasse, *Dono.* Vt apud Curtium lib. 5. *nam ante quingenariæ cohortes erant, nec fortitudinis præmio cesserant*. ut bene corrigit Lipsius. Scio quidem apud eundem lib. 6. *præmium regis occisi totum Orientem interfectoribus esse cessurum.* Sed hujus alia ratio est. *Gronovius.*

1937. *Dextra*] Philoctetæ dextra, tua minus valida. *Farnabius.*

* ALCMENA. HERCULES.

Solatur lugentem matrem Hercules in deorum collegium translatus, *machina autem demissus Herc. ex editiore loco supra episcenium inducitur.*

Herc. Quid me tenentem regna siderei poli,
Cœ-

* HERCULES. ALCMENA.] Flor. *VOX. HERCVLIS. ET IDEM.* Apud Sophoclem in Ajace Vlysses à Minerva compellatus sic respondit: Ω φθέγμ' Αθάνας φιλτάτης ἐμοὶ θεῶν, Ὡς εὐμαθές σου, κἂν ἄποπτος ᾖς, ὁμῶς Φώνημ' ἀκούω. Vbi Scholiastes: Καὶ τοῦτο ἄριστα πεποίηται. Φθέγμα γὰρ εἶπεν ὡς μὴ θεασάμενος αὐτὴν. δῆλον γὰρ, ὡς οὐκ εἶδεν αὐτὴν, ἐκ τοῦ, κἂν ἄποπτος ᾖς, τουτέστιν ἀόρατος. Sic interdum audiebantur tantum, aut audiri modo simulabantur dii, utique in scena gestientibus. Apud Euripidem quoque Hippolytus Dianam jam locutam non videre ait, sed αἰσθέσθαι τὸ θεῖον ὀδμῆς πνεῦμα, & inde affirmat: Ἔστι ἐν δόμοις δέ γ' Ἄρτεμις θεά. Alcmena tamen infra se vidisse autumat sed ambigue: nec opinor, dum omnes isti versus pronunciantur, sed momento, dum machina in cœlum abit, lucidum limitem linquens. *Gronovius.*

1940. *Quid me*] Prodit Hercules ex loco

Cœloque tandem redditum, planctu jubes
Sentire fatum? parce. nam virtus mihi
In astra, & ipsos fecit ad superos iter.
Alcm. Unde sonus trepidas aures ferit?
Unde meas inhibet lacrimas fragor?
Agnosco, agnosco, victum est Chaos.
A Styge, gnate, redis iterum mihi:
Fractaque non semel est Mors horrida.
Vicisti rursus Noctis loca,
Puppis & infernæ vada tristia.
Pervius est Acheron jam languidus,
Et remeare licet soli tibi.
Nec te Fata tenent post funera.
An tibi præclusit Pluton iter,
Et pavidus regni metuit sibi?
Certe ego te vidi flagrantibus
Impositum silvis, cum plurimus
In cœlum fureret flammæ metus.

Ar-

loco extraordinario, qui erat sublimis sine machina, & ex quo numina in theatrum introducebantur, Iul. Scaliger in Historico. *Delr.* Dicit quidem Scaliger, si quod numen introduceretur, fuisse locum extraordinarium, quem Θεολογεῖον nominabant: qualis in Ajace Sophoclis, in Hippolyto Euripidis: & fuisse sublimem sine machina: sed in eodem capite dicit: proxima huic machina alia versatilis, unde nomen Περιφερὲς· cujus opera heroës in deos transformabantur: ejus usus in Hercule Oetæo. Sic ille. *Gronovius. Tenentem*] Herculem in cœlum relatum alii Engonasin, alii Martis stellam putant. *Farnabius.*

1941. *Cœloque*] *Vel* quod Jove satus fuerit; vel ex opinione Platonica, animas priusquam in corpora demitterentur in cœlo fuisse. *Planctu*] Viventium planctu luctuque nimio manes offendi creditum. *Tu manes ne lade meos & parce solutis crinibus, & teneris Delia parce genis. Tibull.* Idem.

1942. *Parce. nam virtus mihi*] Flor. *parce. jam virtus mihi.* Gronovius.

1944. *Unde sonus*] Flor. *Vnde unde sonus trepidas aures ferit?* Idem.

1946. *Chaos*] Infernum & mors. *Farnabius.*

1949. *Vicisti rursus Noctis loca,*] Fl. *Mortis loca.* Gronovius.

1950. *Puppis*] Cymbæ Charontis. *F.*

1951. *Acheron*] Agam. v. 12. *Idem.*

1954. *An tibi*] Sup. v. 1919. *Idem.*

1955. *Pavidus*] Ne regnum illi eriperes metuens. *Idem.*

1957. *Cum plurimus In cœlum fureret flammæ metus.* Flor. *cum plurimus In cœlum fureret flammæ metus.* i. e. multa & formidabilis flamma. Sed & aliter, *cur te cur ultima.* non *certe verum ultima.* Videntur igitur ita legendi hi versus: *Certe ego te vidi flagrantibus Impositum silvis, cum plurimus In cœlum fureret flammæ metus. Arsisti. cur te, cur, ultima Non tenuere tuas umbras loca?* Gronovius.

1959. *Vi-*

Arsisti certe; verum ultima
Non tenuëre tuas umbras loca.
Quid timuëre tui manes precor?
Umbra quoque est Diti nimis horrida.
Herc. Non me gementis stagna Cocyti tenent
Non puppis umbras furva transvexit meas.
Jam parce, mater, quæstibus. Manes semel
Umbrasque vidi: quidquid in nobis tui
Mortale fuerat, ignis evictus tulit.
Paterna cœlo pars data est, flammis tua.
Proinde planctus pone, quos gnato paret
Genitrix inerti. luctus in turpes eat.

Virtus

1959. *Vltima loca*] Inferna, Tartara. *Farnabius.*

1961. *Quid timuere*] Quam tui partem timuere manes? an & umbram tuam? vid. sup. quæ ad v. 1706. *Idem.*

1962. *Vmbra quoque est Diti*] Flor. *Ditis.* Sed ego malim: *Vmbra quoque es Diti nimis horrida.* Gronovius.

1963. *Non me rigentis stagna*] Flor. *gementis.* Optime. nam inde nomen. Κωκύω lamentari, ejulare. *Gronovius. Cocyti*] Agam. v. 12. *Farnabius.*

1964. *Semel*] Dum in vivis eram. *Id.*

1966. *Quidquid*] Anima cœlum petiit, corpus in cognata elementa, unde ortum, abiit, putabant autem ἀποθεώσεως illi fautores oportere terrenum illud omne corpori admixtum comburi, ut immortalis quis fieret. *Idem.*

1967. *Ignis injectus tulit.*] Fl. *ignis evictus tulit.* Supra: *Quod unum in orbe vicerat nondum malum, Et flamma victa est.* Grotius, *ingestus* vel *invitus* adscripserat. *Gronovius.*

1968. *Flammis tua*] D. Cyprianus in lib. de Idolor. vanitate: *Castor & Pollux alternis moriuntur, ut vivant: Æsculapius, ut in Deum resurgat, fulminatur: Hercules, ut hominem exuat, Oetæis ignibus concrematur.* Quæ verba eadem inveni in Minucii Felicis Octavio. Suspicor unum ab alio accepisse; vel in alteruttius librum inserta à philologis sariis. Arnobius lib. 4. ita scribit: *Plutarchus Herculem post comitialu morbi ruinas in cineres dissolutum prodidit.* Quod nonnulli, completo nondum trigesimo ætatis anno, volunt accidisse: & ab hac ejus miseria natum proverbium: *Ardens tunica.* Manethon autem, Eusebius & D. Isidorus, sunt auctores, Herculem anno vitæ 52. cum in morbum pestilentem incidisset, sanitate desperatâ, ob cruciatus acerbitatem, sese in flammam injecisse. Aristoteles bile atrâ agitatum violentas sibi manus censet intulisse. Putabant, ut quis immortalis fieret, terrenum omne corpori admixtum, igne prius comburi oportere. sic Ceres 4. Fastorum, volens Triptolemo immortalitatem conferre: *Inque foco corpus pueri fervente favillâ Obruit, humanum purget ut ignis onus.* Martianus Capella, de Philologiâ in cœlum transferendâ, lib. 2. *formæ ac substantiæ cœpit formidare corporeæ. Quippe perferendos flammarum cœlestium globos, & ignes ardentium siderum mortalibus adhuc artibus, & gracilenta macilitate siccatis, non incassum tremebunda formidat.* Delr.

1969. *Quos gnato paret*] Supra v. 1835. *Farn.*

Virtus in aſtra tendit, in mortem timor.
Præſens ab aſtris, mater, Alcides cano;
Pœnas cruentus jam tibi Euryſtheus dabit.
Curru ſuperbum vecta tranſcendes caput.
Me jam decet ſubire cœleſtem plagam.
Inferna vici rurſus Alcides loca.
Alcm. Mane parumper. ceſſit; ex oculis abiit;
In aſtra fertur. fallor, an vultus putat
Vidiſſe gnatum? miſera mens incredula eſt.
Es numen, & te mundus æternus tenet.
Credo triumphis. regna Thebarum petam,
Novumque templis additum numen canam.

CHO-

1971. *Virtus*] Fores virtus ſua cœlo & immortalitate beat, ignavorum memoriam una cum corpore mors abſorbet. *Farnabius.*

1972. *Cano*] Tibi prædico. *Idem.*

1973. *Pœnas cruentus*] Ab Herculis filiis enim & Iolao apud Marathonem poſtea devictus eſt. *vel ut alii* ejus ab Hyllo interempti caput ad Alcmenam allatum. *Idem* Vide Euripidem Heraclidis; à quo Strabo lib. 8. diſſentit. Euripides ſcribit Euryſtheum non in pugna ab Iolao interemtum, ſed in pugna captum, vivum Alcmenæ traditum fuiſſe. Strabo autem lib 8 Εὐρυσθεὺς μὲν οὖν στρατεύσας εἰς Μαραθῶνα ἐπὶ τοὺς Ἡρακλέους παῖδας ἐ Ἰόλαον, βοηθησάντων Ἀθηναίων, ἱστορεῖ) πεσεῖν ἐν τῇ μάχῃ. ἐ τὸ μὲν ἄλλο σῶμα Γαργηττοῖ ταφῆναι, τὴν δὲ κεφαλὴν χωρὶς ἐν τῇ Κορίνθῳ, ἀποκόψαντος αὐτὴν Ἰολάου περὶ τὴν κρήνην Ἀκαρίαν, ὑπὸ ἁμαξιτόν. Pauſanias in Atticis ſimpliciter ab Iolao cæſum teſtatur, non addens in pugna an à pugna idipſum contigerit. *Delr.*

1976. *Inferna vinco*] Flor. *Inferna vici.* Gronovius. *Vinco*] Alii *Vito.* Fl. Vinci. *Farn*

1979. *Miſera mens incredula eſt.*] Sic Flor. & eſt id ipſum quod in Thyeſte: *Proprium hoc miſeros ſequitur vitium, Nunquam rebus credere lætis.* Gronovius. *Miſera*] vid. 312. Herc. Fur. *F.*

1980. *Et mundus*] *Mundus*, id eſt Cœlum. Tamen liber, *numen æternum.* haud improbe. Sequenti verſu velim, *Io triumphe.* Et uſurpo libens, poſt longam cum vitiis in hac Fabulâ pugnam. quæ ipſa (uno verbo dicam) vitium: nec in ullo ſcripto manifeſtius φρύαγμα & ὄγκος. *Lipſ.*

1981. *Credo, triumphas.*] Quare ineptum dicit Scaliger, quod prius legebatur: *Credo triumphis?* Nempe quia & Lipſius prorſus κακοζήλως conjecit: *Io triumphe.* Nimis properarunt. Credo, inquit, victoriis tuis & maximis rebus geſtis: illæ enim jamdudum cœlo te dignum omnibus perſuaſerunt. Nam ipſa ſibi num credere debeat, dubitat. *Gronovius.*

1982. *Novumque templis*] Scribit Pauſanias Eliac. 1. ſe à Thaſiis accepiſſe, Thaſi eſſe Tyrium Herculem, jam initio ab illis cultum; qui cum ſe Græcis adjunxiſſent, ſimul Thebanum Herculem eo honore proſequi cœperunt. Marathonios tamen affirmare ſe mortalium primos Herculi divinos honores exhibuiſſe. ſed Ariſtides id Athenienſibus adſcribit, in Panathenaica. In quibuſdam Thaſiorum nummis argenteis vidi Herculis ſimulacrum cum clava & leonis exuviis. *Del.*

1983. *Nun-*

CHORUS,

Herculis ἀποθέωσιν adspirat Chorus, novumque numen adorat.

Numquam Stygias fertur ad umbras
Inclita virtus. vivite fortes;
Vos Lethæos sæva per amnes
Nec fata trahent. sed cum summas
Exiget horas consumpta dies,
Iter ad superos gloria pandet.
Sed tu domitor magne ferarum,
Orbisque simul pacator ades.
Nunc quoque nostras respice terras:
Et si qua novo bellua vultu
Quatiet populos terrore gravi,
Tu fulminibus frange trisulcis.
Fortius ipso genitore tuo
Fulmina mittes.

1983. *Nunquam*] Sup. v. 1835, & 1969. *Farnabius.*

1989. *Tu domitor*] Hercules. *Idem.*

1992. *Bellua*] Monstrum, tyrannus. *Idem.*

1994. *Tu fulminibus*] Supra v. 6. *Idem. Trisulcis*] Trisulcum dicitur fulmen, propter ignes trium superiorum siderum ad terram deciduos, quorum summus ex nimio Saturni humore infusçat, ὀργῆς: imus ex ardore Martis cremat dissipatque, ψολόεις; medius è clara Iovis subtilitate penetrat etiam illæsis operimentis καθάπτης. Iovi rursus tres datæ sunt manubiæ, Minores, quæ moneant; Majores quæ XII. deorum concilio missæ discutiant: Maximæ, quas Iupiter eorundem nutu jaculatus, accendit, disperdit, imis summa commutat, *Idem.*

L. AN-

L. ANNÆI SENECÆ OCTAVIA.

PERSONÆ.

OCTAVIA. NUTRIX OCTAVIÆ. CHORUS Romanorum. SENECA. PRÆFECTUS. POPPÆA. AGRIPPINA. NERO. NUNCIUS.

ARGUMENTUM.

Claudius Druſus Cæſar Meſſalinæ, quæ illi Britannicum & Octaviam pepererat, quod Silio nupſiſſet, mori juſſæ, Agrippinam filiam fratris ſui Germanici, viduam Cn. Dom. Ænobarbi Neronis ſuperinduxit; cujus filio Neroni Octaviam ſuam in matrimonium dedit. Claudio & Britannico veneno ſublatis, Nero Imp. Octaviam, quam oderat, repudiat, Poppæam Sabinam ducit. cujus divortii cauſa commoti populi tumultum multa cæde reprimit, & Octaviam in Pandatariam ablegatam interfici jubet.

ACTUS PRIMUS.

OCTAVIA.

Vitæ pertæſa miſerias ſuas deflet Octavia.

Iam vaga cœlo ſidera fulgens
Aurora fugat: ſurgit Titan
Radiante coma, mundoque diem
Reddit clarum.
Age tot tantis onerata malis,
Repete aſſuetos jam tibi queſtus,

Atque

5. *Eia age tantis*] Gruterus dedit, *Age tot annis*; etſi nec adſpernetur, *Age tot tantis*, nec *Age tot tantiſque*: quæ omnia in ſcriptis reperiuntur. Sed plurium ſimul & meliorum eſt, *Age tot tantis*, admiſſum quoque à Delrio, hiatu, ut ait recepto. Certe hæc de hiatu opinio iſta ſubjiciendi cauſa fuit. Sed hic ſi hiatus eſt, veteribus placuit. Livius lib. 5. *Videte quot res quam inutiles ſequantur illam viam conſilii.* Eodemque in oratione Camilli: *tot tam valida oppida.* lib. 21. *inter tot tam effrenatarum gentium arma.* lib. 25. *Vnde tot hoſtes tam ſubito exciti prope deleto exercitu forent.* Sic ſcribendum eſt apud Florum lib. 4. cap. 12. *tot tam fortibus, tam ſubito, tam cum conſilio venientibus.* Vbi vulgo, *tunc tam fortibus.* Auctor de bello Afric. *tot tam clarâ victoriâ partis.* Gronovius.

7. *Alcyo-*

Atque æquoreas vince Alcyonas;
Vince & volucres Pandionias:
Gravior namque his fortuna tua est.
Semper genitrix deflenda mihi,
Prima meorum causſa malorum,
Triſtes queſtus
Natæ exaudi, ſi quis remanet
Senſus in umbris. utinam ante manu
Grandæva ſua mea rupiſſet
Stamina Clotho; tua quam mœrens
Vulnera vidi,
Oraque fœdo ſparſa cruore!
O lux ſemper funeſta mihi!
Tempore ab illo lux eſt tenebris
Inviſa magis.
Tulimus ſævæ juſſa novercæ,
Hoſtilem animum, vultuſque truces.
Illa illa meis triſtis Erinnys
Thalamis Stygios prætulit ignes:

Teque

7. *Alcyonas;*] Aves illæ in quas mutati ſunt Ceyx rex Trachinis in Ægæo ſubmerſus cum Alcyone uxore, Neptuni filia. quibus avibus nidificantibus, mare pacatur, quod tempus *Alcedonia* dicitur. Vide Agam. v. 674. *Farnabius.*

8. *Volucres Pandionias*] Luſciniam & hirundinem, in quas mutatæ Procne & Philomela Pandionis regis Athenarum filiæ. Agamem. v. 665. *Idem.*

10. *Genitrix*] Valeria Meſſalina; quam cum ſuper ceteta dedecora etiam Claudius C. Silio nupſiſſe comperiſſet, ſupplicio affecit. *Delr. Deflenda*] Dedecore tuo *vel* morte *propter ſeq.* Idem.

13. *Si quis*] Poëtis hoc familiare, ut ſimulacris hiſce apud inferos maneant memoria & affectus. *Idem.*

15. *Mea*] Vitæ meæ abſcidiſſet telam Parca. Herc. Fur. v. 558. *Idem.*

16. *Tua quam*] Claudius Valeriam Meſſalinam repudiatis Vrgulanilla & Ælia Pætina uxorem duxit. inſatiatæ libidinis mulier præter alia dedecora C. Silio nupſit, quod ubi comperiſſet Imperator ſupplicio affecit; illa autem cum timide & fruſtra ferrum pectori & jugulo admoviſſet, à tribuno tandem confoſſa interiit. *Idem.*

19. *Lux eſt tenebris*] Auctorem ſcripſiſſe cenſeo: *Tempore ab illo lux & tenebris Inviſa magis.* Gronovius.

22. *Novercæ*] Agrippinæ: hæc mortua Meſſalina, Claudio patruo ſuo nupſit. *Delr.*

24. *Triſtis*] Nuptiis infauſti exitus furias ſtatuunt auſpices & pronubas. *Nam mihi nec Iuno, nec Hymen, ſed triſtis Erinnys Prætulit infauſtas ſanguinolenta faces.* Ovid. vid. Med v. 17. *Idem.*

26. Ex-

Teque extinxit, miserande pater,
Modò cui totus paruit orbis
Ultra Oceanum; cuique Britanni
Terga dedêre,
Ducibus nostris ante ignoti,
Jurisque sui.
Conjugis (heu me) pater insidiis
Oppresse jaces; servitque domus
Cum prole tua capta tyranno!

26. *Extinxit*] Boleto venenato Claudium Agrippina sustulit. *Farnabius. Pater*] T. Claudi. *Idem.*

27. *Cui totus*] Namque *Ille Britannos ultra noti Litora ponti & cæruleos Scuta Brigantas dare Romuleis Colla catenis jussit, &c.* Idem.

30. *Ducibus*] Noti & quidem tentati Iulio Cæsari, sed non subacti: ut & Augusto. *Idem.*

32. *Conjugis*] Tuæ, Agrippinæ, supra v. 21. *Idem.*

33. *Oppresse*] Boleto venenato. *Del.*

34. *Tyranno*] Neroni. *Farnabius.*

Nutrix Octaviæ.

Propter alumnæ suæ Octaviæ calamitatem sublimis & aulicæ vitæ conditionem execratur.

Fulgore primo captus, & fragili bono
Fallacis aulæ, quisquis attonitus stupet,
Subito labantis ecce Fortunæ impetu
Modò præpotentem cernat eversam domum,
Stirpemque Claudii, cujus imperio fuit
Subjectus orbis; paruit liber diu
Oceanus, & recepit invitus rates.
En qui Britannis primus imposuit jugum,
Ignota

35. *Fulgore primo*] Interpretantur *fucili*, inconstanti: haud male tamen legatur, *fragili*. Raphel. *Facili*] Levi, *vel* quod etiam malis citra virtutem contineat. *Farnabius.*

37. *Latentis*] Al. *Labantis*. Idem.

40. *Liber diu*] Pop. Britanniæ diu liberi. *Idem.*

41. *Rates*] Nostras, Romanas. *Id.*

42. *En qui Britannis*] De hac Claudii victoria sunt bella aliquot epigrammata in Catalectis. In quorum uno: *Conspectu devicta tuo Germania, Cæsar, Subdidit insueto colla premenda jugo.* Delrius corrigit, *Bri annia, Cæsar*: nam quod passim in lapidibus & nummis vocetur *Germanicus*, propter leviculas victorias à legatis ejus pactas fieri: unam vero ejus expeditionem in Britanniam fuisse. Sane mentio *Germaniæ*

Ignota & ante classibus texit freta,
Interque gentes barbaras tutus fuit,
Et sæva maria; conjugis scelere occidit,
Mox illa gnati. cujus extinctus jacet
Frater venenis. mœret infelix soror,
Eademque conjux. nec graves luctus valet
Ira coacta tegere. crudelis viri
Secreta refugit semper, atque odio pari
Ardens mariti, mutua flagrat face.
Animum dolentis nostra solatur fides,
Pietasque frustra. mutat immitis dolor
Consilia nostra. nec regi mentis potest
Generosus ardor, sed malis vires capit.
Heu, quam nefandum prospicit noster timor
Scelus. quod utinam numen avertat Deûm!

OCTA-

mania ibi locum non habet. Nomen autem *Germanici* non ob leviculas victorias, sed fratre majore in Iuliam familiam adoptato statim sumpsisse Claudium testis Suetonius. Itaque scripsit auctor: *Germanice Cæsar.* Dio lib. LX. Οὕτω μὲν Τιβέριός τε καὶ Κλαύδιος Νέρων Γερμανικὸς, ὁ δὲ Δρῦσος, καὶ τὸ Λιβίας παιδὸς υἱὸς, τῶν αὐτοκρατόρων ἔσχεν ἕλαβε. Nam & *Britanniæ* mentionem ibi commodam esse negant versus præcedentes. *Gronovius. En qui Britannis*] Sup. v. 25. *Farnabius.* Restitutio hujus loci Josepho Scaligero debetur. antea enim legebatur: *En qui ora Tanais primus imposuit jugo.* vide Castigationes ejus in Catullum, Tib. & Prop. *Commel.*

43. *Ignota tantis*] Probo conjecturam præceptoris mei Lipsii: *Ignota & ante.* atque utinam vel unus codex ei fidem etiam adstrueret, ad orcum mihi iret lectio vulgata. *Gruter.*

46. *Gnati*] Neronis. inf. v. 305. *F.*

47. *Frater venenis*] Britannicus frater Octaviæ uterinus; Neronis, per adoptionem Claudii: quem Nero, ut imperium solus & sine æmulo obineret, Locustæ veneficæ opera sustulit. *Idem.*

48. *Eademque*] Octavia, quam duxerat adoptatus à Claudio Nero. *Idem.*

49. *Crudelis*] Maritum aversata, non sustinet sola cum illo esse. *Idem.*

50. *Odio pari Ardens mariti*] *Pari* quo referes? Forte tamen ad tempus & τὸ *semper.* Sed quomodo *mutua,* quum nullo etiam verbo dictum sit Neroni Octaviam odio esse? Scribe: *atque odio pari Ardet maritus: mutua flagrant face.* Exposuit scelera Neronis: hinc luctum & male dissimulatam iram uxoris: tum ut solent odisse improbi, quos injuste læserunt, malevolentiam mariti: denique de ambobus, mutuum gerunt animum, utrimque offensum & minacem. *Gronovius. Odio pari*] Octavia Neronem haud minus odit, quam ipsam Nero. *Farnab.*

53. *Mutat*] Dolor facit; ut Octavia meorum consiliorum immemor ultionem meditetur. *Idem.* Exemplaria Ortelianum & Aldinum, *mittit,* id est, rejicit, spernit. *Raphel.*

58. *Nullu*]

OCTAVIA. NUTRIX.

Lugentem Octaviam nutrix consolatur, & à vindicta, quam cogitat, dehortatur.

O mea nullis æquanda malis
Fortuna! licet repetam luctus
Electra tuos. tibi mœrenti
Cæsum licuit flere parentem;
Scelus ulcisci vindice fratre,
Tua quem pietas hosti rapuit,
Texitque fides: me crudeli
Sorte parentes raptos prohibet
Lugere timor, fratrisque necem
Deflere vetat, in quo fuerat
Spes una mihi,
Totque malorum breve solamen.
Nunc in luctus servata meos,
Magni resto nominis umbra.
Nutr. Vox (heu) nostras perculit aures
Tristis alumnæ.
Cessas thalamis inferre gradus
Tarda senectus? *Oct.* Excipe nostras
Lacrimas, nutrix, testis nostri

Fida

58. *Nullis*] Omnibus major. *Farnabius.*

59. *Luctus*] Electra enim apud Sophoclem largiter Agamemnonem ab Ægistho & Clytæmnestra cæsum deflet, expectans interim ut Orestes aliquando reversus patris cædem ulciscereturr. *Idem.*

63. *Hosti rapuit*] Matri & Ægistho. vid. Agam. v. 910. *Idem.*

65. *Prohibet Lugere timor*] Acerbum hoc & crudele Cicero in Pisonem. *Quis hoc fecit ullâ in Scythiâ tyrannus, ut eos quos luctu afficeret, lugere non sineret? mœrorem relinquis, mœroru aufers insignia, eripis lacrymas, non consolando, sed minando.* Delr.

66. *Fratrisque*] Britannici sup. v. 44. *Farnabius.*

67. *Deflere*] Quod tyrannicum & acerbum est. *Idem.*

69. *Totque*] *Stat magni nominis umbra. & ut quercus trunco non frondibus efficit umbram.* Lucan. de Pompejo. *Idem.*

70 *Luctus servata meos*] Immo *meros.* Erat superstite fratre aliquod intervallum luctus, nunc unus & perpetuus est. *Gronovius.*

75. *Tarda senectus*] Mea, id est, cur ego senio tarda cesso thalamos Octaviæ ingredi? *Farnabius.*

79. *Qui*

Fida doloris. *Nutr.* Quis te tantis
Solvet curis, miseranda, dies?
Oct. Qui me Stygias mittet ad umbras.
Nutr. Omina (quæso) sint ista procul.
Oct. Non vota meos tua nunc casus,
Sed fata regunt. *Nutr.* Dabit afflictæ
Meliora Deus tempora mitis.
Tu modò blando vince obsequio
Placata virum. *Oct.* Vincam sævos
Ante leones, tigresque truces,
Fera quam sævi corda tyranni.
Odit genitos sanguine claro,
Spernit superos hominesque simul,
Nec fortunam capit ipse suam,
Quam dedit illi per scelus ingens
Infanda parens. licet ingratum
Diræ pudeat munere matris,
Hoc imperium cepisse; licet
Tantum munus morte rependat:
Feret hunc titulum post fata tamen
Fœmina longo semper in ævo.
Nutr. Animi retine verba furentis.
Temere emissam comprime vocem.

Oct. To-

79. *Qui me*] Dies sc. ille quo moriar. *Farnabius.*

86. *Ante leones*] Hæc de Nerone ejusque immani sævitiâ Octavia, leonibus ipsum & tigribus comparans; quemadmodum & divus Paulus 2 ad Timoth. cap. 4. vers. 17. de eodem Nerone loquens, *liberatum se*, ait, *de ore* LEONIS. Facit huc vel maxime, insignis ex veteri Scholiaste Iuvenalis locus, ubi inter alia ad Sat. 5. ita habet: *Seneca ab Agrippina erudiendo Neroni in palatium adductus sævum immanemque natum & sensit cito & mitigavit. Inter familiares tamen solitus dicere: Non fore sævo illi* LEONI, *quin, gustato semel hominis cruore, ingenita redeat sævitia.* Pontan.

90. *Nec fortunam*] Secunda Fortuna ebrius & elatus sibi temperare non potest, nec se intra officii fines continere. *Farnabius.*

91. *Scelus*] Cædem Claudii mariti & Britannici privigni. Sup. v. 45. *Idem.*

92. *Licet*] Licet matrem Agrippinam, cujus maleficiis imperium adeptus est, mori jusserit. infra v. 305. *Idem.*

96. *Titulum*] Patri filio imperii. quod per matris suæ scelus imperat Nero. *Idem.*

100. *Tole-*

Oct. Toleranda quãvis patiar, haud umquã queant,
Niſi morte triſti, noſtra finiri mala.
Genitrice cæſa, per ſcelus rapto patre,
Orbata fratre, miſeriis, luctu obruta,
Mærore preſſa, conjugi inviſa, ac meæ
Subjecta famulæ, luce non grata fruor;
Trepidante ſemper corde, non mortis metu,
Sed ſceleris. abſit crimen à fatis meis:
Mori juvabit. pœna nam gravior nece eſt
Videre tumidos & truces miſeræ mihi
Vultus tyranni, jungere atque hoſti oſcula;
Timere nutus; cujus obſequium metus
Haud ferre poſſet, fata poſt fratris, dolor,
Scelere interempti; cujus imperium tenet
Et morte gaudet auctor infandæ necis.
Quam ſæpe triſtis umbra germani meis

Offer-

100. *Toleranda quamvis patiar,*] Lipſius, *quævis*, ut ſit ſenſus: poſſim coërcere animum, ſi modo ea feram, quæ alius ferat: & laudat Delrius. Grutero non videtur opus, ut dilabamur ad conjecturas: *quamvis* enim *toleranda* poni pro quamlibet, h.e. extremis & ultra quæ nihil queat tolerari. At vis particulæ contraria eſt: nam *quamvis toleranda* ſunt omnino toleranda, ut in exemplo, quod ipſe ſubjicit, *quamvis parvæ latebræ*, ſunt valde parvæ. Mihi nec ſequentia videntur bene ſubnecti, niſi ſcribas: *Toleranda quævis paterer. at nunquam queunt, Niſi morte triſti, noſtra finiri mala.* Gronovius. *Toleranda quamvis*] Hæc ſcena à ſuperiore non divellenda fuit, quod codex Manuſcriptus indicat. *Fabr.* Lipſ. emendat, *Quævis.* hac mente: animo meo moderari & linguam coërcere vis; poſſem equidem ſi toleranda, & quæ ſola mors finiat. *Farn.* Non videtur neceſſe ut dilabamur ad conjecturas. *quamvis* enim *toleranda* ponitur pro *quamlibet*, hoc eſt extremis, & ultra quæ nihil queat tolerari. Sic Cicero: *Quamvis parvis Italiæ latebris contentus eſſem.* Virgilius: *Vt quamvis avido parerent arva colono.* Noſter Hercule Oetæo, v. 1860. *expedi in planctus tamen Defeſſa quamquam brachia.* Grut.

101. *Triſti*] Amara, acerba. *Delr.*

105. *Famulæ*] Poppææ, è familia concubinæ (inf. v. 191.) equiti quidem Rom. ante nuptæ, quam ſuperinduxit Nero die duodecimo poſt divortium Octaviæ. infr. v. 719. *Farnab.*

107. *Abſit crimen*] Nullum necmeæ prætexatur crimen. quam tamen adulterii criminis poſtea adeo impudenter infimulavit, ut omnibus in quæſtione negantibus, Anicetus eam à ſe dolo ſtupratam fateretur. Quin & adulterii cum Alexandrino tibicine & abacti partus falſo criminabatur. *Id.*

111. *Haud ferre poſſet,*] Fortaſſis: *Haud ferre potis eſt*: ut ſæpe Lucretius.

114. *Morte gaudet*] Imperii ſorte & parte quæ ipſi ex morte Britannici obtigerat. Lipſ. itaque *ſorte* legendum autumat. *Farnabius.*

115. *Vmbra*] Homicidæ ſceleruminſuorum

Offertur oculis, membra cum solvit quies,
Et fessa fletu lumina oppressit sopor!
Modò facibus atris armat infirmas manus,
Oculosque, & ora fratris infestus petit:
Modo trepidus idem refugit in thalamos meos.
Persequitur hostis, atque inhærenti mihi,
Violentus ensem per latus nostrum rapit.
Tunc tremor, & ingens excutit somnos pavor,
Renovatque luctus & metus miseræ mihi.
Adice his superbam pellicem, nostræ domus
Spoliis nitentem; cujus in munus suam
Stygiæ parentem natus imposuit rati;
Quam dira post naufragia superato mari
Ferro interemit, sævior pelagi fretis.
Quæ spes salutis post nefas tantum mihi?
Inimica, victrix, imminet thalamis meis.
Odioque nostri flagrat, & pretium stupri
Justæ maritum conjugis captat caput.

Emer-

suorum conscientia territi opinioni de furiis & occisorum umbris sceleratos persequentibus viam fecerunt. *Farn.*

116. *Membra cum solvit quies*] Membrorum enim compages somno solvuntur, auctore Paullo Ægineta l. 1. c. 97. Homerus Odyss. σ'. Εὖδε δ' ἀναπλινθεῖσα, λύθεν δ' οἱ ἀψεα πάντα. quare ab eodem somnus vocatur λυσιμελής, quemadmodum & ab Apollonio 4. Argon. & Orpheo in hymnis. *Delr.*

118. *Modo facibus atris*] Suspicor fuisse: *Nunc facibus atris*: & mox, *Nunc trepidus idem.* Nam quod in Troadib. v. 945. pariter corruptum existimo: ut & in Phœniss. v. 221. malo cum Raphelingio: *Et laticis haustu.* Gronovius.

119. *Fratris infestus*] Neronis illi per adoptionem fratris. *Farnabius.*

122. *Violentus*] Celeriter agere videtur ensem in latus meum, dum petit Neronem mihi inhærentem ut se tueatur. *Idem.*

125. *Adice*] Prima syllaba corripitur, more hujus Poëtæ: ut supra in Thyeste, *Adicit fratri, colla percussa amputat.* Et in Hercule Oetæo, *Obici ferus monstrisque, virtutem putas?* Fabr.

Nostræ] Augustæ, imperialis. *Farnab.*

127. *Stygiæ*] Solutili, cujus laxatæ naufragio periret. infr. v. 307. *Farn.*

129. *Ferro*] Inf. v. 350. *Idem. Fretis*] Quæ illi pepercerant. *Idem.*

130. *Nefas*] Matris suæ cædem. *Id.*

132. *Et pretium*] A marito poscit caput meum, quæ vera conjux sum, in præmium stupri. *Idem.*

133. *Justæ maritum conjugis*] A Nerone pro præmio poscit meam necem, quæ justa ipsius uxor sum. Claudius enim Octaviam Neroni, quem adoptaverat, in matrimonium traditurus, ne soror fratri nuberet (nam sororem, ne adoptivam quidem durante adoptione,

Emergere undis, & fer auxilium tuæ
Gnatæ invocanti, genitor; aut Stygios sinus
Tellure rupta pande, quo præceps ferar.
Nutr. Frustra parentis invocas manes tui,
Miseranda; frustra. nulla cui prolis suæ
Manet inter umbras cura: qui gnato suo
Præferre potuit sanguine alieno fatum,
Genitamque fratris conjugem captus sibi
Toris nefandis flebili junxit face.

Hinc

ducere leges sinebant) eam prius alteri in adoptionem dedit; ut, eo modo in alienam familiam transiens, juste Neroni nuberet. Erat ergo Octavia justa Neronis uxor. quid vero inter justam & injustam uxorem interfit, docet Rævardus lib. 4 de juris ambiguitatibus cap. 16. *Delr. Conjugii captat caput*] Non fert sermo Latinus. Scribe: *& pretium stupri Iustæ maritum conjugis poscit caput.* Cicero: *Iste inventus est, qui parentes pretium pro sepultura liberorum poscaret.* Et, *magistratum Sicyonium nummos popposcit.* Gronov.

134. *Emergere undis*] Lipsius, etsi multa hic impura, purius putat: *Emerge te undis.* Delr. è MS. *Emerge undi*, ut sit hiatus. Grutero rursus non videtur opus, ut quid immutetur. At quis tam impurus, ut *Vndas* dixerit pro inferis? Lege: *Emerge ab Vmbris.* Idem.

138. *Nulla*] Cui vivo nulla prolis cura, nedum mortuo. *Farnabius.*

139. *Gnato*] Britannico. *Idem.*

140. *Sanguine*] Neronem quem peperit Agrippina filia Germanici Neroni filio Antoniæ. *Idem.*

141. *Fratris conjugem captus*] Lipsius, *Genitamque fratre conjugem captam.* Delr. ait ab historiæ veritate se compelli castigare: *Genitamque fratris conjugem captam.* Gruterus ait omnia bene se habere, si *genitam* interpretemur natam. Sed quis ita loquitur? Tum ne sic quidem omnia bene se habent. Scribe: *Genitamque fratre conjugem incestus sibi Tori nefandi flebili junxit faces.* Gronovius.

142. *Toris nefandis*] Fratris enim vel sororis filiam uxorem ducere non licet. Suetonius Tranquillus lib. 5. Agrippinæ, inquit, Germanici fratris sui filiæ per jus osculi & blanditiarum occasiones inlectus in amorem, subornavit proximo Senatu qui cogerent se ad ducendam eam uxorem, quasi reip. interesset, dandamque ceteris veniam talium conjugiorum; quæ ad id tempus injusta habebantur, ac, vix uno interposito die, confecit nuptias, non repertis qui sequerentur exemplum, excepto libertino quodam, & altero ptimipilari; cujus officium nuptiarum & ipse una cum Agrippina celebravit. Eadem à Cornelio Tacito lib. 12 commemorantur, nisi quod Tacitus unum Taledium Severum equitem Romanum exemplum hoc secutum fuisse refert. *Delr. Flebili face*] Tristibus & infaustis nuptiis. Theb. v. 263. & 507. Med. v. 17. adde quod xxx. Senatorum & Romanorum equitum innumerorum cæde, nuptias has celebravit. *Far.*

Facem hanc sponsæ mater præferebat. noster inferius; —*dira cui genitrix facem Accendit*— & actu 3. Agrippina dicit se Stygiam facem Neronis & Poppææ nuptiis præferre. licet haut sciam ex Græco hoc an Romano more dicatur. Vide supra Medeæ versu 27. Romæ enim pueri videntur facem prætulisse. In Plauti Casina Villicus Chalino armigero servo minatur, *Primo omnium lucebis huic novæ*

nuptæ

Hinc orta ſeries facinorum, cædes, doli,
Regni cupido, ſanguinis diri ſitis;
Mactata ſoceri concidit thalamis gener
Victima, tuis ne fieret hymenæis potens.
Prô facinus ingens! fœminæ eſt munus datus
Silanus, & cruore fœdavit ſuo
Patrios penates, criminis ficti reus.
Intravit hoſtis (hei mihi) captam domum
Dolis novercæ, Principis factus gener,
Idemque gnatus, juvenis infandi ingenii
Capaxque ſcelerum, dira cui genitrix facem
Accendit, & te junxit invitam metu.
Tantoque victrix facta ſucceſſu ferox,
Auſa imminere eſt orbis imperio ſacri.
Quis tot referre facinorum formas poteſt,
Et ſpes nefandas fœminæ, & blandos dolos

Regnum

nuptæ facem. Catullus; *Tollite ô pueri facem.* apud Græcos & pleroſque Barbaros hoc munus matris erat, ut oſtendit Euripides in Iphigenia Aulidenſi, apud quem jubenti Agamemnoni domum rediret, dicentique curaturum ſe omnia, quæ ad filiæ nuptias pertinerent, reſpondet Clytæmneſtra; — τίς δ' ἀναρχήσει φλόγα; Αγ'. ἐγὼ παρέξω φῶς ὁ νυμφίοις πρέπει. Κλυ. οὐχ ὁ νόμος οὗτος —— & in Phœniſſis ait Iocaſtæ; ἐγὼ δ' ὅτε σοὶ πυρὸς ἀνῆψα φῶς Νόμιμον ἐν γάμοις, ὡς πρέπει μαναρίᾳ. in Troadibus cum Caſſandra furore percita ſibi ipſi facem præferret. non aliam ob cauſam dixit Hecuba: παράδος ἐμοὶ φῶς, οὐ γὰρ ὀρθὰ πυρφορεῖς Μαινὰς θοάζουσ'. Apollonii ſcholiaſtes Argonaut. 4. τὸ παλαιὸν τὰς μητέρας τῶν γαμούντων ἐν τοῖς γάμοις δᾳδουχεῖν ἔθος ἦν. *Delr.*

145. *Gener*] L. Silanus Octaviæ ſponſus funeſto illo nuptiarum die interfectus eſt. *Farnabius.*

146. *Hymenæis*] Nuptiis. vid. Theb. v. 262. *Idem.*

147. *Fœminæ*] Agrippinæ pro munere & victima nuptiali datus. *Idem.*

148. *Silanus,*] Tres hoc tempore Silani fuerunt; Appius pater, & duo filii M. & L. hic de Lucio Silano fit ſermo, qui Octaviæ ſponſus funeſto die nuptiarum Claudii & Agrippinæ fuit interfectus: auctores Seneca, Tacitus, & Suetonius. *Delr.*

149. *Criminis*] Inceſtus conficti & à Vitellio illi objecti. *Farnabius.*

150. *Intravit hoſtis*] Nero hoſpes, alienus. ut ſup. v. 137. *Idem.*

Nero. ſed Moguntin. de ipſamet Octavia; *Intravi hoſtis.* male. nam loquitur nutrix. *Idem.*

151. *Novercæ*] Agrippinæ. *Idem.* *Principis*] Te ô Octavia in uxorem accepta. *Idem.*

152. *Gnatus,*] Per adoptionem. *Idem.*

153. *Dira cui*] Med. v. 16. *Idem.*

153. *Orbis imperio ſacri.*] Non orbis eſt auguſtus, ſed imperium orbis. Scribe igitur: *orbis imperio ſacro.* Gron. *Sacri.*] Auguſti. i. Imperatori Rom. gubernati. *Farnabius.*

Regnum petentis per gradum ſcelerum omnium?
Tunc ſancta Pietas extulit trepidos gradus,
Vacuamque Erinnys ſæva funeſto pede
Intravit aulam; polluit Stygia face
Sacros penates; jura Naturæ furens
Faſque omne rupit; miſcuit conjux viro
Venena ſæva; cecidit atque eadem ſui
Mox ſcelere gnati. tu quoque extinctus jaces
Defiende nobis ſemper, infelix puer,
Modò ſidus orbis, columen Auguſtæ domus,
Britannice, (heu me) nunc levis tantum cinis,
Et triſtis umbra; ſæva cui lacrimas dedit
Etiam noverca, cum rogis artus tuos
Dedit cremandos, membraque & vultus Deo
Similes volanti, flamma fervens abſtulit.
Oct. Extinguat & me, ne manu noſtra cadat.
Nutr. Natura vires non dedit tantas tibi.
Oct. Dolor, ira, mœror, miſeriæ, luctus, dabunt.

Nutr. Vin-

160. *Tunc ſancta*] Quando Agrippina intravit. *Farnabius.*

161. *Erinnys*] Agam. v. 12. Megæra, diſcordia. *Idem.*

162. *Aulam*] Auguſtam domum. *Id.*

163. *Iura naturæ*] Nam patrui nuptiis ad omne flagitium exercita, ardore retinendæ potentiæ, eouſque immanitatis provecta fuit, ut ſe temulento filio comtam & ad inceſtum paratam obtulerit; & commiſſum facinus; niſi Senecæ aſtu disjectum fuiſſet, ut ex Cluvio & ceteris, uno Fabio Ruſtico diſſentiente, Tacitus commemorat. *Delr.*

164. *Miſcuit*] Sup. v. 26. *Farnab.*

165. *Cecidit*] Inf. v. 305. *Idem.*

168. *Sidus orbis*] Poſſidonius: οὗτος τοι Ῥώμης ὁ μέγας ξένε πατρίδος ἀστὴρ Μάρκελλος κλεινῶν Κλαύδιος ἐκ πατέρων. *Claudius hic Roma quondam memorabile ſidus Marcellus, patrum ſtirpe ſatus veterum.* Commentar. antiquis in Iuvenal. legitur, Locuſtam, nobilem veneficam, à Nerone increpitam, quod Britannico lentum venenum paraſſet, tam efficax dediſſe, ut antequam Britan. poculum exhauriret, in convivio Neronis expiraret. qua de re citatur ibidem fragmentum Turni Arunci, ex Satyris, quod ita recenſeo; *Et quæ Cæſareas ſoboles horrenda Locuſta Occidit, curis dum liberat arte Neronem.* Delr.

170. *Cui lachrymas dedit*] Nam ignaram necis, ægerrime tuliſſe ſcribit Cornel. Tacitus. *Idem.*

172. *Membraque & vultus*] In libro Regiomontani poſt hunc verſum hæc verba ad marginem adſcripta erant: *Hic deſunt triginta verſus, ſecundum aliquos; ſed nihil deeſſe credo.* Fabr.

173. *Deo Similes*] Cupidini volucri alato. *Farnabius.*

176. *Dolor, ira*] Fœminæ. *Idem.*

178. *Vt*

Nutr. Vince obsequendo potius immitem virum.
Oct. Ut fratrem adeptum scelere restituat mihi?
Nutr. Incolumis ut sis ipsa, labentem ut domum
Genitoris olim sobole restituas tua.
Oct. Exspectat aliam Principis sobolem domus:
Me dira miseri fata germani trahunt.
Nutr. Confirmet animum civium tantus favor.
Oct. Solatur iste nostra, non relevat, mala.
Nutr. Vis magna populi est. *Oct.* Principis major tamen.
Nutr. Respiciet ipse conjugem. *Oct.* pellex vetat.
Nutr. Invisa cunctis nempe. *Oct.* sed cara est viro.
Nutr. Nondum uxor est. *Oct.* jam fiet, & genitrix simul.
Nutr. Juvenilis ardor impetu primo furit;
Langueſcit idem facile, nec durat diu
In Venere turpi, ceu levis flammæ vapos.
Amor perennis conjugis castæ manet.
Violare prima quæ toros ausa est tuos,
Animumque domini famula possedit diu,
Jam metuet eadem, nempe prælatam sibi
Sub-

178. *Vt fratrum*] Quorsum obsequium? neque enim ego vel officiis meis corda tyranni vincam, neque ille potest damna mihi pensare. *Farnabius.*

181. *Aliam*] Ex pellice scilicet Poppæa, quam mihi superducere cogitat. *Idem.*

182. *Me dira*] Ego non alia quam quæ fratri meo Britannico fata obtigerunt exspecto. *Idem.*

183. *Tantus*] Qui magnus erat in Octaviam. *Idem.*

184 *Non relevat*,] Non minuit, non tollit. *Idem.*

185. *Vis magna populi est.*] Videtur imitatus auctor Neronis verba apud Tacitum lib. 15. ann. *populum Romanum vim plurimam habere, parendumque retinenti.* Gronovius.

189. *Iuvenilis*] Ἀεὶ δ' ὁ ὠλοτέρων ἀνδρῶν φρένας ἠερέτην. *Farnabius.*

191. *In Venere*] Vt hic, incestu scilicet. sup. v. 139. *Famula*] Sup. v. 102. *Idem.*

195. *Iam metuet eadem*] Capiunt hoc omnes de Poppæa: sed falsò. Acten concubinam notant: de qua Tacitus bis meminit lib. XIII. & Dio Cassius lib. XLI. affirmantque Neroni potiorem fuisse Octavia. *Grut. Iam metuet eadem*] Ne itidem alia sibi præferatur, ut illa mihi. *Farnabius.*

Forsan, *metuit.* Et nescio, an hos tres versus ullus unquam intellexerit: certe nemo interpretatus est ut debuit. capiunt omnes de Poppæa: sed falsò. Acten concubinam notant; de qua Tacitus bis meminit lib. 13. & Dio Cassius lib. 41. affirmantque Neroni potiorem fuisse Octaviâ. *Grut.*

Subjecta & humilis: atque monumenta exstruit,
Quibus timorem fassa testatur suum.
Et hanc levis fallax que destituet deus
Volucer Cupido. sit licet forma eminens,
Opibus superba; gaudium capiet breve.
Passa est similes ipsa dolores
Regina deûm, cum se formas
Vertit in omnes dominus cœli,
Divûmque pater:
Et modò pennas sumpsit oloris;
Modò Sidonii cornua tauri;
Aureus idem
Fluxit in imbri. fulgent cœlo
Sidera Ledæ. patrio residet
Bacchus Olympo. Deus Alcides
Possidet Heben, nec Junonis
Jam timet iras; cujus gener est,
Qui fuit hostis. vicit sapiens
Tamen obsequium conjugis altæ,
Pressusque dolor. sola Tonantem
Tenet æthereo secura toro
Maxima Juno; nec mortali
Captus forma deserit altam
Juppiter aulam. tu quoque terris

Alte-

196. *Monumenta*] Signa quibus se jam timere ostendit. *Farnabius.*

202. *Regina*] Iuno. *Idem.*

205. *Pennas*] Iupiter enim specie Cygni adivit Ledam uxorem Tyndari regis Laconis. Hippol. v. 229. *Idem.*

Sidonii] Vbi in taurum mutatus rapuit Europam Agenoris filiam regis Sidonis. Hippoll. v. 302. *Idem.*

207. *Aureus*] Vbi Iup. aureus imber factus, per alienas regulas in Danaës Acrisii filiæ gremium influxit, fucumque fecit mulieri. *Idem.*

209. *Sidera*] Castor & Pollux (alter saltem) Bacchus & Hercules ex Iovis adulteriis nati & in deorum numerum relati. *Idem.*

210. *Bacchus*] Herc. Fu. v. 455. *Id.*

211. *Possidet*] Hercules enim Heben duxit uxorem, deorumque numerum prius imparem æquavit. vide Agamem. v. 205. & Herc. Oet. v. 1437. *Idem.*

213. *Vicit sapiens*] Obsequium tamen Iunonis prudenter exhibitum, & dissimulatus dolor animum Iovis flexit vicitque. *Idem.*

214. *Altæ*] Al. *Alte Pressusque dolor.* ita Virg. Æn. *premit altum corde dolorem.* Idem.

220. *Alte-*

Altera Juno, soror Augusti,
Conjuxque, graves vince dolores.
Oct. Jungentur ante sæva sideribus freta,
Et ignis undæ, Tartaro tristi polus,
Lux alma tenebris, roscidæ nocti dies:
Quam cum scelesti conjugis mente impia
Mens nostra; semper fratris extincti memor.
Utinam nefandi Principis dirum caput
Obruere flammis Cœlitum rector paret,
Qui sæpe terras fulmine infesto quatit,
Mentesque nostras ignibus terret sacris,
Novisque monstris! vidimus cœlo jubar
Ardens, cometam pandere infestam facem,
Qua plaustra tardus noctis æterna vice
Regit Bootes, frigido Arctoo rigens.

En

220. *Altera*] Quia *Divisum imperium cum Iove Cæsar habet*? anne argutius, quia soror & conjux Neronis, ut illa Iovis? sup. v. 45. *Farnabius.*

230. *Ignibus*] Fulmine. *Idem. Terret*] *Humanas tonitrua mentes.* Idem.

231. *Monstris*] Prodigiis, cometis mutationem regum portendentibus, Lucan. *mutantem regna Cometen.* infra v. 232. *Idem. Vidimus*] Ex fide historiæ dictum, nam Tacitus 14 Annal. de his temporibus agens; *Inter quæ* (inquit) *Cometes effulsit: de quo vulgi opinio est, tanquam mutationem regis portendat.* & Seneca lib. 7. nat. quæst. cap. 17. *nec hunc, qui sub Nerone Cæsare apparuit, & cometis detraxit invidiam, illi similem fuisse, qui sub necem D. Iulii Veneris ludis genitricis, circa undecimam horam diei emersit.* & cap. 21. *Sex enim mensibus hic, quem nos Neronis principatu lætissimo vidimus, spectandum se præbuit, in diversum illi Claudiano circumactus. Ille enim à Septentrione in verticem surgens Orientem petiit, semper obscurior: hic ab eadem parte cœpit, sed in Occidentem tendens ad meridiem flexit, & ibi se subduxit oculis.* & cap. 9. *Intra sextum mensem dimidiam cœli partem transcurrit hic proximus, à Septentrione motus sui initium fecit, & per Occidentem in Meridiana pervenit, erigensque suum cursum obliuit.* Delr.

232. *Cometam*] Cometes hic accidit Nerone IV. Cor. Cosso Coss. anno Christi vulgari LX. Sex enim mensibus, hic, quem nos Neronis principatu latissimo (legendum credo *lætissimi*; nam cap. 17. dixerat detraxisse hunc Cometæ invidiam) spectandum se præbuit. Sen. 7. nat. quæst. cap. 21. *Farn.*

233. *Qua plaustra*] In Septentrione. Med. v. 315. semper autem Septentrionem versus apparent Cometæ, unde & hic motus sui initium fecit, & per Occidentem in Meridiana pervenit, ubi cursum erigens suum obliuit. c. 29. lib. 7. natur. quæst. *Idem.*

234. *Frigido Arctoo*] *Frigido Arctoo* posuit pro *frigida Arcto*, sive *frigore Arctoo.* Nam ut Arctos, sive polus Arcticus illis frigidus; ita ex adverso Antarcticus sive Australis existimabatur esse calidus. Hoc sensisse demonstrat vel Lucanus illo versu Phatsaliæ:

En ipse diro spiritu sævi ducis
Polluitur æther, gentibus clades novas
Minantur astra, quas regit dux impius.
Non tam ferum Typhona neglecto Jove
Irata tellus edidit quondam parens.
Hæc gravior illo pestis. hic hostis deûm
Hominumque, templis expulit superos suis:
Civesque patria: spiritum fratri abstulit;
Hausit cruorem matris: & lucem videt?
Fruiturque vita, noxiamque animam trahit?
Pro, summe genitor, tela cur frustra jacis
Invicta toties temere regali manu?
In tam nocentem dextra cur cessat tua?
Utinam suorum facinorum pœnas luat
Nero, ipse Divo Domitio genitus patre,

Orbis

liæ: *Nec polus adversi calidus qua mergitur Austri.* Polum ecce Australem calidum appellat, aspectu scilicet Borealis, quem solum frigidum credebant: cum tamen, si naturam locorum & parem utriusque poli ab ecliptica distantiam videamus, non minus sub Antarctico, quam ipso Arctico tigens sit & frigidum cœlum. Quod nec ignoratunt ante Lucanum plerique veterum; & notum illud Poëtæ, de Zonis hisce loquentis: *Quarum quæ media est non est habitabilis æstu, Nix tegit alta duas. Duas*, nimirum extremas Arctici & Antarctici. Facit huc potro locus Lucani l. 8. v. 363. item l. 10. vers. 250. ubi *frigus Arctoum* dixit quod Senecæ dicitur *frigidum Arctoum*. Pont.

235. *Spiritu*] Alludit ad causam Cometarum, ubi plurimum exhalationis calidæ & pinguis ad supremam aëris regionem elevatur. Sic Oed. v. 56. *F.*

236. *Gentibus*] *Ventorum quoque certa dabunt tibi signa Cometæ. Illi etiam belli motus feraque arma minantur, Magnorum & clades populorum, & funera regum.* Idem.

237. *Dux impius*] Tyrannus Nero. *Id.*

238. *Typhona*] Gigantem Terræ filium. Thyest. v. 807. ventum item igniescentem à τυφω. *Idem.*

240. *Hic hostis*] Nero. *Idem.*

241. *Templis*] Vasa enim sacra & deorum simulachra conflavit. *Idem.*

246. *Invicta*] Fulmina quibus nihil potest resistere. *Idem. Regali*] Qua cuncta regis. *Idem.*

248. *Vtinam*] Melius hæc è nutricis persona; sedatiora enim quam quæ conveniant præcedentibus Octaviæ.

249. *Nero ipso Divo*] Libri plerique *insiduo* aut *insidivo*. Lipsianus, *nisi duo*. Vnde ille: *Nero insitivus*. Deltius, *Nero iste Divus*: vel, *Nero iste, Cneio*. Volebat opinor *Cneo*. At Scaliger, quod nec opus Neronis nomen repetere, nec Domitius unquam *divus*, *Genere insitivo*. Placet de Neronis nomine, quod plane censeo ex interpretatione subjectum: sed malim scribi: *Vtinam suorum facinorum pœnas luat Iste insitivus, Domitio genitus patre.* Apud Tacitum lib. 12. voces Agrippinæ: *adultum jam esse Britannicum, veram dignamque stirpem suscipiendo patris imperio, quod insitus & adoptivus per*

Orbis tyrannus, quem premit turpi jugo;
Morumque vitiis nomen Augustum inquinat.
Nutr. Indignus ille (fateor) est thalamis tuis;
Sed cede fatis atque fortunæ tuæ,
Alumna, quæso; neve violenti move
Iram mariti. forsitan vindex deus
Exsistet aliquis; lætus & veniet dies.
Oct. Gravi deorum nostra jam pridem domus
Vrgetur ira: prima quam pressit Venus,
Furore miseræ dira genitricis meæ:
Quæ nupta demens nupsit incesta face,
Oblita nostri, conjugis, legum immemor.
Illo soluta crine, succincta anguibus,
Ultrix Erinnys venit ad Stygios toros,
Raptasque thalamis sanguine extinxit faces:
Incendit ira Principis pectus truci
Cædem in nefandam. cecidit infelix parens
(Heu) nostra ferro, meque perpetuo obruit
Extincta luctu. conjugem traxit suum,
Natumque ad umbras. prodidit lapsam domum.
Nutr. Renovare luctus parce cum fletu pios,
Manes parentis neve solicita tuæ,
Graves furoris quæ sui pœnas dedit.

CHO-

per injurias matris exerceret. Gronov.

259. *Furore*] Libidine, *qualis solet matres furiare equorum.* Farnabius.

260. *Quæ nupta*] Quæ Claudio nupta, profecto illo ad Hostiam, C. Silio nupsit. sup. v. 16. *Idem.*

261. *Nostri,*] Britannici, meique. *Idem. Legum*] Non permittentium, ut mulier vivo marito nec repudiata alteri nubat. *Idem.*

263. *Vltrix*] Med. v. 16. & supra 24. *Idem. Stygios*] Lethales nuptias, utrique enim causa exitii fuerunt. *Id.*

264. *Raptasque*] Ita Cydipp. apud Ovid. *Et face pro thalami fax mihi mortis adest.* Idem.

265. *Principis*] Claudii. *Idem.*

266. *Cecidit*] Sup. v. 16. *Idem.*

267. *Meque*] Namque illa extincta duxit Claudius Agrippinam, cujus scelere pater meus & frater venenati, ego invita Neroni nupta fui. *Idem.*

268. *Traxit*] Al. *trusit.* Idem.

269. *Prodidit*] Lips. *perdidit.* Id.

271. *Manes parentis*] Vitium planctu luctuque nimio Manes offendi creditum: *Tu manes ne læde meos & parce solutis crinibus & teneris Deliæ parce genis.* Tibull. Herc. Oet. v. 1940.

Credebant Manes nimio planctu & luctu offendi. *Delr. Solicita*] Med. v. 272. *Farnabius.*

272. *Furoris*] Sup. v. 255. *Idem.*

274. *Per-*

CHORUS.

Poppææ nuptias deteſtatur Chorus Octaviæ favens. degenerem, lentam nimis & ſervilem Romanorum arguit patientiam; & in ſcelera Neronis invehitur.

Quæ fama modo venit ad aures,
Utinam falſo credita, perdat
Fruſtra toties jactata fidem!
Nec nova noſtri conjux thalamos
Principis intret. teneatque ſuos
Nupta penates Claudia proles:
Edat partu pignora pacis,
Qua tranquillus gaudeat orbis,
Servetque decus Roma æternum.
Fratris thalamos ſortita tenet
Maxima Juno: ſoror Auguſti
Sociata toris, cur à patria
Pellitur aula? ſancta quid illi
Prodeſt pietas, Divuſque pater?
Quid virginitas, caſtuſque pudor?
Nos quoque noſtri ſumus immemores
Poſt fata ducis, cujus prodimus

Stir-

274. *Perdat fidem*] Vtinam non vera ſit fama quæ venit, &c. *Farnabius.*

277. *Teneatque*] Octavia Claudii filia maneat Neroni juncta, cui pariat liberos amoris mutui pignora & quietæ ſucceſſionis. *Idem.*

281. *Decus*] Imperii decus ætern. *Idem.*

282. *Fratris*] Sup. v. 216. Neronis. *Idem.*

286. *Divuſque*] Claudius ex more Rom. imperatorum in deorum numerum relatus, quem tamen rurſus detruſum ad inferos jocatur Seneca in Apocolocyntoſi. *Idem.*

287. *Quid virginitas*] Raphelingius expungendum putavit verſum, quaſi inepte in maritata laudaretur virginitas. Delrius vetuit. Tamen non deſinunt uncis circumſcribere. Recte Delrius: nam probæ conjugi etiam diu poſt, immo ſemper, prodeſt apud bonum maritum virginitas, quam ad torum genialem attulit Appuleius Apolog. *Ipſa virginitatis commendatio jure merito omnibus maritis acceptiſſima eſt. nam quodcumque aliud in dotem acceperis, potes quum libuit, ne ſis beneficio obſtrictus, omne, ut acceperas, retribuere; pecuniam renumerare, mancipia reſtituere, domo demigrare, prædiis cedere. Sola virginitas reddi nequitur: ſola apud maritum ex rebus dotalibus permanet.* Gronovius.

289. *Cujus prodimus ſtirpem*] Omnes libri, *ſtirpem Prodimus*: & eliſum S interpretatur Hier. Comelinus. Non tulit hoc Scriverius, & maluit duabus vocibus

Stirpem sævo suadente metu.
Vera priorum virtus quondam
Romana fuit, verumque genus
Martis in illis sanguisque viris.
Illi reges hac expulerunt
Vrbe superbos; ultique tuos
Sunt bene manes, virgo, dextra
Cæsa parentis, ne servitium
Paterere grave, aut improba ferret
Præmia victrix dira libido.
Te quoque bellum triste secutum est,
Mactata tua miseranda manu
Nata Lucretii; stuprum sævi
Passa tyranni. dedit infandi
Sceleris pœnas cum Tarquinio
Tullia conjux; quæ per cæsi
Membra parentis sævos egit
Impia currus, laceroque seni

Vio-

vocibus mutare locum. Sed non temere est, quod in quibusdam Mſſ. *ævo* pro *sævo*, ut notavit idem Comelinus & nos ipsi quoque reperimus. Lege: *cujus stirpem Prodimus acri suadente metu.* Virgilius lib. 1. *quibus aut odium crudele tyranni, Aut metus acer erat.* Et lib. 3. *Præcipites metus acer agit quocumque rudentes Excutere.* Conspectis scilicet Cyclopibus. H. Grotius margini exemplaris sui adscripserat, *atro.* Gronovius.

290. *Sævo*] Propter tyranni Neronis metum. *Farnabius.*

293. *Martis*] Propter Romulum & Remum Martis ac Iliæ filios, Romæ conditores. *Idem.*

294. *Reges*] Tarquinium superbum cum filiis, & Decemviros. *Idem.*

296. *Virgo.*] Virginia, cujus forma captus Appius Claudius Xvir, illam per libertum, qui eam ex ancilla natam falso asseverabat, in servitutem redigere conatus est; cui cum pater Virginius resistere non posset, cultro è proxima laniena arrepto, filiam propria manu jugulavit potius quam turpe servitium subiret. quo facinore commotus populus Xviros abire magistratu coëgit. *Idem.*

300. *Bellum*] A Porsena Hetruscorum rege, qui Tarquinios propter Lucretiam, à Sexto Tarq. regis filio violatam exactos, reducere contendebat. *Id.*

301. *Mactata*] Advocatis marito & parente propria manu sibi mortem conscivit ne adulterio consensisse videretur. *Idem.*

304. *Sceleris*] Quod Servium Tullium socerum Tarq. Sup. uxoris consilio interfecit, ut solus regnaret, filiaque scelerata patris in vico Cyprio stratum cadaver carpento prætervecta est. *Idem.*

308. *Ro-*

Violenta rogos nata negavit.
Hoc quoque noſtra videre nefas
Secula; magnum cum Tyrrhenum
Rate ferali Princeps captam
Fraude parentem miſit in æquor.
Properant placidos linquere portus
Juſſi nautæ;
Reſonant remis pulſata freta;
Fertur in altum provecta ratis.
Quæ reſoluto robore labens
Preſſa dehiſcit, ſorbetque mare.
Tollitur ingens
Clamor ad aſtra cum fœmineo
Miſtus planctu. mors ante oculos
Dira vagatur. quærit leti
Sibi quiſque fugam:
Alii laceræ puppis tabulis
Hærent nudi, fluctuſque ſecant:

Repe-

308. *Rogos*] Solenne funus, ſepulturæ ritum & monumentum patri negavit. *Farnabius.*

309. *Hoc quoque noſtra*] Mſſ. *Hæc quoque nati*: & merito recepit Gruterus. Grotius ἀντὶ τοῦ *magnum* poſuerat *majus*. Quod etiam verum puto: nam & revera majus erat, & ſi voluiſſet *magnum Tyrrhenum* dicere, non addidiſſet poſtea *æquor*. Manus auctoris fuit: *Hæc quoque nati videre nefas Secula majus: quum Tyrrhenum Rate ferali princeps captam Fraude parentem miſit in æquor.* Gronovius. *Hoc quoque noſtra*] Quo melius appareat locus, adjeci Tranquilli verba. Nero mattem dicta factaque ſua exquirentem acerbius & corripientem gravatus primum honore privavit, mox omni modo vexavit, denique tollere ſtatuit. Quod cum veneno ter tentaſſet ſentiretque antidotis præmunitam; lacunaria, quæ noctu ſuper dormientem laxata machina decidterent, paravit. Hoc conſilio per ſocios parum celato, ratem ſolutilem cujus naufragio periret commentus eſt: atque ita ſimulata reconciliatione jucundiſſimis literis Bajas evocavit ad ſolennia quinquatruum ſimul celebranda, &c. unde repetentem Baulos machinoſo illo navigio nimis fero à miniſtris ſceleris diſſoluto ubi illam nando evaſiſſe comperit, inops conſilii L. Agerinum libertum Agrippinæ ſalvam & incolumem cum gaudio nunciantem objecto clam pugione, ut percuſſorem ſibi ſubornatum arripi conſtringique juſſit, mattemque occidi, quaſi deprehenſum crimen voluntaria morte vitaſſet, vide & Tacit. 14. Annal. *Farnabius.*

313. *Portus*] Baulos, id villæ nomen: Miſenum promontorium inter & lacum Bajanum, flexo mari alluitur. ita Tacitus, Xiphilinus, & Martialis. primum ab Herculis bobus ibi ſtabulatis, *boalia*, mox, *boauli*, tandem *bauli*, teſte Servio. *Delr.*

332. *Ar-*

Repetunt alii litora nantes:
Multos mergunt fata profundo:
Scindit vestes Augusta suas,
Laceratque comas, rigat & mœstis
Fletibus ora.
Postquam spes est nulla salutis,
Ardens ira, jam victa malis;
Hæc, exclamat, mihi pro tanto
Munere reddis præmia, gnate?
Hac sum, fateor, digna carina,
Quæ te genui, quæ tibi lucem
Atque imperium nomenque dedi
Cæsaris amens. exere vultus
Acheronte tuos, pœnisque meis
Pascere conjux: ego causa tuæ,
Miserande, necis: gnatoque tuo
Funeris auctor.
En, ut merui, ferar ad manes
Inhumata tuos,
Obruta sævis æquoris undis.
Feriunt fluctus ora loquentis.
Ruit in pelagus, rursumque salo
Pressa resurgit. pellit palmis
Cogente metu fata, & cedit
Fessa labori. mansit tacitis
In pectoribus spreta tristi
Iam morte fides. multi dominæ
Ferre auxilium pelago fractis
Viribus audent. brachia quamvis
Lenta

332. *Ardens ira,*] At Tacitus docet Agrippinam silentio & dissimulatione crimen transmittere conatam. *Delr.*
333. *Exclamat,*] Agrippina. *Farn.* *Tanto*] Imperio supra v. 45. & 93. *Id.*
340. *Conjux*] Claudi. *Idem.*
348. *Pellit*] Natando se morte eripere tentat. *Idem.*
350. *Mansit tacitis*] Grotius: *mansit famulis In pectoribus.* Gronovius. *Mansit*] Famulorum spectantiumque in litore plerique fidei in Agrippinam Neronis iram posthabentes illi succurrebant. *Farnabius.*

359. *Cu-*

Lenta trahentem, voce hortantur,
Manibusque levant. quid tibi sævi
Fugisse maris profuit undas?
Ferro es gnati moritura tui:
Cujus facinus vix posteritas,
Tarde semper credula, credet.
Furit, ereptam pelagoque dolet
Vivere matrem
Impius, ingens geminatque nefas.
Ruit in miseræ fata parentis,
Patiturque moram sceleris nullam;
Missus peragit jussa satelles;
Referat dominæ pectora ferro:
Cædis moriens illa ministrum
Rogat infelix, utero dirum
Condat ut ensem:
Hic est, hic est fodiendus, ait,
Ferro, monstrum qui tale tulit.
Post hanc vocem cum supremo
Mistam gemitu
Animam tandem per fera tristem
Vulnera reddit.

ACTUS

359. *Cujus facinus*] Ita immane & horrendum ut vix apud posteros fidem sit habiturum. *Farnabius.*

366. *Missus peragit*] Anicetus libertus pueritiæ Neronis educator, jamque classis apud Misenum præfectus cum Herculeo trierarcho, & Oloarito centurione missi ad Agripp. interficiendam. *Idem.*

368. *Cædu moriens*] Habentur hæc fere ad verbum in Tacit. 14. Annal. *Exclamavit rogans ministrum, ut utero dirum ensem conderet, adjiciens, hic est fodiendus ferro, monstrum qui tale tulit, post hanc vocem cum supremo mixtam gemitu animam tandem per fera tristem vulnera reddidit.* Idem.

375. *Per fera tristem*] Multis vulneribus confossam, per singula spiritum tradit emisisse; ex eorum sententia, qui confossos vulneribus, non per os, sed ipsa vulnera exhalare animam putabant: illi videlicet, qui animam esse ipsum sanguinem credebant, quos Aristoteles in libb. de anima refellit. *Delr.*

380. *Gra-*

ACTUS SECUNDUS.

SENECA.

Philosophus seculi sui vitia detestatus, prisci ævi simplicitatem laudat, utque omnia in dies in deteriora ruerint commemorat.

Quid me potens Fortuna, fallaci mihi
Blandita vultu, sorte contentum mea
Alte extulisti, gravius ut ruerem editâ
Receptus arce, totque prospicerem metus?
Melius latebam procul ab invidiæ malis
Remotus inter Corsici rupes maris:
Ubi liber animus, & sui juris, mihi
Semper vacabat, studia recolenti mea.
O quam juvabat (quo nihil majus parens
Natura genuit, operis immensi artifex)
Cœlum intueri, Solis & cursus sacros,
Mundique motus, Solis alternas vices,
Orbemque Phœbes, astra quem cingunt vaga,
Lateque fulgens ætheris magni decus!
Qui si senescit, tantus in cœcum chaos

Casu-

379. *Gravius*] *An me tollis in altum, ut casu graviore ruam?* Farnabius.

381. *Melius*] Senecam quasi Iuliæ Germanici F. adulteriorum conscium Messalina criminata fecit ut à Claudio in Corsicam scopulosam insulam relegaretur, unde, intercedente postmodum Agrippina, revocatus Neroni præficiebatur. *Idem.*

383. *Mihi Semper vacabat.*] Censeo auctorem scripsisse: *Ubi liber animus & sui juris sibi Semper vacabat studia recolenti pia.* Cornelius Severus de Cicerone: *sacris exacta quid artibus ætas?* Hypallage *ævi & recolens.* Gronov.

385. *O quam*] Hæc omnia ex consol. ad Elbiam, cap. 4. 8. & 9. *Farn.*

388. *Solis alternas vices*] Iam dixit de sole. Scribe igitur: *noctis alternas vices.* Supra: *Qua plaustra tardus nocti aeterna vice Regit Bootes.* Gronov.

390. *Ætheris*] Cœli. *Farnabius.*

391. *Qui si senescit*] Qui si senescit, aliquando interiturus ut nova progenies melior nascatur (ex nonnullorum philosophorum sententia) nunc sane instat tempus, quo *Omne in præcipiti vitium stetit.* Idem. *In cœcum chaos*] Omnia corpora συγχεχυμένα, confusa, composita, & in unum quasi conflata, in eadem, ex quibus coaluerunt, resolvenda asserebant: ex chao igitur, seu indigesta potius ejus mole (ut scribit Ovid. 1. Metamorphos.) ortum mundum, in Chaos iterum ait rediturum. Propter hanc omnium in elementa sua resolutionem, Ægyptii mundum figura serpentis caudam suam devorantis, significabant. Vide Pierium lib. 14. Hieroglyph. *Delr.*

392. *Casu-*

Casurus iterum, nunc adest mundo dies
Supremus ille, qui premat genus impium
Cœli ruina; rursus ut stirpem novam
Generet, renascens melior: vt quondam tulit
Juvenis tenente regna Saturno poli.
Tunc illa virgo, numinis magni dea,
Justitia, cœlo missa cum sancta Fide,
Terras regebat mitis. humanum genus
Non bella norat; non tubæ fremitus truces;
Non arma gentes; cingere assuerant suas
Muris nec urbes. pervium cunctis iter.
Communis usus omnium rerum fuit.
Et ipsa tellus læta fœcundos sinus
Pandebat ultro, tam piis felix parens
Et tuta alumnis. alia sed soboles minus
Conspecta mitis. tertium sollers genus
Novas ad artes extitit; sanctum tamen.
Mox inquietum, quod sequi cursu feras
Auderet acres; fluctibus tectos graves
Extrahere pisces rete; vel calamo levi
Decipere volucres; premere subjectos jugo

Tau-

392. *Casurus iterum*] Dixerat idem Lucanus lib. 1. —*sic cum compage soluta Secula tot mundi suprema coegerit hora, Antiquum repetens iterum Chaos, omnia mixtis Sidera sideribus concurrent, ignea pontum Astra petent: tellus extendere litora nolet, Excutietque fretum. fratri contraria Phœbe Ibit, & obliquum bigas agitare per orbem Indignata, diem poscet sibi: totaque discors Machina divulsi turbavit fœdera mundi.* Delr. *Nunc adest mundo*] Integriorem esse ajunt v. l. lectionem, *nunc asit*: quia noluerit dicere diem & illum adesse, sed ut assit optare. Sensum tenuere: sed versum corrumpere nefas. Lege igitur: *nunc ades*. quod etiam Grotius adscripserat. *Gronovius.*

396. *Iuvenis*] Recens natus & sub rege Saturno aureus. *Farn.*

397. *Virgo*] Astræa. Th. v. 855. *Id.*

398. *Fide*] Quæ justitiæ fundamentum est. *Idem.*

399. *Humanum*] Hæc ex Hesiodi, Arati & Ovid. descript. nota. *Idem.*

406. *Alia*] Secunda, argentea, *Auro deterior.* Idem.

407. *Tertium*] Ætas ahenea, *Durior ingeniis, & ad horrida promptior arma, Non scelerata tamen.* Idem.

409. *Inquietum*] Quartum genus. *Idem.*

412. *Decipere volucres, premere*] Olim hic legebatur: *vel calamo levi: Decipere volucres crate, cervos aut leves Tenere laqueo, premere.* Vnde sustulit

Tauros feroces; vulnere immunem prius
Sulcare terram, læsa quæ fruges suas
Interius alte condidit sacro sinu.
Sed in parentis viscera intravit suæ
Deterior ætas; eruit ferrum grave,
Aurumque; sævas mox & armavit manus;
Partita fines regna constituit, novas
Exstruxit urbes; tecta defendit suis
Aliena telis, aut petiit prædæ imminens.
Neglecta terras fugit, & mores feros,
Hominum cruenta cæde pollutas manus,

Astræa

stulit G. Fabricius, quod vulgo nunc abest. Delrius immanem licentiam vocat & temeritatem non ferendam: & prout distinguit, *calamum* credidit esse hamatam arundinem: nam & in comm. pinguiusculos & abdomine graves pisces retibus & linea extrahebant, inquit. Raphelingius miratur cervos teneri laqueis: probat editionem Fabricii: si quid mutandum, malit, *vel calamo leves*: ut dicantur volucres *leves*, ut pisces *graves*, feræ *acres*: *calamum* vero, arundinem viscatam. Gruterus laqueis Erymanthiam cervam captam docet ex Diodoro, & similiter apros aliaque ferociora animalia illaqueari, tamen quia in codd. quos inspexit, defuerit τὸ *cervos*, reliqua adjecta nihil aliud ostendere quam variantes lectiones temere in contextum receptas: itaque quam magis excutiat, tam magis Fabricianum placere. Illud lepidum, crate decipere volucres fuisse non tertii sæculi, sed quarti, tanquam interfuerit. Quid reliquerunt nobis? nempe nec recipiendum hoc totum, ut est, nec abolendum: sed ita reformandum: *fluctibus tectos gravi Extrahere pisces rete, vel calamo aut brevi Decipere volucres crate, cervos & leves Tenere laqueo. premere* &c. Nam & hic nullus malus sive magnus sive *gravi* pisces: at *grave rete*, μεῖον. *Calamum* malo esse aucupatorium quam piscatorium: & id doctius. *Crate* vero *brevi*, quia quum alioqui crates in opere rustico, aut in militia appellantur, ampliores animo fingimus. Sic *tabellæ breves*. Notat insignis Delrius in Adversariis, de hoc aucupii genere Brodæum egisse lib. 1. misc. adductis his Plauti verbis: *Hoc excepto, quod non cratibus, sed retibus hæ aves capiuntur*. At frustra toto in Plauto ista verba requires: nec sunt Plauti, sed Brodæi scribentis apud Comicum illum exstare mentionem aucupii istius, nempe ubi dicitur *concinnari area, effundi cibus*: unum diversum quod post paullo ibi *retia*, non *crates*, appellantur. Locus est in Asinaria a. 1. sc. 3. v. 65. & 72. Laqueis & cervos capi significat Trogus Pompejus, quum sic cervorum comitem Habidem captum commemorat, lib. 44. *interque cervorum greges diu montes saltusque peragravit: ad postremum laqueo captus, regi dono datus est*. Notum quoque Virgilii: *Tum laqueis captare feras*. Gronovius.

423. *Pollutas manus*,] Non potest placere hoc ἀσύνδετον. Suspicor scribendum, *pollutæ manus*: & uno spiritu conjungendum cum hemistichio præcedente: & feros mores manus cruenta hominum cæde pollutæ. *Idem.*

Astræa virgo, siderum magnum decus.
Cupido belli crevit, atque auri fames.
Totum per orbem maximum exortum est malum,
Luxuria, pestis blanda; cui vires dedit
Roburque longum tempus, atque error gravis.
Collecta vitia per tot ætates diu
In nos redundant. seculo premimur gravi,
Quo scelera regnant. sævit impietas furens.
Turpi libido Venere dominatur potens.
Luxuria victrix orbis immensas opes
Jam pridem avaris manibus, ut perdat, rapit.
Sed ecce gressu fertur attonito Nero,
Trucique vultu. quid ferat, mente horreo.

424. *Astræa*] Seu Erigone, Iovis & Themidos filia terras cæde madentes olim reliquerat. Th. 855. *Farnab.*

428. *Tempus*] Consuetudo qua augescunt tum vitia tum virtutes. *Idem.*

433. *Luxuria*] *Sævior armis Luxuria incubuit victumque ulciscitur orbem.* Idem.

434. *Iampridem*] Multa injuste rapit ut nequiter profundat. *Idem.*

NERO. PRÆFECTUS. SENECA.

Incassum monet suum Neronem Philosophus, qui tyrannicis institutis pertinaciter insistit, proximumque diem nuptiis cum Poppæa destinat.

Ner. Perage imperata. mitte, qui Plauti mihi
Sullæque cæsi referat abscissum caput.
Præf. Jussa haud morabor. castra confestim petam.
Sen. Ni-

437. *Mitte*] Mitte alios milites in Asiam, qui Plauti Rubellii: in Galliam Narbonensem alios, qui Sullæ in Massiliam amoti capita mihi referant. Tac. Ann. 14. *Farnabius.*

438. *Sullæque*] Cæsorum capita ad Neronem retulere Centuriones, quibus ille crudelissime illusit. *Idem. Abscissum caput*] Hoc ait, quia reipsa Centuriones cæsorum capita ad Neronem retulêre, quibus Nero crudelissime illusit, auctore Tacito lib. 14. Annal. Præfectus autem, quem hic alloquitur, non est Burrus Afranius, jam veneno sublatus, teste Tacito lib. 12. & Suetonio in Nerone cap. 35. sed alter è duobus, qui Burro, more antiquo, successerunt, Fenius Rufus, vel Sophonius Tigillinus, &, ut opinor, hic potius, quia validior in animo Principis, teste Cornelio lib. 14. Præfectus prætorio hic erat, hoc est, præfectus aulæ, ut multis docet Pet. Faber lib. 1. Semestr. cap. 1. *Delr.*

439. *Castra*] Militum vocandorum gratiâ tunc ergo habitabant Prætoriani milites in castris Prætorianis, à Tiberio in extrema urbis parte constitutis,

Sen. Nihil in propinquos temere constitui decet.
Ner. Justo esse facile est, cui vacat pectus metu.
Sen. Magnum timoris remedium clementia est.
Ner. Extinguere hostem, maxima est virtus ducis.
Sen. Servare cives, major est patriæ patri.
Ner. Præcipere mitem convenit pueris senem.
Sen. Regenda magis est fervida adolescentia.
Ner. Ætate in hac satis esse consilii reor.
Sen. Ut facta superi comprobent semper tua.
Ner. Stulte verebor, ipse cum faciam, deos.
Sen. Hoc plus verere, quod licet tantum tibi.
Ner. Fortuna nostra cuncta permittit mihi.
Sen. Crede obsequenti parciùs. levis est dea.
Ner. Inertis est, nescire quid liceat sibi.
Sen. Id facere, laus est, quod decet, non, quod licet.
Ner. Calcat jacentem vulgus. *Sen.* invisum opprimet.
Ner.

tutis, ut ex Dione, Tacito, Suetonio docent Onufrius, Lazius, Faber. De his Castris sic legitur in Commentar. vet. Iuvenal. Sat. 10. (ubi illa Iuvenalis *domestica castra* vocat, quia in urbe) *juxta ag gerem primus castra posuit Sejanus, id est, super Diocletianas; quæ dictasunt castra prætoria.* & in Sat. 11. *A Suburrâ frequentissimâ regione migrare ad Diocletianas ubi solitudo est.* habebant tamen stationem in ipso palatio, & more militari excubias singuli vicissim tribuni agebant, ut docet Tacitus lib. 6. ideo infra versu 774. *Quicunque miles tectis exsultat Ducis, Defendat aulam* — hic vero, ne quenquam à Statione Palatinâ abducat, ad castra properat præfectus, ut inde mittat, qui Neronis imperium exsequantur. *Delr. Petam*] Vt mittam milites percussores, qui mandatum tuum exequantur. *Farnabius.*

440. *In propinquos*] In amicos & tibi propinquitate conjunctos. *Idem.*

441. *Justo esse*] Si tibi, quæ mihi, imminerent pericula & metus, non omnia ex justo præciperes. *Idem.*

444. *Patriæ patri*] Bono imperatori & principi. *Idem.*

445. *Præcipere*] Languida hæc tua præcepta magis convenirent pueris. *Id.*

446. *Magis*] Quam pueritia. *Idem.*

447. *Ætate*] Nempe *Ingenium & rerum prudentia velox Ante pilos venit.* Idem.

449. *Stulte*] Quorsum timeam deos quos sibi quisque ex superstitione sua facit, qualisque Claudius est, quem ego nuper indigetem consecravi? *Idem.*

452. *Levis*] Inconstans dea est Fortuna. *Idem.*

454. *Id facere*] *Nec tibi quid liceat, sed quid feciſſe decebit Occurrat.* Idem.

455. *Calcat jacentem*] Remissum, lenem, mansuetum, clementem. sequens τὸ *invisum*, videtur suadere, ut hic legatur, *placentem.* sed nihil muto. En duo tibi. Odium, & Contemptus, exitia Principum, scopuli naufragiis

Ner. Ferrum tuetur Principem. *Sen.* melius fides.
Ner. Decet timeri Cæsarem. *Sen.* at plus diligi.
Ner. Metuant necesse est. *Sen.* quidquid exprimitur, grave est.
Ner. Jussisque nostris pareant. *Sen.* justa impera.
Ner. Statuam ipse. *Sen.* quæ consensus efficiat rata.
Ner. Despectus ensis faciet. *Sen.* Hoc absit nefas.
Ner. An patiar ultra, sanguinem nostrum peti
Invictus, & contemptus ut subito opprimar?
Exilia non fregêre submotos procul
Plautum atque Sullam; pertinax quorum furor
Armat ministros sceleris in cædem meam.
Absentium cum maneat etiam ingens favor
In urbe nostra, qui fovet spes exulum;
Tollantur hostes ense suspecti mihi.
Invisa conjux pereat, & carum sibi
Fratrem sequatur. quidquid excelsum est, cadat.
Sen. Pulchrum eminere est inter illustres viros;
Consulere patriæ; parcere afflictis; ferâ
Cæde abstinere; tempus atque iræ dare,

Orbi

regnorum infames. alterum illud prius semper tyrannis adesse, sed posterius rarius, sed longe majorem ad eversionem habere vim docet Aristoteles lib. 5. Polit. cap. 10. Inefficax fere odium, nisi contemtus accedat. Qui odit, optat nova, non audet: qui contemnit, quia non metuit, aggreditur contemtum, solio deturbat, & solo calcat. hoc Nero significare voluit. *Delr.*

456. *Diligi*] Οἱ φίλοι πιστοὶ σκῆπτρόν εἰσι βασιλεῦσιν ἀληθέστατον καὶ ἀσφαλέστατον. *Farnabius.*

460. *Statuam*] *Non sic excubiæ non circumstantia pila Quam tutatur amor.* Id. *Quæ consensus*] Quæ imperata ejusmodi, quæ probent ordines Senatorum & equitum sciscatque plebs. *Idem.*

461. *Despectus*] Scribam. *Detectus ensis*, sive *Conspectus*. nam in urbe & toga gladii tecti & absconditi. *Lipsius.* Emendaram ego, *Destrictus ensis.* Raphel.

462. *Peti*] A conjurantibus in vitam meam. al. *invisus.* Farnabius.

463. *Invictus*] Aldinum, *Invitus.* Gryphianum & Ortelii, *Invictus.* Si corrigendum aliquid, scribam *Inultus.* Raphel.

467. *Absentium*] Conjuratorum quos in exilium misi. *Farnabius.*

468 *Fovet*] Vt me tandem cæso revocentur ab exilio. *Idem.*

469. *Ense*] Vulgus securi feriebatur, nobiles gladio. *Idem.*

471. *Quicquid*] Tyrannicum scitum, ὡς τοὺς ὑπερέχοντας στάχυας κολούειν, οὕτω καὶ τοὺς ὑπερέχοντας τῶν πολιτῶν ἀναιρεῖν. *Idem.*

477. *Sic*

Orbi quietem, ſeculo pacem ſuo.
Hæc ſumma virtus. petitur hac cœlum via.
Sic ille patriæ primus Auguſtus parens
Complexus aſtra eſt, colitur & templis Deus.
Illum tamen Fortuna jactavit diu
Terra marique per graves belli vices;
Hoſtes parentis donec oppreſſit ſui.
Tibi numen incruenta ſummittit ſuum;
Et dedit habenas imperii facili manu;
Nutuque, terras, maria, ſubjecit tuo.
Invidia triſtis victa conſenſu pio
Ceſſit. ſenatus equitis accenſus favor
Plebiſque votis, atque judicium patrum eſt.
Tu pacis auctor, generis humani arbiter
Electus, orbem tu ſacra ſpecie regis

Patriæ

477. *Sic ille*] His virtutibus, clementia, &c. *Idem. Primus*] Primus è principibus Pater patriæ ſalutatus, ante vero M. Cicero. ante *Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.* Idem.

481. *Parentis*] Iulii Cæſaris qui Octavium ſororis ſuæ filium adoptavit.

482. *Tibi numen*] Fortuna ſubmiſit tibi numen ſuum ſine bello. *Idem.*

487. *Plebiſque votum eſt*] Bis hunc locum tentavit Lipſius: in Antiquis fingendo, *Ceſſit: ſenatus, equitis accenſus favor Plebiſque notus 'ſt*: (quaſi Plautum aut Pacuvium in manu haberet) deinde in Notis: *accenſus favor, Plebiſque votis atque judicio Patrum Tu pacis.* Delrius utrumque interpretando defungitur: ſed non deſiit propterea mire mendoſum locum Gruterus agnoſcere. Et eſt ſane: nam quid hoc, quod unus ordo bis appellatur nomine *Senatus* & *Patrum?* illorum vero, quorum potiſſima & unica vis in Imperatore deſignando, nulla mentio, militum? Atqui Tacitus lib. 12. *Illatus caſtris imperator conſalutatur. Sententiam militum ſecuta Patrum conſulta.* Deinde qui favor ille *accenſus* magis quam lictor aut viator aut apparitor? Quis denique ita locutus? Hoc voluit dicere auctor: *Invidia triſtis victa conſenſu pio ceſſit cohortis. Equitis acceſſit favor Plebiſque votis atque judicio Patrum.* Cohortem prætoriam per συνεκδοχὴν dicit pro exercitibus: ne nimis durum faciamus verſum ſcribendo, *cohortium*, aut, *cohortum: & equitis. Conſenſus cohortis*, ut ipſe Nero in prima oratione ad Senatum Tacito lib. 13. *de auctoritate Patrum, conſenſu militum præfatus.* Germanicus apud turbidas legiones de initiis Tiberii annali primo: *Italiæ inde conſenſum, Galliarum fidem extollit.* Eum conſenſum vocat *pium*, ut Otho ad milites l. 1. hiſtor. *Tumultus proximi initium nimia pietas veſtra, acrius quam conſideratius excitavit.* Quod ſequitur, *Tu pacis auctor*, reſpicit Vitellio jactam vocem, *ipſum eſſe concordiam*, Suetonius cap. 15. Niſi enim utrobique admiſſus eſſet, bellum civile trahendum erat: ut poſtea quam conſtitit alibi Principem quam Romæ poſſe fieri. *Gronovius.*

489. *Tu ſacra ſpecie regis*] Illud ſpe-

Patriæ parens: quod nomen, ut ſerves, petit,
Suoſque cives Roma commendat tibi.
Ner. Munus Deorum eſt, ipſa quod ſervit mihi
Roma, & ſenatus; quodque ab invitis preces,
Humileſque voces exprimit noſtri metus.
Servare cives Principi & patriæ graves
Claro tumentes genere, quæ dementia eſt,
Cum liceat una voce ſuſpectos ſibi
Mori jubere? Brutus in cædem ducis,
A quo ſalutem tulerat, armavit manus.
Invictus acie, gentium domitor, Jovi
Æquatus altos ſæpe per honorum gradus,
Cæſar nefando civium ſcelere occidit.
Quantum cruoris Roma tunc vidit ſui,
Lacerata toties! ille, qui meruit pia

Vir-

cie offendit Delrium, ſed non habere ait, quod ſubſtituat. Grutero quoque ſpurium, qui conjicit: *orbem ſpiritu ſacro.* At ita Lucanus lib. 7. *ſubiere pericula clari Sponte viri ſacraque antiquus imagine miles.* Tacitus 16. ann. *Simul ipſius Thraſeæ venerabilis ſpecies obverſabatur.* τὸ *Tu* ſi nonnullis codicibus deſuit, iidem tamen reliquæ ſcripturæ conſenſu ſatis oſtendunt nihil aliud addendum eſſe. *Gronovius.*

492. *Munus*] Diis imperium acceptum potius refert (quos tamen ſupra v. 440. contempſit) quam ſe quid Romanis debere agnoſcat. *Farnabius.*

493. *Quodque*] Quem de me conceperunt, metus eos vel invitos in officio continet. *Idem.*

495 *Servare*] Servare autem cives factioſos, conjuratos in patriæ & principis perniciem, nobilitate ſua fretos ſuperboſque, quæ dementia? *Idem.*

497. *Voce ſuſpectos ſibi*] Malim, *mihi.* Gronovius.

498. *Ducis*,] C. Iulii Cæſ. Imp. *Farnabius.*

499. *Salutem*] Publicam, vel etiam privatam, cum eum ſemper dilexiſſet, heredemque de parte ſcripſiſſet, unde & confoſſus ingemuit, *Et tu Brute?* Idem. Quam publicam, quam privatam ſalutem dixerit, interpres ipſe viderit. Sententia eſt Brutum à Cæſare ſervatum in Pharſalica acie. Dion. ὁ Βροῦτος ὁ Μάρκος, ὁ μὴ τοῦτο αὐτὸν ἀποκτείνας, καὶ ἐάλω καὶ αὐτὸς καὶ ἐσώθη. *Gronovius.*

500. *Jovi*] *Iupiter in cœlis, Cæſar regit omnia terris.* Farnabius.

501. *Æquatus aliis*] Haud dubie *altos*, ut & Grotius voluit. *Gronovius.*

504. *Ille, qui meruit pia*] Primus è Rom. Impp. in deorum numerum relatus Aug. *Farn.*

Seneca lib. 1. de Clementia: *Hæc Auguſtus ſenex, aut jam in ſenectutem annis vergentibus. In adoleſcentia caluit, arſit ira, multa fecit ad quæ invitus oculos retorquebat.* & paullo poſt: *Fuerit moderatus & clemens. nempe poſt mare Actiacum Romano cruore infectum: nempe poſt fractas in Sicilia claſſes, & ſuas, & alienas: nempe poſt Peruſinas aras, & proſcriptiones.* His dictis nunc Nero Senecam invadit, propiio illum, quod dici ſolet, gladio:

Virtute cœlum, Divus Augustus, viros
Quot interemit nobiles, juvenes, senes,
Sparsos per orbem, cum suos mortis metu
Fugerent penates, & trium ferrum ducum
Tabula notante deditos tristi neci?
Exposita rostris capita cæsorum patres
Vidêre mœsti: flere nec licuit suos,
Non gemere, dira tabe polluto foro,
Stillante sanie per putres vultus gravi,
Nec finis heic cruoris aut cædis stetit.
Pavere volucres & feras sævas diu
Tristes Philippi. hausit & Siculum mare
Classes, virosque sæpe cedentes. suis
Concussus orbis viribus. Magnus ducum
Superatus acie, puppibus Nilum petit

Fugæ

dio: ptopter hæc & similia Ausonius ait illum sævitiam Neronis armasse. *Delr.*

506. *Quot*] Cum proscriptionem, cui aliquandiu restitit, inceptam crudelius exercuit. *Farnabius.*

508. *Trium*] Triumvirum, Lepidi, Antonii, Octavii. *Idem.*

509. *Tabula*] Tab. dictante proscriptos. *Idem.*

510. *Exposita*] Senatores viderunt capita Ciceronis, L. Pauli, aliorumque illustrium virorum affixa suggesto in foro, quod ex rostris navium Antiatum. *Idem.*

515. *Pavere*] Cadaveribus Rom. cæsorum in campis Philippicis in Macedonia, ubi pugnatum ab Octavio & Antonio contra Brutum & Cassium. *Farnabius.*

516. *Tristes Philippi*] In nominis proptii fine nihil eliditur, & aspiratio sequens vim habet consonantis. Vt in Agamemnone, *Phœbe relaxa, humerosque graves* Fabric. *Philippi hausit*] Non fero hunc hiatum: nec quod alicubi, *exhausit*. Scribe: *mersit & Siculum mare*. Quod sequitur, *sæpe cedentes suis*, perditum ac deploratum est. G. Fabricius *cadentes suos:* quod laudant sine nomine & sine nomine alios ajunt male mutasse, quum significetur, cives à civibus sæpe necatos in mari: parum tamen, addunt ipsi, Latine. Nimirum, quia auctor hujus tragœdiæ ad Senecam non assurgit, quidvis eum solœcum dicere potuisse crediderunt. At ille si non Seneca erat, Romanus tamen erat, & tam turpiter in materna lingua errare non poterat. Sensus talis fuit: *mersit & Siculum mare Classes virosque. mox redit sociis furor. Concussus orbis viribus magnis ducum.* Octavium & Antonium bello Actiaco designet. *Vires ducum* habet à Lucano lib. 4. *Prima dies belli cessavit marte cruento, Spectandaque; ducum vires numerosaque signa Exposuit. Superatus acie* haud dubie Antonius. Pro *suis* invenimus etiam in Mss. *suos.* inde fecimus *furor.* Gronovius. *Hausit*] In prœlio navali contra Sext. Pompejum. *Farnabius.*

519. *Superatus acie.*] M. Antonius Triumvir. nam nullo pacto potest capi de Pompejo. cum præcedens versus innuat bellum Augusti cum Antonio

Fugæ paratis, ipse periturus brevi.
Hausit cruorem incesta Romani ducis
Ægyptus iterum, nunc leves umbras tegit.
Illic sepultum est impie gestum diu
Civile bellum. condidit tandem suos
Jam fessus enses victor, hebetatos feris
Vulneribus, & continuit imperium metu.
Armis, fideque militis tutus fuit.
Pietate gnati factus eximia Deus,
Post fata consecratus, & templis datus.
Nos quoque manebunt astra, si sævo prior
Ense occuparo quidquid infestum est mihi,
Dignaque nostram sobole fundaro domum.
Sen. Implebit aulam stirpe cœlesti tuam
Generata Divo, Claudiæ gentis decus,
Sortita fratris, more Iunonis, toros.
Ner. Incesta genitrix detrahit generi fidem,
Animusque nunquam conjugis junctus mihi.
Sen. Teneris in annis haud satis clara est fides,
Pudore victus cum tegit flammas amor.
Ner. Hoc equidem & ipse credidi frustra diu.
Manifesta quamvis pectore insociabili,
Vultuque signa proderent odium mei.
Tandem quod ardens statuit ulcisci dolor:
Dignamque thalamis conjugem inveni meis

Gene-

& Cleopatrâ, idque satis evincit illud, *puppibus fugæ paratis*. nam Pompejo nullæ ejusmodi naves. *Grut.*

521. *Incesta*] Propter Cleopatram Ptolemæo fratri nuptam. *Farnabius.*

522. *Iterum*] Semel Cn. Pompeji, iterum M. Antonii. *Idem.*

523. *Sepultum*] Sedatum, finitum. *Idem.*

528. *Pietate*] A Tiberio filio adoptivo Divus consecratus. sup. v. 496. *Idem.*

531. *Nos quoque*] Et me quoque suo excipient Dii consortio, si prius inimicos sustulero. *Idem.*

534. *Generata*] Octavia sup. v. 216. *Idem.*

536. *Incesta*] Messalina, vulgatum illud probrosum, suspectam mihi reddit Octaviam & prolem incertam. *exspectas ut tradat mater honestos, Aut alios mores quam quos habet?* Farn.

539. *Pudore*] Ubi verecundia impedit, quo minus amorem ostendat suum. *Idem.*

543. *Quod*] Quo ultionis genere suum

Genere atque forma, victa cui cedat Venus,
Joviſque conjux, & ferox armis Dea.
Sen. Probitas, fideſque conjugis, mores, pudor,
Placeant marito. ſola perpetuo manent,
Subjecta nulli, mentis atque animi bona.
Florem decoris ſinguli carpunt dies.
Ner. Omnes in unam contulit laudes Deus,
Talemque naſci Fata voluerunt mihi.
Sen. Recedat à te, temere ne credas, amor.
Ner. Quem ſubmovere fulminis dominus nequit,
Cœli tyrannum, ſæva qui penetrat freta,
Ditiſque regna, detrahit Superos polo.
Sen. Volucrem eſſe Amorem fingit immitem deum
Mortalis error, armat & telis manus,
Arcuſque ſacros miſcuit ſæva face;
Genitumque credit Venere, Vulcano ſatum.
Vis magna mentis, blandus atque animi calor
Amor eſt; juventa gignitur; luxu, otio
Nutritur inter læta Fortunæ bona.
Quem ſi fovere atque alere deſiſtas, cadit,
Brevique vires perdit extinctus ſuas.

Ner.

ſtum mei contemptum referre ſtatui. *Farn.*

545. *Victa cui*] Cui tres illæ Deæ cedant, ut quondam duæ Veneri ſub Paride judice. *Idem.*

546. *Ferox armis Dea*] Minerva. *Delr.*

550. *Florem*] *Forma bonum fragile*, &c. *Carpitur & ſpacio ſit minor ipſa ſuo.* Farnabius.

551. *Omnes in unam*] De Poppæa Tacitus; *Huic mulieri cuncta alia fuere, præter honeſtum animum. quippe mater ejus ſuæ ætatis feminæ pulchritudine ſupergreſſa, gloriam pariter & formam dederat. opes claritudini generis ſufficiebant. ſermo comis nec abſurdum ingenium. modeſtiam præferre, & laſcivia uti. rarus in publicum egreſſus, idque velata parte oris.* Comment. vetus tradit hanc adeo diligentem colendæ formæ fuiſſe, ut eam in exſulium quinquaginta aſinæ ſint ſubſecutæ, quarum lacte candorem corpori conciliabat. Inventrix etiam medicamenti, quod ab ea Poppæanum, de quo Juvenalis Sat. 6. *Idem.*

554. *Fulminis*] Iup. vide Hippol. v. 186. unde hæc. *Idem.*

555. *Freta*] Nereides, Thetis, Tethys, atque ipſe *flagrat Neptunus in undis*, Hipp. v. 332. *Idem.*

559. *Arcuſque*] Quomodo? an facem arcu jaculatur? miror non exuri nervum. Eibius legit; *Artuſque*, hoc eſt, manus. *Delr.* Immo, dedit ei arcum & facem. *Gronovius.*

Ner. Hanc esse vitæ maximam causam reor,
Per quam voluptas oritur. interitu caret,
Cum procreetur semper humanum genus
Amore grato, qui truces mulcet feras.
Hic mihi jugales præferat tedas deus,
Jugetque nostris igne Poppæam toris.
Sen. Vix sustinere posset hos thalamos dolor
Videre populi: sancta nec pietas sinat!
Ner. Prohibebor unus facere, quod cunctis licet?
Sen. Majora populus semper à summo exigit.
Ner. Libet experiri, viribus fractus meis
An cedat animis temere conceptus favor.
Sen. Obsequere potius civibus placidus tuis.
Ner. Male imperatur, cum regit vulgus duces.
Sen. Nihil impetrare cum valet, juste dolet.
Ner. Exprimere jus est, ferre quod nequeunt preces.

Sen.

566. *Hanc*] Vt sui simile generet. *Farn.*

169. *Qui truces*] *Omne adeo genus in terris, hominumque ferarumque, Et genus æquoreum, pecudes pictæque volucres In furias ignemque ruunt.* Hipp. v. 337. *Farnabius.*

570. *Hic mihi*] Cupido mihi auspex præferat faces nuptiales: vide Theb. v. 263 & 507. *Farnabius.*

573. *Vix sustinere posset*] Recte Delrius *dolor ἀντὶ τοῦ Deus.* Sed non totum est. Videtur auctor scripsisse: *Vix sustineret justus hos thalamos dolor Videre populi.* Gronovius.

574. *Facere*] Repudiare uxorem. *Farn.*

575. *Majora*] A principibus, in sublimi specula atque in oculis omnium positis, exspectant alii ingens vitæ & morum exemplar, multa itaque sibi permittit populus, quæ tamen principi nequaquam permittit. *Idem.*

577. *An cedat animis*] Populi stantis pro Octavia. hæcque est scriptura Pall. novem, itaque exterminandum putavi vulgatum, *conceptus furor.* nam & infra, ipsamet Octavia, v. 646. *Parcite lacrimis urbis festo Lætoque die; ne tantus amor, Nostrique favor Principis acres Suscitet iras.* Grut.

581. *Exprimere jus est ferro*] Hoc quidem contra versus legem. Quare Scaliger, *facere*: Melissus apud Gruterum, *ferre quod nequeunt*, nunc receptum. Sequenti pro *negare*, Lipsius *necare*, & homines graves adsentiuntur corrigenti; Gruterus alterum tuetur. Mihi aliud hic incommodum occurrit: neque enim video, quomodo non inepte fiat mentio precum. Quid enim? an unquam precibus contendit à populo Romano Nero, sibi ut Poppæam ducere liceret? & illis repulsis jus exprimendi nactus est, quod exorare non potuit? Immo populus deprecatus pro Octavia, ne repudiaretur: & quia instantius agebant, Nero ad invidiam dicit eos *exprimere.* Scribe: *Exprimere vis est.* Dictum erat populum merito dolere, quum rogans, præsertim justa, nihil impetret. Resp. Nero, sed quod roganti populo non conceditur, id eum exprimere tumultu ac seditione est

Sen. Negare durum est. *Ner.* Principem cogi nefas.
Sen. Remittat ipse. *Ner.* fama sed victum feret.
Sen. Levis atque vana. *Ner.* si licet, multos notat.
Sen. Excelsa metuit. *Ner.* non minus carpit tamen.
Sen. Facile opprimetur. merita te Divi patris,
Ætasque frangat conjugis, probitas, pudor.
Ner. Desiste tandem, jam gravis nimium mihi,
Instare, liceat facere quod Seneca improbat.
Et ipse populi vota jampridem moror.
Cum portet utero pignus, & partem mei.
Quin destinamus proximam thalamis diem?

est vim facere principi. Vel sic, *Exprimere vis est.* SE. *ferre quid nequeunt preces? Negare durum est.* Immo, inquit, non exprimunt, sed rogant, orant, supplicant. Quid autem non debetur τοῖς Διὸς κεφαλῆς μεγάλοις, quæ & anteambulonem habent τῷ Ἄτῃ. & si repellantur, vindicem? Illis negare mihi profecto duri crudique pectoris videtur. *Gronovius.*

583. *Remittat*] Ipse princeps cedat aliquantulum de jure suo: etsi flecti reges, quam vinci non minus turpe existiment. Hipp. v. 135. *Farnabius.*

586. *Divi*] Claudii patris Octaviæ qui te adoptavit. *Idem.*

587. *Frangat*] Animum tuum avertat à Poppæa. *Idem.*

590. *Populi*] Desiderantis ex me prolem legitimam, quæ firmet etiam imperium. *Idem.*

591. *Partem mei*] Ovidius; *Parsque tui latitat corpore clausa meo.* Delr.

ACTUS TERTIUS.

AGRIPPINA.

Ab inferis prodit Agrippina, dira auspex faces exitiales præferens nuptiis Poppææ & Neronis, cujus mortem prædicit.

TEllure rupta Tartaro gressum extuli,
Stygiam cruenta præferens dextra facem
Thalamis sceleſtis. nubat his flammis meo
Poppæa gnato juncta, quas vindex manus
Dolorque matris vertet ad tristes rogos.
Manet inter umbras impiæ cædis mihi

Sem-

593. *Tellure*] In scena exsiliebant umbræ scalis Charoniis. *Farnabius.*

594. *Stygiam*] Funestam, exitialem, Med. v. 16. *Idem.*

595. *Nubat*] Vertat nuptialem facem in feralē & funebrem. supra v. 260. *Idem.*

598. *Manet*] *Curæ non ipsa in morte relinquunt.* Oed. v. 615. *Cædis*] Sup. v. 360. *Farn.*

598. *Ma-*

Semper memoria, manibus noſtris gravis
Adhuc inultis, reddita & meritis meis
Funeſta merces puppis, & pretium imperii
Nox illa, qua naufragia deflevi mea.
Comitum necem, natique crudelis nefas
Deflere, votum fuerat, haud tempus datum eſt
Lacrimis. ſed ingens ſcelere geminavit nefas.
Perempta ferro, fœda vulneribus, ſacros
Intra penates ſpiritum effudi gravem,
Erepta pelago, ſanguine extinxi meo
Nec odia gnati, ſævit in nomen ferus
Matris tyrannus. obrui meritum cupit.
Simulacra, titulos deſtruit, mortis metu,
Totum per orbem, quem dedit pœnam in meam
Puero regendum noſter infelix amor.
Extinctus umbras agitat infeſtus meas
Flammiſque vultus noxios conjux petit,
Inſtat, minatur, imputat fatum mihi
Tumulumque gnati. poſcit auctorem necis.
Jam, parce, dabitur. tempus haud longum peto.
Ultrix Erinnys impio dignum parat
Letum tyranno; verbera, & turpem fugam,

Pœ-

599. *Manibus noſtris gravis*] Florus lib. 4. cap. 6. *Cæſarem inultus pater & manibus ejus graves Caſſius & Brutus agitabant.* Gronovius.

601. *Imperii*] Neroni mea opera parti. ſup. v 327. *Farnabius.*

602. *Deflevi*] Sup. v. 323. *Idem.*

603. *Comitum*] Crepereji Galli, & Aceroniæ. *Idem.*

606. *Sacros*] In villa Auguſta Lucrini lacus. *Idem.*

609. *Sævit*] Natalem Agrippinæ inter nefaſtos refetri dies à Senatu impetraverat Nero, ſtatuas demolitus, nomen & titulos ubique, ipſamque ejus memoriam delere conabatur. *Id.*

611. *Simulacra*] Mortem iis minatus, quicunque mei ſimulachra habuerint. *Farnab. Deſtruit mortis metu*] Apparet, ut explicent. Grotius tamen haud ineleganter: *Simulacra, titulos deſtruit memores mei.* Idem mox: *imputat fatum mihi ſuum atque gnati.* Gron.

612. *Quem dedit*] Cujus orbis imperium ego infelix illi dedi, ut & mihi vitam eripere poſſet. *Farn.*

615. *Conjux*] Claudius. *Idem.*

616. *Fatum mihi*] Al. *fatum mihi Tumulumque gnati poſcit authorem necis.* Quæ lectio hiſtoriam reſpicit. Mors enim ejus celata eſt, dilataque ſepultura, donec circa ſucceſſorem omnia ordinarentur. *Idem.*

618. *Gnati*] Britannici. *Idem.*

617. *Auctorem*] Neronem. *Idem.*

620. *Verbera*] Vbi deſciviſſe Galbam

Pœnaſque queis & Tantali vincat ſitim,
Dirum laborem Siſyphi, Tityi alitem,
Ixioniſque membra rapientem rotam.
Licet exſtruat marmoribus, atque auro tegat
Superbus aulam; limen armatæ ducis
Servent cohortes; mittat immenſas opes
Exhauſtus orbis; ſupplices dextram petant
Parthi cruentam; regna, divitias, ferant:
Veniet dies tempuſque, quo reddat ſuis
Animam nocentem ſceleribus, jugulum hoſtibus,
Deſertus, & deſtructus, & cunctis egens.
Heu, quo labor, quo vota ceciderunt mea!
Quo te furor provexit attonitum tuus,
Et fata, gnate? cedat ut tantis malis
Genitricis ira, quæ tuo ſcelere occidit!
Utinam, antequam te parvulum in lucem edidi
Aluique, ſævæ noſtra laceraſſent feræ
Viſcera! ſine ullo ſcelere, ſine ſenſu innocens
Meus occidiſſes: junctus atque hærens mihi,
Semper quietam cerneres ſedem Inferûm,

Pro-

bam & Hiſpanias cognovit, collapſus diu inter mortuos jacuit; ut reſipuit, capite converberato, actum de ſe pronunciavit. *Idem. Turpem*] Hoſtis à Senatu judicatus & quæſitus ut puniretur more majorum, nudo pede & tunicatus conſcenſo equo fugit ad Phaontis ſuburbanum, in quod ut clam introivit, quadrupes per effoſſæ cavernæ anguſtias receptus eſt. *Idem.*

621. *Tantali*] Thyeſt. v. 151. Nero autem, dum clandeſtinus ad villam introitus pararetur, aquam ex ſubjecta lacuna potaturus manu hauſit, & *hæc*, inquit, *eſt decocta Neronis.* Idem.

622. *Dirum*] Hippol. 1226. *Idem. Tityi*] Hippol. v. 1218. *Idem.*

627. *Exhauſtus*] Exactionibus. *Id. Supplices*] Quod non fecerunt, rebellantes autem Armeniâ invaſerunt. *Id.* Certe fecerunt per Teridatem. *Gron.*

630. *Sceleribus*] Suppliciis, quæ tantis ſceleribus debentur. *F. Jugulum*] Vbi appropinquaſſe equites audiit, quibus præceptum ut vivum eum attraherent, ferrum trepidanter jugulo adegit. *Idem.*

631. *Deſertus*] Fugientibus cuſtodibus, nec reperto cujus manu periret percuſſoris. *Ergo*, inquit, *nec amicum habeo, nec inimicum.* Idem. *Cunctis*] Fame & ſiti interpellante, panem quidem ſordidum oblatum aſpernatus eſt, aquæ autem aliquantum bibit. *Id.*

639. *Meus occidiſſes*] *Emph.* à me non ablegandus. al. *mecum occidiſſes*, id eſt, mihi commortuus fuiſſes infans & innocens. *Idem.* Prior tamen lectio mihi potior. *Meus* enim eſt quem non puderet agnoſcere vel apud inferos, ubi *nunc* me *pudor luctuſque perpetuus manet ex te nefande*, ut mox loquitur. *Grut.*

645. *No-*

Proavos, patremque, nominis magni viros.
Quos nunc pudor, luctusque perpetuus manet,
Ex te nefande, meque, quæ talem tuli.
Quid tegere cesso Tartaro vultus meos,
Noverca, conjux, mater infelix meis?

645. *Noverca*] Infelix Britannici noverca, Claudii conjux, Neronis mater. *Farnabius.*

Octavia. Chorus.

Octavia dissimulata tristitia faventem sibi populum orat ne divortium sui lugeat. Chorus tamen ipsius vicem dolet.

Oct. Parcite lacrimis urbis festo
Lætoque die; ne tantus amor,
Nostrique favor Principis acres
Suscitet iras, vobisque ego sim
Caussa malorum. non hoc primum
Pectora vulnus mea senserunt.
Graviora tuli. dabit hic nostris
Finem curis vel morte dies.
Non ego sævi cernere cogar
Conjugis ora.
Non invisos intrare mihi
Thalamos famulæ. soror Augusti,
Non uxor, ero.
Absint tantum tristes pœnæ,
Letique metus. scelerum diri,

646. *Festo*] Principis nuptiali, geniali. *Farnabius.*

655. *Conjugis*] Poppææ. sup. v. 109. *Idem.*

657. *Soror*] *Certe soror*, inquit Iuno. vide Herc. Fu. v. 1. *Idem.*

660. *Socerum diri*] Et hic fere alias res egerunt, qui hujus opusculi susceperunt curam. Lipsius, *sociam*, & *heu*, sublata interrogatione: tanquam dicat se sociam futuram prioris sponsi Silani, & die nuptiarum Poppææ mactatum iri. Raphelingius ex Orteliano profert, *scelerum*: nec ante mentem Octavii se potuisse adsequi. Deltius nihil mutat: *socerum* esse socerorum, quos edidit primum Claudium & Poppææ patrem, dein pro altero Appium Silanum. Grutero sunt inepti versus hi, sive retineamus *socerum*, sive ex aliquot Mss. legamus *scelerum*: esse in uno, *soror diu miseranda*: meliores fore, si invertatur ordo & *Potes* præcedat *socerum*: sed nec sic satisfacere: denique nihili duo epitheta, *miseranda* & *demens*. Recte Raphelingius & pulcro

Mise-

Miseranda, viri potes hæc, demens,
Sperare memor? hos ad thalamos
Servata diu, victima tandem
Funesta cades. sed quid patrios
Sæpe penates respicis udis
Confusa genis? propera tectis
Efferre gradus: linque cruentam
Principis aulam.
Cho. En illuxit suspecta diu
Fama toties jactata dies!
Cessit thalamis Claudia diri
Pulsa Neronis,
Quos jam victrix Poppæa tenet,
Cessat pietas dum nostra, gravi
Compressa metu, segnisque dolor.
Ubi Romani vis est populi?
Fregit claros quæ sæpe duces;
Dedit invictæ leges patriæ,
Fasces dignis civibus olim;
Jussit bellum, pacemque; feras
Gentes domuit; captos reges
Carcere clusit? gravis en oculis
Undique nostris jam Poppææ
Fulget imago juncta Neroni:
Affligat humo violenta manus
Similes nimium vultus dominæ:

Ipsam-

pulcro stant talo versus sensusque. Quum enim sibi ominata fuisset pristinum fororis statum sine alia injuria, vero victa & male fraudans diffidentem animum erumpit: *scelerum diri, Miseranda, viri potes hæc, demens, sperare memor?* At ô miseranda, ô demens Octavia, potes hæc sperare memor & non oblita scelerum detestabilis viri? tibi scilicet ut parcat, qui solitus nemini? Nihil poterat planius. *Gronovius.*

671. *Claudia*] Octavia Claudii Fil. sic illam vocat frequenter, propter gentis Claudiæ nobilitatem; quæ ante Imp. Tiberium Consulatibus XXX. Dictatutis V. Censuris VII. Triumphis VI. Ovationibus II. fuit illustris, teste Suetonio, in Tiberio. *Delr.*

677. *Duces*] Syphacen, Persen, Jugurtham, Herodem, &c. *Farnabius.*

685. *Affligat*] Lege *Affligat* ut inf. v. 785. id est, Quin Poppææ has imagines manus nostra illidat. *Idem.*

688. *Pe-*

Ipsamque toris detrahat altis:
Petat infelix mox & flammis
Telisque feri Principis aulam.

688. *Petat infelix*] Scribe cum Hugon. Grotio: *Petat infestis mox &* | *flammis*. Gronovius.
689. *Feri*] Tyranni, Neronis. *Farn.*

ACTUS QUARTUS.

Nutrix. Poppæa.

Territa in somno Poppæa nutrici narrat somnium; quam illa vana somnium eludens interpretatione solatur.

Nun. Quo trepida gressum conjugis thalamis tui
Effers, alumna? quodve secretum petis
Turbata vultu? cur genæ fletu madent?
Certe petitus precibus & votis dies
Nostris refulsit. Cæsari juncta es tuo
Teda jugali. quem tuus cepit decor,
Et culpa Senecæ; tradidit vinctum tibi
Genitrix amoris maximum numen Venus.
O qualis, altos quanta pressisti toros
Residens in aula! vidit attonitus tuam
Formam senatus, thura cum Superis dares,
Sacrasque grato spargeres aras mero,
Velata summum flammeo tenui caput,

Et

696. *Et culpa Senecæ*] Triplicem ponit Delrius: quod dissuadendo vehementius Neronem impulerit: quod Agrippinæ tollendæ fuerit auctor: quod discipulorum delicta in magistrum retorqueantur: & quærit, an harum aliam accipere possimus. Respondeo nullam, nec aliquam quæri debere, quum sit omnis hic librariorum culpa qui nomen hoc subjecerunt. Cogitabam: *Et culpa nuptæ*, Octaviæ scilicet. Sed amplius. *Grenewi.*

698. *Toros*] Discubitorios. *Farnabius.*

700. *Thura*] In nuptiis aquæ & ignis sacramenta adhibita, quæ calorem & humorem adfœtum denotarent. hinc faces & thura, nec non vini libatio. neque enim uxor nisi peractis sacrificiis ducebatur. *Idem.*

701. *Aras mero*] Sacrificantes vinum è patera aris, vel prunis, vel thuri dato superfundebant: ideo rite hic datio thuris vini libationi præmittitur. Vide Brisson. lib. 1. Formular. fol. 30. & seq. *Delr.*

702. *Flammeo*] Velamento luteo seu rubeo, quo novas nuptas regi moris erat pudoris gratia. vel subjectionis symbolum. *Farnabius.*

704 *La-*

Et ipse lateri junctus atque hærens tuo
Sublimis inter civium læta omina
Incessit; habitu atque ore lætitiam gerens
Princeps superbo. talis emersam freto
Spumante Peleus conjugem accepit Thetin.
Quorum toros celebrasse Cœlestes ferunt,
Pelagique numen omne consensu pari.
Quæ subita vultus causa mutavit tuos?
Quid pallor iste, quid ferant lacrimæ, doce.
Pop. Confusa tristi proximæ noctis metu
Visuque, nutrix, mente turbata feror,
Defecta sensu. læta nam postquam dies
Sideribus atris cessit, & nocti polus,
Inter Neronis juncta complexus mei
Somno resolvor; nec diu placida frui
Quiete licuit: visa nam thalamos meos
Celebrare turba est mœsta; resolutis comis
Matres Latinæ flebiles planctus dabant;
Inter tubarum sæpe terribilem sonum
Sparsam cruore conjugis genitrix mei
Vultu minaci sæva quatiebat facem:
Quam dum sequor, coacta præsenti metu,
Diducta subitò patuit ingenti mihi
Tellus hiatu: lata quo præceps, toros
Cerno jugales pariter & miror meos,

In

704. *Læta omina*] Male unus cod. antiq. *agmina*. loquitur de Ominibus novæ Augustæ bene precantium. de quibus acclamationibus nuptialibus diximus sup. Medeæ 58. de his etiam Tacitus Annal. 15. *Iam Senatus* (inquit) *uterum Poppææ commendaverat Diis, votaque publice susceperat; quæ multiplicata exsolutaque, & additæ Supplicationes; templumque Fœcunditati, &c.* Delr.

706. *Talis emersam*] Πᾶσαι δὲ κυδαίνουσι θεῶν ἄκτιδες ἡνίοχλην Ἀμφιτρίτης, &c. Coluth. *Idem.*

719. *Resolutis*] Quod in luctu fieri solet. Troad 83. *Idem.*

722. *Sparsam cruore*] Vulgo, *sparsa*. Malo ex v. l. *sparsam*, legere. quia fere semper inferis sanguineæ videlicet cruentæ faces attribuuntur, ut alibi docui. *Delr. Conjugis*] Neronis mater Agrippina. *Idem.*

723. *Vultu*] Sup. v. 585.

726. *Lata*] Huc ego delata præceps. *Idem.*

In queis resedi fessa. venientem intuor
Comitante turba conjugem quondam meum,
Gnatumque. properat petere complexus meos
Crispinus, intermissa libare oscula.
Irrumpit intra tecta cum trepidus mea,
Ensemque jugulo condidit sævum Nero.
Tandem quietem magnus excussit timor:
Quatit ora & artus horridus nostros tremor,
Pulsatque pectus: continet vocem timor,
Quam nunc fides pietasque produxit tua.
Heu, quid minantur Inferûm Manes mihi,
Aut quem cruorem conjugis vidi mei?
Nut. Quæcumque mentis agitat infestus vigor,
Ea per quietem sacer & arcanus refert
Veloxque sensus. conjugem, thalamos, rogos,
Vidisse te miraris, amplexu novi

Hæ-

729. *Conjugem*] Crispinum equitem Romanum. *Farn.*

730. *Gnatumque*] Rufum Crispinum Poppææ gnatum, quem impuberem adhuc, quia ferebatur ducatus & imperia ludere, mergendum mari dum piscaretur, servis ipsius demandavit Nero. *Idem.*

731. *Crispinus*] Conjux, al. leg. *Pristinus.* al. *Pestinus.* Idem. *Intermissa libare oscula*] Grotius, *libans.* Gronovius.

732. *Cum trepidus mea*] Lipsius *trepidus meus*, de Nerone, & infra v. 751. *Princeps tuo*, non *tuus.* Laudat Raphelingius: præfert tamen, *trepidus, meo Ensemque jugulo:* dein ad alterum versum: corrige audacter, *tuo.* Delrius *mea* explicat nova illa, quæ apud inferos nacta: sed tamen, mallem, inquit, *meus*, si quis liber confirmaret: suum vocat Neronem: tum rectius quidam *tuo.* Gruterus scripserit potius, *trepidus Nero*, & *sævum meo:* postea miratur, cur illud *tuus* excludant, qui ambitiose supra intrusum voluerint, *meus Nero.* At ô boni, his omnibus quem redditis in illa nocturna imagine saucium? Annon Poppæam? Cur ergo dicit ipsa, *Aut quem cruorem conjugis vidi mei?* Non suum, sed conjugis cruorem se vidisse ait. Ergo aut Crispini aut Neronis. Si Crispinus est, scribendum erit: *trepidus Nero Ensemque jugulo condidit sævum viri:* & similiter, *condidit Princeps viri.* Si Nero, nihil usquam mutandum: nam *tecta sua* vocat thalamum, in quo imaginabatur genialem torum: quum dicitur, *Ensemque jugulo condidit sævum Nero*, non alio quam suo accipere possumus: nec alio quum dicitur, *Iugulo quod ensem condidit Princeps tuus.* Hæc res auget prodigium & interpretationi nutricilæ anus convenientior est. *Id.*

736. *Continet*] *Vox faucibus hæsit.* Farnabius.

740. *Quæcumque*] Ἀντίτυπον γὰρ Ἔργον ὅπερ τελεῖ τις ἤματι δοκοῦν, *Somnia nam curas referunt nocturna diurnas.* Farnabius. *Agitat infestus vigor*] Lege: *intentus vigor.* Gronov.

741. *Refert*] Reducit ad phantasiam. *Farn.*

744. *Sed*

Hærens mariti? sed movent læto die
Pulsata palmis pectora, & fusæ comæ.
Octaviæ discidia planxerunt sacros
Intra penates fratris, & patrium larem.
Fax illa, quam secuta es, Augustæ manu
Prælata, clarum nomen invidia tibi
Partum ominatur. Inferûm sedes toros
Stabiles futuros spondet æternæ domus.
Jugulo quod ensem condidit Princeps tuus;
Bella haud movebit, pace sed ferrum teget.
Recollige animum. recipe lætitiam, precor,
Timore pulso. redde te thalamis tuis.
Pop. Delubra & aras petere constitui sacras,
Cæsis litare victimis numen Deûm,
Ut expientur noctis & somni minæ,
Terrorque in hostes redeat attonitus meos.
Et vota pro me suscipe, & precibus piis
Superos adora, manet ut præsens metus.

CHO-

744. *Sed movent*] Populi autem planctus super Octaviæ divortio tibi in somno repræsentatus est. *Farnab.*

747. *Fratris*] Neronis. *Idem. Patrium*] Claudii. *Idem.*

748. *Augustæ*] Agrippinæ. *Idem.*

750. *Inferûm*] Terra, cum sit immobilis. *vel* inferni leges cum æternæ sint. *Idem.*

752. *Princeps*] Nero. al. legunt, *tuo*, sc. jugulo. *Idem.*

757. *Litare*] Romani mola salsa, Græci vivo flumine nocturnos terrores expiabant. *Idem. Numen Deûm*] Qui placati infausta somniorum omina credebantur avertere. *Idem.*

At quorum deûm? num *Telluris & Heroum?* sic opinor. quia Hippocrates, de insomniis, auctor est, secundis in rebus Iovem cœlestem, Iovem opulentum, Solem, Minervam, Iunonem, Mercurium & Apollinem supplicationibus adiri solere: in adversis vero, pro malis averruncandis, placari consuevisse Tellurem & Heroës malorum averruncatores, quos noctu multum pollere probat Athenæus lib. 11. Quibus addes me auctore *Iovem prodigialem*, de quo Plautus in Amphitryone; *Recte dicit, ut commeminit, somnium narrat tibi, Sed mulier, postquam experrecta es, prodigiali Iovi Aut mola salsa hodie aut ture comprecatam oportuit.* Delr.

761. *Manet ut præsens metus*] Mog. Herbip. Ven. *Maneat.* Improbe. *Manet*, procul eat, vanus sit, diffluat: inquit Delrius. An hoc probius? Immo, *monuit ut præsens metus.* Sed & præcedente versu lege: *Tu vota pro me suscipe.* Gronovius. *Manet*] Diffluat, abeat, à *mano*, as. Farnabius.

CHORUS.

Laudat Chorus Poppææ formam.

Si vera loquax fama Tonantis
Furta & gratos narrat amores;
Quem modò Ledæ preſſiſſe ſinum
Tectum plumis penniſque ferunt;
Modò per fluctus raptam Europen
Taurum tergo portaſſe trucem;
Quæ regit, & nunc deſeret aſtra,
Petet amplexus, Poppæa, tuos;
Quos & Ledæ præferre poteſt:
Et tibi, quondam cui miranti
Fulvo, Danaë, fluxit in auro.
Formam Sparte jactet alumnæ,
Licet, & Phrygius præmia paſtor;
Vincet vultus hæc Tyndaridos,
Qui moverunt horrida bella,
Phrygiæque ſolo regna dedêre.
Sed quis greſſu ruit attonito?
Aut quid pectore portat anhelo?

NVN-

763. *Furta*] Furtivos amores. *Farn.* *Gratos*] A fronte quidem gratos, bellos ac mellitos primum; ſed γλυκυπικρους, quorum exitus amarus ſuper aloën & abſynthium. *Farn.*

764. *Quem modo*] Hippol. v. 300. *Id.*

766. *Modo*] Iupiter enim in taurum mutatus Europam filiam Agenoris è Phœnicia in Cretam transfretavit. *Id.*

768. *Quæ regit*] *Ord.* Deſeret aſtra quæ nunc regit & petet tuos amplexus ô Poppæa. *Idem.*

771. *Cui miranti*] Cui novitatem rei ſtupenti in gremium per aureum impluvium cecidit. ſup. v. 203. *Idem.*

773. *Alumnæ*] Helenes, candidæ quidem utpote Iove cygno genitæ, teneræ utpote ovo excluſæ. *Idem.*

774. *Phrygius*] Paris. *Idem.* *Præmia*] Helenam. *Idem.*

775. *Tyndaridos*] Helenæ Tyndari putativæ filiæ. *Idem.*

775. *Qui moverunt*] Qui vultus moverunt hor. bell. *Farn.*

770. *Qui-*

NUNCIUS. CHORUS.

Motum populi nunciat ob repudiatam Octaviam nuptiasque Poppææ.

Nun. Quicumque tectis miles exsultat ducis,
Defendat aulam, cui furor populi imminet.
Trepidi cohortes, ecce, Præfecti trahunt
Præsidia ad urbis; victa nec cedit metu
Concepta rabies temere; sed vires capit.
Cho. Quis iste mentes agitat attonitus furor?
Nun. Octaviæ furore perculsa agmina,
Et efferata per nefas ingens ruunt.
Cho. Quid ausa facere, quove consilio, doce.
Nun. Reddere penates Claudiæ Divi parant,
Torosque fratris, debitam partem imperii,
Cho. Quos jam tenet Poppæa concordi fide?
Nun. Hic urit animos pertinax nimium furor,

Et

770. *Quicumque*] Quotquot stationis Palatini milites estis. *Farnabius.* *Exsultat*] Propter insolentiam στρατοφυλάκων· Raphelengius emendat *Excubat.* Farn. *Exsultat*] Tacitè enim taxat satellitum naturam tumidam tum & cornuperam, cum admissionum res est: sub periculum verò Principis sui, meræ sunt oviculæ. *Grut.*

781. *Aulam*] Palatium. *Idem.*

782. *Trepidi cohortes*] Præfecti vel tribuni Prætoriani festini ducunt cohortes suas ad præsidia urbis. *Idem.*

Tigillinus & Rufus metu pavidi, pavidos etiam & cunctantes Prætorianos, qui in castris (ut dixi) degebant, non tam adducunt quam vi trahunt. Possis etiam per *præfectos* intelligere tribunos prætorianos, quibus singulis mille milites parebant. lege Fabri Semestria lib. 1. c. 3. *Delr.*

783. *Præsidia ad urbis*] Ad cohortes vigilum; quas Augustus septem constituerat, ut binas quæque urbis regiones tuerentur l. 3. D. de offic. præfec. vigil. de quibus Statius lib. 1. Silv. *Ergo alacres quæ signa colunt urbana cohortes.* Tiberii tempore tres tantum erant, cum Prætoriæ plures essent: post Tiberium rursus auctæ urbanæ, ut ex Tacito, qui aperte Prætorias ab urbicis distinxit, docet Lazius lib. 6. Comment. cap. 1. Has urbanas cohortes nunciat victas: & iis suppetias ire latum Prætorias, quæ in castris erant; quin jam propinquas esse consternato populo; qui licet videat illas instructis ordinibus signa inferre, resistit tamen, nec metu cedit: sed magis furore accenditur. *Delrius.* *Victa*] Nec populi etiam victi furor & motus cedit. *Farn.*

786. *Octaviæ furore*] Scribe, *favore:* & v. 792. *pertinax nimium* favor: ut & Grotio visum. *Gronovius.* *Agmina*] Multitudo populi. *Farnabius.*

789. *Reddere*] Reddere Octaviæ penates Claudii & Neronis nuptias. *Idem.*

790. *Claudiæ Divi parant*] Octaviæ Neronis, inquit Delrius. Sed scripsit auctor: *Reddere penates Claudiæ domini parant.* Nisi forte: *Augusti.* Gronov.

792. *Hic urit*] Indignatio ex his nuptiis. *Farnabius.*

Et in furorem temere præcipites agit.
Quæcumque claro marmore effigies ſtetit,
Aut ære fulgens ora Poppææ gerens,
Afflicta vulgi manibus, & ſævo jacet
Everſa ferro. membra per partes trahunt
Deducta laqueis. obruunt turpi diu
Calcata cœno. verba conveniunt feris
Immiſta factis, quæ timor recipit meus.
Sepire flammis Principis ſedem parant,
Populi, niſi iræ conjugem reddat novam,
Reddat penates Claudiæ victus ſuos.
Ut noſcat ipſe civium motus, mea
Voce, haud morabor juſſa Præfecti exſequi.
Cho. Quid fera fruſtra bella movetis?
Invicta gerit tela Cupido,
Flammis veſtros obruet ignes:
Queîs extinxit fulmina ſæpe,
Captumque Jovem cœlo traxit.
Læſi triſtes dabitis pœnas

San-

795. *Aut ære fulgens*] Vulgo *ara*; non negitem Aras etiam poſitas Poppææ: ſed nunquid illæ os ejus gerebant: quod Poëta addit? haud putem. Conjecturam noſtram, credo, approbes: *Aut ære fulgens*. Quæcumque ſtatua, inquit, aut è marmore illifacta, aut ex ære, corruit. *Lipſ.*

798. *Diducta*] Καθελκηθέντες, reſti & laqueis ex alto dejecta, *deſcendunt ſtatuæ reſtemque ſequuntur*. Farn.

Immo, *Deducta*, ex alto depoſita. *Per partes*, μελεϊστί. *Scalig.*

800. *Quæ timor recipit meus*] Fruſtra Lipſius: fruſtra Gruterus cum ſuo *recipere* ex jure Romano. Vicit Delrius, qui *reciceſ*. Gronov. *Quæ timor recipit meus*] Sic miſſ. Pall. novem. Mutant alii voces, alii perſonas immittunt. ego neutrum: tantum ſignifico, *recipere* heic eſſe antiquum verbum juris Romani, ac notare *ſibi reſervare*, *non etiam expromere una cum reliquis*, hoc eſt, *ſilere*. De quo videatur Gellius lib. 5. cap. 10. & Plauti Commentatores ad illa Trinummi Actu 1. Scena ultima: *poſticulum hoc recepit qui ædes vendidit*. Grut.

801. *Sepire*] Circumdare. *Farn.*

802. *Conjugem reddat novam*] Et hic fruſtra Gruterus. Scimus *reddendi* verbum interdum habere dandi ſignificationem: ſed hic ſcribe cum Grotio: *dedat*. Gronovius. *Reddat*] Eſt qui mallet *tradat novam*. vellem addidiſſet cauſam: clare enim tit. De Verborum ſignif. Celſus: *Reddendi verbum, quanquam ſignificatum habet retrodandi, recipit tamen & per ſe dandi ſignificationem*. Grut.

809. *Queis*] *Ille ſuis ſævos compeſcuit ignibus ignes Sæpe Iovis*. Idem.

811. *Læſi triſtes*] Lipſius, *Lævi*: ut ſit, ô lævi & male providi *Quirites*.

Del-

Sanguine vestro. non est patiens
Fervidus iræ facilisque regi.
Ille ferocem jussit Achillem
Pulsare lyram; fregit Danaos;
Fregit Atridem; regna evertit
Priami; claras diruit urbes.
Et nunc animus, quid ferat, horret,
Vis immitis violenta dei.

Delrius: mallem ex conjectura *cæsi*. Ecce alii: Offensi Neronis: vel vos læsi. Quasi non monuisset jam Comelinus: ob læsum Cupidinem dabitis pœnas, ut sit Helleniſmus. ὕβρεα. Gronov.

814. *Ille*] Amor. *Farnab. Ferocem*] Propter ereptam Briseida iratum, Troad. v. 222. vel simpl. *Idem.*

815. *Danaos*] Diutino bello Trojam expugnantes recuperandæ Helenæ gratia. *Idem.*

816. *Atridem*] Agamem. v. 181. *Id.*

818. *Et nunc*] Timeo ne amantis Neronis ira sævum quid moliatur. *Id.*

ACTUS QUINTUS.

NERO. PRÆFECTUS.

Æstuans ira Nero propter tumultum populi, in ipsum sæviri jubet, & Octaviam veluti motus causam, deportatam in Pandatariam, interfici.

Ner. Violenta nimium militis nostri manus,
Et ira patiens post nefas tantum mea,
Quod non cruor civilis accensas faces
Extinguit in nos; cæde nec populi madet
Funerea Roma, quæ viros tales tulit!
Admissa sed jam morte puniri parum est,
Graviora meruit impium plebis scelus.
Et illa, cui me civium subicit furor,
Suspecta conjux & soror semper mihi,
Tandem dolori spiritum reddat meo,
Iramque nostram sanguine extinguat suo.
Mox tecta flammis concidant urbis meis.
Ignes,

824. *Funerea*] Cruserianus liber, *funesta*. Pontan.

827. *Et illa*] Octavia. *Farn. Subicit*] Sic legendum, ut constet versus. Est autem eadem ratio syllabæ quæ antea fuit, *Adice his superbam pellicem*. Ita Martialis lib. 4. *Nil adicit penso Lachesis*. Fabr.

831. *Mox tecta*] Hoc postea fecit incendiarius Imperator, & sævientem

Ignes, ruinæ, noxium populum premant,
Turpisque egestas, sæva cum luctu fames.
Exsultat ingens seculi nostri bonis
Corrupta turba: nec capit clementiam
Ingrata nostram, ferre nec pacem potest,
Sed inquieta rapitur. hinc audaciâ,
Hinc temeritate fertur in præceps suâ.
Malis domanda est, & gravi semper jugo
Premenda, ne quid simile tentare audeat,
Contraque sanctos conjugis vultus meæ
Attollere oculos. fracta per pœnas metu
Parere discet Principis nutu sui.
Sed adesse cerno, rara quem pietas virum
Fidesque castris nota præposuit meis.
Præ. Populi furorem cæde paucorum, diu
Qui restiterunt temere, compressum affero.
Ner. Et hoc sat est? sic miles audisti ducem?
Compescis? hæc vindicta debetur mihi?
Præ. Cecidêre motus impii ferro duces.
Ner. Quid! illa turba, petere quæ flammis meos
Ausa est penates, Principi legem dare,
Abstrahere nostris conjugem caram toris,
Violare, quantum licuit, incesta manu
Et voce dira, debita pœna vacat?

Præ.

jam per sex dies septemque noctes ignem ac incendium ipse è turri Mæcenatiana prospectans, lætus flammæ pulcritudine ἄλωσιν Ilii in illo suo scenico habitu decantavit. *Farnabius.*

834. *Exultat*] Luxuriat (scilicet) ex clementia principis (tyranni) nec patitur longæ pacis mala. *Idem.*

839. *Malis domanda*] T. Livius lib. 2. *Palamque ferrent malo domandam Tribunitiam potestatem.* Delr.

841. *Sanctos*] Augustos. *Farn.*

842. *Nutu*] Nutui. *Idem.*

843. *Rara*] Tigillinum præfectum prætorio; æqualem Imperatori pietate. *Idem.*

846. *Affero*] Annuncio. *Idem.*

848. *Sat est*] Paucorumne cæde? *Id.* *Sic miles*] Sic executus es Imperatoris mandatum? *Idem.* *Miles ducem*] Auget crimen, quia militaris disciplinæ vinculum, promptâ & fidâ constat obedientiâ, nec fere gravius ullum militare delictum censetur contumaciâ erga ducem. l. omnes. 6. D. de re milit. *Delr.*

851. *Quid? illa*] Cur non & tota turba quæ petere flammis ausa est, &c. pro merito pœnas motus dedit? *Idem.*

856. *Præ-*

Præ. Pœnam dolor constituet in cives tuos?
Ner. Constituet, ætas nulla quam famæ eximat.
Præ. Quam temperet non ira, non noster timor?
Ner. Iram expiabit prima quæ meruit meam.
Præ. Quam poscat, ede; nostra ne parcat manus.
Ner. Cædem sororis poscit, & dirum caput.
Præ. Horrore victum trepidus adstrinxit rigor.
Ner. Parere dubitas? *Præ.* Cur meam damnas fidem?
Ner. Quod parcis hosti. *Præ.* Fœmina hoc nomen capit?
Ner. Si scelera cepit. *Præ.* Estne qui sontem arguat?
Ner. Populi furor. *Præ.* Quis regere dementes valet?
Ner. Qui concitare potuit. *Præ.* Haud quemquam reor.
Ner. Mulier dedit natura cui pronum malo
Animum, ad nocendum pectus instruxit dolis;
Sed vim negavit, ut ne inexpugnabilis
Esset, sed ægras frangeret vires timor,
Vel pœna; quæ tam sera damnatam premit,
Diu nocentem. tolle consilium, ac preces;
Et imperata perage, devectam rate
Procul in remotum littus interimi jube,
Tandem ut resídat pectoris nostri tumor.

CHO-

856. *Pœnam*] Anne iratus pœnas exiges? *Farnabius.*

858. *Quam temperet*] Constituesne pœnas cui non ira, non timor noster ponat modum? *Idem.*

859. *Iram*] Illa prima expiabit iram meam quæ meruit. *Idem.*

861. *Sororis*] Octaviæ. *Idem.*

862. *Horrore victum*] Verbum *adstringendi* postulare videtur, *vinctum.* Raphel.

863. *Fœmina*] Hostisne nomen in fœminam cadit? *Farnab.*

864. *Si scelera*] Si scelera capit, & nomen hostis. *Idem.*

868. *Mulier*] Mulier potuit, cui mala mens, malus animus, *vel* Octaviam intellige. *Idem.*

867. PR. *Haud quemquem reor.* NER. *Mulier dedit*, &c.] Lipsius legit. PRÆ. *Haud quisquam reor*, *Mulier.* hac sententia. Quid admisit Octavia? Populus ob eam insanivit. Quis populus possit regere. Illa ipsa, quæ concitare. At non puto in fœminam id cadere? cui animus quidem nocendi, non tamen vires. *Lipsi.*

872. *Damnatam*] Octaviam. Imo pœna eam premet potius Nero; justa, etsi sera. *Idem.*

875. *Remotum*] Pandatariam insulam in sinu Cajetano. inf. v. 959. *Id.*

CHORUS. OCTAVIA.

Chorus pernicioſum multis favorem populi fuiſſe canit. mox dura fata mulierum domus Cæſareæ commemorat.

Cho. O funeſtus multis populi
Diruſque favor? qui, cum flatu
Vela ſecundo ratis implevit,
Vexitque procul; languidus idem
Deſerit alto ſævoque mari.
Flevit Gracchos miſeranda parens,
Perdidit ingens quos plebis amor,
Nimiuſque favor, genere illuſtres,
Pietate, fide, lingua claros,
Pectore fortes, legibus acres.
Te quoque, Livi, ſimili leto
Fortuna dedit; quem neque faſces
Texêre ſui, nec tecta domus.
Plura referre prohibet præſens
Exempla dolor. modò cui patriam
Reddere cives, aulam, & fratris
Voluere toros; nunc ad pœnam

Le-

880. *Procul*] A litore in altum. *Farnabius.*

882. *Gracchos*] Tiberium & Cajum Gracchos viros populares, qui cum Tribuni plebis leges Agrarias reducerent, in patricioſum, quibus illæ leges ingratæ, odium incurrebant ſuamque perniciem. ille à P. Naſica in concione, hic ubi Capitolinum montem occupaſſet, Opimii cos. juſſu occiſus. *Id.* *Parens*] Cornelia. *Idem.*

884. *Genere*] T. Gracchi Sempronii & Corneliæ è Scipionum familia oriundos. *Idem.*

Q. Mucius apud Ciceronem, lib. 1. de Orat. Omnium ſe, quos meminit eloquentiſſimos, excepto Craſſo & Antonio audiſſe, ait, Tib. & Cajum Sempronios: mox etiam illos diſertos vocat, & omnibus vel naturæ, vel doctrinæ præſidiis ad dicendum paratos. *Delr.*

886. *Legibus*] Agrariarum legum ſeu plebiſcitorum auctores acerrimos. *Farnabius.*

887. *Livi ſimile*] Livi Druſe. qui Trib. pleb. conatus Senatum cum plebe in concordiam reducere, judicia ut æqua parte penes ſenatum eſſent & equites lege tulit, quocirca Senatui offenſus, domi ſuæ, incertum à quo, interfectus eſt. alii leg. *Levir*, & Scipionem Africanum minorem intelligunt. alii *Levis* & fortunæ tribuunt rectius *Leni*. Idem.

888. *Faſces*] Magiſtratus dignitas, nulli enim tribunis lictores. & hæc dictio magis Scipionem reſpicere videtur, qui & domi ſuæ mortuus repertus eſt. nec tamen de Livio Druſo muto ſententiam. *Idem.*

891. *Cui patriam*] Octaviam cui, &c. cives cernere poſſunt trahi. *Idem.*

900. *Re-*

Letumque trahi, flentem, miseram
Cernere possunt. Bene paupertas
Humili tecto contenta latet.
Quatiunt altas sæpe procellæ
Aut evertit Fortuna domos.
Oct. Quo me trahitis? quodve tyrannus
Aut exilium regina jubet;
Si mihi vitam fracta remittit
Tot jam nostris evicta malis;
Si cæde mea cumulare parat
Luctus nostros; invidet etiam
Cur in patria mihi sæva mori?
Sed jam spes est nulla salutis,
Fratris cerno miseranda ratem.
Hæc est, cujus vecta carina
Quondam genitrix, nunc & thalamis
Expulsa soror miseranda vehar.
Nullum Pietas nunc numen habet,
Nec sunt Superi. regnat mundo
Tristis Erinnys.
Quis mea digne deflere potest
Mala? quæ lacrimis nostris questus
Reddet Aëdon? cujus pennas
Utinam miseræ mihi Fata darent!

Fuge-

900. *Regina*] Vel, Fortuna, quæ regina, hera, domina, cui omnia accepta, omnia expensa feruntur, & in tota ratione mortalium sola utramque paginam facit. *vel* de Poppæa intelligе, cum dixerit prius, *tyrannus*, i. e. Nero. *Farn.*

901. *Si mihi vitam*] Interpunctione solvi nodum Gordium, quo antè intricabantur versus. neque enim *si* heic bis ponitur, pro *sive*, sed queritur Octavia, se inique abripi, sive veniam invenerit, sive non. Interim pudet me tam elumborum versuum. *Grut.*

902. *Evicta malis*] Lege: Si *mihi vitam fracta remittit, tot jam nostris & victa malis? Sin cæde mea.* Si misericors mihi vitam donat, cur imperat exsilium? si ibi quoque pereundum est, cur non hic moriar? *Gronovius.*

907. *Ratem*] Sutilem illam, quam in matris exitium commentus est Nero frater meus. sup. v. 307. *Farnabius.*

913. *Erynnys*] Erinnyes autem tres θεαὶ σεμναὶ & πεμφηπικαί, Tisiphone, Megæra & Alecto, natæ ex guttis sanguinis Saturni verendorum. Agam. à v. 82. *Farn.*

916. *Aëdon*] Luscinia. Agam. à v. 665. & Herc. Oet. à v. 190. *Farnab.*

918. *Abla-*

Fugerem luctus ablata meos
Penna volucri, procul & cœtus
Hominum triſtes, cædemque feram.
Sola in vacuo nemore, & tenui
Ramo pendens, querulo poſſem
Gutture mœſtum fundere murmur.
Cho. Regitur fatis mortale genus;
Nec ſibi quidquam ſpondere poteſt
Firmum & ſtabile:
Per quæ caſus volvit varios
Semper nobis metuenda dies.
Animum firment exempla tuum
Jam multa, domus
Quæ veſtra tulit. quid ſævior eſt
Fortuna tibi? tu mihi primum
Tot natorum memoranda parens,
Nata Agrippæ, nurus Auguſti,
Cæſaris uxor, cujus nomen
Clarum toto fulſit in orbe;
Utero toties enixa gravi
Pignora pacis: mox exilium,
Verbera, ſævas paſſa catenas,
Funera, luctus, tandem letum,
Cruciata diu, felix thalamis

Livia

918. *Ablata*] Hæc lectio bona & propria. Ovidius 1. Metamorph. *Cruranec ablato proſunt velocia cervo.* Fab.

920. *Cædemque feram*] Lege, *ſedemque.* Vt *horrida, maligna, importuna ſedes.* Vel Hypallage, *hominum ſedem feram*, id eſt ferorum. *Gron.*

924. *Regitur*] Oedip. v. 980. *Farn.*

930. *Veſtra*] Cæſarea. *Idem.*

932. *Nata*] Agrippina, M. Agrippæ & Iuliæ filia, nurus Tiberii Auguſti Germanico conjugi novem liberos peperit. *Idem.*

937. *Pignora*] Amoris conjugalis & privati pignora paciſque publicæ ſtabilimenta, ut quæ imperii ſucceſſionem firment. *Idem. Mox exilium*] Hanc, poſt mortem Germanici nullo ſermone dignatus eſt Tib. mox inter cœnam porrecta à ſe poma geſtare non auſam vocare deſiit: deinde Pandatariam relegavit, convitiantique per Centurionem oculum excuſſit. Rurſus inedia mori deſtinanti per vim ore deducto cibum infulciri juſſit. Poſtremo voluntaria inedia abſumptam crimino-ſiſſime fuit inſectatus, diem illius natalem inter nefaſtos referendum imperavit, & cadaver in Gemonias projici juſſit. *Idem.*

942. *Li-*

Livia Drusi natisque, ferum
Ruit in facinus, pœnamque suam.
Julia matris fata secuta est:
Post longa tamen tempora ferro
Cæsa est, quamvis crimine nullo.
Quid non potuit quondam genitrix
Tua, quæ rexit Principis aulam,
Cara marito, partuque potens?
Eadem famulo subjecta suo,
Cecidit diri militis ense.
Quid, cui licuit regnum in cœlum
Sperare, parens tanta Neronis?
Non funesta violata manu
Remigis ante,
Mox & ferro lacerata diu,
Sævi jacuit victima nati?
Oct. Me quoque tristes mittet ad Vmbras
Ferus & Manes, ecce, tyrannus.
Quid jam frustra miseranda moror?
Rapite ad letum, queis jus in nos
Fortuna dedit. testor Superos.

Quid

942. *Livia*] Livia Drusi uxor quia maritum Drusum interfici curarat, Tiberii, cujus nutus erat, neque supplicio parcentis jussu interfecta fuit. *Farn.*

943. *Iulia*] Iulia Drusi filia matris Liviæ fata secuta crimine incerto nec defensione ulla data à Claudio in exilium pulsa, mox cæsa est. *Idem.*

946. *Genitrix*] Messalina. *Idem.*

948. *Marito*] Claudio. *Idem. Partuque*] Britannici prius Germanici dicti. *Idem.*

949. *Famulo*] C. Silio cui nupsit sup. v. 16. vel Narcisso liberto. *Indulsit Cæsar cui Claudius omnia, cujus Paruit imperiis uxorem occidere jussus.* Idem.

951. *Quid*] Quid Agrippina? quæ consecrationem & ἀποθέωσιν sperare potuit, ut quæ Augusta Claudii conjux, Neronisque mater. non & illa primum mersa, mox cæsa, &c. Sup. v. 305. *Idem.*

957. *Me quoque tristes*] Sup. v. 104. *Idem.*

Fingebatur Octavia mitti in exilium propter adulterium cum Aniceto, & cum tibicine quodam Alexandrino, & delictum insuper abacti partus, falsa & commentitia omnia: *Paucis autem interjectis diebus* (ut ait Tacitus) *vinculis restringitur, venæque ejus per omnes artus exsolvuntur: &, quia pressius pavore sanguis, tardius labebatur, præfervidi balnei vapore enecatur. additurque atrocior sævitia, quod caput amputatum latumque in urbem, Poppæa vidit.* De Octavia accipio, quod Nicephorus l. 2. hist. Eccles. c. 37. scribit Neronem eo

cru-

Quid agis, demens? parce precari,
Queîs invisa es, numina Divûm.
Tartara testor, Erebique deas
Scelerum ultrices, & te, genitor,
Dignum tali morte & pœna:
Non invisa est mors ista mihi.
Armate ratem, date vela fretis,
Ventisque petat puppis rector
Pandatariæ littora terræ.
Cho. Lenes auræ, Zephyrique leves,
Tectam quondam nube ætherea
Qui vexistis raptam sævæ
Virginis aris Iphigeniam;
Hanc quoque tristi procul à pœna
Portate, precor, templa ad Triviæ.
Urbe est nostra mitior Aulis,
Et Taurorum barbara tellus.
Hospitis illic cæde litatur
Numen Superûm: civis gaudet
Roma cruore.

crudelitatis processisse, ut matrem, fratrem, & conjugem ferro sustulerit. nam Poppæam invitus calce necavit. *Delr.*

961. *Superos*] Elegans Apostopesis. *Farn.*

962. *Quid agis*] Cum sup. v. 900. dixerit superos non esse, nec curare pietatem numina. *Idem.*

966. *Tali morte*] Veneno extingui ab Agrippina, quod Messalinam interfici jusseras, Agrippinam duxeras. *Id.*

972. *Tandem Phariæ*] Sic manus membranaceorum codicum: nisi quod Pal. unus, *Tandem funestæ*. Nihil est verius emendatione Lipsii, *Pandatariæ*: qui item admodum probabiliter conjecit ver. 979. *Et Taurorum*, cum præter fidem historicorum hæreret in libris, *Et Maurorum* Gruterus.

973. *Sævæ*] Dianæ Hiscelidis, quæ Iphigeniæ pro victima immolandæ cervam substituit: suis Iphigenia sactis præposita, Troad. v. 161. *Farnabius.*

978. *Maurorum*] Propter Antæum. Herc. Oet. v. 24. vel Busiridis aras, Herc. Fu. v. 483. quæ in Ægypto quidem, sed & illa Africæ portio, neque enim novum est Afros omnes dici Mauros, vel propter Heliopolitas, vel denique simplicirer propter Maurorum barbariem. *Farn.*

Scio Pœnos liberos Saturno immolasse, atque ita humanas hostias fecisse. Nec tamen id factum hic tangitur. addit enim, *Hospitis illic cæde litatur.* At nusquam lectum de hospitibus in Mauritaniâ sive Africâ vulgo quidem immolatis. Fidenter rescribo, *Et Taurorum.* Ad Tauros Scythiæ populos, & in iis Dianæ inhospitam aram alluisum. *Lipsi.*

POE-

POEMATIA

QUÆDAM

SENECÆ PHILOSOPHI

Ex Apocolocynthosi.

I

Iam Pœbus breviore viâ contraxerat ortum
Lucis, & obſcuri creſcebant cornua ſomni;
Jamque ſuum victrix augebat Cynthia regnum:
Et deformis hyems gratos carpebat honores
Divitis Autumni, juſſoque ſeneſcere Baccho
Carpebat raras ſerus vindemitor uvas.

II.

Jam medium curſu Phœbus diviſerat orbem,
Et propior nocti feſſas quatiebat habenas,
Obliquo flexam deducens tramite lucem.

III.

Hæc ait: & turpi convolvens ſtamina fuſo
Abrupit ſtolidæ regalia tempora vitæ.
At Lacheſis redimita comas, ornata capillos,
Pieria crinem lauro frontemque coronans,
Candida de niveo ſubtemina vellere ſumit,
Felici moderanda manu: quæ ducta colorem
Aſſumpſere novum. mirantur penſa ſorores.
Mutatur vilis pretioſo lana metallo.
Aurea formoſo deſcendunt ſæcula filo.
Nec modus eſt illis: felicia vellera ducunt,
Et gaudent implere manus. ſunt dulcia penſa.
Sponte ſua feſtinat opus: nulloque labore

Mollia

Mollia contorto descendunt stamina fuso.
Vincunt Tithoni, vincunt & Nestoris annos.
Phœbus adest, cantuque juvat, gaudetque futuris:
Et lætus nunc plectra movet, nunc pensa ministrat,
Detinet intentas cantu, fallitque laborem.
Dumque nimis citharam fraternaque carmina laudant,
Plus solito nevere manus, humanaque fata
Laudatum transcendit opus. Ne demite Parcæ,
Phœbus ait, vincat mortalis tempora vitæ:
Ille mihi similis vultu, similisque decore,
Nec cantu, nec voce minor, felicia lassis
Sæcula præstabit, legumque silentia rumpet.
Qualis discutiens fugientia Lucifer astra;
Aut qualis surgit redeuntibus Hesperus astris:
Qualis cum primum tenebris Aurora solutis
Induxit rubicunda diem, sol aspicit orbem
Lucidus, & primos è carcere concitat axes:
Talis Cæsar adest, talem jam Roma Neronem
Aspiciet. flagrat nitidus fulgore remisso
Vultus, & effuso cervix formosa capillo.

IV.

Exprome propere, sede quâ genitus cluas,
Hoc ne peremtus stipite ad terram accidas.
Hæc clava reges sæpe mactavit feros.
Quid nunc profatu vocis incerto sonas?
Quæ patria, quæ gens mobile eduxit caput,
Edissere. equidem regna tergemini petens
Longinqua regis, unde ab Hesperio mari
Inachiam ad urbem nobile advexi pecus,
Vidi duobus eminens fluviis jugum,
Quod Phœbus ortu semper obverso videt:
Vbi Rhodanus ingens amne prærapido fluit,
Ararque dubitans quo suos cursus agat,
Tacitus quietis alluit ripas vadis.
Est ne illa tellus spiritus altrix tui?

V. Fun-

IV.

Fundite fletus.
Edite planctus,
Fingite luctus,
Resonet tristi
Clamore forum:
Cecidit pulchrè
Cordatus homo,
Quo non alius
Fuit in toto
Fortior orbe.
Ille citato
Vincere cursu
Poterat celeres,
Ille rebelles
Fundere Parthos:
Levibusque sequi
Persida telis,
Certaque manu
Tendere nervum:
Qui præcipites
Vulnere parvo
Figeret hostes,
Pictaque Medi
Terga fugacis.
Ille Britannos
Vltra noti
Littora ponti,
Et cæruleos
Scuta Sigantes
Dare Romuleis
Colla catenis
Iussit, & ipsum
Nova Romanæ
Jura securis
Tremere Oceanum.
Deflete virum,
Quo non alius
Potuit citius
Discere causas,
Vnâ tantum
Parte auditâ,
Sæpe & neutrâ.
Quis nunc judex
Toto lites
Audiet anno?
Tibi jam cedet
Sede relictâ
Qui dat populo
Iura silenti,
Cretæa tenens
Oppida centum.
Cædite mœstis
Pectora palmis,
O causidici,
Venale genus:
Vosque Poëtæ
Lugete novi.
Vosque in primis,
Qui concusso
Magna parastis
Colla Lucra fritillo.

V.

Nam quoties missurus erat resonante fritillo
Vtraque subducto fugiebat tessera fundo:

Cumque recollectos audebat mittere talos,
Lusuro similis semper, semperque petenti,
Decepere fidem: refugit, digitosque per ipsos
Fallax assiduo dilabitur alea furto.
Sic cum jam summi tanguntur culmina montis,
Irrita Sisyphio volvuntur pondera collo.

Versus L. Annæi Senecæ, qui extant Epistolâ CVII. Ex Græcis Cleanthis ab ipso, Ciceronis exemplo, conversi.

Duc me, parens, celsique dominator poli,
Quocunque placuit. nulla parendi mora est;
Adsum impiger. fac nolle, comitabor gemens:
Malusque patiar, quod pati licuit bono.
Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.

Fugit eos ratio, qui censent hos versus ex primâ Tragœdiâ (sic vocant Herculem Furentem) desumptos esse: cum neque ibi, nec uspiam alibi in his decem fabulis reperiantur. Sed est manifesta eruditorum hominum hallucinatio.

Philosophus itidem Epist. CXV. Senarios duodecim profert à se (sic enim lubet opinari) Latio donatos, ex Græca Euripidis Bellerophonte:

Sine me vocari pessimum, ut dives vocer.
An dives, omnes quærimus; nemo, an bonus.
Non quare, & unde: quid habeas, tantum rogant:
Vbique tanti quisque, quantum habuit, fuit.
Quid habere nobis turpe sit, quæris? nihil.
Aut dives, opto, vivere; aut pauper mori.
Bene moritur, qui cum moritur lucrum facit.
Pecunia ingens generis humani bonum;
Cui non voluptas matris, aut blandæ potest
Par esse prolis, non sacer meritis parens.
Tam dulce si quid Veneris in vultu micat,
Merito illa amores cælitum atque hominum movet.

Video præterea Epigrammata quædam, inter alia de exsilio,

exsilio, quod Seneca primo imperii Claudiani anno (Urbis DCCXCIV.) subiit, ex schedis Pithœanis deprompta, ipsi Philosopho palam inscribi. Falso, meâ sententiâ. Vetusta quidem illa, & bona, non tamen legitima liquidò jurare possumus. Imò νοθεύτερα pleraque, & à scholasticis scripta sane quædam indigna tanto viro: & omnia hæc unius viri aut stili credere, non est ejus cui datum est habere nasum. Adscribam hîc ea ipsa, ut judicet eruditus lector. Inscriptio, quæ viris doctis placuit.

L. ANNÆI SENECÆ EPIGRAMMATA SUPER EXSILIO,

A nobis sic conversa est sensu diversissimo,

EPIGRAMMATA SVPER EXSILIO L. ANNÆI SENECÆ

[Quædam Senecæ, quædam Petronii, aut alius possunt videri, quædam infelicia, & ævo illo indigna.]

AD CORDUBAM.

Corduba, solve comas, & tristes indue vultus:
Illacrimans cineri munera mitte meo.
Nunc longinqua tuum deplora, Corduba, vatem:
Corduba non alio tempore mœsta magis.
Tempore non illo, quo versis viribus orbis,
Incubuit belli tota ruina tibi:

Cum geminis oppressa malis utrinque peribas:
Et tibi Pompejus, Cæsar & hostis erat.
Tempore non illo, quo ter tibi funera centum,
Heu, nox una dedit, quæ tibi summa fuit.
Non Lusitanus quateret cum mœnia latro,
Figeret & portas lancea torta tuas,
Ille tuus quondam magnus tua gloria civis,
Infigar scopulo. Corduba solve comas:
Et gratare tibi, quod te natura supremo
Alluit Oceano. tardius ista doles.

AD CORSICAM.

Corsica Phocæo tellus habitata colono;
Corsica, quæ Graio nomine Cyrnus eras;
Corsica Sardiniâ brevior, porrectior Ilvâ;
Corsica piscosis pervia fluminibus:
Corsica terribilis, cum primum incanduit Æstas;
Sævior ostendit cum ferus ora Canis.
Parce relegatis, hoc est, jam parce solutis.
Vivorum cineri sit tua terra levis.

DE EADEM.

Barbara præruptis incluſa est Corsica saxis;
Horrida, desertis undique vasta locis.
Non poma Autumnus, segetes non educat Æstas,
Canaque Palladio munere Bruma caret.
Vmbrarum nullo ver est lætabile fœtu,
Nullaque in infausto nascitur herba solo:
Nou panis, non hausſtus aquæ, non ultimus ignis
Hic sola, hædos sunt, exul & exilium.

IN INVIDUM.

Occisi jugulum quisquis scrutaris amici,
Et miserum necdum me satis esse putas,
Desere confossum. victori vulnus inquo
Mortiferum impresit mortua sæpe manus.

ITEM.

ITEM.

Quisquis es, (& nomen dicam? dolor omnia cogit:)
Qui nostrum cinerem nunc, inimice, premis;
Et non contentus tantis subitisque ruinis,
Stringis in extinctum tela cruenta caput.
Crede mihi, vires aliquas Natura sepulcris
Attribuit: tumulos vindicat umbra suos.
Ipsos crede Deos nunc hoc tibi dicere, livor,
Hoc tibi nunc manes dicere crede meos:
Res est sacra, miser. Noli mea tangere fata.
Sacrilegæ bustis abstinuere manus.

ITEM.

Carmina mortifero tua sunt suffusa veneno,
Et sunt carminibus pectora nigra magis.
Nemo tuos fugiat, non vir, non fœmina dentes,
Haud puer, haud ætas undique tuta senis.
Vtque furens totas immittit saxa per urbes:
In populum sic tu verba maligna jacis.
Sed solet insanos populus compescere sanus:
Et repetunt motum saxa remissa caput.
In te nunc stringit nullus non carmina vates,
Inque tuam rabiem publica Musa furit.

ITEM.

Dum sua compositus nondum bene concutit arma
Miles; & è nostrâ lancea torta manu:
Bellus homo, & valide capitalia crimina ludis:
Deque tuis manant atra venena jocis.
Sed tu perque jocum dicis vinumque. quid ad rem,
Si plorem? risus si tuus ista facit?
Quare tolle jocos. non est jocus esse malignum,
Nunquam sunt grati, qui nocuere, sales.

AD CRISPUM.

Crispe, meæ vires, lassarumque anchora rerum;
Crispe, vel antiquo conspiciende foro:
Crispe, potens nunquam, nisi cum prodesse volebas;
Naufragio littus tutaque terra meo.
Solus honor nobis, arx & tutissima nobis:
Et nunc afflicto sola quies animo.
Crispe, fides dulcis, placidique acerrima virtus;
Cujus Cecropio pectora melle madent.
Maxima facundo vel avo vel gloria patri:
Quo solo careat si quis, in exilio est:
An tua, Cyrneæ saxis telluris adhærens
Mens tecum est: nullâ quæ cohibetur humo?

DE QUALITATE TEMPORIS.

Omnia tempus edax depascitur, omnia carpit.
Omnia sede movet, nil sinit esse diu.
Flumina deficiunt, profugum mare littora siccat,
Subsidunt montes, & juga celsa ruunt.
Quid tam parva loquor? moles pulcherrima cœli
Ardebit flammis tota repente suis.
Omnia mors poscit. lex est, non pœna, perire.
Hic aliquo mundus tempore nullus erit.

VOTUM.

Sic mihi sit frater majorque, minorque, superstes,
Et de me doleat nil, nisi morte meâ.
Sic illos vincam, sic vincar rursus amando:
Mutuus inter nos sic bene certet amor.
Sic Marcus, dulci qui nunc sermone fritinnit,
Facundo patruos provocet ore duos.

EPI-

Epitaphium Senecæ.

Cura, labor, meritum, ſumpti pro munere honores,
Ite, alias poſthac ſollicitate animas.
Me procul à vobis Deus avocat. Ilicet actis
Rebus terrenis, hoſpita terra vale.
Corpus avara tamen ſollennibus excipe ſaxis:
Namque animam cælo reddimus, oſſa tibi.

De Crispo.

Ablatus mihi Criſpus eſt, amici;
Pro quo ſi pretium dari liceret,
Noſtros dividerem libenter annos.
Nunc pars optima me mei reliquit,
Criſpus præſidium meum, voluptas,
Pectus, deliciæ. nihil ſine illo
Lætum mens mea jamputabit eſſe.
Conſumptus male, debiliſque vivam,
Poſtquam dimidium mei receſſit.

RITUUM, VERBORUM, AC RERUM MEMORABILIUM,

Quæ

In Senecæ Textu & ad eum selectis Variorum Notis occurrunt,

INDEX LOCVPLETISSIMVS.

Litteræ, *a*, *b*, columnas denotant.

Abcidere. 181.a
Abesse, longè esse, pro non juvare, nullam opem ferre. 270.b
Absyrtus Medeæ frater. 517.a *ab ea interfectus.* ib.
Abydos. 204.a
Acastus Peliæ filius, Rex Thessaliæ. 466.a
Accensus. 751.a
Ἀχάρναι δῆμος τῆς Ἀττικῆς. 211.a
Achelous, Acarnaniæ Fluvius. 608.b. 619.b
Acheron, fluvius infernalis, unde dictus? 48.b. 161.b. 524.a
Achilles unde ποδὰς ὠκὺς *dictus.* 384.b *quomodo vocatus fuerit quum virgineo habitu in insula Scyro latitaret.* 391.b
Achillis statura IX. *cubitorum.* 379.a *tumulus.* 439.a
Acte, Neronis concubina. 735.b
Actæa, Attica, unde dicta. 81.a
Actæonis in cervum mutati fabula. 168.b 346.b
Acropolis arx Atheniens. Palladi sacra, 225.b
Addere. 85.b
Addere gradum. 381.a
Adesse, pro juvare. 270.a
Adjicere moram. 381.a
Adire, verb. fori Rom. 50.b
Admove, rituale verbum. 316.a
Adriaticum mare. 121.b
Adulta seges. 295.b
Ἀηδὼν. 567.a
Æëtas, Medeæ pater, Rex Colchorum. 447.a 461.a
Ægæum mare, quid & unde dictum? 187.b
Ægis, scutum Palladis & unde dictum, 83.b. 557.a
Ægoceros, Capricornus. 152.b
Ægyptii cur mundum figurâ serpentis caudâ devorantis expresserint. 745.b
Aër unde corrumpatur. 294.a
Aërope, Atrei conjux. 113.b
Æs Corinthium cur generosius & laudabilius. 507.b
Æthera, qui summum Deum putarint. 74.a
Æthra à Neptuno compressa Theseum péperit. 45.a 287.a
Æthæum fulmen. 220.a
Ætnæi incendii causa. 137.a
Ævum, Græcis αἰών. 243.a
Agamemnon inter epulas interfectus. 579.a
Agamemnones Tragœdias qui scripserint. 523.a
Agave, Mænas, filium discerpit. 28.a 269.a 190.a 337.a
Ajax Oileus pœnas temerariæ navigationis patris luit. 496.a

Alani,

Alani, pop. Scythiæ crudeliss. 140.a
Albus color apud Græcos quandoque dicitur purpureus. 473.b
Alcestis, Peliæ filia, Admetum Thessaliæ regem, sua morte redemit. 496.a
Alcyones aves. 567.b. 725.a
Aliud remi genus, Proverb. 24.b
Ἅλιςμα & ἁλιςὴς *quid?* 316.a
Ἄλλο γένος κώπης, *Proverb. unde?* 24.b
Alpheus Elidis fluvius. 103.b. 241.a. 452.a. *ejus aqua Iovi grata credebatur.* ib.
Alta forma, pro speciosa altitudine ac proceritate. 613.a
Amazones. 235.a. *primæ equo usæ.* ib. *connubia spernentes, quotannis tamen viros admittunt.* 246.a. 577.a.b
Amentum quid? 260.a
Amnis quando dicatur serpere æquo gradu. 625.b
Amoris remedium primum, fames; secundum, tempus; tertium, restis. 225.b
Amphionii, Thebani. 304.a
Amphionis Thebas condentis fabula. 202.a. *lyra.* 19.a
Amyclæ, urbs Laconiæ & Campaniæ. 372.a
Anacharsis dictum in navigantes. 469.a
Animas defunctorum humano sanguine placari credebant veteres. 374.a. 394.a
Animo parcere, quid? 51.a
Animus quo sapimus, anima qua vivimus. 178.b
Annum quæ Hieroglyphicè designent. 14.a
Anquirere, quid propriè. 282.a
Antæus gigas, Tingitaniæ rex, ab Hercule interfectus. 592.a
Antiopa, vel Hippolyte, regina Amazonnm. 37.a. *Thesei uxor Hippolytum peperit.* 224.a. 234.a
Apollo cur Admeti regis armenta paverit. 228.a. *cur* Λοξίας *dictus.* 306.a *Pythius unde?* 348.a. *Smintheus.* 533.a
Aqua Stygia pro ipsa morte. 302.b
Aqua viva, quæ? 253.a
Aquarius quis fuerit. 153.a
Aquila, quibus pro vexillo. 192.b
Ara τῆς ἑστίας, *vel* τοῦ ἑρκείου Διός. 370.b
Ara ab antiquis iis consecratæ, à quibus insignia beneficia acceperant. 5.b
Aræ impiæ, & sceleratæ quæ? 705.b
Araxes Armeniæ fl. 324.a
Arboribus singulis Nympham præesse credebant veteres. 654.a
Arcades cur Προσέληνοι *dicti.* 258.a
Arceas vincere. 259.b
Arctophylax, idem qui Boötes. 469.b
Arctos. 130.b
Ardens tunica, Proverb. 721.b
Arferia, adferia, quid? 333.b. 334.a
Argo ubi sita? 474.a
Argos & Mycenæ à Poëtis confunduntur. 73.a. 94.a
Arguere scelere. 645.a
Argutus & Argutari, quid? 215.b
Ariadne, à Theseo in Naxo deserta, Baccho nubit. 329.a. *in cœlum relata.* ib.b
Ariadnes corona in numerum siderum recepta. 3.a,b
Aries aurei velleris describitur. 112.a,b
Aries si insolito colore fuerat indutus, quid portenderet Imperatori. 112.b
Aris nocens. 87.a
Aristoteles mœrore contabuit, quod causam fluxus & refluxus maris assequi nequiit. 27.b
Artis, pro arctis. 311.b
Assaracus, Ili filius. 367.b
Ἄσθμα δαιμόνιον, *quid?* 307.b
Astræa, seu Erigone, Iovis & Themidos filia. 748.a
Astyanax Priami nepos. 393.b
Athenienses quo signo ostenderent se αὐτόχθονας *esse.* 266.a
Athos Thessaliæ mons. 501.a. 707.a
Atlas cur cœlum humeris sustinere fingatur. 699.a
Atrei filii, qui & quot? 145.a
Atthides, matronæ Atticæ. 217.a
Attica, unde dicta Mopsopia. 218.a
Atticidiem à Solis occasu auspicabantur. 60.a, b. *unde Cecropii dicti.* 209.a
Auditorio adesse, quid? 50.a
Auditorium Principis, præfecti prætorio, &c. 50.a
Αὖ ἐρύειν *Homero quid sit.* 333.a
Auferre, pro impetrare. 668.a
Augiæ regis stabulum. 18.b
Aulis, portus Euboïcus. 491.a. 533.a
Aurora Memnonis mater. 385.a
Ausonium mare. 477.a
Auspicari, quid? 141.a
Auster cur Græcis νότος *dictus?* 489.a
Avernus Campaniæ locus teterrimi odoris. 284.a
Avidus iræ. 368.a

B.

Bacchus utero matris fulmine ejectus. 32.a.b. bello Gigantæo in leonem versus. ibid. à piratis Tyrrhenis capti fabula. 326.b. idem cum Sole. 256.a. 322. a. currum ejus trahebant tigres. ib. unde corniger dictus. ib. boves primus junxit. ib.b. Osyru Ægyptiu. ib. unde νεβρωδὴς & νεβριδοπέπλος dictus? 325.a. unde Nyctelius dictus. 329.a. Lyæus unde? 330. b. 455.a, b a Iove fulminante & flammis Semelen comburente genitus. 452. b. dicitur vehi curru junctis tigribus. ib.

Bætu, Hispaniæ fluvius. 501.b
Balista machina qualis? 243.a
Bassarides, Bacchi ministri. 324.b
Bassaru pro meretrice. 324.b. Thracibus sonat vulpes. ibid.
Bauli, villæ nomen. 742.b
Belli aleæ anceps. 205.a
Bellona. 528.a
Bessæ, urbs. 423.b
Bisontes, boves agrestes, eorumque descriptio. 214.b
Bistonis, hirundo. 567.a
Bistonis stagnum & regio. 17.a
Bobus olim in plerisque regionibus arabatur. 243.a
Bœotia unde sic dicta? 345. a. prius Aonia dicta. 452.a
Bootes, quis? 469.b
Briareus, gigas. 601.b
Britannicus veneno à Nerone sublatus. 727.b
Bruttii populi. 629.a
Bubo, avis mali ominis. 502.a
Bustum quid, & unde dictum. 412.a

C.

Cadavera cur veteres combusserint. 146.b
Cadere gradu. 556.b
Cadere pro renasci, provenire, oriri. 401.a
Cadmæa proles. 19.b
Cadmæorum fratrum è terra progenitorum fabula. 345. a
Cadmi filiæ. 53.a
Cadmus & Amphion Thebarum conditores. 65. a. 293. b. 344.a. in serpentem mutatus. 29.a. 206.a.
Cæstus quid? 453.a. eorum certamen. ib.
Calais & Zetes Boreæ filii. 464.a
Calamus. 747.a
Callisto, Lycaonis filia, in ursam mutata. 2.a
Calones, qui? 203.b
Calpe. 666.b
Calydnæ, insulæ. 422.a
Calydon, regia Ætolorum urbs. 423.a. 625.a
Canis & canicula, sidera, differunt. 294.b
Capax invidiæ, cui potest invideri. 402.b
Caphareus mons Eubœæ. 559.a
Capnomantia, quid? 314.b
Captivi catenis vincti ducebantur in triumpho. 377.a
Caput, dicitur tam de scaturigine, quam exitu amnis in mare. 492.a
Carchesia, summa mali pars. 326.b
Carnium usu abstinuerunt aureæ ætatis homines. 243.b
Carthago à Tyrijs condita. 474.a,b
Carystos, una è Cycladibus insula. 422.a
Carystium marmor. 422.a
Caspius, mons. 83.b
Cassandra, filia Priami. 368.b. 430.a. ei Phœbus vaticinandi peritiam dedit. ibid.
Castor & Pollux unde Tyndaridæ dicti? 3. a. 453. a
Caucasus Scythiæ mons inhospitalis. 448.a. 707.a
Caurus ventus. 553.b
Caycus, Mysiæ amnis. 384.b
Cecropii, qui & unde? 163.b
Cecrops primus Athenienss. rex. 451.a,b
Celare semet. 337.a
Cenæum Eubœæ promontorium. 638.a
Centauri & Lapithæ, pop. Thessaliæ. 54.b. 55.a. strata & frenos equorum primi invenisse dicuntur. ibid. cur semiviri & semiequi fingantur. 620.b
Cephallene, insula Ionii maris. 405.a
Cereris Eleusinæ sacra mystica. 60.a
Cerberi descriptio. 55.a. 223. b. quot capita habuerit? 334.b. 335.a
Cerriti qui? 475.b
Chalcis Eubœæ civitas. 559.a. 422.a
Chalybs, proprie quid? 599.b
Chaos. 77.b. 444.a
Charon Stygius portitor. 38.a. 302 b. ejus descriptio. 53.b
Charybdis. 136.b. 477.a
Chimæra. 509.b
Chironis Centauri antrum. 421. b. Achillem, Medica, Musica, & equitandi arte instruxit. 68.b. 421.b. in cœlum translatus, est Sagittarius. ib. & 152.b
Chordæ unde dictæ? 544.b

Cica-

Cicada, insigne Actææ gentis. 265.b
Cilla, urbs Troadis. 384.b
Cinyphius fons. 645.b
Cirrha, Phocidis oppidum. 310.b
Cithæron mons Bœotiæ. 25.a. 68.b. 104.a 328.a
Claros, Ioniæ civitas, à quo condita. 312.b
Classes agere mare, quo sensu? 109.b
Classicum, ejusque usus. 135.a,b
Classicum canere. ibid.
Claudius in deorum numerum relatus. 740.a
Clepere, quid & unde. 56.b. *tegere, celare.* 459.a. 637.a
Clotho, una è Parcis. 139.a. 637.a
Cludere, pro claudere. 661.b
Cnossus urbs regia Cretæ. 3.b. 355.b
Cocytus fluvius infernalis. 46.b
Cælibes, unde sic dicti. 224.b
Cœlum vacare, quando dicatur. 154.a
Cogi qui potest, nescit mori. 30
Cohortes Prætoriæ & urbanæ. 767.a,b
Color sine luce cerni non potest. 578.a
Columen, pro culmine. 70.b. *proprie quid?* 99.a
Cometa sub Nerone apparuit. 737.b
Cometæ semper versus Septentrionem apparent. 737.b. *eorum causa & materia.* ibid. *quid portendant.* ibid.
Comissantes adhibebant pueros qui funali præluceret. 238.a
Componere gradum ad præliandum. 555.b
Concessare. 643.a,b
Concussa fides, rebellio. 342.b
Corcyra, à Sisypho condita. 312.a. *dein Ephyra, postea Corinthus dicta.* ibid.
Corinthus. 139.b
Coronarum varia genera. 545.b
Coronis capita revincti potare solebant veteres. 157.a,b
Corus, ventus. 136.a. 477.a
Corybantes populi unde sic dicti? 716.a
Corytus, quid? 78.b
Creontis caput cum diademate ablatum. 18.b
Crete, insula. 715.b. ἑκατόμπολις. 220.a. 420.
Creta cervis nobilis. 214.a
Crines abscindendi ritus in funeribus amicorum. 282.a
Cryptæ Neapolitanæ descriptio. 61.a
Cupido, Deus Amoris. 221.b
Cupido geminus cur dicatur. 227.b
Cupressus arbor feralis, veneficiis idonea. 332.b. 508.
Curæ etymon. 485.b
Curetes Cretæ populi. 716.a
Cyaneæ insulæ. 472.a
Cybele. 567.b
Cybeles sacerdotes in sacris cultris sibi lacertos, humeros, pectusque sauciabant. 508.a,b
Cycladæs, insulæ. 137.b. 329.a. 639.b
Cydon, urbs Cretæ. 640.b
Cygnus, Neptuni, vel ut alii, Martis filius. 34.a. *in olorem versus.* 379.a. *Neptuni filius.* 536.a
Cygni an cum cantu & voluptate moriantur? 228.a. 567.b
Cyllarus, equus Castoris. 260.a

D.

Δαιδαλεῖον. 447.a. *Dædali historia,* 218.a. 355.a
Dahæ, populus Scythicus. 122.a. 138.a
Danaidum fabula. 35.a. 52.b
Danubius, Germaniæ fl. 122.b. 501.a
Dardanus Cassandræ tritavus. 572.b
Dare, pro dicere. 41.b
Dare, vel haurire sanguinem. 120.a
Daulia, ales, Philomela. 116.a. 603.a
Δαυλοὶ, *populi.* 116.a
Deianiræ tumulus. 652.a
Deidamia, Lycomedis filia, ab Achille virgineo habitu latitante, constupratа. 391.a
Delphin, piscis velocissimus. 553.a,b
Delus insula. 3.a
Denarius numerus perfectissimus. 554.b
Depositi, desperati, salutis desperatæ. 364.a
Deprecationum formulæ. 248.b
De recidivo fruticare. 401.a
Deucalion, Promethei F. primus Thessaliæ rex. 434.a. 466.a
Dextera fidei pignus. 465.b. *cur præses dicatur.* ibid.
Diadema quid & unde dictum. 120.b. 134.b
Diagoras & Theodorus Deos esse negabant. 124.a
Diana venationis Dea. 64.a. ἰοχέαιρα. 253.a. *Hippolyto in Virbium mutato, canos & ætatem addidit.* 261.a. *unde Dictynna dicta.* 507.a. *Iphigeniæ pro victima immolandæ cervam substituit.* 776.b.
Dies Caniculares, unde sic dicti? 294.b
Dies pro ære. 702.a
Dii, pro sideribus. 269.a
Dii conjugales qui? 442.a
Diis inferis nonnisi furvæ hostiæ immolabantur. 333.a. *superis victimæ quæ im-*

immolarentur. 301.a
Diis superis in aris extructis, terrestribus in terra, inferis in terra effossa sacra faciebant. 332.a
Diis superis sub nascentis Solis ortum, inferis sub occasum Solis, sacra fiunt. 332.a
Dii utriusque sexus secundum Stoïcos. 28.a
Diluvia olim multa fuêre, eorumque descriptio. 434.b
Diomedes equis suis ab Hercule devorandus objectus. 577.a. *equos humano sanguine & carne pavisse dicitur.* 717.a.b
Dirces fabula. 169.a.177.a
Dirce, fons & oppidum. 308.a
Dirce, fons Bœotiæ. 297.a. 330.a.344.a 452.a. 598.b
Discernere facta quid? 696.b
Discors Dea, i. e. monstrosa, biformis. 8.b
Dissepire, Lucretio idem quod sepire. 471.b
Divitiæ patentes. 600.b
Dodonæa quercus. 472.b
Dolopes, populi Thessaliæ. 598.a
Dolor pro ira. 479.a
Domini, pro regibus. 455.a
Dona, ἀναθήματα, &c. 141.b
Donare moram. 520.b. 521.a
Donare, pro remittere, gratiam facere. 183.b. 520.b
Donare silentium. 520.b
Draco, pervigil Hesperidum horti custos. 577.b
Dryades, lasciva Deæ nemorum. 258.a
Dubitare, pro deliberare. 144.b
Ducere somnos. 629.a

E.

Ebur pro statuis eburneis. 144.a
Echo quid? 374.a
Ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα. 125.a
Edon, mons Thraciæ. 603.a
Eetion, Andromachæ pater. 383.a
Electra, prius Laodice dicta. 582.a
Eleus amnis. 312.a
Eleusinia Sacra. 217.a. *etiam Thesmophoria dicta.* ibid.
Eleusin. 22.b
Eleusis & Eleusin. 262.a
Elcysii campi unde dicti. 51.b.429.a
Encelado giganti Ætna imposita. 7.b
Endymion Arcas primus Lunæ cursum invenit. 258.a
Enispe, insula. 422.a
Ἐν τετράδι γεγενῆσθαι, Proverb. 16.a
Enthei qui dicti? 475.a
Entheis ut & ebriis dupla se ostendunt objecta. 570.a
Enyo bellorum dea. 528.a
Ephebi qui? 60.b
Ephemerum herba unde dicta? 467.a
Epicurus & Protagoras Deorum providentiam negabant. 124.a
Epidaurii Æsculapii templo inclyti. 273.a, b
Ἐπικὸς κύκλος, quid? 488.a. *huic multum tribuere solebat Sophocles.* ib.
Equus Durateus. 564.b
Erebus, fl. infernalis unde dictus. 378.b. *pro toto inferno.* 6.b
Eridanus, fluv. infernalis. 286.a. 602.b
Erigone seu Astræa. 152,a
Erymanthus mons Arcadiæ. 17.b
Erinnyes tres. 528.a. 773.b. 627.a
Eryx, Butæ ex Venere fil. 34.a
Eryx mons Siciliæ nobilis. 499.b. *unde dictus.* ibid.
Eteoclis & Polynicis, de regno decertantium, mutuus interitus. 28.a
Etesiæ, venti. 105.a. *cur Navales dicti.* ibid.
Eubœæ descriptio. 637.b
Euenus Ætoliæ fluv. 620.a
Eumenides, Furiæ. 8.a. *Atheniensibus dictæ θεαὶ σεμναί.* 445.b. 650.a
Euripus, mare. 27.a
Eurota, Laconiæ fluvius. 177.a. 543.a. *à quo sic appellatus.* ibid.
Eurytus, rex Oechaliæ. 692.b
Evocare quid? 504.b
Evocati milites. 504.b
Euxinus regio unde? 527.b
Excutere deum, quid? 313.b
Exercere manus. 107.b
Exhibe, vocabulum solemne. 414.a
Exigere nonnunquam examinare, probare, experiri significat. 582.b
Existere, apparere. 146.a
Exta & viscera ut differant. 147.b
Exta ex visceribus propriè quæ? 318.a,b
Exta tristia. 319.a. *in extis quæ maximè observarentur.* ibid.

F.

Faces in nuptiis præferendi ritus. 329.b *à quibus sponsæ præferebantur.* 447.a 732.b. 733.a. *tam è pinu quam spina alba fieri solitæ.* 448.a
Facies & vultus ut differant? 450.b

Fa-

Famulum regemque pati, quid significet? 605.a
Fanatici caput flexibile jactabant. 569.b
Fari, pro prophetare. 315.b
Fasces, insignia Magistratus. 270.b 772.b
Fatale pascuum, quid? 113.a
Favonius & Zephyrus iidem. 37.b
Febres recidivæ. 401.a
Ferculum, quid? 597.a
Feriat jam quem volet, *vox Domitiani cum multa fulgura fierent.* 485.b
Fescennina carmina. 455.a. *unde dicta.* ibid.b
Fides, propriè quid? 342.b
Flava seges. 295.b
Florem veteres appellarunt id quod optimum in unaquaque re. 248.b
Fluminibus cornua tribuerunt veteres. 619.b
Fœdus icere, percutere, ferire, unde dictum? 186.b
Fœdus, quid? 6.a
Fœmina dux malorum, & scelerum artifex. 245
Fœminæ multorum bellorum caussæ extiterunt. ibid.a
Fœta, dicitur gravida & partu liberata. 80.b
Fœtus conceptus & partus. 80.b
Fontana aqua unde manet? 617.b
Fontes sacri veteribus. 103.b
Fores quomodo aperirent veteres. 606.b
Formido retis genus. 213.a
Fortes, audaciter agentes. 219.a
Fortuna pro fato. 525.b
Frænare ratem. 443.a
Frigus torpentes reddit. 502.b
Fuga Senecæ, quævis velox itio. 140.a. 598.b. 653.a
Fugere Senecæ, quocumque motu labi, decurrere, ire. 598.b
Fugitivi dicuntur servi; profugi, liberi. 456.b
Fulmen cur trisulcum dicatur. 165.b 723.a,b. *obliquum cur* 121.a
Fulminum alia graviora, alia leviora. 642.a
Functi, pro defunctis, mortuis. 519.b
Funus. 448.b

G.

Gæsa, tela. 217.b
Gætuli antiquissimi Africæ incolæ. 214.a
Galeæ cur cristis ornari solitæ. 244.a
Galli, Cybeles sacerdotes. 567.b
Ganges, Indiæ fluv. 144.b. 324.a. 326.b 628.a
Gargara, Idæ montis cacumina. 204.a
Garamas, Africæ populus. 214.b
Geloni, Sarmatiæ populi. 328.a
Gentiles, qui? 86.b
Geryonæ pecus. 81.b
Getæ, populus Scythiæ. 220.b. 640.a
Gigantes a Diis victi. 149.b
Glaciale jubar. 670.a
Glandes, poma, herba, ante inventum frumentum esui fuêre. 243.b
Glomus, neut. gen. 634.b
Gnossus, urbs Cretæ. 250.a
Gonoessa, Ætoliæ urbs. 422.a
Gortyne, Cretæ urbs. 420.a
Græci filii nomini patris nomen apponere solebant. 495.b
Græci Latinique à sacris arcebant quibus manus immundæ. 349.b
Græcorum classis è quot navibus constiterit. 368.a
Græcis malatria, mare, ignis, mulier. 456.b
Gravari aliquam rem. 102.b. 103.a
Gravis invidiæ, cui jam invidetur, quem gravatur invidia. 402.b
Gyges Briarei frater, Terræ fil. 601.b
Gyrus, quid? 229.b

H.

Habet, formula à ludo gladiatorio sumta. 580.a. 690.a
Hamadryades unde sic dictæ? 654.a
Harpyiæ Zetes & Calais Boreæ filii. 506.b
Haruspices Græci cor inspiciebant, Romani demum post Pyrrhi ex Italia discessum. 318.b. *in duas partes dividere solebant, familiarem & hostilem.* 319.b
Hebe, Herculis uxor. 575.a 736.b
Hebrus Thraciæ amnis. 204.a. 591.b 628.a
Hecate Iovis neptis. 508.b. *cur dicta triformis.* 236.a. *ei cur canes immolarentur.* 334.a. *luna.* 694.a
Hecatombe, quid? 241.a
Hector cujus filius fuerit. 571.a. *Troiæ columna, murus, &c.* 374.a,b
Hecuba in canem mutata. 569.b. *quot liberos habuerit.* 368.b. *Paridem utero gestans somniavit se facem ardentem parituram.* 369.a

Hedi-

Hederæ vivaces. 326.b
Helenæ ex ovo prognatæ, fabula. 424.a.
ejus mater quæ fuerit. ibid. *Iove cygno genita.* 766.b. *Deiphobum maritum Menelao & hostibus dilaniandum prodidit.* 580.b
Helles & Phryxi fabula. 434.a
Heniochus, pop. ferus, unde ortus. 163.b
Herbis lucente lunâ lectis plus efficaciæ inesse credebant veteres. 501.b
Herbæ quænam in incantationibus adhiberi solitæ. 499.b
Hercules, unde Alcides *dictus.* 26. b. *sub Omphale regina purpura indutus colum tractavit.* 32. b. *labores.* 36. & seqq. & 576. a. *filios suos furens occidit.* 69. a. & seq. *ejus filii, qui & quot?* 81. a. 85. a. 575. b. *in Oetæo monte combustus.* 506. a. 590. & seqq. a *decimo die Trojam expugnavit.* 578. b *Augen, Minervæ sacerdotem compressit* 612 a. *ut & quinquaginta Thespiades.* ibid. *ejus mors.* 721. b. *à quibus illi primum divini honores exhibiti.* 722. b. *clava qualis fuerit.* 703. b
Hercynia silva. 500 b
Hermione, Helenæ & Menelai filia. 439. b
Hermus, fl. 204. a. 628. a
Hesiones fabula. 611. b
Hesperidum horti. 18. a. *aurea mala.* 188. a
Hesperugo, veneris stella. 511. b
Hic dolor, &c. pro hinc dolor. 614. a
Hieroscopia, quid? 314. b
Hippodamia, Brisei filia. 383. a
Hippolyte regina Amazonum. 18. b
Hippolytus, prius Demophoon, deinde Virbius dictus. 216. b. 277. a
Hoc age, loquendi formula in sacris. 143. b. 486. b. 513. b
Homines immolabantur falsis Diis à Carthaginiensibus, Celtis, Scythis, &c. 388. b
Hortator in navi quis? 549. b
Hostia, sacrificium quale & unde dictum. 450. a. 316. b
Hostiæ opimæ. 65. b
Hostire veteribus ferire. 450. b
Hyades, stellæ, Suculæ dictæ. 152. a. 505. a
Hybla, mons. 336. a
Hydaspes gemmifer Indiæ fl. 501. a, b
Hydra Lernæa. 55. a
Hylas, Herculi dilectus, in Ascanio flumine submersus. 493. b
Hymen, pro ipsis nuptiis. 424. a
Hymenæus, Deus nuptialis. 451. a. *quomodo pingeretur.* ibid.
Hymenæum, quid, & unde dictum. 185. b
Hymnus Thebanis peculiaris. 322. a
Hymettus, mons Atticæ. 211. a
Hyrcania, Scythiæ contermina. 215. a

H.

Jacchus, Bacchus, unde sic dictus? 325. a
Jason primus cum Argonautis navigavit. 468. a. 452. b. *dentes seminavit draconis, non Colchici, sed quem Cadmus in Bœotiâ occiderat.* 480. b
Icarium mare an ab Icaro sic dictum. 355. b
Ida, Phrygiæ mons. 226. b. 570. b. *ibi Paris tulit sententiam de malo aureo.* 570. b
Idæa arma. 716. b
Idæi dactyli unde dicti? 716. a
Iecur, cupiditatum sedes. 624. b
Ignis amoris sacer. 230. a
Ignis pro amore. 624. b. 625. a
Ilex cur nigra dicta. 141. a
Ilissus, amnis. 210. a. 241. a
Ilium qui mœnibus cinxerint. 366. a 402. b
Ima permutat levis hora summis. 137. a
Impellere, pro evertere, percellere. 705. a
Impendere diem. 4. a
Immolare, quid, & unde dictum. 143. a. 241. a. 316. a
Inane maximum apud inferos. 160. b
Inarime, insula, Typhoeo in gigantomachia imposita. 150. a. 660. a
Incestare, & incestus, quid? 80. b
Increpare, pro adsilire & cum fremitu allidere. 550. b
Incubare arma, hastam, &c. 198. a
India cur Thyrsigera dicta? 256. a
Indicere proprie quid? 292. b
Indo-Scythæ. 481. b
Inferiæ, sacra, unde dicta? 179. b
Inferias dare. 561. a
Inferni Iudices qui? 50. a. *plures quam tres.* 51. b
Insulæ, filamenta lanea. 568. b
Ingruere, quid & unde? 43. b
Innocuus, cui non nocetur: innoxius qui non nocet. 13. a, b
Innubis dies, ἀνέφελοι, serena. 605. a
Ino in mare se precipitavit. 28. a. *Gracis Leucothea, Latinis Matuta.* 326. a *ejus fabula.* ibid.
Intra esse, id est, minorem esse. 484. b
Inter arma leges silent. 29. a
Investire. quid? 613. a

Invi-

Invidiam posse pati, ars prima regni est. 206.a
Iocinoris capite in extis non apparente credebant grave infortunium Reipubl. aut Imperatori portendi. 319.a
Iolcos. 420.a
Ioles fabula. 603.b.604.a
Iovis à Curetibus enutriti fab. 32. b. *in taurum mutati.* 228.b
Iræ vivaces. 4.a
Iram Deorum per exta eorumque indicia indicari credebant veteres. 315.b
Ismenos, Bœotiæ fluv. 25.a.81.a.295.a
Ister, sive Danubius, Germaniæ fluv. 489.567.a.627.a
Ister, idem qui Danubius, fl. 139.b
Isthmus Corinthiacus. 310.b. *Peloponnesiacus.* 25.a
Italia unde Ausonia dicta? 473.a
Itys, Terei filius. 567.a
Iudices & judicia sortiri. 50.a
Iuncta luna, pro duabus noctibus continuatis. 128.b
Iungere, interdum continuare, &c. 128.b
Iupiter Cenæus 596.a. *Feretrius.* 574.b. *Prædator.* ib. *Hereius unde sic dictus.* 369.a. 569.a. *Ἱκετήσιος.* 166.a *prodigialis.* 765.b
Iupiter unde dictus. 636.a. *specie cygni adivit Ledam uxorem Tyndari regis.* 736.a *in taurum mutatus Europam rapuit.* ibid. *aureus imber factus in Danaes gremium influxit.* ib. *in taurum versus.* 623.b
Iusta funebria. 519.b
Ixionis pœna apud inferos. 52.a

K.

Κωκύω, *lamentari, ejulare.* 720.a

L.

Labdacus Laii pater. 172.a
Labor, pro malo quo corpus animusve laborat. 75.a
Labyrinthus à Dædalo factus. 282.a
Lacheſis. 360.a
Lacones uxores suas ἀνεψιὰς vocabant. 539.a
Laconici canes. 212.b
Lamna, pro lamina. 577.b. *differt a bractea.* ibid. Λαμπαδηδρομία, *quid?* 545.a
Laomedontis fraudes. 415.a
Lares, Dii domestici, Mercurii & Laræ filii. 115.a
Laribus & familiæ diis quomodo libamina fierent in conviviis. 159.a
Larvati, qui? 475.b
Latebra, sinus. 61.a
Latona ubi Apollinem & Dianam enixa sit. 3.a
Laurus Apollini sacra. 292.a. *in igne crepitans faustum, tacita inauspicatum portendere credebatur.* ibid. *ejus folia pulvillo subjecta vera conciliare somnia credebantur.* ibid.
Lauri in victoriis quis usus apud Romanos. 547.a
Lemnos insula Ægæi maris, Vulcano sacra. 684.a
Lentare, quid? 550.b
Leo, sydus, è luna decidit juxta opinionem Pythagor. 7.b.8.a
Leo Cleonæus. 66.b. *Nemeæus.* 17.a
Leones seipsos cauda flagellant, ut iram stimulent. 298.b
Lerna, fons. 241.a. *est & nomen paludis.* ib. 103.b
Lernæ monstra. 18.a
Lethe, fl. oblivionis. 46.a. 284.b
Leucates, promontorium. 635.a
Leucas, Leucate. Leucadia, &c. 635.a
Leucate, promontorium Acarnaniæ. 273.a
Leves dii. 365.b. 366.a
Lex talionis æqua & justa veteribus. 17.a
Libra, signum æquinoctiale. 262.a
Libya Africæ regio. 497.b. *unde sic dicta.* 498.a
Lichades insulæ. 649.b
Linea, seu formido retis genus. 213.a
Lingua præpedita vehementissimi amoris signum. 246.b
Litare unde dictum? 561.a
Litatum esse diis, quando dicatur? 560.b
Lituus, quid? 136.a
Lixæ, qui? 203.b
Locrensium naufragium. 557.b
Longè esse & abesse, pro non juvare. 460.a
Loqui otium ac somnum. 341.a,b
Luca, bos. 231.b
Lucifer & Hesperus, idem. 256.a
Lucina Græcis Εἰλείθυια. 442.b
Ludere & Errare, de fluvio. 46.b
Ludi Olympici. 59.a
Lugentes apud Græcos semper attratis vestibus. 43.a
Lugentium ritus. 372.b.704.a,b
Luna quanto temporis spatio Solem consequatur. 151.a
Lunam deficientem carminibus è cœlo devocari vulgò creditum. 236.b. *ei comma*

cornua tribuuntur. ib. magico carmine sollicitatam rubore suffundi credebant veteres. 258. a. b. ei eclipsin patienti quomodo succurrerene. ibid.
Luna, sic dicta quod luce luceat aliena. 255.b
Lunæ bigas tribuebant veteres, soli quadrigas. 575.a
Luna & cætera sidera antiquis ex sententia Stoicorum Dii fuere. 497.a
Lunatici, qui? 475.b
Lustra siebant singulis quadriennis expletis. 417.b
Lux an inferis tristis? 38.b. & seq.
Lybia, frumenti seracissima. 121.a
Lycormas fluv. Ætoliæ, postea Euenus dictus. 626.a
Lycurgus Thraciæ rex, Bacchum bello superat. 327. a. ejus mors. ib.b Bacchi vites exscindentis fabula. 64.a
Lydia, fluminibus aurea ramenta volventibus nobilis. 628.a
Lymphati, qui? 475.b
Lynceus acutissimi visus homo. 464.a
Lyra, cithara, chelys, &c. vulgo confunduntur. 543.b
Lyrnessos, urbs Troados. 383.a

M.

Macetes, pro Macedone. 600.a
Machina, quid? 122.b
Mæander Phrygiæ fl. 204.a. 210.b. 46.b
Mænala, Arcadiæ mons. 716.b
Mænalis pernix fera, cerva æripes. 17.a
Mænas, Bacchu, unde dicta? 191.a. 325.a 475.a. 570.a
Mæotis, palus. 92.a. 253.a
Maga nudis pedibus & passo capillo sacra sua peragebant. 504.a
Majestas boum, Varroni quid? 274.b
Malea, promontorium. 458. a. inde proverb.
Μαλέαν δὲ κάμψας ἐπιλάθου τῶν οἴκαδε. ibid.
Malignus quis dicatur. 433.a
Malum, pro labore, quo exercitamur & fatigamur. 75.a
Manare lacrymas. 546.b
Manes impii. 444.b
Manto, Tiresiæ filia. 312.b
Manus, pro ministris. 479.b
Manus puræ quæ dicantur? 513.a
Marathon, urbs Attica. 211.a
Marcidus quis propriè dicatur? 451.a
Mare Myrtoum, unde sic dictum? 106.b rubrum. 122. a. unde Ἐρυθραῖον dictum? ibid.
Margaritæ ubi nascantur? 234.b
Mariandini populi qui? 494.a
Mars à Neptuno in judicium vocatus, Deorum sententiis absolutus. 93.a.b
Mars saviens Gradivus, pacificus Quirinus dictus. 221.b.222.a.671.a
Massagetæ Scythiæ populi. 327.a
Medeæ filii. 516. b. mater quænam fuerit, incertum. 460.b. scelera. 245.b
Media unde propriè dicta? 500.a
Medusa, ejusque sorores Sthenyo & Euryale unico oculo per vices utebantur. 509.b. à Perseo devicta. 595.b
Meleager Altheæ imprecationibus confixus moritur. 506.a
Memnon, Æthiops. 535. b. Auroræ filius. 385.a
Memores, pro gratis. 546.a
Mereri, pro acquirere, adipisci. 343. b. pro demereri. 249.a
Mergere caput. 683.b
Μία λόχμη ἀμφὶ δύο ἐλάφοισιν, Proverb. 127.a
Mimas, gigas. 69.a
Mimas Ioniæ mons. 634.b
Minerva Athenarum præses. 217.b
Minos, rex Cretæ. 355.a
Minotaurus à Theseo interfectus. 216.a 250.a. 281.b
Minyæ qui & unde dicti? 464.b. Minieus fl. ibid.
Misenum promontorium. 742.b
Modicis rebus longius ævum est. 529.
Mola, quid? 143.a.241.a.316.a
Molossi, canes Epirotici. 212.a
Monile, quid? 487.b
Monitor antiquis quivis exactor operis. 549.b
Montes dubii. 291.a
Monumentum, quid? 412.a
Mopsi duo. 494.b
Mortu genera tria. 21.a
Mors Stoicis portus aliquando petendus, nunquam recusandus. 121. a. 562.a
Mortuos insepultos contegendi ritus apud Græcos & Romanos. 289.a,b
Mosis cornua. 256.b
Mundum ex chao factum in chaos reditурum qui crediderint. 745.b
Mundum, qui finitum, quive infinitum sentiant. 270.a
Mundus pro cœlo. 722.b
Mycale. 622.a
Mycenæ, urbs. 377.a
My-

Mycenæ, Cyclopum opus. 70.a
Myrrha gummi genus odoriferum. 613.a
Myrrha, Cinaræ regis filiæ, à patre compressæ fabula. 603.a
Myrtili fabula. 141.b. *mors.* 106.a, b
Myrtoum mare. 141.b
Myrtus Veneri sacra. 332.a
Mysia unde dicta. 382.b
Mystæ qui & unde dicti? 324.b
Mitra quid? 323.a. *Latinè, vitta.* 323.b

N.

Nabathæ, incolæ Arabiæ Petrææ. 600.a *unde dicti?* ibid.
Nabathæa, regio quæ? 553.b
Nabathes, pro Nabathæo. 600.a
Naides, Fontium Nymphæ. 258.a *unde sic dictæ.* ibid.
Nauplius, Palamedis pater. 495.a. 559.b
Nasamones, Lybiæ populi. 702.b
Nebris, quid? 325.a
Necromantia, & Necromantici. 336.a
Nefas fati. 658.a
Nemesis superbiæ ultrix. 28.a
Nemoris antiqui decus, quid? 505.a
Nephele nubes è qua Nessus centaurus editus. 619.a
Neptunus ex Chrysippi sententia, nil aliud quam spiritus qui mare commovet. 137.a
Nereides, Nymphæ marinæ. 230.b
Neritos, mons Ithacæ. 424.a
Neronis sævitia & scelera. 728. 729. & seqq. *crudelitas in matrem.* 742.a, b *partem urbis incendit.* 769.b. 764.b
Nessus centaurus è nube genitus. 619.a. *ocusus* 506. 621.a
Nestoris ætas. 382.a.
Nigra Romani appellabant mala. 61.a
Nilus, fluv. 92.a
Niobes fabula. 28.b. 546.b. 602.a. 14.b
Nissa, quæ aliis Nysa. 475.a
Noctem in quot vigilias seu stationes distribuerint Græci & Romani. 398.b. 149.a, b
Nocti quem colorem tribuant Poetæ. 61.a
Nomen ambiguum. 586.b
Nox addidit se in noctem, quid significet? 160.a
Nox, pro morte. 184.b
Nox veteribus Dea. 398.b
Nox & dies, tam hibernus quàm æstivus XII. *horar. veteribus.* 59.a
Noxa & noxia ut differant? 395.b
Numerus novenarius Pythagoræis sacer & perfectissimus. 505.b
Nummi antiqui duo repræsentantes imaginem tropæi. 376.a. *duo Pacem seu Concordiam.* 450
Nuptiales ritus. 185.b. 199.a. 447.a. 455.b
Nuptiis adhibiti auspices. 424.a
Nysæ decem. 322.b

O.

Obiti, pro mortuis vel qui obierunt. 454.a
Oblitus sequi fugam. 653.a
Octavia à Nerone in exilium missa. 771.b. *ejus mors.* 774.b
Odrysis solemne fuit in conviviis præliari. 115.b
Occhaliæ plures. 598.a. 616.a
Oedipum tragœdiam qui composuerint, tam Latini, quam Græci. 290.a
Oedipus Laium patrem occidit. 28.a. 170. *Sphingis ænigma solvit.* 176.b. *excæcatus in exilium abit.* 168. & seqq.
Oenomai fabula. 131.b. 106.a
Oestro perciti. 325.b
Oestrus, Latinè asilus. 325.a
Ostrum pro purpurâ 454.a
Oeta, mons, Græc. & Lat. fœm. gen. 11.a 420.b. 643.a
Oetææ Lampades. 11.a
Ogygii, Thebani. 325.a
Olea Athenis propria. & cur? 64.b
Olenia capra, sidus, id est, Amalthea. 469.b
Olenos, Elidis urbs, 421.a. 312.a
Omne, τὸ πᾶν, universum. 593.b
Omnes, pro quibuscunque obviis. 81.b
Onerare casus suos. 181.a
Ophion natus è serpentis dentibus. 328.b
Ops, terra. 523.b
Opus, pro officio, &c. 175.b
Orantes ad aras dextras illis imponere solebant. 497.b
Orbicularis & sphærica forma cur oculo data? 359.a
Orgia, Bacchanalia, unde dicta? 324.b *Liberi patris sacra.* 626.b
Orion, è Iovis, Neptuni & Mercurii urina natus. 3.a. *Latinis Iugula.* ibid.
Ornatus sponsarum prima nuptiarum die semper colore luteus fuit. 230.a
Orphei, descendentis ad inferos, fabula. 39.b. 40.a. *cur à Thraciis mulieribus discerptus.* 492.a. *Calliopes & Oeagri fil. filius.* 653.b
Ossa componendi ritus. 418.b
Ossa & Olympus montes divulsi. 216.a, b 21.a. 68.b

Othrys mons. 661.b
Ova decumana. 554.b
Oves lectæ. 65.b
ὀλαὶ & ὀλοχύται, *molæ.* 316.b
Ozolæ populi unde dicti? 506.a

P.

Pacis hostia ovis. 450 a
Pactolus, Lydiæ fl. 204.a.595.a
Palæstra, à quo, & ubi inventa. 78.a
Palear, quid? 275.a
Palla, vestimentum muliebre & virile. 332.b
Pallas, Dea. 63.b. *Herculis auxiliatrix in omnibus certaminibus.* ibid. *textoriæ inventrix.* 217.a. *è Iovis cerebro nata.* 545.b. *unde dicta?* 556.b
Pallene, urbs Thraciæ. 68.b
Pandataria insula. 771.b
Pandioniæ volucres. 725.a
Pangæum, Thraciæ promontorium. 325.a
Paphiæ Lampades. 11.b
Paphii Venerem religiosissimè colebant. 332.a
Parcarum diversa nomina. 14.a,b.38.a
Parcere morti pereuntis, quid? 621.b
Parentare. 561.a
Pariendi tempus quodnam? 200.a
Paris Veneri tanquam pulchriori malum aureum adjudicavit. 371.b
Parium marmor. 259.a
Parnasos, mons Phocidos. 177.a
Parnassus, mons. 307.a
Parnes Atticæ mons nobilis. 209.a
Parrhasia, urbs Arcadiæ. 576.a
Parthenius, mons Arcadiæ. 716.b
Parthia Asiæ majoris regio. 500.b
Parthi equites velocissimi. 500.a. *fugam simulantes post tergum mittunt sagittas.* 122.b
Pasiphaës Minotaurum parientis fabula. 217.b. 218.a.252.a
Patere, interdum idem quod valere & esse. 600.b
Pati, nullo adjecto casu, quid significet? 129.b
Pati, pro vivere, sustentare, durare, &c. 694.b
Pecudes prius inficiuntur peste quàm homines, & cur. 300.b
Pegasus, equus, unde dictus? 394.a,b
Pelasgi, propriè Thessali & Argivi. 464.b
Pelion mons Thessaliæ. 68.b. 490.b
Pelopeia domus, adag. 97.a
Pelopidarum scelera. 97.a. & seqq. 524.a 525.b
Peloponnesus, à quo denominata. 81.a
Pelorus Siciliæ promontorium. 595.a
Pelta, scutum quale? 463.a.536.a
Penates, qui? 148.a
Pendere, pro anxium sollicitumque esse. 199.b
Penetrale, quid? 141.a
Peneus fluvius Thessaliæ. 21.a
Penthesilea, Amazonum regina, ab Achille occisa. 385.a
Peparethos una ex Cycladibus insula. 422.a
Perdere locum, occasionem. 458.b
Pergama pro quibusvis locis altis. 367.b
Pergamum, Idæ promontorium. 367.b
Pergamus, urbs. 367.b
Periclymenus, Neptuni F. in varias formas versus, tandem ab Hercule occiditur. 492.b
Pes pro infimâ veli parte. 470.a
Pestis descriptio. 294.a
Phædra amore Hippolyti flagrans. 216
Phaëthon, cujus filius. 490.a.509.a
Pharis, Laconiæ urbs. 266.b
Phasis fluvius. 423.b.448.b
Philomela in lusciniam mutata. 12.b
Phineæ aves, Harpyæ. 107.a
Phineæ mensæ 53.a
Phinei, Arcadiæ regis, fabula. 107.a
Phlegethon, fl. infernalis. 100.b. *unde, dictus,* ibid. & 161.b
Phlegethon, fl. infernalis. 302.a
Phlegra, vallis Thessaliæ. 31.a.150.a
Phlyeus, populus. 212.a
Phlius, urbs Peloponnesi. 211.b
Phocis, regio Græciæ. 25.a
Phœbus ἑκηβόλος. 222.a
Phœbi Pythona interficientis fabula. 32.a
Phoronides. 103.b
Phryxi fabula. 473.b
Physeter, bellua marina. 274.a
Phthie, Thessaliæ pars. 420.a
Pindus Thessaliæ mons. 88.b.475.a. 501.a.619.a.707.a.
Pinus pro navi cæsa è pinu. 372.a
Pirene, fons. 503.a
Pirithoi fabula. 316.b
Pisa, Elidis urbs. 59.a.104.b
Pistrix, sive Pristis, monstrum marinum. 275.b
Pleiades stellæ unde sic dictæ. 2.b.453.
Pleuron, Ætoliæ urbs. 421.a
Pluto, mortis dominus. 38.b. *frater Iovis.* 610.a
Poculum boni genii. 156.b. φιλοτήσιον. 159.a

579.a. hoc convivia claudere solebant. 579.a
Pœna pro labore improbo ac misero. 237.b
Pœni Carthaginienses. 231.a
Poli moventur cum Universo. 269.b
Polyphemi pater, quis? 136.b
Polyxena ubi immolata fuerit. 441.b
Pontus Euxinus, per ἀντιφρασιν, cum prius ob incolarum crudelitatem ἄξεινος diceretur. 448.b
Poppæa admodum diligens colendæ formæ. 755.a,b
Populus Herculi sacra. 62.b
Porci eximii. 65.b
Præcommovere. 117.b
Præstites dii. 26.b
Prætidum, filiarum Argivorum regis, fabula. 328.b
Priamus a Pyrrho ad aras cæsus. 369.a
prius Podarces dictus. 375.a
Prima fabula, pro primis partibus fabulæ. 315.a
Procari, quid? 535.b
Progne Terei regis uxor. 648.a
Progne & Philomela, Pandionis filiæ. 603.b
Procrustes latro. 163.b.281.b
Prodigiorum exempla. 303.b
Prometheifabula. 83.b.500.a.509.a
Proserpinæ raptus. 44.b.444.445.a
Proteus, Oceani & Tethyos filius. 284.b
Prothous rex. 421.a
Psecas, ancilla ornatrix. 426.a
Pudere ad dedecus, pigere ad damnum & dolorem refertur. 533.b
Puniceus color idem qui Phœniceus. 454.a
Purgaturi se, sæpius caput aquæ immergebant veteres. 253.a,b
Pylius senex, Nestor. 382.a
Pylos, Messeniæ urbs. 423.b
Pyra quid? 412.a
Pyram quo quis ditior aut nobilior eo celsiorem ei erigebant veteres. 702.a
Pyrenæi montes unde dicti. 214 b
Pyrrhe, Epimethei filia. 434.a
Pyromantia, quid? 314.a
Pythia mulier, quæ? 308.a

Q.

Quæstores qui apud Rom. 46.525.a,b.
Quarta luna nati, qui dicantur? 16.a
Querquetulana quæ? 654.a
Quiescere laudes. 698.a. pugnæ. ibid.
Quirites unde dicti? 123.b

R.

Rapere mortem. 621. b
Rara, pro raro. 455.a
Recidere & amputare sarcinas. 468.a
Recidere & circumcidere sumtus. 468.a
Recidivum quid? 401.a,b
Recipere auditorium, quid? 50.a
Recipere pro silere, improbum. 768 a,b
Reddere pro dare. 768.b
Reddere summum diem. 311.a
Rediviva, in ædificiis quid? 402.a
Rediviva saxa. 402.a
Reducere & deponere diem. 4.b.5.a
Reges per sceptra jurare solebant. 310.a
Romulo regnante, hastas pro diademate habebant, easque Græci sceptra nominabant. 112.b
Regibus non licebat interesse sacris inferorum. 322.a.b
Regis veri imago. 120. & seqq.
Regnum non capit duos. 127.a
Religare. 490.b
Revocare ad vitam. 226.a
Rex est, qui mori didicit, Stoicorum paradox. 126.b
Radamanthus & Æacus, inferorum judices. 696.b
Rhæteum, promontorium Troiæ. 374.a
Rhenus, fluv. 92.a
Rhesus Thraciæ rex. 366.b
Rivalis, quis. 178.a.b
Rhodanus Galliæ fl. 489.a
Rogus, quid? 412.a
Romani mola salsa, Græci vivo flumine nocturnos terrores expiabant. 765.a
Rosa capitis dolori medentur. 257.b
Rostrum a Rodo. 132.a
Ruscum, quid? 420.a
Rusticæ vitæ laudes. 240.& seqq.
Rutilare, quid? 67.a

S.

Sabæi Arabes. 638.b
Sacer ignis. 304.b
Sacra Gentilitia, quæ? 86.b
Sacra infernalia quo pacto fieri solita. 332.a,b
Sacrificandi ritus. 316.a
Sacrum, sanctum, religiosum ut differant? 403.a
Sævire, quid? 144.b
Salamis vera insula Attica. 422.b
Saltare in sacris solemne. 418.a
Saltationum genera varia. 418.a
Sapires, populi. 494.a
Sarmata intonsi. 37.a

Sauromatæ & Sarmatæ, iidem. 215.a
Scamander, sive Xanthus, fl. 204.a
Scarphe, urbs. 423.b
Sciron, latro. 281.b
Scuta veteribus arma. 198.a
Scylla Phorci filia, mutata in saxum in freto Siculo. 26.a. 136.a. 224.b. 472.b
Scyros insula, ubi latuit Achilles. 384.b
Scythæ vagi. 36.b. *unde Nomades dicti.* ibid. & 140.a. *pueruli adhuc infantes sagittis assuefaciebant.* 78.b
Sedere, solemne judicibus, dum judicabant. 50.a
Semele, Bacchi parens. 3.a
Senes cur glorioſi? 124.b
Senium, pro moleſtia. 267.a
Septem triones, ſtellæ. 694.b
Septenarius numerus perfectus. 252.b
Sepulchra violare nefas. 411.a
Sepulchrum quid? 412.a
Sequi fugam. 653.a
Seſtos. 204.a
Seres, pop. Scythiæ Aſiaticæ. ſericum conficiunt. 122.b ibid.
Sericum, quid, & unde? 234.a. *ut differat a bombicino & byſſo.* ibid.
Serta unde dicta. 545.b
Servus unde dictus? 390.b
Si interdum idem exprimit quod cum. 459.b
Siccus, pro incruento. 370.b
Sicilia olim Italiæ contigua fuit. 595.a
Sidera antiquis dii. 3.a
Sigæum promontorium Troadis. 372.a 428.b. 550.a
Sigilla, quæ? 265.a
Signa tria: muta, vocalia & ſemivocalia. 193.b
Silenus nutritor Bacchi. 324.a
Simulacra lachymantia. 144.a
Sinis, latro. 281.b. *cur pityocamptes dictus.* 686.a
Sinum implere, Sinum expandere, &c. 125.b
Sirius, ſtella in Canis ſidere, unde dicta? 295.a
Sipylus, urbs & mons. 28.b
Sirenes quæ & cujus filiæ. 473.a. *earum cantus.* ibid.
Sirenes Acheloi filiæ. 603.a
Siſyphus. 52.a. *ejus pœna apud inferos.* 286.a
Soanorum, gentis Colchicæ rex, quantam auri copiam habuerit 481.b
Sol dubius. 291.a
Sol filius Hyperionis. 443.a
Sol occidere & naſci, quibus & cur dictus. 150.a,b
Sol occidens maculis conſperſus ventos & pluvias portendit. 52.a
Solis obſcuratio Dei iram portendere credebatur. 251.b
Somnia eo certiora credebant veteres quo ſomnus profundior. 399.a
Somni leves. 74.b. *graves.* ibid.
Somnus veteribus Deus. 399.a. *Noctis & Erebi filius.* 75.b
Somnus cur λυσιμελὴς dicatur. 731.a
Sororis nomine quandoque amicæ vocabantur. 248.a
Sortes & Sortilegia Græcorum. 371.a
Sortiendi ritus apud Rom. 50.a
Spartani canes. 212.a
Sparte, Laconum urbs. 423.b
Sphingis fabula & effigies. 176.a,b. *deſcriptio.* 298.b. *ænigma.* ibid.
Spinturnix, avis. 502.a
Spolia opima. 65.b
Sporades vel Cyclades inſulæ novem. 639.b
Stadium, quid? 105.a,b
Stoicis Sol & ſtellæ, dii. 154.b
Stoicorum & aliorum opinio de viſu. 464.a
Stridit, pro ſtridet. 661.b
Strigare. 718.a
Strix, avis qualis? 502.a
Στροφεῖον. 720.a
Strophius Phocidis rex. 581.b
Strymon, fluv. 336.b. 553.a. 577.a
Stellarum diſcurſus. 255.a
Stellæ differunt a cometis. 392.b
Stellas humecto quodam alimento nutriri credebant veteres. 256.a
Stymphalides, aves quæ, & unde dictæ. 18.a,b. 194.a. 717.a
Styx fl. unde dictus? 524.a. *per eam cur Dii jurent.* 48.a,b
Styx, fons Arcadiæ. 302.b. *ejus aqua adeo corroſiva & lethalis, ut omne metalli genus perfringat, ſolaque muli vel aſini ungula contineri queat.* ibid.
Styx & Dis pro tumulo. 398.a
Subrigere. 28.b
Subſellia apud Romanos, quæ? 49.b
Subſeſſores, latentes in inſidiis, ut & domeſtici hoſtes pudicitiæ. 213.b
Suevi Germaniæ populi. 500.b
Summus dies, pro die mortis. 311.a
Sunion, promontorium Atticæ. 211.b
Superbus, pro magnifico & ſpecioſo. 350.a

Suppara. 470.b
Σύριγξ quid? 598.a
Symplegades, insulæ. 84.a.472.a
Syrma, unde dictum. 33.a
Syros insula maris Ægæi. 383.b
Syrtes, sinus duo, in mari Lybico. 24.a. *unde dicti.* ibid.

T.

Tabellæ breves. 747.b
Tænarus, promontorium Laconiæ. 40.b.45.a.284.a
Tagus, fl. aureas volvens arenas. 92.a. 121.a
Tanais Scythiæ fluv. 92.a.595.a
Tantali fabula. 101.b. *ab inferis redux.* 94.a.b. *filium coctum Diis epulandum apposuit.* 106.b. *ejus pœna apud inferos.* 52.b
Sex. Tarquinius propter violatam Lucretiam regno expulsus. 741.b
Tartarus, inferorum locus, unde dictus. 262.b.
Tauri, Asiæ montis incolæ. 220.b
Tauri montis situs & descriptio. 498.a
Ταῦροι à veteribus dicta omnia quæ robore aut mole corporis præstabant. 498.a
Taurum Iovi immolari vetitum. 22.a,b
Taurus quibus diis immolaretur, quibus non. 450.a
Taurus, sidus. 2.a
Taxus, arbor feralis, veneficiis idonea. 47.a.332.b.508.a
Taygetus, mons Laconiæ. 105.a.451.b
Telephus Mysiæ rex ab Achille vulneratus non potuit sanari, nisi peteret auxilium unde vulnus tulerat. 382.b. 383.a
Tellus Doris, pro Sicula. 7.b
Telum inclitum mortis. 664.a
Tempe. 69.a
Tempe dicuntur quævis loca situ amœna. 480.a
Templum apud veteres quid? 1.b
Tenere, verb. vis & explicatio. 43.a 135.a
Tenuari & attenuari dicuntur corpora morbis. 696.a
Tereus, Rex Odrysarum. 115.b
Terminus Deus, & Terminalia Sacra. 242.b
Terra & Tellus ut differant? 173.b
Terra cur Alma dicta. 183.a. *parens communis.* 609.b
Terræ motus & mugitus, unde. 303.a,b
Terra sigillata. 684.a
Terram ab Oceano tanquam insulam comprehendi, commenti sunt nonnulli. 330.a
Terrere, pro reverentiam facere. 463.a
Territorium quid? 463.a
Tethys, uxor Oceani. 62.b.92.a.425.b
Tethys, pro ipso mari. 245.b
Tetradistæi seu quarta luna nati. 16.a
Thebe, sing. num. 299.a
Thebæ à quibus obsessæ. 192.b
Thebarum conditores. 65.a.202.a.345.a
Theba Promethei vel Asopi filia. 299.b
Thebani, unde Ogygii dicti? 335.b
Theseus ab inferis reversus. 262.
Theseus, Pirithoi comes in rapienda Proserpina. 92.b
Thespii regis L. filiæ, 33.b
Thessalæ mulieres veneficiis infames. 622.a
Thessali uxores suas δεσποίνας vocabant. 539.a
Thessalia, unde Pyrrha vel Pyrrhodia dicta. 466.b. *Hæmonia unde.* ibid.
Thessalia incantamentis famosa. 237.a. *veneficiis infamis.* 618.b
Thetis, mater Achillis. 425.b
Thule, Oceani Septentrionalis insula. 474.b
Thriasii campi, valles, &c. 209.b
Thyades, Bacchæ Thebanæ, unde sic dictæ? 325.a
Thyestes cur filiam suam compresserit. 541.a
Thyestæ scelera. 97.b. & seqq. *mensa.* 99.a
Thyrsus, Thyrsigeri, θυρσόλογχοι. 323.a
Tiaras, infula Phrygibus in usu. 141.b
Tigris animal truculentum & velox. 511.a. *ejus amor in catulos.* ibid.
Tigris, fluv. 92.a.501.a
Timere, pro revereri. 264.a
Tiphys primum velis & stellis in navigando usus. 470.a
Tiphys, ubi mortuus & sepultus. 491.a
Tiresias sacerdos quamdiu vixerit. 332.a *cæcus fuit.* 312.b
Tisiphone, Furia. 69.a
Titaressus, amnis Thessaliæ. 423.a
Titanum fabula. 68.a
Tityi pœna apud inferos. 52.b. 96.a. 286.a.b
Tmolus Lydiæ mons. 203.b.612.b
Tolli & premere dicitur quidquid supra est. 596.a

Tomi oppidum unde dictum. 457.b
Tondere, de agris. 177.b
Tonsæ quid sint? 551.a
Tonitru unde efficiatur? 484.b
Torrens, quid? 173.b. *Græcis* χείμαῤῥος. ibid.
Trabs pro face. 9.a
Trachyn, urbs Thessaliæ. 420.a. 598.a
Transtra, quid? 551.a
Tribuere in luce. 650.a
Tribunal apud Romanos. 49.b. *ut differat à Subselliis.* ibid.
Tricce, Thessaliæ urbs. 420.a
Triones Romani olim boves terræ cultores vocabant. 694.b
Tripodes Delphici, unde vaticinabantur Phœbades. 506.b. 507.a
Triton Neptuni filius, deus marinus. 380 b
Trœzen, Peloponnesi civitas. 421.a
Troia, propriè regio, in qua Ilium. 366.a
Troia non poterat secundò capi sine Herculis sagittis. 375.a. *quando capta.* 563.a,b
Tropæa propriè quæ? 376.a
Tuba, ejusque usus in bello. 135.a,b
Τύραννος, *Rex.* 705.a
Turbo, ventus concitatior. 139.b
Turdetani præsepia argentea habuerunt. 481.b
Tyndaridæ, Διόσκουροι. 37.b
Typhon, gigas. 738.a. 707.b. *item ventus & unde dictus.* ibid.
Tyrannicum est unâ tantum parte auditâ judicare. 462.a
Tyros in Phœnicia, claret Tyrio colore. 120.b
Tyrus, metropolis Phœnices, tinctura purpuræ nobilis. 234.a

V.

Vacuum an detur intra mundum. 45.b
Vaticinantes unde dicti Ἀραφηφάγοι. 292.a
Venatores idib. Aug. solennia faciebant Dianæ. 215.b
Venus è spuma maris nata. 227.a. *unde Erycina dicta.* 222.b
Verecundiæ veteres frontem assignabant, impudentiæ os, sagacitati nasum, misericordiæ genua, &c. 413.b
Vestis ἀπόδυτος. 579.b
Veteres extra spem & in extremis malis positi, nec votis, nec diis se indigere credebant. 181.a. *cui male volebant, terram gravem, cui bene, terram levem precabantur.* 289.b
Vexillum, quid? 192.b
Victima sacrificium quale, & unde dictum. 450.b
Victimas mactandi ritus. 317.a,b
Victimis niveis diis superi litabat. 561.b
Vina Lesbia. 329.b
Vinum aquâ temperare solebant veteres. 155.a,b
Vinum cur victimæ bis infunderetur. 334.a
Virgines Græcorum rarò in publicum prodibant. 584.a
Virginia à patre Virginio jugulata ne in servitutem ab Appio Claudio redigeretur, qui eam ex ancilla natam falsò asseverabat. 741.a,b
Viri amantes, solem; fœminæ lunam precabantur. 236.a
Virtus, pro viro sorti. 80.a
Virtus unde dicta. 183.b
Virtutis est domare, quæ cuncti pavent. 30.
Virtutes regiæ. 297.a,b
Viscera & exta ut differant. 147.b
Vitam carpi, quid? 61.b
Vitam regit Fortuna, non Sapientia. 270.b
Vivæ domus, pro vivorum domus. 95.a
Ultrices Deæ. 445.a. *quomodo depingerentur.* ibid.b
Ulyssis mors. 438.a
Umber, canis sagax. 131.b
Votis & diris quempiam interfici posse credebant veteres. 268.b
Uri, boves feri. 214.b
Urna quid? 15.a
Uxor, unde dicta. 199.a

X.

Xanthus fl. 204.a. 535.b

Z.

Zacynthos, insula. 424.a
Zephyrus, ventus, idem qui Favonius. 210.a
Zetes & Calais Aquilonis filii, ab Hercule occisi. 492.a,b
Zethi juvencus. 169.a
Ζεὺς καταχθόνιος. 5.b
Zodiaci descriptio. 151.152. *&c.*

INDEX

Auctorum, qui obiter emendantur aut illustrantur.

Appulejus.	102	Livius.	555
Arnobius,	86	Lucanus.	361.444
Auctor Ciris.	11	Ovidius.	185.212.458
Cæsar.	270	Plautus.	59.238
Catalecta.	726	Rutilius Numatianus.	59.99
Cicero.	584	Seneca in prosis.	108
Claudianus	241	Silius.	85.113.202.555
Cornelius Celsus.	185	Statius.	11.444
Florus.	423.724	Suetonius.	145
Frontinus.	62	Valerius Maximus.	555
Justinns.	102.667.718	Virgilius,	58.101
Juvenalis.	401		

CORRIGENDA.

Pag.30.vers. 13. lege Sceptrone. 69, 38. quod & in suo. 75,31. *subeunt morbi.* 79,6. limine vitæ. 93,6. Restituit. 95, 41. *addictos.* 100, 1. membra per partes. 111.34. *Quadrijugo vehitur curru, cui tempora circum.* 123, 23. *quisque.* 132, 11. irarum. 133, 39. Epponillæ. 146,37. particulæ. 160, 38. an orco. 172,8. patris è regno. 176,15. ob cæcitatem. 177,5. Quique Elin &. 178, 17. mors est. 201,33. compendio. 259,30. *infervescere.* 288, 25. Vossianus & princeps. 299, 31. ille, Bacche. 370,31. dele τὸ quippe. 389,42. *tune.* 396.33. tunsæ pectus. 402,19. sint, dictas scio. 446, 15. sequuntur. 447, 15. peractura. 454,16. *Sol occasus.* 595, 22. *Μαραθώνιος.* 496,12. *Thessalicis.* 45. *clamavit.* 512, 33. Avidus. 542,35. sacrificans. 548,26. Ω Ζεῦ. 579,25. intentæ. 600, 6. Muros. 606,38. pronuntiarit. 624,40. in re præsenti. Infra quoque, &c. *manus.* sequenti. 632, 13. Vultus. 645,16. *Megaren.* & versu proximo : *totque natorum.* 651, 38. *Dira.* 40. *Diræ.* 653,26. legem versus. 656,15. Arctous. 657, 30. constantis. 660, ult. amice hic amicus. 669, 5. lentior. 671, ult. *oppidis.* Forte tamen: *nunc ubi irata mihi opus est noverca, nunc.* 690,41. Viderunt. 694,8. Sabæis. 705,27. defuisti. 28, gessi, recipe me. 707,13. quique convulsam. 714, 18. matres. 723, 5. Nec Lethæos s.p.a. Vos fata. 732, 11. *junxit face.* 735, 2. ademptum, Reliquis æquitas & prudentia lectoris facile consulet.

FINIS.

Vriesbuld:

Grauskala #13
C
Y
M
B.I.G.
A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19
Inches
Centimetres
Farbkarte #13
B.I.G.
Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black